






ÖNB
+Z316863807

MAURI SARTI ET MAURI FATTORINI

DE CLARIS ARCHIGYMNASII BONONIENSIS PROFESSORIBUS

A SAECULO XI USQUE AD SAECULUM XIV

ITERUM EDIDERUNT

CAESAR ALBICINIUS FOROLIVIENSIS

IN BONONIENSI ARCHIGYMNASIO IURIS PUBLICI PROFESSOR

ET

CAROLUS MALAGOLA RAVENNAS

IN EODEM ARCHIGYMNASIO PALEOGRAPHIAE ET DIPLOMATICAE PUBLICUS LECTOR
ET REGII TABULARII BONONIENSIS PRAEFECTUS

TOMUS I.

BONONIAE

EX OFFICINA REGIA FRATRUM MERLANI

MDCCCLXXXVIII-MDCCCLXXXXVI


K. K. HOFBIBLIOTHEK

ERRATA-CORRIGE (1)

Pag. 22	lin. 4	(nota)	*pro:*	cui dicitur	*lege:*	qui dicitur
» 27	» 4	»	»	instrumentum actioni	»	instrumento actionum
» 128	» 21		»	de Ruxatis	»	de Bruxatis
» 201	» 4	(nota)	»	que vulgavimus	»	quae vulgavimus
» »	» 17	»	»	Bertholotti	»	Bertholotto
» 206	» 1	»	»	legi potes	»	legi potest
» 251	» 4	»	»	prodest	»	prodit
» 277	» 5, 8, 11	»	»	pape	»	papae
» »	» 9	»	»	que	»	quae
» 278	» 6	»	»	pape	»	papae
» 291	» 21	»	»	agressus	»	aggressus
» 307	» 1	»	»	Hiis	»	His
» 349	» 1	»	»	Ghirardccius	»	Ghirardaccius.
» 359	» 2-3	»	»	extantia	»	extant

(1) Hic alterius tantum voluminis *errata-corrige* damus; nam paucos, si qui sunt, in primo volumine errores, lector ipse facile corrigere potest.

MAURI FATTORINII

CLEMENTI XIV PONT. MAX.

EPISTOLA DEDICATORIA.

CLEMENTI XIV

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

Si qua unquam, BEATISSIME PATER, verae felicitatis spes Christianae Reipublicae affulsit, dum eidem pietate et sapientia praestantes admodum Pontifices Divinitatis instinctu dati sunt, eadem profecto omnium animis summa cum voluptate injecta est vix dum felix ille et faustissimus illuxit dies, qui initium attulit summae illius et cum mortali nulla comparandae dignitatis, qua TE, summa Sacri Senatus consensione, cumulatum novit Christiana Respublica. Enimvero ea est, BEATISSIME PATER, et ita admirabilis cum ea, qua nunc explendescis dignitate, virtutum tuarum conjunctio, ut ad summum hoc imperium administrandum natus factusque videri jam antea posses. Etsi enim nihil fortasse magis optares quam ut divina illa tua virtus soli ipsi Tibi apud Deum Optimum Maximum prodesset et quibusdam veluti tenebris implicita delitesceret, quod sane summae est virtutis testimonium, attamen solis instar eos, vel TE invito, radios ex se se effundere potuit ut ad illius lucis admirabilem et uberrimum fontem intuendum quemque trahere facile

etiam potuerit. Vidit olim eosdem media in sua majestate sapientissimus idemque aequissimus rerum judex CLEMENS XIII jampridem vita functus, Teque nihil tale vel cupientem vel expectantem inter Supremi Senatus Patres amplissimos cooptatum voluit. Viderunt eosdem in immensum pene micantes, qui TE nuper ad summum hoc fastigium, TE unice discrepante, magna totius Christiani Orbis exultatione, evectum voluerunt. Jam vero communem hanc eamque maximam laetitiam in ipsis pontificatus tui primordiis confirmasti, auxisti; et omnium ordinum hominibus certissima jam insedit spes fore ut in summa temporum felicitate perpetuo versemur. Omnium jam sermonibus celebratur tua illa singularis et ingenii et prudentiae vis, qua Christianorum Principum animos Tibi devinxisti; et exultat in primis, BEATISSIME PATER, Christiana Respublica, dum omnia in amplissimo Lusitaniae Regno tam difficili tempore ad pacem et tranquillitatem composita intuetur, sibique jam gratulatur de aliis aeque magnis tuis laboribus, quos pro Dei Ecclesia auspicato suscepisti. Quid vero dicam de admirabili illa Providentia, qua florentissimi imperii tui provincias et civitates complexus es, quaeque principis, seu potius patris amantissimi nomen Tibi promeruit? Clementiae tuae et incomparabilis beneficentiae fructus uberrimos jam tulit urbium omnium princeps Roma, cui per TE, BEATISSIME PATER, nihil ad summam felicitatem deesse posse videtur; tulerunt aliae quotquot mitissimo imperio tuo fruuntur, quibus vel in annonae caritate vel in aliis civium et populorum angustiis clementissime consultum voluisti. Itaque quod olim per quamdam assenta-

tionem de Tito Vespasiano literarum monumentis commendatum accepimus, eum nempe Amorem ac Delicias Generis Humani fuisse; illud idem magnifice et vere praedicabunt de TE omnes, BEATISSIME PATER, cui tantum sane non artis aut fortunae, sed verae virtutis ac incomparabilis morum suavitatis inest ad promerendam omnium voluntatem, atque ad publicam tranquillitatem constituendam. Sed cum omnia, BEATISSIME PATER, quae ad Rempublicam pertinent perfugium in TE nullo unquam tempore non invenient, tum vero maxime bonae artes earumque cultores summa quaeque abs TE expectare poterunt; cum enim doctrinis omnibus ac praesertim divinarum rerum scientia praestes, quam qui maxime disciplinas profecte omnes quibus velut fundamento Reipublicae felicitas nititur, alere et in sinu tuo quodammodo fovere dignum summo principe judicabis. Et vero, BEATISSIME PATER, si quis a primis adolescentiae tuae temporibus ad haec usque repetat, nullum profecto inveniet severioribus studiis vacuum, in quibus florente adhuc aetate ita excelluisti ut doctrinae tua lux quaedam admirabilis in omnium oculos incurrere facile potuerit; et non modo Romae, quod quidem ad egregiam laudem satis esse posset, sed in totius Italiae urbibus illustrioribus et longius etiam tuum nomen celebrari contigerit. Satis mihi sit, PATER BEATISSIME, inter tot praestantes sapientia viros, quos in tuae doctrinae admirationem rapere potuisti, BENEDICTUM XIV commemorare, qui sciens et volens TE inter Supremae Inquisitionis Consultores, ut vocant, adlectum voluit, et cujus ea aliquando vox fuit, tuae in gravissimis quaestionibus sententiae tantum tribuendum esse,

quantum nulli alteri, neque oportere amplius alios, licet doctissimos, in consilium adhibere. Magnum sane et dignum tanto Pontifice judicium, quo certe nihil illustrius nihil honorificentius nihilque accommodatius ad doctrinae tuae magnitudinem declarandam. Quid mirum propterea, si ut multorum opinio fuit, idem incomparabilis et immortalitate dignissimus Pontifex summis TE honoribus augere secum constituerat, et, nisi acerba mors intercessisset, ad alia ipsius egregie facta, hoc etiam longe splendidum accedere potuisset. Sed cum omnes, BEATISSIME PATER, qui TE norunt, doctrinae tuae aequos judices nullo unquam tempore non habuisti, tum vero in primis Bononienses meos, quorum certe de sapientia tua judicium, pro tua incredibili clementia, gratum habere non dubitabis. Meminit adhuc haec civitas tui illius admirabilis ingenii tuaeque doctrinae qua omnium expectationem facile vincebas cum olim in amplissimo tuo et nobilissimo Divi Francisci Asceterio tuae Familiae adolescentibus disciplinis gravioribus erudiendis summa cum laude incumberes. Et quamvis nihil abs TE sibi deberi intelligat, ad eam enim non discendi, sed docendi caussa accessisti; attamen liceat illi per TE, BEATISSIME PATER, aliquid gloriae sibi vindicare, quae cum Matris Studiorum splendido nomine jam inde a veteri aetate decoretur, professorum etiam, quotquot in ea sunt, si non doctrinam, gloriam certe augere plurimum potest. Opere igitur, quod de Claris Archigymnasii Bononiensis Professoribus inscribitur, quodque a Mauro Sartio abbate ex mea camaldulensi congregatione, jussu BENEDICTI XIV et deinde CLEMENTIS XIII coeptum, mihique postmodum ad

perficiendum, Sartio vita functo, ejusdem CLEMENTIS indulgentia demandatum, TIBI, BEATISSIME PATER, non uno nomine deberi quisque intelligit. Quod enim illorum Pontificum clementiae fuit, hoc idem arbitratus sum jure reddendum esse TIBI, qui iisdem in summo hoc imperio administrando suffectus es. Igitur in genua provolutus, BEATISSIME PATER, humilime abs TE peto ut laboris hujus, certe non exigui, primatias tuo patrocinio tueri, tua clementia fovere magnopere velis, TE, BEATISSIME PATER, qui Rempublicam Christianam et utilitate omnium regis et administras, Deus Optimus Maximus diutissime incolumem florentemque praestet. Hoc unum omnium Votum est Salus Tua; huic enim christiani populi tutelam, pacem, concordiam, bona denique omnia commissa esse intelligimus.

Bononiae XIV kal. Septembris MDCCLXX.

Humilissimus, Addictissimus, Obsequentissimus Servus et Subditus

Maurus Fattorini Abbas Camaldulensis.

LECTORI CANDIDO.

Historiam civilem bononiensem scripserunt multi, atque utinam non ita multi sed accuratius. At de scholis nemo adhuc data opera, et si quid ea de re prodiit ex occasione scriptum, haud magnopere placuit eruditis. Alidosius, Orlandius, aliique laude digni sunt, sed ea aetate scripserunt qua magnis ad historiam literariam vere illustrandam adminiculis carebant. Plus etiam hominum philautiae quam veritati saepe tribuerunt. Sed universim de scholis adhuc expectat Respublica Literaria scriptorem copiosum et accuratum; idque jure dandum erat ejus votis; cum et parisiensis academia et oxfordiensis et patavina et ferrariensis, ac pleraeque aliae non careant. Id muneris demandatum tandem a BENEDICTO XIV, Mauro Sartio abbati ex mea camaldulensi congregatione, cujus sane ingenio et eruditione digna res erat; et Pontifex ille incomparabilis, ac ingeniorum optimus judex, eum inter multos huic oneri sustinendo aptissimum judicavit. Multa de hac re tanta colloquutus doctissimus Pontifex cum Sartio et constitutum tandem inter eos ut non historia scriberetur, sed de claris professoribus disquisitio institueretur. Habet quidem hoc scriptionis genus minus invidiae, sed plus difficultatis ob res multas et admodum varias, in quibus delectus haberi debet, ut copiam simul, quae nimia sit et quamdam etiam exilitatem effugias. Sartius, ut suscepto muneri pro dignitate satisfaceret, Roma Bononiam venit tanti principis beneficiis cumulatus, statimque lustrare coepit civitatis archiva, qui quidem labor non levis sed plerumque inutilis. Antiqua tamen monumenta ubique summa diligentia investigavit et magnis sibi comparatis praesidiis varias professorum classes describere est aggressus. Quoniam vero res erudito homini commendata poscebat, ut vera a falsis sine cujusque invidia secernerentur, id egregie sane ab eo praestitum. Illius enim academiae, quae nunc est, monumenta colligere instituit veterumque memoriam illustrare, quorum clara successio ad hanc nostram perducta est aetatem. Ea autem ultra saeculum XI non porrigitur, et nec multa nec magna indicia habere possumus tantae rei, quae postea fuit. Non dubito sane, quin honos habitus sit literis in civitate nostra jam inde ab eo tempore, cum Hetruscorum legibus moribusque regebatur. Cui enim ignotum est, fuisse Hetruscos literarum bonarumque artium cultores? Cum autem inter nobiliores fuerit civitas nostra, locum quoque doctrinis in ea patuisse oportet; simili enim admodum itinere progredi solent opes et literae, ut quae civitas illis maxime praestat ea etiam

literis sit exculta. Ubi vero in Romanorum ditionem venit, sive florente republica sive ea per Caesares subacta, ut varia ejus civitatis fortuna fuit, sic non eodem loco semper literas fuisse existimo, quae variam civitatum ac populorum fortunam sequi debent. Putandum est igitur fuisse jam tum in civitate nostra scholas bonarum artium, earumque illustres professores. Sed quoniam eorum temporum monumenta minime superesse possunt et quae nunc scholae sunt apud nos, atque haec nostra, quam appellant, scholarum universitas nihil commune habet cum antiquis illis scholis; idcirco clarissimus Sartius optimo sane consilio, quaerere omisit vetera illa tanto saeculorum intervallo a nobis dissita, ac exordia nasci voluit ab irneriana schola, quae sub initia saeculi XII in civitate nostra floruit, etsi constet Irnerium in artibus docuisse saeculo XI ad finem properante, quemadmodum in Irnerio ipso demonstrat Sartius.

Sed tantus hic vir et in scribendo cultissimus, magno literarum detrimento Romae decessit sub finem anni MDCCLXVI, nec ipsam primam, eamque difficiliorem operis partem absolvere potuit. Suffectus ego in ejus locum initio anni MDCCLXVII, rem perficiendam sumsi, viribus licet imparibus, magno tamen assequendi studio. Deerat praefatio, deerant classes tum philosophiae, tum theologiae et magna ex parte humaniorum literarum professorum. Deerat tandem collectio, eaque satis magna et ampla veterum monumentorum, quae ipse Bononiae, Romae, aliisque in locis viderat et eorum, quae per amicos nota habuerat. Mirari tamen id nullus debet; cum enim vir clarus se supremo fato praeveniendum suspicari certe non posset et praeterea Romae, ubi morabatur, plurimis, iisque gravissimis, destineretur occupationibus, omnia parare non potuit, sed facilius sane fuisset ipsi, quam mihi deinde novo homini, aut alteri cuipiam colligere vetera illa monumenta, quae jam antea viderat. Ego vero ejus vestigiis quae aut pene nulla aut incerta admodum in suis schedis reliquit, insistere vix potui, et fortasse molestioris laboris est coepta ab alio perficere quam nova moliri. Danda igitur mihi venia ab aequis rerum judicibus, si in hoc opere, quod posthumum dici potest, aliquid majoris diligentiae ad desiderandum relinquitur, in primis vero illud mihi vitio verti nolim, si monumentorum appendix alteri parti destinata est. Non commisissem ego sane ut ita res cederet, si jam inde ab ejus initiis eadem mihi ad disponendum contigisset. Sed nimium jam progressus erat typographus, nec meliori aptiorique ordini locus amplius relinquebatur. Itaque necesse fuit in unam et alteram partem opus tribuere et utramque ad quamdam aequalitatis rationem componere. Ceterum antiquorum monumentorum quae saepissime in priori hac parte laudantur, particulae identidem in imis paginis afferuntur ad eorum, quae narrantur, fidem adstruendam. Haec te, lector optime, nosse cupiebam. Vale.

PRAEFATIO.

I. Carolus Sigonius elegantissimus historiarum bononiensium scriptor politiam civitatis nostrae, quae erat ad annum MCXXIII, libro secundo describere aggressus: « Schola, inquit, in qua artes liberales exercebantur, quantum colligi conjectura potest, nondum erat ea famae celebritate, qua postea fuit, neque scholares ullum adhuc corpus, ut postea, neque corporis caput nacti erant, verum eidem foro, eidemque legi, cui reliqui cives parebant [1] ». Cum in haec forte incidisset Caesar Egassius Bulaeus celeberrimus historiae universitatis parisiensis auctor, quamquam ad ejus institutum nihil admodum eadem pertinerent, libenter tamen in medium adduxit, tacite nimirum academiam bononiensem notans, ut parisiensi sua et aetate et dignitate longe inferiorem exhiberet. Si par pari referre vellem, possem et ipse Bulaeum adeo magnifice, sed minus vere de sua academia scribentem, provocare ad kalendarium vetus lycaei bononiensis, cujus excerpta non exigua edita sunt in adnotatis ad libros historiarum bononiensium Caroli Sigonii, qui cum caeteris ejusdem auctoris operibus Mediolani prodiere ex aedibus palatinis. Ibi enim ex antiquissimo more profectum dicitur, ac fortasse ab ipsa Theodosii junioris aetate, ut doctores scholarium caussas cognoscant et judicia in eos exerceant. Neque vero magis certa sunt, quae tradit Bulaeus de suae parisiensis academiae legibus et institutis jam inde a Caroli Magni temporibus, quam quae de nostrae academiae dignitate, atque antiquitate ibi literarum monumentis commendata leguntur. Sed jamdiu vel ipsi scriptores galli, quotquot sunt praejudicatis opinionibus soluti, magnifica illa Bulaei commenta, quae de sua universitate grandibus et confertis voluminibus complexus est, dispunxerunt. Et vero palatinas Caroli Magni scholas diutius perseverasse, aut quidquam commune habuisse cum ea, quae multo post tempore extitit universitas parisiensis, eruditiores quique jam negant. Detur tamen haec venia Bulaeo, ut ab ultima pene antiquitate universitatis suae initia repetat, cum nec paucis nec infimis scriptoribus placuerit magnopere augustiora facere exordia ejus rei, de qua scribendum susceperant. Ego vero academiae nostrae bononiensis gloriae et antiquitati etiam satis consultum arbitror, si res tota supra septingentesimum annum repetatur, quod quidem non poeticis fabulis, sed incorruptis monumentis clarissimus abbas Maurus Sartius in

(1) Sigon. *Histor. Bonon.*, t. III, lib. II, col. 106, edit. Mediol.

singulis, quae sequuntur, professorum nostrorum seriebus, ingenti eruditionis vi certissime demonstravit, quodque mihi etiam saltem propositum fuisse in historia ipsa persequenda vere affirmare possum. Sed quod civitati totius orbis principi olim indecorum minime fuit, ut ab exiguis eam initiis profectam ingenui scriptores et nobilissimi memoriae tradiderint, illud idem academiae nostrae splendori et dignitati valde obesse non poterit, praesertim cum ejusdem gloria brevi eo creverit, ut vix ab ipsius primordiis adultam eamdem, ac optime constitutam Europa omnis conspexerit; quod cum ex multis argumentis constare potest, tum vero maxime ex magna exterorum undique ad scholas nostras advenientium frequentia.

II. De magno hoc exterorum hominum concursu ad civitatem nostram studiorum caussa medio saeculo XII egregium, ni fallor, testimonium habemus in literis Eugenii III Ferentino datis V nonas Martii (1). Eas hic nunc primum in lucem proferimus ex pervetusto codice membranaceo publici tabularii bononiensis (2). « Eugenius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis G. rector. et bonon. populo salutem et apostolicam benedictionem. Predecessorum vestrorum antiquam et legalem constantiam multi diversarum gentium qui apud vos morari consueverunt manifestis rerum experimentis plenius agnoverunt, quos eorum nominis gloriosa fama est per diversa mundi climata nuntiata et longe lateque diffusa. Vos igitur, si eorum gloriam habere et retinere optatis, oportet vos ipsorum vestigia firmiter imitari et ad eos, qui se vestrae defensioni committunt, more paterno, donec optatum finem habeant, virtutis perseverantiam retinere. Non enim cepisse bonum sed perfecisse virtutis est, homines siquidem de Sancto Cassiano, qui in vobis post Deum suam fidutiam posuerunt, qualiter sunt dispersi quam miserabiliter afflicti eorum calamitas patefacit, et vestra discretio recognoscit. Quamvis autem quidam illorum de Sancto Cassiano cum Imolensibus forte tribulationibus pressi vel nequitia aliorum seducti, convenerint tamen si vos alios, qui semper de patrocinio vestro confidunt, adjuvare et tedio affecti a vestro proposito desistatis gloriam, profecto amittitis et inutilis labor vester omnino existit. Ut igitur vestrae fatigationes atque sudores laetum finem auctore Domino consequantur, et praedictorum Imolensium malitia et iniquitas retundatur, per praesentia vobis scripta praecipiendo mandamus quatenus lapsa erigere, dispersa colligere, satagatis. Et ut locus idem reparari et homines ibi congregati possint diligenti studio mora postposita intendatis et contra sacrilegos ipsos tamquam strenui bellatores viriliter accingamini. Venerabili etiam fratri nostro R. (Rodulpho) episcopo tam in custodia Bagnariae et aliorum custodia (fortasse castrorum) quae ei atque comitibus adhuc residua sunt, ita opem et consilium efficaciter tribuatis ut benedictionem omnipotentis Domini consequamini et beati Petri et nostra gratia semper inveniamini dignores. Dat. Ferentini V nonas Martii ».

III. Hortatur itaque Eugenius Bononienses, ut Sancti Cassiani incolis, qui miserandum in modum et per summam injuriam a vicinis et nimium gravibus Imolensibus afflicti fuerant, opitulari velint. Atque ut eos vehementius impellat, majorum exempla iis imitanda proponit, quorum antiquam virtutem et ut ipse ait, « legalem constantiam multi diversarum gentium, qui Bononiae morari consueverunt, manifestis rerum experimentis » abunde perspectam habent; quo fit ut eorum fama et illustre nomen per

(1) Exscribi curavit comes Ludovicus Saviolus cubicularius sereniss. Bavariae Electoris. Eum hic amicitiae et honoris causa nominatum volo; antiquae enim generis nobilitati, qua praestat, singularem ingenii et doctrinae laudem apprime conjungit.

(2) *Reg. gros.*, l. I, pag. 6.

dissitas remotasque regiones longe lateque diffusum omnium sermonibus celebretur. Aliam autem caussam fuisse, cur civitas nostra tantam exterorum frequentiam videret, praeterquam ob studia literarum ac praecipue ob jurisprudentiam addiscendam, vix mihi suadere possum. Nondum enim vero Bononia ad tantam magnitudinem atque artium celebritatem, ac populi frequentiam excreverat, qua, Superis bene faventibus, nunc est, nec aliud quidquam esse poterat, quod alienos tantopere alliceret, atque ad eam traheret praeter professorum nostrorum excellentiam et restituta a nostris jurisprudentiae studia. Atque ille ipse tantus hominum concursus, qui Bononiae fieri jam coeperat, non minimum gloriae incrementum peperit civitati, quae populo et opibus magnopere aucta est, ita sane ut etiam pomaerium multitudini capiendae amplificari oportuerit.

IV. Sed rogabit aliquis, cur Eugenius mentionem non injecerit de restitutis apud Bononienses legum studiis, earumque scholis et claris professoribus, si his quidem rebus tanta civitatis gloria referri debuisset accepta? Et haec sane commemoratio, ut admodum honorifica, ita et perjucunda Bononiesibus fuisset. Ego vero mihi suadeo, Eugenium consulto a legibus romanis commemorandis abstinuisse, quas plus aequo jam extolli et celebrari videbat, ita ut ecclesiastici etiam viri imo et monachi iis addiscendis operam impenderent; quo fiebat ut divinarum literarum studia magno religionis detrimento negligerentur. Fuerunt ea de re multorum querelae et ipsi etiam Romani Pontifices editis legibus theologica studia adversus juris civilis praepotentiam, ut eam appellabat magnus Rogerius Baco (1), pristino honori restituere conati sunt. Id inter caeteros praestitit Honorius III qui, si fides Ghirardaccio (2), episcopo bononiensi mandavit, ut theologiam in academia nostra tradi curaret. Ne igitur Eugenius suo veluti oraculo legum romanarum studia commendasse videretur, ab eorum mentione facienda prudenter admodum abstinuit.

V. Datae sunt hae Pontificis literae V nonas Martii Ferentino, ex quibus loci et temporis notis facile demonstrari potest pertinere eas ad annum MCLI. Anno enim MCL Eugenius romanis moeniis exiit, ubi non satis honeste nec fortasse etiam tuto esse poterat invisus civitatis primoribus, qui insana quadam cupiditate restituendae antiquae Senatus Romani majestatis, contra Pontificis auctoritatem anarchiam quamdam tueri nitebantur. Itaque Octobri mense ejus anni Ferentini Eugenium fuisse constat, ubi episcopos multos et archiepiscopos consecravit (3). Diu autem substitit Eugenius Ferentini, ubi adhuc erat Aprili mense anni qui proxime sequutus est, ut ex ejus diplomate apud Ughellum (4) in archiepiscopis acheruntinis. Literae igitur Eugenii ad Bononienses, quae datae sunt V nonas Martii Ferentino, ad hunc annum pertinent; neque enim ad insequentem, nimirum MCLII, trahi possunt, quo anno Eugenius Ferentinum rursus non videtur reverti potuisse, quem et Romae et aliis locis, ac praesertim in provincia patrimonii, versatum scimus ex eorum temporum monimentis, quoad anno MCLIII Tibure naturae concessit. Neque etiam ante annum MCLI Ferentini esse potuit Eugenius, ut ex tota ejus itinerum et rerum gestarum ratione facile est colligere.

VI. Accedit quod illi ipsi tempori assignanda est Sancassianensium clades, quibus opem ferri per Bononienses Eugenius valde optabat. Quae res quoniam non satis perspecta fuit scriptoribus nostris et Muratorio etiam, et historiae episcoporum imolensium

(1) *Vide* Vood. *Hist. Univ. Oxon.*, l. I, pag. 53.

(2) *Hist. Bonon. ad an. MCCXIX.*

(3) Jo. de Ceccano. in *Chron. Fossae novae, Rer. Ital. Script.*, t. VII.

(4) *Ital. sacr.*, t. VII, col. 32, edit. Colet.

scriptori, hanc etiam ob caussam non inutile fuerit has Eugenii III literas recitasse, quibus haec historiae particula luce non mediocri adspergitur. Scriptoribus enim, quos ante nominavimus, persuasum fuerat Bononienses vel solos, vel una cum Faventinis foederatis, bellum importasse Imolensibus; cumque propitio marte pugnassent, castrum S. Cassiani, quod Imolensium fuisse putant, pene delevisse. Sed res aliter omnino accidit, atque in Sancassianenses non a Bononiensibus, sed ab Imolensibus saevitum fuerat, quorum propterea malitiam et iniquitatem graviter reprehendit Eugenius, ac Bononienses hortatur ut desertis et afflictis S. Cassiani incolis contra Imolensium feritatem auxilio praesto sint. Miror autem clarissimum Sigonium qui has Eugenii literas non ignorabat, id non pervidisse. Si quis autem nosse cupiat, quae caussa impelleret Imolenses, ut ea acerbitate uterentur contra S. Cassiani incolas, repetat paullo altius rei inquisitionem oportet. Condita enim nova civitate Imola non penitus deletum est Forum Cornelii, vetusta Aemiliae civitas, cui Imola succrevit. Sed veteri Fori Cornelii nomine in desuetudinem abeunte S. Cassiani castrum dicebantur haud magnae illae reliquiae antiquae civitatis, ubi erat et ecclesia cathedralis et episcopi sedes. Optassent quidem Imolenses civitati suae adjungere S. Cassiani incolas, sed repugnabat episcopus, cui non minimum jus erat in castrum S. Cassiani, atque ipsi Sancassianenses nihil magis metuebant, quam ut e suis sedibus avulsi, Imolensium imperio subjicerentur. Itaque Bononiensium fidei atque tutelae se se tradiderant, quod ex his ipsis Eugenii literis intelligimus. Hinc autem perpetuae dissensiones et peracerba odia inter Imolenses et S. Cassiani incolas.

VII. Narrat Tolosanus canonicus Ecclesiae faventinae, qui paullo post haec tempora suum chronicon faventinum scribebat, a Hieronymo Rubeo visum et a Tondutio historico faventino expilatum, nondum editum sed brevi tamen evulgandum (1), narrat, inquam, anno MCXXXXVIII Bononienses Imolensibus bellum intulisse, iisque devictis « Castrum S. Cassiani et Castellum Imolae, quae Imolenses destruxerant, revocatis habitatoribus infra annum, et dimidium reaedificasse, unde hostes non modicum affligebant ». Adeo igitur Bononiensibus nostris tribuenda non est Sancassianensium clades, quemadmodum Sigonio, aliisque scriptoribus visum, qui S. Cassiani incolas alios ab Imolensibus minime fuisse putarunt ut potius Sancassianenses ipsos contra Imolenses defenderint, eorumque Castrum et Castellum Imolae, cui etiam excidium intulerant, Imolenses reficienda curaverint. Hoc autem Castellum Imolae et ab ipsa civitate Imolensi et a S. Cassiani Castro diversum fuisse, vix puto melius aliunde cognosci posse, quam ex hoc Tolosani testimonio.

VIII. Haec vero S. Cassiani et Castelli Imolae reparatio facta est exeunte anno MCXXXXIX, vel initio anni MCL mensibus nimirum octodecim post Bononiensium victoriam, qui anno MCXXXXVIII armis adorti erant Imolenses, ut ex laudato Tolosano accepimus. Sed narrat idem auctor (2) Imolenses non admodum diu quievisse, sed ipso anno MCL Octobri mense iterum sumptis armis in Castellum Imolae impetum fecisse, illudque denuo devastasse; atque haec quidem procella Sancassianenses, quippe qui in eadem versabantur caussa, plurimum afflixit. Itaque Eugenius III (3) proxime sequuto anno MCLI Bononienses hortatus est, ut Sancassianenses ab Imolensium injuriis

(1) Id fiet diligentia et studio Joannis Baptistae Borserii, eximii in urbe Faventia medicinae professoris, qui ejusdem chronici particulam huc spectantem mecum humanissime communicavit.

(2) Cap. XXXXVIII.

(3) Constat ex actis a Muratorio indicatis in *Italiae Annalibus ad an. MCLXXVII.* Imolenses Friderico Imperatori favisse; Sancassianenses autem Pontifici. Quare nil mirum, quod Eugenius eos ab Imolensium injuriis liberare studuerit.

vindicent et Rodulpho episcopo praesidio sint ad retinendam Bagnariam et alia castra agri forocorneliensis, quae illi adhuc, aut aliis comitibus obtemperabant, quaeque iidem Imolenses ad augendum civitatis suae splendorem, vicinorum oppressione pro more temporum sibi subjicere nitebantur. Favebat autem Rodulpho episcopo Eugenius ut videre est apud Manzonium. Itaque eo etiam adnitente Eugenium arbitror tuendos suscepisse Imolenses, atque adeo Rodulphum ipsum, ad quem certe pars aliqua illius calamitatis fundebatur, ita sane ut ab avitis laribus extorris perfugium sibi quaesitum oportuerit ad Castrum Ducciam in montibus suae dioeceseos, qui sunt prope Bononiensium fines. Narrat hunc Rodulphi secessum laudatus Manzonius in episcopis imolensibus, ejusque caussam ducit ex S. Cassiani excidio Bononiensium armis illato; in quo sane statuendo tota via ipsum aberrare, satis jam ex dictis compertum fieri arbitror. Sed jam nimis multa de his Bononiensium dissidiis cum Imolensibus. Nunc e diverticulo in viam.

IX. Usque ad haec tempora non alia adjumenta academiae nostrae fuere, quam quae ex civium solertia et professorum industria proficisci poterant. His postea non mediocris facta est accessio ex indulgentia principum; quamvis enim ex auctoritate Mathildis comitissae et fortasse etiam Lotharii II Irnerius leges romanas interpretari coeperit, diuque jurisprudentiae scholam habuerit; haud tamen constat, ab iis principibus quidquam actum aut sancitum fuisse, quo professorum honoribus, ejusque facultatis et doctrinae, quam profitebantur, incremento consuleretur. Primus qui reviviscentibus in Italia bonarum artium, ac praesertim romanae jurisprudentiae studiis opem ac praesidium magno principe dignum contulerit, fuit sane Fridericus Aenobarbus, qui liberalium artium professores ac studiis addictos immunitatibus et privilegiis minime vulgaribus ornatos voluit, ac nostris praesertim juris interpretibus eos honores detulit, quos haud scio an ullo umquam tempore cuiquam publico literarum professori delati fuerint.

X. Venerat in Italiam Fridericus biennio post adeptum regnum, anno scilicet MCLIV et conventum de more ad Roncalliam celebraverat, in quo italici regni negotia discussa et lites et querelae sive a privatis hominibus sive a principibus aut civitatibus italicis ad imperatoris judicium delatae, ex sententia jurisperitorum diremtae, compositaeque sunt. Assederit ne ullus ex nostris legum doctoribus Friderico ad Roncalliam judicia exercenti, affirmare non ausim; cum neque Otto Frisingensis neque Ligurinus, aut alius quisquam, qui Friderici acta literarum monumentis mandavit ullum nominet. Fieri tamen, ut ego quidem arbitror, non potuit ut ad Fridericum in ipso Italiae sinu commorantem de fama discipulorum Irnerii aliquid non pervenerit. Eos etiam multo magis nosse potuit, cum Romam veniens, ut augustali corona ab Hadriano pontifice more majorum ornaretur, castra ad Rhenum posuit pene ad Bononiensium moenia, ibique festum diem Pentecostes egit.

XI. Erant aliquae offensionis caussae per illud tempus cum Bononiensibus ob excisum ab illis Medicinae Castrum, quod Imperator refici mandavit, et nihilominus Bononiensibus placatus non minimas immunitates et privilegia iisdem concessit, ut ex ejus diplomate apud Ghirardaccium (1); et credi sane potest, aliquem ex suis illis legum doctoribus a Communi Bononiensium destinatum ad Imperatorem fuisse. Cui autem Fridericus arderet incredibili cupiditate extollendi imperialem dignitatem et pristina jura, quoad fieri poterat recuperandi, non solum in armis sed etiam in legibus romanis magnum sibi ad eam rem praesidium collocaverat. Itaque legibus romanis, quae haud

(1) *Historia di Bologna*, lib. III.

ita pridem in scholis et foro prae langobardis, salicis, aliisque barbaricis legibus dominari coeperant, mirifice favit Fridericus, earumque professores in deliciis habuit, ut ipse ad quamdam jactationem, gloriari potuerit, *leges romanas suis beneficiis ad summam dignitatem evectas fuisse.* Sic enim in concione quam habuit ad exercitum ex germanis et italis conflatum in altera expeditione italica. « Nostis, inquit, quod jura civilia nostris beneficiis in summum provecta, firmata, ac moribus utentium approbata satis habent roboris (1) ». Suscepit secundum illam expeditionem Fridericus anno MCLVIII eo quidem consilio ut Italiam fere omnem, quae vix ullam Imperatoribus Romanis subjectionem praestabat ac Mediolanenses in primis, quorum potentia magis suspecta atque invisa esse poterat, sibi parere cogeret. Itaque transmisso per Alpes in Italiam exercitu germanico, in quo rex Bohemorum Uladislaus, Henricus dux Austriae, aliique ex Germaniae principibus erant cum ingentibus copiis, primo in Brixienses, proximam alpibus civitatem, impetum fecit qui cum circumjacentem agrum incendio vastari, castra dirui viderent, metu excidii impendentis perculsi deditionem etsi durioribus conditionibus fecerunt. Interea convenerant copiae italicarum civitatum, earumque magistratus et judices et sacrorum etiam antistites plerique, quos proemissi jam in Italiam Raynaldus Cancellarius et Otho Palatinus legati, Imperatori in Italiam venienti praesto esse jusserant. « Jam totus exercitus tam cisalpinus, nempe germanicus, quam transalpinus, idest italicus, convenerat; jam multitudo prudentium et in lege doctissimorum in unum coierant, omniumque aures intentae erant, quas in partes, vel in quas nationes in primis eos bellicus labor et voluntas principis invitaret ». Ita Radevicus canonicus frisigensis Friderico imperatori a sacris domesticis, qui his omnibus praesens interfuit. Porro inter *prudentes et in lege doctissimos,* quorum in primis rationem in eo conventu habitam constat, principem locum obtinuisse Irnerii discipulos, qui tunc maxime in civitate nostra legum scientia explendescebant, nullo dubito tum quia nemo erat ubivis gentium, qui cognitione legum civilium cum iis comparari posset, tum quia Radevicus ipse postea describens, quae ad Roncalliam ab Imperatore acta sunt et leges ab eo latas, nihil non ex eorumdem jurisperitorum sententia factum narrat.

XII. Sed Fridericus in ipso tantae rei procinctu quantum detulerit legibus earumque doctoribus ostendit, cum enim junctis Italorum et Germanorum copiis concionem habuisset, seseque dixisset decrevisse Mediolanenses primum oppugnare, quorum superbia et sibi invisa et vicinis civitatibus valde noxia esset, quamquam nemo ausus sit improbare consilium principis gestientis jam et animo proeripientis gratulationem certissimae victoriae, attamen legum periti auctores fuerunt Imperatori, ut jure ac legibus in contumaces ante ageretur, quam armis subigerentur. « Dixerat (Fridericus) verbumque Augusti strepitus, clamor, favorque totius exercitus prosequitur et divina quaedam alacritas militibus incidit, salutis datori vota ac Friderico imperatori fausta quisque patria voce adclamantes ». Ita exceptam ab exercitu Friderici concionem et deliberationem de Mediolanensibus profligandis, narrat idem Radevicus. Sed ita pergit: « At sapientes et legum periti persuadent Mediolanenses, licet superbos et infames, judicis tamen officio per legitimas inducias citandos esse, ne violentia eis illata, vel contra jus in absentes prolata sententia videretur; legitimas vero inducias dicunt judicis edictum unum, mox alterum et tertium seu unum pro omnibus, quod peremptorium nominatur quod et factum est ». Itaque compellati Mediolanenses, auditique eorum

(1) Radevicus. *De gestis Friderici I,* l. II, c. III.

legati qui cum nulla defensione ad cives suos culpa liberandos uti potuissent, nec oblata etiam pecunia delinire animum principis, tandem ex legisperitorum sententia Mediolanenses damnati pronuntiatique sunt hostes (1). Ac mirum sane tantam fuisse jurisperitorum nostrorum auctoritatem, ut principem animo ferocem et validissimo exercitu instructum remorari potuerint.

XIII. Sed ubi debellatis Mediolanensibus ad exercenda de more judicia et italorum caussas cognoscendas ad Roncalliam consedit Fridericus, hic vero maximus honos est habitus doctoribus nostris quos nominatim ad illum conventum acciverat, sibique assidere voluerat; Bulgarum scilicet, Martinum et Hugonem, atque Jacobum de Porta Ravennate (2). Fuere in eo conventu, praeter Germaniae et Italiae proceres, et plurimarum civitatum magistratus ac judices, archiepiscopi quoque et episcopi fere triginta cum Guidone diacono cardinali et Sedis Apostolicae legato (3). Ac primo quidem dies tres consultationibus et deliberationibus impensi, edixerat enim Fridericus ut communi consilio perviderent, quid facto opus esset ad Ecclesiae tranquillitatem et Imperii jura, sive ut appellant *regalia* constituenda et firmanda. Post autem judicia habita sunt et multa ad publicam quietem decreta, ac privatorum caussae ad exitum adductae: « Sequentibus diebus, inquit saepe laudatus Radevicus (*loc. cit.*, c. 5), plena atque solemni curia, judicio et justitiae a mane usque ad vesperam intentus, querimonias et proclamationes tam divitum, quam pauperum diligenter audiebat. Habensque quatuor judices, videlicet, Bulgarum, Martinum, Jacobum, Hugonem, viros disertos, religiosos et in lege doctissimos, legumque in civitate bononiensi doctores et multorum auditorum praeceptores, cum his aliisque legisperitis, qui diversi ex diversis civitatibus aderant, audiebat, discutiebat et terminabat negotia ».

XIV. His omnibus fauste et feliciter confectis, ventum est ad statuenda Imperii jura, de quibus magnopere sollicitus erat Fridericus. Dederat ad expediendum magnum hoc negotium quatuor nostris doctoribus, ut decernerent ipsi quaenam essent Imperatoris jura in Regnum Italicum. Verum ipsi satis intelligentes, quanti esset molem hanc movere, negarunt se tantum negotium suscepturos, atque a principe impetrare potuerunt, ut ex singulis civitatibus duo adlecti judices in consilium adhiberentur (4). Primo itaque communi consensione inter eos convenit supremo Imperii jure contineri « Ducatus, Marchias, Comitatus, Consulatus, Monetas, Telonia, Vectigalia, Portus, Pedatica, Molendina, Pescarias, omnemque utilitatem ex decursu fluminum provenientem; nec de terra tantum, verum etiam de suis propriis capitibus census annui redditionem », ut inquit Radevicus *loc. cit.* Atque haec sunt, quae *regalia* vulgo appellantur; quae postquam a jurisperiti ita definita et constituta fuerunt, quotquot in eo erant conventu Ecclesiarum praelati et magistratus, cum nihil afferre viderentur pro veteri libertate tuenda, quod illam jurisperitorum sententiam aut vinceret aut extenuaret, *regalia* quae diximus Imperatori restituere decreverunt. Sed quamquam ad haec Imperii jura constituenda adhibiti sunt reliquarum Langobardiae civitatum judices; totius tamen deliberationis vel

(1) Radev., *loc. cit.*, c. XXVIII.

(2) Interea namque Imperator colloquium in Roncallia, in s. Martino proximo veniente, maximum se habiturum constituit, omnibusque fere Italiae Principibus, Consulibusq; etiam Civitatum in ipso colloquio inesse praecepit, ad quod quatuor etiam principales Legis Doctores, videlicet Bulgarum et Martinum Gosiam, seu Jacobum, atque Hugonem a Porta Ravegnana, Bononiae magistros interesse fecit. Otto Morena. *Histor. Rer. Laud.* apud Murator. *Rerum Italic. Scriptor.*, t. VI, pag. 1015-17.

(3) Radev., l. II, cap. I-III.

(4) Rem totam narrat Otto Morena. *Hist. Rer. Laud.*, *loc. cit.*, pag. 1017.

laudem vel dedecus nostris doctoribus tribui contigit. Eos propterea capit Placentinus, quod Imperatori persuaserint *Italiam factam esse tributariam* ei scilicet adjudicatis vectigalibus, censu capitum, aliisque tributis quae ad Imperii jura, sive *regalia,* pertinere sanxerunt. « Sed nec illud obstat, inquit, quod impie et falsissime et contra proprias conscientias a miseris Bononiensibus Friderico imperatori Placentiae persuasum est, Italiam factam esse tributariam [1] ». Cum autem post annos plures Venetiis ageretur de sancienda pace inter Fridericum ipsum et Langobardos, quorum pleraeque civitates libertate recuperata *regalia* Imperatori praestare recusabant, ipsius Imperatoris legati, ut narrat Romualdus archiepiscopus salernitanus, has pro pace ineunda conditiones proposuerunt, ut Langobardi aut *regalia* restituerent, aut sententiae a Bononiensibus judicibus latae se se subjicerent, aut ea Imperatori praestarent quae olim Henrici IV aetate praestari solebant [2]. Ad haec autem respondit Gerardus Testa Mediolanensium judex ea, quae ad suae caussae defensionem opportuna videbantur. Quoad sententiam vero judicum Bononiensium, negavit sane ad Roncalliam legitimum habitum esse judicium: « Plane inficiamur, inquit, eam non fuisse sententiam sed Imperatoriam jussionem. Etenim quum plures ex nobis, nec per contumaciam, fuissemus absentes, quidquid tunc contra nos dictum fuit, nobis nocere non debet nec pro sententia reputari, secundum leges enim in absentes prolata sententia nullius est roboris vel valoris [3] ». Ex his compertum fit, tributa fuisse doctoribus nostris quae ad Roncalliam acta ac sancita sunt. Quod si apud multos in reprehensionem incidisse videmus, quae de Imperii juribus doctores nostri decernenda putarunt, profecto aliae leges quae ab Imperatore ex eorumdem sententia latae sunt, magno iis honori esse debuerunt. Earum aliquot totidem verbis recitat Radevicus, quae sunt *De jure feudorum et de pace tenenda.*

XV. Sed doctoribus nostris maxime illud etiam cordi fuit, ut Imperator ea decerneret, quibus ipsorum dignitati in posterum consultum esset. Ita edita est celebris illa constitutio de Doctorum ac Scholarium immunitatibus et privilegiis, cujus capita infra ad *Juris Civilis Professores* describit clarissimus Sartius [4]. Quamquam vero fatemur, hanc Friderici constitutionem promulgatam non fuisse pro nostris scholis bononiensibus dumtaxat ut aliqui putarunt sed pro omnibus; attamen cum eadem spectet in primis sacrarum legum professores, nec ullibi essent per illud tempus legum scholae satis celebres, praeterquam in civitate nostra, illud idcirco principis beneficium ad neminem magis quam ad professores nostros permanare potuit. Atque haec quidem privilegia animo reputans, in id facile adducor, ut putem maximam illam gloriae accessionem, quae academiae nostrae facta est hoc ipso saeculo ex iis velut ex nativo fonte, petendam omnino esse; tanto enim majore frequentia ad eam exterorum concursus fieri coepit, quanto majoribus immunitatibus frui poterant ex indulgentia principis qui literis vacabant, quantoque splendidiore loco erant professores et magistri tanto doctissimus quisque ad eum honoris gradum obtinendum nitebatur. Neque vero dubitandum est, quin post Friderici legem, qua doctoribus jurisdictio in scholares attributa est, eorum etiam dignitas mirum in modum aucta sit et insigniorem, quam umquam antea honoris locum tenere coeperint. Erant ante illud tempus doctores, eorumque auditores eodem jure ac coeteri cives. Postea vero quam concessa est docto-

(1) PLACENT. *Summa*, l. X, C. *De annonis et tribut.*

(2) ROMUALD. SALERN. in *Chronic.* apud MURATOR. *Rer. Ital. Script.*, t. VII, pag. 222 e 223.

(3) *Ibid.*

(4) Pag. 13.

ribus in scholares jurisdictio, doctores ipsi quodam veluti principatu uti coeperunt. Ipsa quoque civitas non vulgares honores detulit primo quidem professoribus legum deinde decretorum doctoribus, qui semper ante coeteros cives et supra legitimum numerum locum habebant in Consilio civitatis. Itaque primi in Consilio sententiam dicebant, nec ullum fere alicujus momenti publicum erat negotium ad quod expediendum aliquis legum doctor civitatis nomine non adhiberetur.

XVI. Ita ab exiguis principiis res magnae proficiscuntur et academiae nostrae optime jam constitutae labentibus annis honores maximi delati. Romani ipsi Pontifices ejus gloriam augere voluerunt, inter quos Alexander III primo nominandus est, quippe qui primus omnium datis publice ad academiam bononiensem literis, suae erga illam optimae voluntatis testimonium exhibuit. Is ille ipse est qui inter scholarum nostrarum professores quondam locum obtinuerat, Rolandus Bandinellus appellatus, de quo dicemus inter *Theologiae Professores*. Pontifex renuntiatus anno MCLIX, cum diri schismatis periculum imminere perspiceret ob trium cardinalium proterviam, Octaviani scilicet, Joannis de S. Martino et Guidonis Cremensis, qui valde ejus electioni repugnantes unum ex eorum numero, nempe Octavianum Pontificem, creari volebant paucis post consecrationem suam diebus ad praecipuos catholici orbis praelatos literas dedit, quibus accurate certiores eos facit de iis, quae in sui electione gesta erant, ne quis dubitare posset quin legitime ad Petri Cathedram esse evectus. Quamquam autem ejusmodi epistolae encyclicae non ad singulos episcopos sed ad majores antistites mitti consueverunt, hanc tamen Alexander III novo et inusitato ad eam diem exemplo non solum episcopo et canonicis Ecclesiae bononiensis, sed etiam legum doctoribus caeterisque scholarum nostrarum magistris inscripsit eo scilicet consilio, ut recte animadvertit *Annalium ecclesiasticorum* parens Baronius, « quod magni momenti esse duxerit Bononienses suis literis praevenire eo quod illa civitas tunc vigebat lectoribus, jus utrumque profitentibus et inter alios quos superius nominavimus (Bulgarum nempe, Martinum, Jacobum et Hugonem) Gratiano, qui Decreti libri auctor summa aestimatione fulgebat[1] ». Moverant enimvero Alexandrum quae de bononiensibus doctoribus omnium sermonibus celebrantur et praecipue Friderici erga ipsos voluntas, qui certe tantum iis detulerat, ut in conventu ad Roncallias anno superiori celebrato nihil non ex eorum auctoritate et judicio agi voluerit, non solum in privatorum caussis definiendis, sed vel in ipsis Imperii juribus constituendis, legibusque ad omnium utilitatem faciendis. Itaque in ipsis suae dignitatis initiis cum metueret ne malo improborum dolo Ecclesiae unitas ingens aliquod detrimentum pateretur, magni interesse duxit doctorum bononiensium animos sibi devincire, quorum sane auctoritas Dei et Ecclesiae Sponsae caussam non parum juvare poterat.

XVII. Cum autem non multo post Alexandri consecrationem schismatis flamma caput extulisset, pontificiis ornamentis insignito apud farfense monasterium pseudopontifice Octaviano, qui Victor IV appellatus est, idque in primis adnitente Friderico imperatore, qui infensus admodum fuerat Hadriano IV, Alexandri praedecessori, quique jam in Ecclesiae jura palam invadere non metuebat; Pontifex iterum ad ecclesiarum praelatos scripsit, atque una ad scholarum nostrarum professores, ut eos in fide erga se et in Ecclesiae Catholicae unitate retineret. Non binas tamen epistolas hanc in rem dedit Alexander, sed unam atque eamdem; primo enim ea scripsit, quae in sui

(1) Baron. *Annal. Eccles. ad anno MCLIX.*

electione et consecratione contigerant, et commemoravit etiam insanam trium cardinalium pertinaciam, necnon mira quaedam Octaviani ad summam Ecclesiae praefecturam impotentes inhiantis deliria. Post autem eidem epistolae adjecit quae in Victoris consecratione, sive potius *execratione,* ut eam Pontifex appellat, acta fuerant. Semel igitur atque iterum data est eadem Alexandri III epistola, primo quidem Terracina III nonas Decembris. Sub eo exemplo, quo primum ad Bononienses transmissa est, eam descripsit Radevicus (*De gestis Friderici I,* lib. II, c. 51) ac propterea ibi desunt, quae ad inaugurationem Victoris pertinent, quem *frustra* ait Pontifex *ad eum usque diem episcopos quaesivisse a quibus consecrationis, seu verius execrationis larvam illam acciperet, quam postea obtinuit:* « Unde, inquit, nec adhuc invenire potest, licet modis omnibus enitatur, qui ei manus execrationis imponat ». Sed Hieronymus Rubeus elegantissimus *Historiarum Ravennatium* scriptor ex insigni tabulario Ecclesiae ravennatis eam protulit cum adjectionibus eidem factis a Pontifice postquam Victor apud farfense monasterium inauguratus est. Inscripta est: « Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et universis Ecclesiarum Praelatis per Liguriam, Aemiliam, Histriam et Ducatum Venetiae constitutis ». Baronius eamdem produxerat Bononiensibus inscriptam et a Radevico acceptam, atque ex eodem fonte hauserat etiam Bulaeus a quo edita est in *Historia Universitatis Parisiensis* (t. II), ut Sigonium et Ghirardaccium praetermittam, qui eam ex eodem Radevico notam habuerunt.

XVIII. Clarissimus Constantinus Rogerius, jampridem fato functus, bibliothecae eminentissimi cardinalis Spinelli, olim Renati Imperiali, praefectus huic epistolae primum locum dedit in collectione veterum monumentorum ad publicas Bononiensium scholas pertinentium, quam ex romanis archivis jussu Benedicti XIV confecit. Quantum autem operae atque diligentiae in ea emendanda atque illustranda posuerit, praestat ex ipso audire, qui ad eam ita praefatur: « Nos vero utrumque epistolae exemplar, Baronio scilicet, aliisque ex Radevico, atque ex tabulario Ecclesiae ravennatis a Rubeo editum, non modo invicem contulimus, sed duos insuper codices manuscriptis vaticanos consuluimus, ad quorum fidem epistolam recensuimus, ac menda quae in apographo radeviciano animadvertit Baronius, omnino expunximus varias insuper contextus lineas, quae in ipsa deerant, adjecimus, sicque eam pristinae ac genuinae lectioni non mediocri sacrarum literarum bono nunc primum restituisse laetamur ».

XIX. Codices vero vaticanos, quibus Rogerius usus est, describere agressus ait alterum, qui notatus est n. CIII, exhibere hanc epistolam Theobaldo archiepiscopo cantuariensi, ejusque suffraganeis inscriptam. Alterum codicem, qui numero MMMMMMXXIV notatus est, epistolam ait exhibere inscriptam: « Venerabili fratri P. parisiensi episcopo et dilectis filiis canonicis majoris Ecclesiae et universo clero parisiensi ». Bulaeus, qui hanc inscriptionem minime viderat, non quidem ex certo aliquo monumento sed ex multiplici conjectura hanc epistolam Alexandri III gymnasio etiam parisiensi, mutato solum titulo, transmissam fuisse pronuntiat. « Tunc enim, inquit, utraque Schola bononiensis et parisiensis inter omnes maxime florebant et virorum doctorum numero abundabant, eratque inter eas quaedam studiorum necessitudo propter frequentem ex altera ad alteram migrationem. Quemadmodum enim multi ex bononiensi ad parisiensem, ita ex parisiensi ad bononiensem proficiscebantur eruditionis et curiositatis caussa, maxime vero ad discendum jus utrumque, cujus ibi florebat in primis disciplina ». Immortales habendae sunt gratiae Bulaeo, qui cum saepe alias de bononiensi academia demisse admodum locutus sit, nunc tandem eam in aliquam gloriae societatem cum sua

parisiensi venire sinit, imo utriusque praestantiam ad quamdam aequalitatem extollit. Ne quid tamen dissimulasse videar, quamquam in epistolae inscriptione ad P. episcopum et clerum parisiensem nulla scholarum aut professorum mentio occurrit, attamen cleri nomine doctores etiam et scholares parisienses intelligi posse fateor, quod quidem eruditis satis notum est.

XX. Sed ut redeam ad codicem vaticanum quo usus est Rogerius, fuit is illatus in bibliothecam Vaticanam sedente Urbano VIII ex libris Laelii Ruvini patricii bononiensis, Sedis Apostolicae legati apud regem Poloniae et episcopi balneoregiensis, qui anno MDCXXII extremum diem obiisse ab Ughello dicitur (1). Epistolam autem ipsam Alexandri III cum variis lectionibus et adnotationibus a Rogerio adjectis hic exhibemus, daturi in Appendice alias aliquot ejusdem Pontificis, quae ad scholas nostras pertinere possunt. « Alexander episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri Gerardo episcopo et dilectis filiis canonicis bononiensis Ecclesiae et legis doctoribus, caeterisque magistris Bononiae commorantibus. Aeterna et incommutabilis (2) providentia conditoris sanctam et immaculatam Ecclesiam a suae fundationis exordio ea ratione voluit et ordine gubernari, ut unus (3) ei pastor et institutor existeret, cui universi (4) Ecclesiarum praelati absque repugnantia subjacerent et membra tamquam suo capiti coerentia ei se mirabili quadam unitate (5) conjungerent et ab ipso nullatenus dissiderent. Qui vero apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; ille procul dubio Ecclesiam suam, cujus ipsi apostoli magisterium assumpserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur, sed eam in suo statu et ordine, licet ad instar naviculae Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuo faciet permanere. Unde et quamvis hoc tempore tres falsi fratres, qui a nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in Angelos Lucis cum sint Satanae (6), inconsutilem Christi tunicam, quam ubique ipse quidem (7) ex persona Psalmographi a Leonibus petit et a framea erui et de manu canis orat, ac postulat liberari, scindere et laniare laborant. Christus tamen auctor et caput Ecclesiae, eam velut unicam Sponsam suam provida gubernatione tuetur et navem egregii piscatoris, licet saepius quatiatur (8) a fluctibus, non permittit naufragium substinere. Porro cum Antecessor noster bone memoriae Hadrianus PP. kal. Octobris, dum essemus Anagniae (9), debitum naturae solvisset et de terris ad caelum, de imis migrasset Domino vocante (10) ad Superna, eo Romam adducto et pridie nonas Septembris in ecclesia b. Petri praesentibus fere omnibus (11) Fratribus satis honorifice (12), sicut moris est, tumulato (13) coeperunt Fratres et nos cum eis, secundum Ecclesiae consuetudinem de substituendo Pontifice

(1) *Ital. Sacr.*, t. I, col. 370.

(2) Immutabilis; *Rubeus.*

(3) Unus ei; *ita Rubeus et Radevicus.* Unus ejus; *C. R.* (idest Cod. Vat. 6024 his literis a Rogerio designatus, quemadmodum et alius, n. 103, Cod. Vat.).

(4) Universi. *C. R.:* universarum.

(5) Unitate; *deest in C. R.*

(6) Sint Satanae. *C. R.:* Sint ipsi Satanae.

(7) Ubique ipse quidem. *C. R.:* Ipse idem.

(8) Licet saepius quatiatur. *C. R.:* Licet quatiatur.

(9) « Dum essemus ». Haec verba deerant apud Radevicum, extant vero in utroque Cod. et apud Rubeum, eaque idcirco suo loco restituimus; nam ex ipsis constat, Rolandum tit. s. Marcelli presbyterum cardinalem, postea Alexandrum III, Hadriani IV decessoris sui morti interfuisse; quod etiam patentissime innuunt schismaticorum cardinalium literae circulares, quas ex Radevico descripsit Baronius. « Postmodum, inquiunt, jam saepe dicto patre nostro Adriano Anagniae kal. Septembris defuncto, omnes illuc convenimus et cum de corpore, sive ibidem tumulando, sive Romam deferendo, non parva contentio oriretur, tandem Romam corpore deportato etc. ».

(10) Porro vocante; *desunt in C. R.*

(11) Fere omnes. *C. R.:* ferme omnibus.

(12) Honorifice; *sic in utroque cod. et apud Rubeum. Radevicus legit:* honeste.

(13) Tumulato. *C. R.:* intumulato.

in eadem Ecclesia (1) studiosius cogitare et tribus inter se (2) diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram insufficientem huic oneri et tantae dignitatis fastigio minime congruentem omnes fratres (3) quotquot fuerunt tribus tantum exceptis, Octaviano scilicet, Joanne de Sancto Martino (4) et Guidone Cremensi, Deo teste quia (5) mendacium non fingimus, sed meram scilicet ut est loquimur veritatem, concorditer, atque unanimiter convenerunt et nos assentiente clero ac populo in Romanum Pontificem elegerunt. Duo vero Joannes et Guido (6), quos praenotavimus, tertium scilicet Octavianum nominantes, ad ejus electionem pertinaciter intendebant. Unde et ipse Octavianus in tantam audaciam vesaniamque prorupit (7), quod mantum, quo nos reluctantes et renitentes, quia nostram insufficientiam videbamus, juxta morem Ecclesiae Oddo prior diaconorum (8) induerat, tanquam abreptitius a collo nostro propriis manibus violenter excussit et secum inter tumultuosos fremitus asportavit. Caeterum cum quidam de senatoribus tantum facinus inspexissent, unus ex eis Spiritu divino succensus, mantum ipsum de manu (9) eripuit saevientis. Ipse vero ad quemdam capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat et paratus, illico flammeos oculos fremebundus inflexit. Clamans et innuens ut mantum, quem fraudulenter (10) portaverat, festinanter afferret; quo utique sine mora delato idem Octavianus (11) abstracto pileo et capite inclinato, cunctis fratribus aut loco inde (12) aut voluntate remotis, mantum per manus ejusdem capellani, et alterius cujusdam clerici sui (13) ambitiosius assumpsit (14), et ipse idem, quia non erat alius in hoc opere, capellano et clerico extitit coadjutor. Verum ex divino credimus judicio contigisse, quod ea pars manti quae tegere anteriora debuerat, multis videntibus et ridentibus posteriora tegebat. Et cum ipse idem hoc emendare studiosius voluisset, quia caputium manti extra se raptus non poterat invenire, collo inferiorem fimbriam (15) circumduxit, ut saltem mantus ipse appensus ei quodammodo (16) videretur. Sicque factum est, ut sicut tortae mentis erat et intentionis obliquae, ita ex transverso et obliquo mantum fuerit in testimonium suae damnationis indutus. Quo facto portae ecclesiae, quae firmatae (17) fuerant, reserantur, et armatorum cunei quos, sicut ex se apparuit, pecuniae largitione conduxerat, evaginatis gladiis cum immenso strepitu concurrerunt, et pestis illa mortifera, quia cardinales et episcopos non habebat, armatorum caterva militum vallabatur. Considerate itaque venerabilis in Christo Frater et dilecti Filii tam

(1) In eadem Ecclesia; *desunt in C. R.*

(2) Inter se; *desunt in editis et in Cod. Vat.*

(3) Fratres; *non habetur in editis, extat in utroque cod.*

(4) Joanne de s. Martino, nempe Joannem tit. s. Martini et Guidonem tit. s. Callisti presbyteros cardinales; *in C. R. legitur:* Ivone de s. Martino; *sed mendose, nam in omnibus illius aevi monumentis;* Joannes, *non* Ivo, *hic dicitur. Vide* Pagium. *Breviar. Gestor. Rom. Pont.,* t. III.

(5) Quia. *C. R.:* quod.

(6) Joannes. *C. R.:* Ivo.

(7) In tantam audaciam, vesaniamque; *Radericus habet:* insaniam; *at in utroque Cod. Vat. et apud Rubeum ita legitur, eique consentit Anonymus Auctor Vitae Alex. III apud Baronium, dum legit:* in tantam vesaniam, audaciamque prorumpit.

(8) Oddo Prior Diaconorum. *Cod. Vat.:* Otto, *nempe* Oddo, *s. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinali;* Prior Diaconorum *dicitur, nempe* Primus Diaconus: *ita quoque in inscriptione epistolae schismaticorum cardinalium legitur:* Igmarus Tusculanus Episcopus Prior Episcoporum; nimirum s. Collegii Decanus; Oddonis, *nomen legitur in fronte Epistolae a Catholicis Cardinalibus Friderico Imperatori conscriptae, quam a Raderico desumpsit, Baronius.*

(9) De manu. *C. R.:* de manibus.

(10) Fraudulenter; *deest in C. R.*

(11) Idem Octavianus; *desunt in C. R.*

(12) Inde; *deest in C. R.*

(13) Et alterius cujusdam Clerici; *Radericus vocem* alterius *non habet; extat vero in Cod. Vat. et apud Rubeum.*

(14) Ambitiosius assumpsit. *Rubeus et Cod. Vat. habent:* ambitiosius. *Anonymus legit:* impudenter.

(15) Collo inferiorem fimbriam. *Radericos et Cod. Vat. habent:* fimbrias.

(16) Mantus ipse appensus ei quodammodo videretur. *In Cod. Vat. et apud Rubeum legitur:* quomodolibet. *In C. R.:* Mantus ipse quomodolibet appositus et videretur.

(17) Firmatae. *Rubeum legit:* firmae.

piaculare flagitium diligenter attendite (1) « *et videte si est dolor sicut dolor iste, et si* » *ab exordio nascentis Ecclesiae tanta vesania fuerit unquam ab aliquo schismatico vel* » *haeretico attentata* ». Fratres vero facinus tam immensum et a saeculis inauditum (2) ex insperato videntes, et formidantes ne a conductitiis militibus truncarentur (3), se se in munitionem (4) ecclesiae nobiscum pariter receperunt. Ibique (5) novem diebus continuis, ne exinde libere exiremus, fecit nos quorumdam senatorum assensu quos pecunia oblata corruperat, diu noctuque armata manu cum omni diligentia custodiri. Sane omni populo (6) incessanter et jugiter acclamante (7) et in senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, de custodia fuimus illius munitionis erepti; sed in arctiori et tutiori loco apud Transtiberim nos iidem senatores, recepta inde pecunia, posuerunt. Cumque moram ibidem ferme per triduum fecissemus, universo populo tantam proditionem atque malitiam de caetero nullatenus substinente senatores (8) cum nobilibus et populo venientes, nos et Fratres nostros per Urbem magnifice et honorifice cum immensis laudibus et praeconiis, campanis etiam in transitu nostro ubique (9) pulsantibus, conduxerunt. Et sic tandem a violentia persequentis erepti et nostrae redditi libertati sequenti die Dominico, vigilia scilicet s. Matthaei (10) « *Venerabilibus Fratribus nostris* » *Gregorio Sabinensi* (11), *Hubaldo Ostiensi, Bernardo Portuensi, Walthero Albanensi,*

(1) Considerate itaque. *Sequentes lineae notatae non habentur in editis; extant in utroque codice et apud Rubeum.*

(2) Inauditum; *sic in utroque codice et apud Rubeum. Radevicus habet:* non auditum.

(3) Militibus truncarentur; *Rubeus legit:* erectum adorare Idolum cogerentur; *Radevicus habet:* trucidarentur.

(4) Munitionem Ecclesiae; *C. R.:* Munitiones Ecclesiae; in epistola schismaticorum cardinalium apud Baronium, post narratam pseudopontificis electionem ab ipsis tentatam, haec habentur: « Adversae vero partis Cardinales retrocedentes, in Castrum Beati Petri se contulerunt, ibique per dies octo et amplius inclusi permanserunt ». Anonymus vero haec eadem narrans, Alexandri Epistolam de verbo ad verbum describit.

(5) Ibique. *Rubeus:* in qua.

(6) Sane omni populo; *ita C. R.*

(7) Jugiter acclamante. *Rub.:* jugiter conclamante.

(8) Senatores; *haec paulo distinctius narrat Anonymus, dum inquit,* « unde factum est, quod populus romanus immanitatem tantam iniquitatis amplius substinere non valens, cum Hectore Frangipane et aliis nobilibus romanis venit ad locum, ubi fratres tenebantur inclusi, compellens jam dictos Senatores, ut ipsius munitionis portas celeriter aperirent et eosdem fratres cum dn. Alexandro absolutos et liberos abire permitterent ».

(9) Ubique; *deest apud Radevicum; extat vero in utroque codice et apud Rubeum. Anonymus legit:* undique.

(10) Vigilia scilicet s. Matthaei; *haec ex autographo exemplari apud Rubeum in epistolae contextum nunc primum intulimus.*

(11) Gregorio Sabinensi; *locus apud Radevicum foede corruptus; utriusque vero codicis et autographi exemplaris Ravennatis auxilio genuinae nunc primum lectioni restitutus. Radevicus ita legit:* Gregorio Sabinensi, Hubaldo Ostiensi, Bertrando, Waltero, Julio et B. Episcopis. *Nec meliora sunt ea, quae habentur apud Anonymum in utraque illus editione. nam ibi legitur:* Gregorio Sabinensi, H. Ostiensi, B. Portuensi, F. Albanensi, T. Signensi, T. Tarracinensi episcopis.

Gregorius Sabinensis; *natione romanus de regione Suburrae, Anastasii Papae IV nepos, a quo in cardinalium coetum cooptatus et sabinensi episcopatu donatus fuit.* — De ipso consule Ughell. *Ital. Sacr.*, t. I, col. 184, n. 20, edit. prima, et Ciaconium, t. II.

Hubaldus Allucingolus *lucensis, ex canonico Ecclesiae lucensis primo presbyter cardinali tit. s. Praxedis, ac postmodum ab Adriano IV Episcopus Ostiensis creatus, tandem post Alexandri III Pont. Max. obitum ad Summum Pontificatum evectus, Lucii III nomen assumpsit.* Ughell. *Op. cit.*, ibid., col. 82, n. 41. — Franciscus Pagius. *Breviarii Gestor. Rom. Pontif.*, t. III. — Ciaconius, *loc. cit.*

Bertrandus, ex canonico Regulari Congregat. s. Frigidiani Lucensis presbyter cardinalis ab Eugenio III et postea Episcopus Portuensis ab Adriano IV creatus, varias legationes obtinuit, quas breviter recensent Ughellus. *Op. cit.*, ibid., col. 149, n. 30. — Ciaconius, *loc. cit.*, *Pontificatu maximo dignissimus dicitur a Petro Blesensi*, epist. 48.

Waltherus; *seu, ut in C. R.* Galtherius; *ab Adriano IV Episcopus Cardinalis Albanensis creatus anno MCLIV.* Ughell., *Op. cit.*, ibid., col. 293, n. 35.

Joannes; *qui corrupte apud Radevicum dicitur.* Julius Episcopus Signensis; *interfuit canonizationis b. Thomae Cantuariensis ab Alexandro III in Ecclesia Signina peractae.* Ughell. *Op. cit.*, t. I, p. II, col. 150, n. 13.

Bertrandus Terracinensis; *hic episcopus Ughellum latuit, nam post Gregorium, qui an. MCVI interfuit concilio castallensi, Hugonem statim nominat, qui anno MCLXXIX interfuit concilio lateranensi; ideoq. Bertrandus noster statim post Gregorium locandus est, atque hoc pacto terracinensium episcoporum albus nostrorum codicum ope mire suppletur.*

» *Joanne Signensi, et Bertrando Tarracinensi* », Episcopis, Cardinalibus quoque, Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, Primicerio et Schola Cantorum, Nobilibus etiam et quadam parte de Populo Urbis apud Nympham (1) non longe ab Urbe insimul congregatis, manus consecrationis accepimus; et sicut in Romana Ecclesia consuetudinis est (2), ibidem Pontificali Regno (3) magnifice fuimus ac solemniter coronati. Caeterum praedictus Octavianus cum pro consecratione, immo execratione sua, dum et in Urbe esset et postquam latenter Urbem exivit, multos Episcopos convocasset, nullum prorsus (4) praeter unum, ferentinatem (5) videlicet, habere potuit pro sua temeritate et vexania confirmanda; quosdam tamen Episcopos imperialibus minis, quosdam violentia laicali, quosdam vero pecuniis et blanditiis allicere voluit, sed nihil, Domino impediente, profecit. Unde nec adhuc (6) invenire potest, licet omnibus modis enitatur, qui ei manus execrationis imponat, et se tantae faciat praesumptionis et impietatis (7) auctorem; verum memorati Joannes et Guido caecitatis tenebris obvoluti, quoniam scriptum est *Peccator cum venerit in profundum vitiorum* (8) *contemnet*, nec sit a sua praesumptione damnabili resipiscunt, quem sibi in statuam erexerunt, obstinata perfidia venerantur et eum relicta unitate Ecclesiae praesumunt usque adhuc tamquam idolum aut simulacrum adorare. Ipse autem Antichristi tempora praefigurans usque adeo erectus est supra se, ut etiam in templo Dei sederit ostendens se tamquam sit Deus; et multi abominationem desolationis stantem in loco sancto, non sine multa lacrimarum effusione, corporeis oculis inspexerunt (9). Sane nos infirmitatem nostram et virtutum indigentiam cognoscentes, nostrum in Domino (10) jactamus cogitatum; sperantes et de Christi misericordia plenius (11) confidentes quod Ecclesia sanctam suam, pro qua ipse idem in substantia nostrae mortalitatis apparuit ut eam sibi non habentem rugam aut maculam exhiberet, optata faciet tranquillitate laetari, et procellarum omnium inundatione sedata nihil erit quod jam possit obsistere, ubi unicus ejus sponsus voluerit (12) nubilosa quaeque et noxia propulsare. Nunc igitur, quia nos de nostrorum (13) meritorum qualitate diffidimus et de honestate et religione vestra plenam fiduciam obtinemus (14), vestris et universalis Ecclesiae precibus infirmitatem nostram petimus adjuvari; caritatem vestram per apostolica scripta rogantes et commonentes attentius (15) ut sicut viri catholici vos pro domo

(1) Apud Nympham; *ita quoque Anonimus; sed locum hunc clarius indicant cardinales schismatici in eorum Epistola; ajunt enim mortalium pessimi:* « inde postmodum per senatores educti extra Urbem secesserunt et duodecima postea die in Castro nomine Cisterna intra Ariciam et Terracinam Rolandum Cancellarium immantaverant »: *hujusce oppidi nomen etiam nunc superest, ex quo in ipsis fere consecrationis suae solemniis Alexander III casinensis monasteri privilegia diplomate suo confirmavit, quod nuper edidit. Vide clarissimum* Erasmum Gatula in *Historia Casinensi*, t. II.

(2) Consuetudinis est. *Radevicus:* moris est. *Anonymus:* secundum solitum ecclesiae morem.

(3) Pontificali Regno; « *De regno, seu de Mitra turbinata Rom. Pont.* ». *Consule* Pagium, *Breviar. Rom. Pont.*, t. III.

(4) Nullum prorsus etc., *usque* potuit, *desunt apud Rubeum; nam haec ante Octaviani consecrationem acciderunt.*

(5) Ferentinatem; *nempe Ubaldum natione etruscum, domo pratensem, Eugenii Papae III antea familiarem, a quo ferentinatem episcopatum obtinuit. Vide* Ughell. *Op. cit.*, t. I, col. 722, et Anonimum Vatic. apud Baronium.

(6) Unde nec adhuc, *usque* auctorem; *haec quoque desunt apud Rubeum. Desunt autem quia jam inauguratus erat.*

(7) Praesumptionis et impietatis. *Cod. Vat.:* impietatis et temeritatis.

(8) Vitiorum; *sic uterque codex et Rubeus. Radericus habet:* malorum.

(9) Inspexerunt; *in secunda Epistolae editione ea hic addita leguntur, quae ad calcem Epistolae descripsimus.*

(10) In Domino. *Radevicus:* in Dominum.

(11) Plenius; *deest in C. R.*

(12) Nihil erit quod jam ei possit obsistere, ubi unicus ejus Sponsus voluerit; *haec desunt in C. R. librari fortasse vitio.*

(13) Nostrorum; *deest in C. R.*

(14) Obtinemus. *Radevicus:* habemus.

(15) Commonentes attentius. *C. R.:* admonentes attentius.

Domini muros inespugnabiles opponatis, et in devotione ac fidelitate (1) matris vestrae sacrosanctae Romanae Ecclesiae immobiliter persistentes ab ejus unitate nullatenus recedatis. Quod si praefatus vir impietatis (2) ad partes vestras aliqua damnationis suae scripta transmiserit, ea sicut respuenda sunt, respuatis et tamquam vana ac sacrilega contemnere et abjicere (3) studeatis. Noverit insuper discretio vestra quod nos supradictum Octavianum apostaticum et schismaticum in octavo die a consecratione nostra (tunc enim terminum ei resipiscendi et ad unitatem Matris Ecclesiae redeundi praefiximus) tamquam inobedientem et contumacem et illos, qui ei manus praesumerent (4) non dicimus consecrationis sed execrationis imponere, de communi Fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium voluntate atque consilio, accensis candelis et coetu clericorum in Ecclesia congregato, vinculo anathematis et excommunicationis astrinximus et eos cum suo auctore Diabolo condemnavimus (5). « *Duos vero* (6) *fautores ejus videlicet » Joannem de Sancto Martino et Guidonem Cremonensem et ferentinatem episcopum, » praesumit pertinaciter adhaerere, alios quoque complices et principales ipsius coadiutores » et omnes, qui scienter ei communicaverint, eidem excommunicationi et condemationi » decrevimus subjacere. Datum Terracinae tertio nonas Octobris* (7) » ».

XXI. His verbis scripsit Alexander ad episcopum et canonicos et scholarum bononiensium professores, neque id frustra; nam Bononienses adduci numquam potuerunt, ut Alexandrum legitimum Pontificem desererent. Itaque nec episcopus bononiensis conciliabulo papiensi interfuit, ubi Victor a Friderici symmystis verus pontifex est dictus et Alexander condemnatus, ac postmodum in alio episcoporum conventu, qui anno MCLXXI. Laude Pompeja a schismaticis celebratus est, episcopus bononiensis excommunicatus fuit ac depositus, ut narrat Otto Morena civis laudensis, qui tunc res gestas Friderici Imperatoris atque ea praesertim quae ad civitatem suam pertinebant, literis mandabat. Ac miror sane, neque Labbeum, neque clarissimum Mansium in supplementis ad Labbeum, hujus conciliabuli meminisse, in quo, Morena teste, cum Imperatore ipso magnates multi et Peregrinus patriarca aquilejensis et Guido Ravennatium electus archiepiscopus et episcopi ac minores ecclesiarum praelati ingenti numero interfuerunt. Sic enim ea de re Otto Morena scriptum reliquit. « Sequenti vero die, in quo fuit tunc festivitas sanctorum Gervasii et Protasii, incoeptum est sacrum concilium, quod a principio Papiae deinde Cremonae fieri dispositum fuerat. Postremum tamen ad honorem Laudensium ex voluntate Imperatoris Laude celebratum est. In quo Dominus Imperator cum principibus suis et dux Boemiae ac dominus Pelegrinus aquilejensis patriarcha et dominus Guido electus Ravennae archiepiscopus ac dominus Raynaldus electus archiepiscopus Coloniae et dominus archiepiscopus trevenneriensis (trevirensis opinor legendum) et dominus Vianensis archiepiscopus et una cum plus de.... episcopus et magna copia priorum, abbatum, praepositorum, aliorunque clericorum, qui venerant ad synodum seu concilium, unanimiter confirmaverunt electionem et illam confirmationem, quae in

(1) Ac fidelitate; *deest in C. R.*

(2) Praefatus Vir impietatis. *C. R.:* praedictus vir iniquitatis.

(3) Abjicere; *deest in C. R.*

(4) Praesumerent. *C. R.:* praesumpserint.

(5) Condemnavimus; *hactenus Radericus: coetera apud ipsum desiderantur, quae nunc primum edimus ex utroque codice.*

(6) Duos vero. *Cod. Vat.:* Duos quoque.

(7) Datum Terracinae III non. Octob. *Haec nota temporis deest in C. R. habetur in Vat. Haec igitur Epistola scripta fuit XV die post ipsius coronationem, quae contingit die XX Septembris* post quem cum Fratribus suis ad Terracinam descendit; *ut testatur Anonymus: Ibique literas ad Fridericum Imperatorem dedit.*

praeterito anno Papiae jam facta fuerat de ipso Papa Victore (1) ». Pergit Morena, qui certe Friderico et Victori adhaerebat, alia scribere quae in eo conciliabulo gesta sunt, vera falsis admiscens ut hominem illarum partium agnoscere facile possis. Tum sententias a schismaticis latas contra Ubertum archiepiscopum mediolanensem, aliosque episcopos ac nominatim bononiensem narrat; quae omnia apud ipsum sunt videnda.

XXII. Praeerat tunc bononiensi Ecclesiae Gerardus, quam Ghirardaccius (2) hoc ipso anno, quo habitum est concilium schismaticorum apud Laudem Pompejam, episcopus bononiensem dimisisse narrat, ut episcopus mutinensis crearetur; ac subinde ait pro Apostolica Sede legationem objisse ac demum Vicentiae vivendi finem fecisse. Interim abdicante Gerardo Hildebrandum Crassum Bononiensium episcopum creatum scribit, qui episcopatum inire recusaverit, posteaque S. R. E. Cardinalis renuntiatus sit; itaque eo ipso anno Joannem ex canonicis s. Joannis in Monte ad bononiensem cathedram evectum. Carolus Sigonius et Ughellus idem statuunt de abdicatione Gerardi et electione Hildebrandi ac Joannis. Sed Ughellus Samuelem quemdam commemorat, qui Gerardi tempore jam inde ab anno MCLVII episcopus bononiensis diceretur, sive quia jam designatus esset sive quia ex schismate ad eam sedem obrepsisset. Aliquid, opinor, innotuerat Sigonio de Gerardi exauctoratione in pseudosynodo laudensi facta, ac propterea eum abdicasse scripsit. Caetera unde hausta sint divinare certe non ausim. Quod autem Ughellus cum Gerardo Samuelem quemdam conjungit, id ab Alidosio habuit in catalogo antistitum bononiensium (3). Sed neque Gerardum umquam se hoc bononiensi praesulatu abdicasse constat, nec episcopum mutinensem creatum aut legatum Sedis Apostolicae fuisse. Neque Hildebrandus, qui jam in collegio erat cardinalium, contra quam Ghirardaccio est visum, ad bononiensem cathedram postulatus est, neque Joannes ante annum MCLXV Bononiensium antistes creatus, quo anno Gerardi obitu ea sedes vacavit.

XXIII. Ad Samuelem quod attinet, is procul dubio a schismaticis est renuntiatus, non tamen ad anno MCLVII ut divinat Ughellus; nondum enim eo anno exorsum erat schisma illud, quod post obitum Hadriani IV in novi Pontificis creatione erupit. Sed exauctorato per schismaticos legitimo Bononiensium episcopo Gerardo, illud sua sponte consequebatur, ut aliquem iidem inter suos symmystas deligerent, cui hunc honorem deferrent; atque is fuit Samuel. Clarissimus Trombellius rhenanae congregationis abbas, cujus non vulgarem eruditionem ipse suspicio, edidit antiquum catalogum episcoporum bononiensium (4), in quo ita Gerardus cum Samuele sociatur: « Domino Gerardus, et Samuel uno tempore fuerunt ». Binos uno tempore episcopos legitime assumptos eadem civitas habere non poterat; quare clarum esse debet, alterum ex iis fuisse schismaticum. Cum autem in eo catalogo tribus locis occurrat similis episcoporum geminatio, verisimillimum est, alterum ex duobus episcopis ibidem geminatis catholicum fuisse et legitimum, schismaticum alterum vel intrusum. Viderat hunc catalogum Alidosius, ac propterea cum Gerardo Samuelem conjunxerat; sed ignoravit tamen, qui fieri potuerit ut duo eodem tempore bononiensem cathedram occupaverint. Schismaticum igitur episcopum Samuelem fuisse non dubito, atque eum existimo vix biennium invitis Bononiensibus praefuisse, quamdiu scilicet Fridericus imperator civitatis imperium tenuit,

(1) Otto Morena apud Murator., *Rer. Ital. Script.*, t. VI, pag. 1089.
(2) *Histor. di Bol.*, lib. III.
(3) Alidos. *Pont. etc. bolognesi*, pag. 16.
(4) *Veter. PP. Latin. Opusc.*, t. II, p. II, pag. 287.

quod Bononienses, Mediolanensium clade perspecta ac simillimae calamitatis metu perculsi, ad eum detulerant. Cum enim Fridericus annum MCLXII ad summum crudelitatis exemplum Mediolanenses longa obsidione domitos ad deditionem compulisset, omnibus exire jussis splendidam illam atque opulentam civitatem praedae militum primo concessit; post autem vastari prorsus ac exscindi voluit et solo aequari aedificia, ut eam incolere nullus posset. Reliquis insuper civitatibus, quae sibi in Insubribus adversabantur ac palam aut obscure Alexandro Pontifici contra Victorem favebant facile in sui potestatem redactis, in Bononiensium fines exercitum traduxit, ut civitatem et jam non admodum amicam et post conventum quoque roncalliensem imperiali ditioni haud plane subjectam ac tandem Alexandro Pontifici palam faventem, armis sibi parere cogeret. « Sequenti mense Julii, inquit Morena, felicissimus Imperator cum duce Austriae (erat is Henricus, quem ex marchione primum Austriae ducem Fridericus creaverat) (1) et comite palatino fratre Imperatoris et cum numerosa multitudine tam ducum, quam marchionum et comitum atque episcoporum aliquibusque militum Teutonicorum, et Longobardorum versus Bononiam, quae nondum jugo imperiali fuerat subdita, iter arripuit ». Sed Bononienses, ubi Imperatoris copias ad utramque Rheni ripam castra posuisse, jamque civitati imminere sensissent, tempori cedendum arbitrati sunt, veriti ne si viribus impares cum robustiore bellarent, parem cum Mediolanensibus fortunam subirent. Extat in archivo s. Joannis in Monte Friderici diploma, quo canonicorum s. Victorii et s. Joannis in Monte jura et bona confirmat, ac tuenda suscipit, quod *datum* dicitur *in territorio Bononiae post destructionem Mediolani anno secundo* (2). Ex quo constare potest, qua efferretur superbia Fridericus ob vastatam Mediolanensium civitatem, et quem aliis timorem injicere vellet. Itaque Bononienses civitatem Imperatori tradiderunt; atque his sancitis conditionibus in gratiam sunt recepti; nimirum ut fossas civitatis aequarent, moenia diruerent, non minimam argenti summam penderent, et praetorem ex Imperatoris voluntate reciperent, qui in civitate jus diceret. Quae cum narrasset Otto Morena: « Pollebat, inquit, tunc Bononia in literalibus studiis prae caeteris Italiae civitatibus, quatuor legum columnis inter caeteros magnifice tunc radiantibus scilicet Martino Goxia et Bulgaro et Jacobo atque Ugone de Porta Ravegnana ».

XXIV. Opportuna minime videretur scholarum et doctorum bononiensium commemoratio, quam injecit Morena, nisi persuasum ei fuisset Fridericum permotum celebritate scholarum, multoque etiam magis quatuor illustrium doctorum, qui apud illum gratia plurimum valebant, clementiae suae aliquid media in ipsa victoria Bononiensibus impertiri voluisse. Et sane constat inter scriptores nostros, quatuor illos eximios legum doctores ad Fridericum a Communi Bononiensium destinatos, ut ejus animum lenirent atque cum eo agerent de tradenda civitate honestioribus mitioribusque quoad fieri posset conditionibus, si quidem pristinae libertatis retinendae nulla spes relinqueretur. Ac Sigonius quidem adeo copiose et eleganter haec descripsit, ut orationem etiam qua Imperatorem affati sunt doctores nostri, ad livianarum concionum exemplum confingat, reprehensione tamen aliqua notandus quod Bononiensium nomine coram Imperatore ea dicta velit, quae minime decuissent ingenuos homines et probos, qui sane loquebantur pro illa civitate, quae non in fictae simulationis specie, sed summa fide ac religione sequebatur Alexandrum Pontificem, cujus odio potissimum movebatur Fridericus ad

(1) *Vide adnotat. ad hunc* MORENAE *locum apud* MURATOR.

(2) *Incidit hic annus in an. MCLXII.*

Bononienses debellandos. Sed hi quidem quam ex animo Friderici dominatum abhorrerent et legitimi Pontificis Alexandri III studiosi essent, satis profecto declararunt, cum vix biennio post civitatem Imperatori deditam, impositum per summum nefas jugum excusserunt, ac obtruncato Bozo, sive Bozone, qui ab Imperatore ipso civitati praefectus ejus nomine judicia exercebat, consules ex civium numero veteri more crearunt, penes quos summum imperium esset et Reipublicae administratio.

XXV. Eo igitur biennio quo civitas Friderico obtemperavit, fortasse Samuel ille, de quo superius diximus, Sacrorum praefecturam obtinuit, latente aut extra civitatem agente episcopo Gerardo, qui exacto Imperatoris dominatu redux postea in civitatem suo iterum munere fungi potuit, atque in eo esse quoad vixit. Obiit autem annum MCLXV, VI idus Augusti, ut ex necrologio canonicorum lateranensium s. Joannis in Monte, in quo ita ejus obitus assignatur: « VI idus Augusti anno Domini MCXXXXV (legendum MCLXV sublato mendo ex notarum numeralium transpositione) Girardus beate memorie bononiensis episcopus et frater noster migravit ad Dominum. Gemma sacerdotum et decus ecclesie vivat et o vivat in Christo numquam moriturus ad sortem summi capitis flos ipse futurus ». Atque haec hactenus de epistola Alexandri III ad episcopum, canonicos et doctores bononienses, cujus occasione ad alia digressi sumus. Sed non poenitet particulam hanc historiae bononiensis a nostris scriptoribus male habitam restituisse.

XXVI. Sed cum academiae nostrae celebritas quotidie augeretur, factum etiam est ut scholarium undique adventantium licentia et fortasse etiam magistrorum fastus civitatis quietem et tranquillitatem haud parum turbaverit. Sive enim ostentatione quadam divitiarum et ut bene nummati viderentur, sive privati commodi atque utilitatis studio, hospitia quaelibet oblato majore pretio invadebant, expulsis prioribus ac legitimis incolis; quae res, ut plane injusta, ita multarum dissensionum fons erat et origo. Itaque Guilielmus Portuensis episcopus et S. R. E. legatus, edita constitutione cautum voluit sub excommunicationis poena, ne quis deinceps aliena jura adeo injuste turbaret ac invaderet, atque in civitatis tranquillitati consultum est. Eadem lex post aliquot annos confirmata est a Petro tusculano episcopo et tandem a Clemente III, ut ex ejus constitione apparet quam infra suo loco afferemus. Si inquiramus autem de tempore quo Guilielmus constitutionem suam promulgavit, illud sane vel anno MCLXXVI vel initiis sequentis assignandum videtur. Cum enim Fridericus qui, ut jam diximus, Alexandro III admodum infensus Romanam Ecclesiam per ea tempora vexabat, tandem pacis consilia agitare animo coepisset, atque ab Alexandro ipso petiisset, ut aliquos ex cardinalium collegio ad se mitteret, quibuscum de pacis conditionibus ageretur, Pontifex legatos ad Imperatorem renuntiavit Hubaldum Ostiensem, Bernardum Portuensem episcopum et Guilielmum S. Petri ad Vincula R. E. cardinalem (1), ut est apud Romualdum Salernitanum (2). Cum autem anno MCLXXVII celeberrimus ille conventus habendus esset, in quo pax inter Pontificem et Imperatorem firmaretur, praemissus est anno superiore a Pontifice Guilielmus cum aliis cardinalibus, ut cum Friderici legatis de loco statuerent, in quo conventus ille cogeretur; neque enim placuit Friderico haberi illum Bononiae uti constitutum erat, in civitate scilicet quam satis sibi amicam existimare haud poterat Fridericus; quod sane Bononiensium laudi tribuendum est. Delecta ad tantum

(1) *An. MCLXXVII adhuc titulum s. Petri in Vincula obtinebat.*

(2) *In Chronic. apud* MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. VII, pag. 214.

negotium expediendum inclita Venetorum civitas, in qua res cessit ex communibus votis et pax sancita inter Imperatorem et Pontificem praesentibus ipsius Pontificis legatis.

XXVII. Idem Romualdus Salernitanus (1) Alexandri III reditum describens post firmatam Venetiis pacem inquit: « Dum autem Papa a Siponto Anagiam veniret, Ecclesiae peccatis exigentibus, Hugo de Bononia cardinalis Beneventi est mortuus, Villelmus de Papia Portuensis episcopus apud Aversam obiit, Manfredus Praenestinus episcopus apud Anagiam diem clausit extremum ». Ughellus(2) Guilielmi obitum assignat ad diem XV kalendas Januarii antedicti anni. Quamobrem ejus legatio in Aemilia aut Insubribus, quam cum obiret legem superius commemoratam edidit, contingere non potuit nisi infra hoc breve temporis spatium, quod inter annum MCLXXVI post Bernardi portuensis, cui suffectus est Guilielmus, mortem (3) et finem anni insequentis MCLXXVII interjacet. At vero hujus anni partem haud minimam insumpsit Guilielmus in parandis expediendisque quae ad pacem postea reconciliandam necessaria esse poterant. Neque post conventum venetum videtur in Aemilia substitisse; hanc enim provinciam Alexander III Raynerio cardinali detulit et Graeco subdiacono, quos Romualdus Salernitanus ait descendisse in Romaniam cum Christiano Moguntino archiepiscopo, Italiae cancellario pro *restauratione regalium*, quae Imperator invaserat, *recipienda*. Restat igitur, ut sub finem anni MCLXXVI, vel sub initia anni MCLXXVII Guilielmus eam legationem gesserit. Absoluto enim colloquio quod habitum est anno MCLXXVI prope Bononiam, credi potest hic substitisse, eodemque tempore delatis ad eum multorum querelis contra scholarium effraenem licentiam, edita quam diximus constitutione eam compescere studuisse. Sed paucis post annis necesse fuit eamdem legem confirmare, quod praestitit Petrus Tusculanus qui cum esset legatus S. Sedis in Aemilia aut Insubribus, observari jussit sub anathematis poena decretum Guilielmi Portuensis. Quo anno hujusmodi legationem gesserit, non indicavit Ughellus, neque Ciaconius rescivit, neque qui Ciaconio suppetias tulit Oldoinus. Sed et Ughellus et Oldoinus tradunt Petrum sub Lucio III vicariam operam Pontifici in romanae civitatis administratione contulisse, et id muneris obivisse usque ad initia pontificatus Clementis III. Quae si vera sunt, cum anno MCLXXXI mense Septembris Lucius III Pontifex creatus sit, Petri legationem intra illud triennium, quod excurrit ab anno MCLXXVIII vel paulo infra illud tempus contigisse oportuit. Sed adhuc novae semper controversiae ob scholarium domicilia, quibus omnino tollendis finiendisque Clemens III litteris ad episcopum bononiensem datis confirmavit Guilielmi Portuensis decretum. Hujusmodi litteras in solemni conventu magistrorum et scholarium quotannis publice recitari mandavit; atque eas quidem contractas habemus in tertio decretalium Gregorii IX (4), integras vero in secunda collectione antiqua Decretalium, quam cum aliis antiquis collectionibus edidit celebris Antonius Augustinus, unde eas hic producimus: « Clemens III. Ex rescripto litterarum piae recordationis P. quondam tusculanensis episcopi nobis innotuit, quod cum civitatem Bononiae tempore suae legationis intrasset, invenit fuisse ibi a bonae memoriae W. quondam Portuensis episcopo constitutum et sub excommunicatione prohibitum, ne aliqui scholares hospitia majoris mercedis promissione conducerent, ut ea sibi vel majoris gloriae studio quasi potentiores

(1) *In Chronic. apud* MURATOR. *Rer. Ital. Script.*, t. VII, pag. 240.

(2) *Ital. Sacr. in Epist. Portuens.*, t. I, p. 126.

(3) *Obiit an. MCLXXVI, XV kal. Sept.* UGHELLUS. *Ibid.*

(4) Tit. XII *De locat. et conduct.*, cap. VII.

in expensis apparere volentes vel privatae utilitatis commodo vindicarent. Unde ipse sollicita provisione considerans quod hujusmodi conductionis improbitas et discordiae fomitem et impedimenta non modica pareret studiorum, praedictam constitutionem legatione qua fungebatur Sedis Apostolicae confirmavit perpetuis temporibus, et sub poena decernens anathematis observandam, ut nullus magistrorum sive scholarium super conducendis aliorum hospitiis in laesionem vel praejudicium habitantium audeat hospitem convenire, nisi prius constiterit tempus conductionis elapsum vel inquilini in hoc suum praestiterint favorem et consensum. Quocirca nos qui detestabiles versutias bonae fidei contractibus inimicas, non solum in clericis sed etiam in quibuslibet mercatoribus condemnamus, praedictam constitutionem a praefato Portuensis episcopo factam et demum a jam dicto episcopo tusculano confirmatam, ratam esse decrevimus et eam auctoritate apostolica confirmamus, statuentes ut a te, Frater Episcope, et tuo quolibet successore singulis annis in communi audientia magistrorum atque scholarium praesens pagina recitetur et praetaxata pravae conductionis improbitas innovata excommunicationis sententia reprimatur. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam nostrae confirmationis infringere etc. »

XXVIII. Quo anno data sit haec Clementis epistola, adscribere omisit ejus collectionis auctor; quod et in aliis Romanorum Pontificum epistolis ibidem peccatum non modico historiae detrimento. Clemens III ad Pontificatum evectus est exeunte anno MCLXXXVII, decessit anno MCLXXXXI mense Martio. Id unum igitur certo affirmari potest, intra illud triennium et menses aliquot quibus Pontificatum gessit, eam epistolam bononiensi episcopo transmissam. Cum autem Gregorius IX eidem postea locum dederit in suis Decretalium libris, id sane argumento est, aetate hujus Pontificis permagnum fuisse ad academiam nostram scholarium concursum, ex quo oriri poterant eadem illa dissidia, quibus vel propulsandis vel extinguendis decretum illud primo latum a Guilielmo Portuensi, mox a Petro Tusculano ac tandem a Clemente III confirmatum, Gregorii IX auctoritate rursus approbatum, in Corpus juris canonici, ut vocant, illatum est.

XXIX. Jam ergo non dubitandum, quin scholae nostrae bononienses ad summam gloriam properaverint, ac caeteris disciplinarum dignitate, exterorum adventantium copia, professorum celebritate antecellere facile potuerint. Et vero non floruit illa solum legum civilium fama, sed etiam juris canonici studio, quod Gratiani opera natum hic atque altum plurimum deinde amplificari contigit, aucto magnopere ejus professorum numero. At hi quidem, ut sit in cujusque rei initiis, cum antea non alio quam magistri nomine dicerentur, concesso nomine doctoris legum civilium professoribus, qui illud sibi velut proprium vindicabant, sub finem saeculo XII et sequentis initia, fervente in dies magis juris canonici studio et ad decretorum volumen additis decretalium collectionibus, titulis atque honoribus augeri etiam voluerunt. Itaque et ipsi *Decretorum doctores* dicti sunt et eo etiam processum est ut juris civilis professoribus dignitate atque auctoritate praestarent. Extat Innocentii III epistola inscripta doctoribus decretorum Bononiae, quam hic damus, variis additamentis ac lectionibus auctam et illustratam « *Doctoribus decretorum Bononiae*. Inter alia, quae venerabilis Frater noster nidrosiensis (1) archiepiscopus

(1) *In Decretal. commun. legitur:* Strigoniensis. *In tertia Collectione Decretalium antiquarum, quam edendam curavit Antonius Augustinus, est:* Mendionensis; *quae vox nihil est. At in Collectione prima epistolarum Innocenti III quam Raynerius Monachus concinnavit, quaeque a Baluzio est edita, est:* Nidrosiensis; *quod retinendum videtur, ut ex infra adnotandis patebit. Est autem:* Nidrosia, *sive* Dronthemium (Drontheim) *in Norregia, sedes olim regia,*

dudum apostolatui nostro proponi fecit humiliter consulendo, illud etiam, si bene meminimus, inquisivit, utrum excommunicato communicare quis et qui etiam teneantur. Cui super illo recolimus articulo respondisse [1]; quod nullus omnino nominatim excommunicato scienter tenetur communicare [2], nisi quaedam personae, quae per illud Gregorii Papae capitulum *Quoniam multos* specialiter accusantur. Verum ex hac nostra responsione magna quibusdam [3], sicut accepimus exorta est [4] occasio disputandi, aliis concedentibus quod excommunicatis communicare tenentur [5] personae in praedicto capitulo nominatae, praesertim quae prius ad communicationem eorum ex debito tenebantur, aliis asserentibus eos excommunicatis communicare licite posse se velint, non tamen ad hoc [6] ex necessitate teneri. Ut igitur unde jus prodiit, interpretatio quoque [7] procedat, ambiguitatem hujusmodi taliter diximus absolvendam; quod cum [8] quaedam personae in praemisso capitulo denotatae [9] illis in quos lata fuerat [10] excommunicationis sententia, subsequenter ante prolationem ipsius obsequi tenerentur et familiariter adhaerere [11] neque postmodum ad contrarium teneantur [12], cum adhuc ipsum debitum duret, beneficio canonis id agente, a priore [13] non sunt obnoxietate solutae, sed ad familiare tenentur obsequium et ita per consequentiam ad communicationem quoque tenentur [14] sine qua illud nequeunt exhibere. Id autem non ad omnes personas capituli [15] credimus referendum, ut videlicet obnoxietati hujusmodi sint subjectae, cum viatores, peregrini et mercatores a communione talium personarum, nisi articulus necessitatis immineat, debeant abstinere sicut ejusdem canonis serie colligitur manifeste [16], sed ad illas dumtaxat quae talibus arctiori tenentur obnoxietate constrictae, quibus tamen in his pro quibus sunt excommunicatione notatae, ut in criminibus communicare non debeant [17], sed ab eis penitus abstinere. Unde prudenter in praemissa consultatione respondemus, non omnes personas, sed quasdam quae per illud Gregorii Papae capitulum specialiter excusantur, ad communionem hujusmodi praemisso modo teneri. Ut jam autem et illae personae propter atrocitatem facinoris severius puniendi a communione talium per excommunicationis sententiam debeant aliquando prohiberi, quia quaesitum non extitit, responsum non fuit.

XXX. Neque vero quisquam putet in academia nostra per ea tempora juris civilis et canonici disciplinas tantummodo floruisse, reliquas vero aut conticuisse aut minimum iisdem honorem habitum. Fuit quidem haec multorum opinio, quam tamen suis locis

nunc praefectura, archiepiscopali cathedra insignis, cujus mentio in « notitia antiqua edit. » *ad calcem Geographiae sacrae Caroli a s. Paulo,* pag. 71.

(1) *Extat prima haec Innocentii III epistola hic indicata inter editas a Baluzio et est tercentesima octogesima prima libri primi, data VI Octobris apud Civitatem Castellanam. Est autem inscripta Nidrosiensi Archiepiscopo; ad quem etiam extat tercentesima octogesima quarta ejusdem libri, ut hinc etiam appareat, mendosam esse lectionem Decretalium communium, quae hanc epistolam,* Strigoniensi, *Archiepiscopo inscriptam exhibent, et tertia Collectionis antiquae, in qua est:* Mindoniensis, *Archiepiscopus.*

(2) *Ita et Decret. Commun. In collectione Raynerii apud Baluzium:* tenetur communicare scienter.

(3) *In tertia Collect. antiqua:* magna quidem.

(4) *Ibid.:* orta est.

(5) *Ibid.:* teneantur.

(6) *In Collect. Raynerii:* ex hoc.

(7) *Ibid. deest:* quoque.

(8) *Ibid.:* cum quod quaedam.

(9) *In tertia Collect.:* prius denotatae.

(10) *In Collect. Rayneri:* fuit. *In tertia Collect. antiqua:* fuerit.

(11) *Decretales communes et tertia Collectio antiq.:* obsequio tenerentur familiariter adhaerere.

(12) *In tertia Collect.:* ad necessaria teneantur.

(13) *In Collect. Raynerii:* priore.

(14) *Ibid.:* ad communionem quoq. tenentur. *Tertia Collect.:* ad communicationem tenentur.

(15) *Tertia Collect.:* Id autem non ad omnes personas Capitulum.

(16) *Decretales Commun. et tertia Collect.:* ut in fine colligitur.

(17) *Tertia Collect.:* debent.

dispunxit clarissimus Sartius et nos quoque convellere conati sumus, praesertim in philosophiae professoribus recensendis atque illustrandis. Ingenue quidem fatendum est binas illas, quas nominavimus disciplinas eam academiae nostrae famam peperisse, ut reliquas alias etsi bene hic constitutas ac pro temporum conditione explendescentes quodammodo oppresserint. Sed revera eas etiam nostri excoluerunt diligenter et suos quaeque habuit professores, quorum aliqui doctrinae et nominis celebritate praestantissimi sunt habiti et academiae bononiensis gloriam non mediocriter augere potuerunt. Quoniam vero haec abunde suis disputata sunt locis, neque aliud aliquid ad inquirendum relictum esse videtur, pro hac prima operis parte plura adhuc praefari necesse minime erit.

PREFAZIONE ALLA SECONDA EDIZIONE.

I.

Il periodo della storia bolognese cui si estende l'opera di Mauro Sarti, continuata dal Fattorini, intorno i professori del famoso nostro Ateneo, è certamente il più importante nei tempi del medio evo per la città di Bologna.

Infatti dal sorgere della scuola d' Irnerio alla morte di Taddeo Pepoli, dall' inizio cioè del secolo XII alla metà del XIV, si svolsero in essa sì grandi avvenimenti, quali non vantarono più memorabili e più fecondi alla gloria e alla potenza del Comune i secoli che succedettero a quelli.

Era appena cessata la lotta per le investiture tra l' Impero e la Chiesa, e Bologna aveva vissuto già più di un secolo in felice libertà, quando Enrico IV, assalita invano la contessa Matilde, soggiogava la nostra città, iniziando un periodo di lotte coll' Impero, in cui tra la vicenda di vittorie e di sconfitte con gli ufficiali imperiali e col Barbarossa, la libertà, conquistata a poco a poco coi più fieri contrasti, si raffermava e s' afforzava fino alla Dieta di Costanza che assicurò libertà e pace, riserbando all' Impero solo l' alto dominio sul nostro territorio.

Indi il governo libero si svolge e si stabilisce dal 1183 al 1278: si riprendono i castelli di Medicina e di Argelato, si fabbrica Castel S. Pietro, si guerreggia contro Modena, Firenze e Pistoia, si doma Imola, si fabbrica Castel Franco. E mentre per opera di magnati sorgeva l' Ordine di Maria Vergine gloriosa, con intenti nazionali di pacificazione evangelica, di cavalleresche virtù e di religione, dal popolo rinnovato e cosciente si vengon formando le società di armi e di arti che presto condurranno Bologna a vincere e far prigioniero re Enzo, e a poterlo ritener virilmente senza tema delle minacce dell' imperatore. Poscia, assoggettate Ravenna, Imola, Forlì, Forlimpopoli, Faenza e Bagnacavallo, rinnovati gli statuti, aperta la piccola città vecchia per estendere ai nuovi borghi il diritto di cittadinanza, precorse i tempi con una serie di riforme umanitarie e politiche, che s' iniziarono con l' emancipazione dei servi e dei semiliberi, e si compirono con la pratica dei contratti coi lavoratori della terra, che condusse al tipo perfetto della mezzadria nei rapporti fra capitale e lavoro.

Ma poi il feroce imperversare delle fazioni fa sentire desiderio di una autorità valevole a raffrenarle, e a ridonare la sospirata pace. Pertanto s' inizia dal 1278, con Nicolò III, il periodo delle dedizioni alla Chiesa in protezione paterna, e passando Bologna di Rettore in Rettore, e non sempre governata, dopo una lunga guerra con

Azzo d'Este, torna a Bonifacio VIII, allarga il territorio con Bazzano e Savigno; e, sconfitta dai modenesi, si ridà a Giovanni XXII, serbandosi però tanto gelosa della sua libertà, che il Legato pontificio Del Poggetto, per aver tentato di togliere le municipali franchigie ed imporsi tiranno, è cacciato a furor di popolo, salvando a stento la vita.

La fuga di costui ridona Bologna a sè stessa: ma i consigli di Roberto re di Sicilia la inducono presto a ritornare al papa. E se questi conferma i privilegi al Comune e le facoltà ai magistrati bolognesi, la nomina di Luchino e di Giovanni Visconti in vicari suscita, per mal governo, le fazioni dei Gozzadini e dei Pepoli, alle quali pone fine il sopravvento di Taddeo Pepoli, creato Capitan Generale e Signore della città nel 1337 e che raffermò Bologna nella sua indipendenza. L' *interdetto* ne turba qualche tempo ancora il governo; ma poi il 21 agosto 1340, con titolo di Vicario, il Pepoli è dal papa solennemente riconosciuto Signore della città e dello Stato.

Il dominio di Taddeo va famoso non meno per saggi provvedimenti e per la pace e la prosperità, che per la magnanima moderazione del Signore, che muore nel 1347 fra il compianto dei sudditi. Il dominio pepolesco perdura tre anni ancora nei figli di Taddeo, che poi vendono Bologna a Giovanni Visconti, arcivescovo di Milano.

Fino a questi tempi giunge la storia dello Studio del Sarti e del Fattorini. La quale, in vero, nelle vite dei singoli professori contiene le vicende dello Stato, e mostra l' influenza reciproca della Università nel governo, e di questo in quella. Perchè nell' opera, che ora si ristampa, si rispecchia un largo periodo, con documenti nuovi e in parte non prima del Sarti, nè dopo, criticamente e ampiamente trattato. Gli avvenimenti politici di Bologna e d' Italia vi sono abilmente intrecciati; quelli della città servono alla esplicazione delle vite dei professori, che sono parte principalissima del governo e della vita cittadina. Il materiale ingente che si offrì al Sarti, sia per le ricerche che egli praticò negli archivi, sia per le notizie e le osservazioni che gli comunicò il Monti, e per la serie insigne dei documenti sulla città, sulla chiesa e sullo Studio di Bologna, che Benedetto XIV fece estrarre dall' Archivio Vaticano ad opera di monsignor Ruggeri e mandò in dono alla Biblioteca dell' Istituto delle Scienze, fu da lui sapientemente usufruito. Infatti egli giunse a riordinare e assodare la cronologia, chiarire e assegnare con sicuro criterio i fatti agl' individui, mentre prima era su molti incertezza e confusione, tutto vagliando, tutto confrontando, tutto esponendo in giusta misura con critica nuova, sagace e profonda. Nell' opera del Sarti, nota il Savigny, del quale non so tenermi dal recare qui l' onorevolissimo giudizio, *ha una singolare attrattiva la vivacità e l' interesse che anima tutte quelle ricerche, senza che egli rigetti però mai nessun particolare o vada a perdersi in piccolezze. Il quale metodo, che rende così autorevole il suo libro, è sicuramente tutto proprio del Sarti, mentre gli è comune col Monti il merito di uomo paziente e avventurato nelle sue ricerche* (1).

Similmente ebbe a scrivere il Tiraboschi (2), che non solo lodò il Sarti per esser *riuscito felicemente a sviluppare tanti intralciatissimi punti di storia letteraria, che io non so qual cosa si possa più oltre desiderare,* ma giudicò che quest' opera *per la copia e la sceltezza dei documenti ond' è corredata, per la vastissima erudizione di cui è sparsa, e per la saggia e modesta critica con cui è distesa, non solo a quella sì famosa*

(1) *Storia del Diritto romano nel Medio Evo per F. C. De Savigny (vers. di E. Bollati).* Torino, Gianini e Fiore, 1854, vol. I, pag. 504.

(2) *Storia della Letteratura Italiana.* Firenze, Molini e Landi, MDCCCVI, tom. IV, lib. II, cap. IV, § XXIV, pag. 279.

Università, ma a tutta l' Italia accresce gran lustro e onore. Così (augurava) *possiam presto vederla condotta a fine!* (1)

Qualche difetto nell' opera notò pure lo stesso Savigny, e particolarmente una certa trascuratezza nella parte essenzialmente letteraria, la mancanza della *bibliografia* dei singoli professori, e citazioni non sempre esatte dei documenti e non sempre sicuro l' uso delle fonti (2); difetti però scusabili pel tempo in cui il Sarti scriveva.

Ma il metodo ed il pregio critico e storico dell' opera poderosa sono tali, da potersi collocare tra le più notevoli che abbia prodotte l' Italia nel secolo scorso dopo il rinnovamento degli studi di erudizione; nè Bologna, se si tolgano gli *Annali* del Savioli, ne ha alcun' altra che sia degna di reggerne al confronto.

II.

Non può dirsi che alla fama dello Studio bolognese abbia corrisposto un numero di opere illustrative degne del grande soggetto.

Le vicende e le difficoltà che incontrarono i tentativi fatti dai primi decennii del secolo scorso per dotare la celebre Università di Bologna di una storia, e sui quali parve gravasse fin da principio un fato contrario, meritano di esser qui distesamente narrate.

Non si ha notizia che da alcuno si pensasse ad una storia dello Studio bolognese sino a poco innanzi il pontificato di Benedetto XIV; giacchè solo circa il 1734 il conte Alessandro Formagliari, dottore in leggi e in filosofia e lettore di gius civile e canonico, promosso nel 1730 ad Arcidiacono della Metropolitana (alla quale dignità era annesso l' ufficio di Cancelliere Maggiore dello Studio) si mosse a raccoglierne le notizie storiche, con assiduo lavoro che durò quindici anni (3).

Di quest' opera, rimasta manoscritta, abbiamo un esemplare completo nella Biblioteca comunale di Bologna, e potrebbe esser quello passato agli eredi del Formagliari dopo la morte di lui (4); mentre la Biblioteca dell' Università ne conserva il solo primo volume (5).

Pei primi cinque libri di questo era stata già concessa la licenza di stampa dal revisore Corticelli, allorquando papa Lambertini, al quale fu mandato il volume per ottenere licenza di dedicarglielo (6), vietò che fosse restituito all' autore, e volle che rimanesse segreto nella Biblioteca dell' Istituto di Bologna. Così dichiara una nota che il Bibliotecario vi premise: « *Hoc volumen SS. D. N. Benedictus XIV P. M. anno 1750*

(1) *Storia della Lett. Ital.* citata, tom. III, lib. IV, cap. VII, § I, pag. 408.

(2) Savigny, op. e pag. cit.

(3) Bibl. dell' Univ. di Bologna, manoscr. 72, vol. VII, lett. 3 novembre 1749.

(4) Sala XVII, L, I, 1-5. — Il Fantuzzi (op. cit., III, 536) seguito dal Savigny (op. cit., pag. 510) designa l' opera del Formagliari passata agli eredi come di soli quattro volumi. Ma potrebbe trattarsi di errore di numero e di un solo esemplare; a meno che quello passato agli eredi non fosse in forma di minuta, mentre questo della Comunale riveste il carattere di buona copia.

Monsignor Alessandro del conte Vincenzo Formagliari morì improvvisamente il 14 ottobre 1769 in una villa che si era fabbricata a Castagnolo Minore dove venne sepolto. Ne fu erede *ab intestato* mons. Girolamo suo fratello, vescovo di Todi, poi arcivescovo. Da lui (morto il 14 genn. 1781) i beni e l'archivio della famiglia, per testamento a rog. di F. A. Canali, not. bolognese, passarono a Francesco Guidalotti Franchini, figlio di Anna, sorella dei due monsignori, e sposa di Antonio Guidalotti.

Per cortesia del conte Alessandro Fava Ghisilieri ho potuto esplorare l'archivio dei conti Formagliari, unito a quello dei Fava, ma non vi ho trovato alcun carteggio nè alcun altro scritto relativo alla storia dello Studio composta da mons. Alessandro Formagliari.

(5) Ms. n. 704.

(6) Ibid., lett. 19 novembre 1749.

Bibliothecario propria manu tradidit cum interdicto ne Authori suo unquam reddatur, neve typis publicetur. Bibliothecarius in hac Bibliotheca hoc volumen deposuit anno 1758 post obitum SS. D. N.

Ita est. Ludovicus Montefani Caprara Bibliothecarius ».

Questo primo tomo, diviso in sei libri, ove è discussa la parte generale dell'argomento, tratta delle origini di Bologna dagli Etruschi a Teodosio II, delle antiche accademie o Studii, del famoso diploma teodosiano, che si tenta di difendere con argomenti diplomatici e storici nel libro II, III e IV; e, dopo la storia delle lettere dai barbari a Federico II, vi si espongono le prerogative e i privilegi dell'Ateneo bolognese e le vicende delle Università degli scolari, delle accademie, dell' Istituto delle scienze e dell'Orto botanico. Segue in fine un *Auctarium de Archidiaconis Bononiensibus* da Teuzone a Riccardo Isolani, antecessore del Formagliari (1), e un' appendice di documenti sullo Studio.

Non si tenne così nascosto il divieto pontificio, che già nel 1749 in Bologna non fosse conosciuto; e una lettera del Montefani Caprara del 19 novembre 1749 (dell'anno prima che questi dal papa ricevesse l' opera) afferma che, avendo l' autore chiesta al papa licenza di dedicargliela, *mostrasse desiderio di vederla prima che fosse stampata, e che, dopo averla veduta, abbia ricusato permettere che si stampi. Il motivo ho inteso dire che sia per esservi moltissime cose che non possano piacere al Governo* (2). Certamente, come osserva lo Scarabelli (3), non potevano piacere alla Curia romana l' avere il Formagliari cercato di dimostrare appartenere lo Studio del diritto all' impero e non al pontificato, e le pretensioni temporali della Santa Sede dover contenersi al confine della Samoggia e non estendersi più oltre; anzi può dirsi che alcuni capitoli, in cui anche la sovranità della Chiesa romana era contraddetta, fossero più che bastanti a far proibire l' opera. Ma io penso che nel divieto del dotto papa bolognese doveva altresì aver non poco influito, per l' onore della sua città, la ridicola critica con cui si volle dall' Arcidiacono sostenere la grossolana impostura del privilegio teodosiano.

Per ordine dello stesso papa, monsignor Costantino Ruggeri scrisse nel 1748 due volumi di critica di tutto il primo volume (4), ove dimostrò favolose le narrazioni delle origini di Bologna, falsi molti fatti della storia antica, vani, inetti e puerili gli argomenti diplomatici addotti a sostegno del privilegio di Teodosio, errata spesso la cronologia, che poggia talvolta persino su imposture del nostro Macchiavelli, travisati persino fatti recenti, ignorati o dimenticati anche avvenimenti importanti, non senza accusa di qualche plagio patente (5).

Il primo tomo dell' opera del Formagliari esiste pure, con gli altri che la compiono, nella Biblioteca comunale di Bologna; ma manca delle vite degli Arcidiaconi, che si

(1) Il titolo di questo primo tomo è il seguente: *Bononiensis Archigymnasii Historia ab origine et incremento a dignitate et auctoritate ab amplitudine et splendore eiusdem deducta cum Auctario de Bononiensibus Archidiaconis, authore Alexandro de Formaliarijs, Bononiensis Ecclesiae Archidiacono eiusdemque Archigymnasii Maiori Cancellario* — Tom. I.

(2) Bibl. dell' Univ. di Bologna, lett. cit.

(3) *Delle Costituzioni, Discipline e Riforme dell' antico Studio Bolognese, Memoria del professore Luciano Scarabelli* — Piacenza, tip. A. Del Maino, 1876, pag. 10.

(4) Sono anche questi nella nostra Biblioteca Universitaria, sotto il num. 1307 dei manoscritti, e s' intitolano: *Esame critico della Storia della Università di Bologna del sig. Arcidiacono Formagliari, scritto per ordine della Santità di Nostro Signore Papa Benedetto XIV felicemente regnante.* Ciascun volume è preceduto da una lettera dedicatoria; nel primo, in data del 29 agosto 1748, nel secondo, del 9 dicembre dello stesso anno.

(5) Si veda anche il giudizio che dell'opera del Formagliari diede l' Amaduzzi nell'edizione *Leges Novellae V. Anecdotae imperatorum Theodosii Junioris et Valentiniani* .... Romae, MDCCLXVII, typ. Zempelianis, praef., pag. XVII, XVIII e LXXXII.

trovano nell' esemplare della Universitaria. Il secondo tratta dei più illustri maestri, dottori ed alunni di diritto civile, da Pepone a Vincenzo Maria Guinigi (1748) ed il terzo contiene le notizie dei professori e dei discepoli di filosofia e medicina da Alberico a Giacomo Bartolomeo Beccari (1706). Il quarto poi ha le biografie degl' insegnanti e degli scolari di grammatica, retorica e poetica da Vidone Aquense a Pier Francesco Botazzoni (1720), più quelli di teologia da Gerardo Caccianemici a Tomaso Maria Caneti (1742), e quelli di aritmetica, geometria, astronomia e altre arti liberali da Guido Bonatti ad Eustachio Manfredi (1739). Nell' ordine della numerazione antica viene per quinto un altro volume, che forse, per ragione di materia, dovrebbe seguire il secondo; e contiene, sotto il titolo di *pars altera,* le vite dei professori e dei discepoli di diritto canonico da Ivone Carnotense ad Alessandro Guidotti (1688). Per ultimo è un tomo a sè, sul dorso del quale sta scritto: *Appendix dissertationum XX, sequuntur Prolusiones,* e contiene la materia delle dissertazioni diplomatiche che si contengono nel manoscritto dell' Università, nel libro II, III e IV, e quarantun discorsi per lauree, seguìti da due epistole latine.

III.

Il desiderio in Benedetto XIV di dotare la patria di un' opera che illustrasse la maggiore gloria di essa, trasse forse il primo impulso dai repressi tentativi del Formagliari, e fu conseguenza dello stesso divieto opposto a quella pubblicazione. Ma per certo questo desiderio era sorto nel papa assai prima che al Sarti ne desse la commissione, nel 1757. Infatti dalle lettere scritte da Ludovico Montefani Caprara, eruditissimo professore di diritto ed operosissimo bibliotecario dell' Istituto delle Scienze, a Flaminio Scarselli, segretario dell' ambasciatore bolognese in Roma, si rileva che, trovandosi quegli in Roma *nel principio dell' anno 1750,* come egli stesso scrive (1), il papa lo aveva esortato a raccogliere e compilare le memorie dello Studio bolognese, e che *ebbe la Sua Santità la clemenza di dirmi che, quando si fosse nel caso, avrebbe pensato al modo di somministrarmi quello che occorresse* (2). Dopo quattro anni il Montefani pareva essere entrato in qualche dubbiezza di proseguir l' opera intrapresa (3); e poichè nel 1752 non aveva per anco dato sentore di trovarsi a buon punto, se ne facevano da Roma non tacite querele; così che si trovò il Montefani in necessità di giustificarsi coll' amico della frapposta tardanza. Dichiarava adunque di aver radunato molto materiale già edito, restargli a spogliare le carte dell' Archivio pubblico. Certo non era questa nè breve nè facile impresa, molto più che egli stesso annunziava esser quelle carte *tenute in tale confusione che bisognerebbe prima disporle e poi rivederle: oltre di che, così restando, periranno in brevissimo tempo, perchè stanno per terra mangiate dalla polvere, dall' umidità e dalle tignole, e sino i gatti vanno a lacerarle e farci sopra le loro immondezze.* D' altra parte come ordinarle, se l' Assunteria non voleva farvi alcuna spesa? Ma le lezioni all' Università, la salute malferma e i lavori di riordinamento della biblioteca avevano interrotto il lavoro del Montefani, che però lusingavasi poterlo riprendere *ai Santi* (4).

(1) Bibl. dell' Univ. di Bologna, ms. 72, vol. VII, lett. 22 agosto 1752.
(2) Ibid., lett. 1 settembre 1753.
(3) Ibid., lett. 6 febbraio 1754.
(4) Ibid., lett. 22 agosto 1752.

L' anno appresso egli aveva quasi compiuta una dissertazione *De Archidiaconis bononiensibus,* che poteva tener luogo di prodromo alla storia dello Studio. *La storia* (scriveva allo Scarselli) *succederà poi.... dopo non molto tempo, avendo già in pronto molta materia; ed in quella, fatto questo prodromo, altro non vi sarà che pensare che alla pura vita dei professori, all'opere loro ed alla storia letteraria, che credo il punto più importante di quest' opera, e per la quale il nostro dott. Gaetano Monti ha molte ed importanti notizie, essendo egli eruditissimo in tutto.* Ma poichè mons. Formagliari aveva già scritta l' opera menzionata sulla storia dello Studio, e, per esserne stata proibita dal papa la stampa, tanto se ne era accorato da temersi che fosse *per lasciarvi la vita,* il Montefani, che comprendeva forse di non avere adunato notevoli materiali, mentre moltissimi ne aveva adunati l' Arcidiacono nelle vite dei numerosissimi professori antichi e moderni, credendo pure di appagare (come ripete) *il desiderio di N. S. che io facessi quest' opera, e nel medesimo tempo non dare un disgusto così atroce a questo povero signore,* gli propose di compilare l' opera in società. Ricevette così dal Formagliari comunicazione di tutto il suo lavoro, con libertà di levare o di aggiungere ciò che al Montefani paresse, e pubblicare poi l' opera a nome dei due autori. Alla proposta e all' esecuzione il Montefani aveva aderito *con molta docilità* (1). Di questa decisione fece poi dare notizia indiretta al papa, come si apprende da una lettera del 1.° settembre 1753, cui è unito un promemoria sul lavoro intrapreso, dal quale pare presentisse alla notizia cattiva accoglienza, *perchè non sapete cosa mai possa aspettarsi da lui.* E chiedendo licenza di dedicargli l' opera, domandava nello stesso tempo i promessi mezzi per istamparla (2).

La società col Formagliari fortemente dispiacque al papa; tanto che ebbe un *cattivo incontro* mons. Malvezzi che gliela annunziò, e si sentiva in pericolo di un rabuffo anche lo Scarselli, col quale tentava pur di scusarsi il Montefani. Anzi da altra sua del 19 settembre 1753, apprendiamo che il papa ordinò che questi terminasse la proposta dissertazione degli Arcidiaconi, ma che la pubblicasse solo col primo tomo delle vite dei professori, mostrando di ritenere che il bibliotecario bolognese, che del sospetto rimase sommamente mortificato, *volesse pubblicar l' opuscolo degli Arcidiaconi per poscia non pensar più al rimanente* (3).

Prese anzi Benedetto talmente in mala parte questa unione del Montefani col Formagliari, che il Legato di Bologna, che ebbe sentore dello sdegno del papa senza conoscerne il motivo, pensò che il Bibliotecario fosse *in delinquenza nell' officio della Biblioteca,* ed istruì *un' inquisizione:* ma interpellato il senatore Malvezzi, fu informato della vera cagione onde quegli era caduto in disgrazia (4).

Per queste ragioni il Montefani dovette disgustarsi dell' opera; e forse, disperando di poterla da solo condurre a compimento, fu poi tratto ad abbandonarne il pensiero.

Della dissertazione sugli Arcidiaconi non ci resta alcuna traccia. Essa non uscì per le stampe, e nemmeno ce ne pervenne il manoscritto fra gli altri del suo autore che rimasero nella Biblioteca universitaria, dove, per altro, neppure si trova alcuna traccia dei materiali che il Montefani avrebbe pur dovuto aver raccolti per la storia dello Studio, e che è da credere comprendessero soltanto spogli di scritti editi e, tutt' al più, la cominciata revisione e il rifacimento dell' opera del Formagliari (5).

(1) Bibl. dell' Univ. di Bologna, ms. 72, vol. VII, lett. 11 luglio 1753.

(2) Ibid., lett. 1 settembre 1753.

(3) Ibid., lett. 19 settembre 1753.

(4) Ibid., lett. 25 maggio 1754.

(5) Nella stessa Biblioteca Universitaria è una raccolta di *Schede di bibliografia bolognese* del Montefani, ed ivi, nelle buste 18, 19 e 20, sono molte indicazioni di

Del resto Benedetto XIV per certo avrà creduto sciolto il Montefani dall' incarico; perchè, dopo pochi anni dalla infelice collaborazione proposta, e, a quanto pare, senza più interpellarlo, affidò la compilazione della storia dello Studio al padre Mauro Sarti.

IV.

Questi era già salito in fama di uomo assai dotto allorquando Benedetto volle che intraprendesse la grande opera, che il Montefani non era riuscito a mettere insieme, e che il papa non aveva voluto affidare al padre Abbondio Collina dei camaldolesi (1).

Il Sarti poteva dirsi bolognese, perchè nato nella parrocchia di S. Maria di Sesto, nella diocesi d' Imola, da antica famiglia di Villa Fontana; e dopo aver insegnato filosofia con molta riputazione nel monastero di Classe in Ravenna e in quello di Masaccio, era stato promosso Abbate di S. Gregorio di Roma nel 1755, e aveva pubblicato un' opera *De Episcopis eugubinis* e dissertazioni sul vero sito di Cupra Montana e *De veteri casula diptycha* (2), nelle quali aveva dimostrato singolare erudizione congiunta a buona critica e a perfetta conoscenza delle lingue antiche.

Un primo accenno all' incarico della storia dello Studio bolognese si trova in una sua lettera del 19 gennaio 1757 al padre Sirena a Ravenna (3); e seguì tosto, il 5 febbraio, un chirografo pontificio al Tesoriere della Santa Sede che ordinava di pagare al Sarti per quell' incarico una provvisione mensile di dodici scudi per lo spazio di dodici anni, sulla somma di cinque mila scudi costituente il censo dell' appalto del nuovo lotto di Roma, e decorribili dal giorno in cui il Sarti si fosse portato a Bologna (4).

Il pensiero nobilissimo del papa e i provvedimenti da lui saviamente disposti affinchè l' opera potesse raggiungere il suo compimento sono esposti in una lettera di Benedetto XIV dei 9 febbraio 1757 al card. Vincenzo Malvezzi, Arcivescovo di Bologna, e al senatore Sigismondo Malvezzi, marchese di Castel Guelfo.

Di questa lettera, assai importante al nostro argomento, si hanno due diverse redazioni. Una, che deve esser quella originale dettata da papa Lambertini, del quale rispecchia la bonaria ma inesorabile franchezza, si ha nella Biblioteca della nostra Università. Dell' altra, che fu redatta e ridotta a forma più castigata forse per riguardo al Senato di Bologna, si ha un esemplare tra le carte dell' Assunteria di Studio. Diamo qui in nota la redazione originale di quella lettera (5); in cui, esposto come lo Studio

notizie dello Studio, dei suoi istituti e dei professori; ma la natura stessa di queste schede, riferentisi tutte a libri o a manoscritti della Biblioteca universitaria, esclude che si tratti di materiali raccolti per la storia dello Studio.

(1) Scarabelli, op. cit., pag. 12.

(2) Le notizie della vita del Sarti, cui fu imposto al battesimo il nome di Cristoforo, cangiato in Mauro quando nel 1728 vestì in Ravenna l'abito dei Camaldolesi, possono leggersi nell'opera *Annales Camaldulensis Ordinis Sancti Benedicti* dei padri Mittarelli e Costadoni, tom. VIII, pag. 696 e 698 (Venezia, Pasquali, 1764) e tom. IX, pag. 62 e 148 (ibid., 1773); nelle *Novelle letterarie pubblicate in Firenze l' anno MDCCLXVI* (dal Lami), tom. XXVII, pag. 806 e 822 e seg., ove è un *Elogio del p. Sarti* del p. Isidoro Bianchi, e nelle *Notizie degli Scrittori bolognesi* del conte Giovanni Fantuzzi, tom. VII, pag. 323-327 (Bologna, 1789).

(3) Bibl. Classense in Ravenna, ms. N. $\frac{3\text{-}7\text{-}V.^2}{30}$.

(4) Archivio di Stato di Bologna, *Assunteria di Studio, Recap. sulla storia dell' Università.*

(5) Biblioteca della R. Università di Bologna, ms. n. 125:

Chirografo di Benedetto XIV P. M., nel quale destina il Padre Abbate Mauro Sarti a scrivere la Storia dell' Università di Bologna - 1757 - Originale dettato da N. S. (Ex Biblioteca Benedicti XIV P. M.)

[Roma 9 febbraio 1757].

« Resta la nostra celebre Università di Bologna pur troppo involuta ne' racconti insussistenti d' un Macchiavelli e di altri uomini simili a lui; e la cosa succederà sempre così, ogni volta che se ne vogliono indagare i

famoso di Bologna non avesse ancor trovato uno storico serio che lo illustrasse, e detto esplicitamente che in Bologna non v' era chi possedesse la dottrina necessaria ad una tale opera, aveva il papa eletto l' abbate Mauro Sarti a comporla, e provvedutolo di idoneo assegno, raccomandandolo al card. Malvezzi e al senatore march. Sigismondo Malvezzi. Prevedeva che la commissione da lui affidata con piena confidenza al padre

principj e sostenere ciò che piace ed è applaudito nel paese.

Per uscire da simili laberinti e far qualche cosa di buono per la celebre Università, abbiamo sempre creduto non esservi altro mezzo termine che quello di additare istoricamente tanti e tanti uomini illustri, che in ogni genere di scienza hanno fiorito nella medesima, inserendo in quella congiuntura quanto di vero cade a proposito, risguardante l' illustre pregio dell' Università.

Venendo alle strette, e senza voler adulare, ora non v' è in Bologna, nè v' è per venire, chi sia capace dell' opera: non essendovi chi possieda le lingue estere, e particolarmente la greca, in un modo almeno distinto e particolare, chi sia conosciuto fra gli eruditi viventi per uomo celebre, e chi siasi acquistato nome e fama colle stampe.

Ma se ora non v' è in Bologna, nè v' è per venire, un uomo rivestito delle dette qualità, vi è però, per grazia di Dio, un bolognese, che è fuori di Bologna, che le ha tutte in grado eminente: e questi è il Padre Abbate Mauro Sarti Camaldolese, presentemente Abbate del Monastero di S. Gregorio di Roma, uomo grande, rinomato di quà e di là dai monti per le sue belle ed illustri fatiche, che hanno fatto e fanno stupire gli eruditi.

Avendo noi trattato a lungo con esso, avendogli comunicata la nostra idea, avendola esso approvata, ed avendoci di più soggiunto che chi la doveva eseguire per necessità doveva eseguirla stando in Bologna, qui sì che ci è convenuto trattar molto e discorrer molto e con esso e coi Superiori dell' Ordine. La strada ordinaria per accomodar tutto sarebbe stata che il Padre Abbate Collina dall' Abbazia di S. Damiano di Bologna passasse a quella di S. Gregorio di Roma, e che il Padre Abbate Sarti da quella di S. Gregorio di Roma venisse a quella di S. Damiano di Bologna: ma, per dirla in confidenza, non avendo il Padre Abbate Collina le qualità necessarie per mantenere lo studio e la disciplina introdotta nel monastero di S. Gregorio di Roma dal Padre Abbate Sarti, si è finalmente convenuto, che, venendo esso a Bologna, ritenga l'Abbadia di S. Gregorio, che in questo tempo essa sia governata da un Religioso Economo suo dipendente che esso crede capacissimo pel detto effetto; non avendo il buon Padre Abbate Sarti veruna difficoltà di venire a stare in Bologna e vivere nel Monastero di S. Damiano con tutta la religiosa dipendenza dal Padre Abbate Collina, rivestito della seconda qualità e figura dopo di lui.

Poco vi vuole a comprendere che senza i dovuti assegnamenti borsali il Padre Abbate Sarti non è in grado d' intraprendere l' opera e molto meno di proseguirla. Avendo noi su ciò fatte le dovute riflessioni, abbiamo finalmente risoluto d'assegnarli dodici scudi il mese per anni dodici, che incominceranno a decorrere dal dì che esso sarà in Bologna, il che probabilmente sarà dopo la prossima Pasqua. Secondo le misure prese, l' opera potrà essere perfezionata dentro cinque anni; ed i dodici scudi degli altri anni sette dovranno servire per istamparla: e l' assegnamento di questi dodici scudi per anni dodici è già stato segnato da Noi, ed avrà il suo vigore anche seguendo, come seguirà, dentro gli anni dodici la nostra morte, essendosi su ciò prese le misure opportune unitamente con Monsignore Tesoriere.

Di più, su certi proventi di Dataria si sono col Cardinale Millo stabilite le cose per un conveniente regalo da farsi al Padre Abbate dopo l' opera compiuta e stampata, ed il metodo è fissato in un modo che il tutto avrà il suo effetto, non solo morendo Noi nel tempo intermedio, ma non essendo più il Cardinal Millo Pro-Datario nel susseguente Pontificato.

Prevediamo che la macchina con tanta nostra fatica ed impegno ordita, crollerà se non è assistita dal Cardinale Arcivescovo di Bologna e dal Senatore Malvezzi; comunicandosi ad ambidue questo foglio dettato da Noi, acciò ciascheduno d' essi dia la mano adiutrice alla grand' opera.

È impossibile che non ecciti invidia nel paese il vedere che uno che viene di fuora, benchè Bolognese, abbia dal Papa la commissione di un' opera che essi, benchè falsamente, si lusingano avrebbero saputa e potuta fare. *Et nos quoque poma natamus.* Entrata poi l' invidia, si difficulterà al Padre Abbate il vedere ciò che Noi abbiamo mandato a Bologna estratto da questa Biblioteca Vaticana ed appartenente al caso, come pure tante altre belle notizie che sono ne' libri da Noi trasmessi: e lo stesso pur troppo seguirà quando avrà il Padre Abbate bisogno di riscontrare e scartabellare gli Archivj.

Potendo esso aver libero ricorso al Cardinale Arcivescovo nelle cose nelle quali può lo stesso porgergli ajuto ed appoggio, e potendo fare lo stesso col Senatore Malvezzi nelle altre cose nelle quali lo stesso, o a dirittura, o coll'ajuto del Reggimento, può somministrare ciò che bisogna, la torre starà in piedi; e quando no, crollerà, e Noi saremo necessitati a mutare idea e ad impiegare il Padre Abbate in altre fatiche, con nostro disgusto ed irreparabile pregiudizio della nostra celebre Università.

Sono dunque pregati ambidue, cioè il Cardinale Arcivescovo ed il Senatore Malvezzi, a vedersi assieme e poi favorirci di risposta, acciò da Noi si possano prendere le opportune misure.

È cosa assai facile che, assunta la fatica dal Padre Abbate Sarti, possa esso aver bisogno di qualche piccola spesarella di copie e cose simili. Succedendo il caso, preghiamo il nostro Senatore Malvezzi a somministrargli a conto nostro il bisognevole, scrivendone, o viventi Noi o morti Noi, al Cardinal Millo, che ha in mano l' assegnamento pel rimborso.

Che è quanto ecc. »

Sarti avrebbe destata l' invidia in alcuni bolognesi, i quali, *benchè falsamente, si lusingano avrebbero potuta e saputa fare* questa storia, e avrebbe perciò il compilatore incontrate difficoltà per consultare a suo agio i libri della pubblica biblioteca e gli Archivi, alludendo forse al Montefani Caprara che prima ebbe incarico di quella storia, e all' Archivio pubblico e a quello del Reggimento, ch' erano in potestà del Senato. Pertanto cercò il Lambertini di provvedere alla commodità delle ricerche e alla parte finanziaria dell' impresa, anche nel caso previsto, e veramente avvenuto, che egli fosse mancato innanzi che l' opera giungesse a compimento.

Il Sarti s' era già recato in Bologna ai primi d' aprile (*dopo Pasqua del 1757,* afferma una memoria del tempo [1]), e cominciò subito le ricerche negli Archivi [2] e particolarmente in quelli dei monasteri di s. Stefano, di s. Naborre e Felice, di s. Salvatore, di s. Michele in Bosco, di s. Gregorio, di s. Francesco, di s. Domenico, di s. Gio. in Monte e di s. Agnese, e del pari nell' archivio del Capitolo della Cattedrale di s. Pietro. In essi, come scriveva allo Scarselli, coll' aiuto di Lodovico Montefani Caprara e di Gaetano Monti, aveva trovati documenti importanti [3]. Ma intanto il Senato, a secondare i provvedimenti del papa a benefizio della città e a mostrare riconoscenza alle fatiche del Sarti per la storia dello Studio, con partito del 19 aprile gli conferiva una lettura onoraria di teologia nell' Università per un sessennio e senz' obbligo della prolusione [4].

All' opera ben cominciata del dotto camaldolese faceva plauso anche il pontefice mecenate in una sua del 4 giugno dello stesso anno, che dimostra la maggiore stima e affezione pel Sarti, e la miglior premura per l' opera, che qui mi pare conveniente riferir per intero:

Benedictus P. P. XIV. Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Così è — Il nostro Cardinale Prodatario ci ha sempre fedelmente riferito quanto ella gli ha scritto in ordine alla fatica da Noi commessale. Nella lettera che ora da lei riceviamo dei 28 di maggio, ella si loda dell' opera dell'Avvocato Montefani e del Dottore Monti, che non lasciano dal darle la mano adiutrice: e ad ambidue ella avrà la bontà di significare la nostra riconoscenza e la nostra gratitudine. In ciò poi che risguarda la di lei persona e la sua opera, teniamo per certo che Noi e tutti gli altri avranno occasione di commendare le sue fatiche, come si è fatto in tutte le altre che ella ha pubblicato colle stampe. Molti sono gli autori stampati che hanno trattato delle Università, e per conseguenza anche di quella di Bologna: ma il più accreditato è il Pancirolo de Claris Legum Interpretibus, *che indubitabilmente si ritroverà in Bologna. Quello che non si ritroverà in Bologna, sarà il primo tomo dell' Università di Padova, che è composto e stampato, ma che non dee pubblicarsi se non stampati gli altri due che si vanno travagliando. Noi speriamo d' averlo; e, se lo avremo, lo manderemo a lei, acciò colla sua accuratezza veda quanto ne può ricavare. Conosciamo di portar* noctuas Athenas:

(1) Lett. del Montefani a Flaminio Scarselli, ms. della Bibl. Univ. n. 72, vol. VII; memoria allegata alla lettera 4 febbraio 1758.

(2) Bibl. della R. Univ. di Bologna. — Ms. 72, vol. VII, lett. a Fl. Scarselli 2 aprile 1757.

(3) Ibid., lett. 30 aprile 1757.

(4) Archivio di Stato di Bologna, Arch. del Senato, *Filza dell' anno 1757,* da c. 200 a 202, relazione dell'Ass. di Studio 19 aprile 1757, e *Partitorum,* vol. LIII, a c. 41 v.

ma l' impegno che abbiamo per la di lei Opera ci fa sormontare ogni rispetto. Terminiamo col darle l'Apostolica Benedizione.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem die 4 Junii 1757 — Pontificatus Nostri Anno Decimo Septimo.

Dilecto Filio
Patri Abbati Mauro Sarti
Bononiam (1).

Il carteggio col papa continuava; e il 25 dello stesso mese di giugno questi approvava *in tutto e per tutto* i propositi del Sarti circa il metodo da tenersi nella storia dello Studio (2), per la quale ordinò poi in dicembre che si traessero dall'Archivio Vaticano le copie dei documenti che a questa potessero giovare.

Pare che frattanto il continuo e pesante lavoro avesse così affievolita la salute del Sarti da dover egli nell' ottobre dello stesso anno cercare ristoro nell' aria e nella quiete della campagna (3). E forse alla soverchia tensione dello spirito deve attribuirsi l' eccitamento nervoso che, circa quel tempo, fu causa di violenti contrasti fra lui e il bibliotecario Montefani per la pretesa del Sarti di avere a suo libito la libreria dell' Istituto, protestando di non potere, senza la più ampia libertà, condurre a termine l' opera secondo i voleri del papa. Di queste scenate si può leggere la narrazione, che ne ha fatto l' egregio dott. Ludovico Frati, Sotto bibliotecario della nostra Università, nel *Giornale delle Biblioteche* (4). Tra le lettere, già citate, del Montefani allo Scarselli, ho trovato infatti non infrequenti accenni a questi litigi ai quali però succedevano, per parte del Sarti, pentimenti e spiegazioni benevoli verso il Montefani e periodi di calma. Ma pare che il padre abbate fosse a sua volta molestato da varii dispiaceri, e chiedeva di esser compatito *perchè aveva mille inquietudini d' animo che lo rendevano torbido; che conosceva aver assunta un' impresa che non poteva compire; che alle volte aveva lettere di Roma che lo inquietavano; che era malcontento di stare a Bologna, dove non si poteva accomodare.* Ma se egli non mostrava un astio personale verso il Montefani, che in verità fin da principio lo aveva accolto e aiutato cortesemente (5) e che pazientemente sopportò a lungo le sue sfuriate, ben si dimostrava adirato contro gli Assunti di Studio, che, non avendo ingerenza nell' opera, pur volevano regolarla: protestava anzi al Bibliotecario che, *per ciò che riguardava questi signori, non gl' importava*

(1) Bibl. Classense in Ravenna, miscell. n. V, fasc. 2.

(2) Bibl. Classense, ms. cit. Eccone il tenore:

« Roma 25 giugno 1757.

Riceviamo la sua lettera dei 18, e la ringraziamo della notizia che ci dà di quanto ha fin ora fatto e va facendo per preparare i materiali all' opera che le abbiamo commessa; ed in tutto e per tutto approviamo la sua idea nel volerla stendere; vedendo ch' ella ha presente quanto in voce le abbiamo insinuato, ed avendo Noi tutta la fiducia nel di lei valore, per lo che la preghiamo a non prendersi ulteriore incomodo di ragguagliarci minutamente per lettera de' suoi lavori.

Godiamo ch' ella abbia ricevuta e letta la prima parte de' Fasti dell' Università di Padova che le abbiamo trasmessa. Avevamo ancor Noi osservato, benchè di passaggio, nell' aprire il detto libro, che, quantunque quella storia sia latinamente scritta, nel che l' autore d' essa è molto eccellente, è però assai scarsa nella sostanza. Noi nondimeno gliel' abbiamo mandata acciocchè ella la vedesse; e lo stesso faremo ancora delle parti susseguenti, quando ci capiteranno: restando intanto col dare a Lei l' apostolica Benedizione ».

(3) Arch. di Stato di Bologna. *Lett. di Studio e Uniti*, 1744-54.

(4) Anno III, vol. III, pag. 14-17.

(5) In una lett. allo Scarselli del 17 aprile 1757, il Montefani scriveva: *Il padre Abbate Sarti sta bene; quasi ogni giorno è in Biblioteca. Io m' ingegno servirlo ove posso: mi pare uomo onesto e senza ricci, molto conforme al mio umore.* (Bibl. Univ., ms. 72, vol. VII).

niente di essi e li aveva tutti in tasca; che presto avrebbe dato fuori qualche cosa nella quale egli sapeva maneggiare la penna, e voleva vendicarsi di questo paese maledetto, che non aveva stima di lui: che per altro egli questa storia non la voleva finire: che fatta questa prima cosa non voleva pensare ad altro, e al Capitolo Generale della sua religione voleva partire di qui (1). E alla minaccia non tardò a seguire l' effetto, come si trae dall'elogio del Sarti, scritto dal p. Bianchi, ove si afferma che, *ritornato a Roma, cominciò a dar mano all' opera, di cui aveva già ordito il piano, e tra le fastidiose occupazioni del Governo del suo monastero di S. Gregorio, che seguitò a reggere anche nel quinquennio susseguente, non lasciava di portarsi alle pubbliche librerie e massime alla Vaticana, che fu sempre la sua delizia* (2). La partenza da Bologna dovette seguire nell' agosto del 1763.

Dopo la morte di Benedetto XIV, accaduta nel 1758, Clemente XIII aveva confermato l' incarico al Sarti, poi nel 1764 lo dichiarò Consultore della Congregazione dei Sacri Riti (3). Se però il Sarti del proprio lavoro non si mostrava contento, scrivendo *li miei dottori bolognesi mi rompono continuamente il capo,* e ricordandoli come *l'opera dietro cui mi logoro e mi consumo,* ne aveva già in pronto in fine di novembre del 1762 la prima parte, perchè il 27 di quel mese scriveva allo Scarselli eccitandolo a procurare i mezzi per la stampa (4).

Più chiaramente da una lettera del giorno 8 gennaio 1763 rileviamo che era terminata la redazione della prima parte della storia (e doveva essere quella dei professori di diritto civile); ma le difficoltà di sopperire alle spese della stampa erano tali, che l' autore, il quale si era intanto dovuto trasferire a Roma, scriveva dei suoi *dottori: se si troverà qualche compenso almeno per aiutarmi nella spesa, essi vedranno la luce. In altra guisa resteranno fra le tenebre, finchè vorrà il loro destino* (5). Assicurava poi il Sarti allo Scarselli, il quale cercava di provvedere ai mezzi necessari alla stampa, essere *non solamente.... contento, ma desideroso sommamente che* [l' opera] *passi nelle mani del signor Dott. Monti, dal quale ho già avuti molti lumi, e so che è pieno di rare notizie* (6). Ma, dovendo pur continuare l' opera, il tempo alla capitale faceva difetto al nostro frate, che scriveva allo Scarselli attribuendo la lentezza *alla condizione di chi sta in questo paese, ove le maggiori cure si caricano addosso a' poveri galantuomini, che per lo più, portando il peso, non sentono l' utile, che tutto si gode dai magnati di questa Sagra Corte* (7).

Altre lettere ci dimostrano come il Sarti seguitasse a mandare a Bologna da Roma le varie parti del suo lavoro. Il 26 marzo dello stesso anno diceva mancare ancora, oltre una dissertazione *De Scholis bononiensibus* e la prefazione, *tutte le vite* dei professori di diritto canonico, filosofia, medicina, lettere umane e teologia. *E già m' intendo* (scriveva) *di arrivare in questa prima parte sino all' anno 1300 solamente, come ben sa il signor Monti,* e prometteva di tornare a Bologna nel giugno venturo. Questa parte doveva mostrarsi al Monti (8). Nell' aprile, a mezzo dell' abbate Ridolfi di s. Salvatore, il nostro Sarti inviava le vite dei canonisti, eccettuata quella di Graziano e d' altri pochi, notando come la commissione, che aveva ricevuta *in termini dalla*

(1) Bibl. dell' Univ. di Bologna. Ms. 72, vol. VII, lett. 4 febbraio 1758. Vi è allegata una lunga relazione, di questi contrasti fra il Sarti e il Montefani.

(2) *Novelle letterarie* cit., pag. 822.

(3) Ibid. — V. anche una lettera del Sarti 31 marzo 1764 nella Bibl. Com. di Bologna, mss. Hercolani, n. 199.

(4) Arch. di Stato, *Lett. all'Ass. di Studio*, 1742-1770, lett. 27 novembre 1762.

(5) Ibid., lett. 26 gennaio 1763.

(6) Ibid., lett. 9 febbraio 1763.

(7) Ibid., lett. 19 febbraio 1763.

(8) Ibid., lett. 26 marzo 1763.

S. Mem. di Benedetto XIV, fu, non di scrivere la Storia, ma le memorie dei celebri professori della Università nostra, perchè il toccare li principii della medesima, il che sarebbe inevitabile nella Storia, si credeva da Sua Paternità troppo pericoloso. Ma io penso anche a questa, e de' gran pezzi ne son fatti (1).

Senonchè, avanti che si ponesse mano alla stampa, il prof. Gaetano Monti fece sentire all'Assunteria di Studio ch' egli desiderava di essere convenientemente citato nell' opera cui aveva sovvenuto di non pochi materiali e di proprie osservazioni. Anzi desiderava — e lo Scarselli lo riferiva all' abbate Sarti — che questi *esponesse nella Prefazione dell' opera che prima di lui eravi qualche bolognese che aveva pensato ad una tale impresa, per la quale eran state raccolte moltissime cose: inoltre che lo stesso Monti per pubblico comando aveva passato al P. Abbate un copioso numero d' importanti notizie, e finalmente che, in riferirsi nella storia qualche nuova distinta osservazione o scoperta dal Dott. Monti al P. Abbate comunicata, desiderava di essere nominato* (2). E il Sarti, in una lettera del giorno 8 luglio 1763 in cui dice esser pronta per la stampa tutta la prima parte della storia, a questi desiderii pienamente consentiva (3); e nell' opera lealmente, in moltissimi luoghi, mantenne la promessa.

Finalmente per cura dello Scarselli, allora Segretario dell' Assunteria di Studio del nostro Senato, lo stampatore Della Volpe, che da prima se ne era scusato, accettò di farsi editore dell' opera, ma col solo peso della stampa e senza obbligo nè di caricarsi delle spese per le correzioni, nè di dare copie del lavoro ad alcuno (4).

L' impresa poteva dunque dirsi ormai assicurata. Ma la stampa procedeva così lenta per varii intoppi, che il Sarti proponeva che l' opera si imprimesse a Roma. Si era infatti dovuto prima abbandonare il carattere grande, in cui si era cominciata, e sceglierne uno più piccolo, poi cangiarsi il correttore, perchè quello nominato era *troppo focoso,* e sostituirglisi il dott. Gabriello Brunelli; e lo stesso Sarti era stato costretto a lasciare Bologna quando appunto si cominciavano a comporre i fogli. Persino il nuovo correttore Brunelli ne aveva abbandonata la cura, assunta poi dal padre Barbieri, Superiore dell' Oratorio. Tuttavia anche sotto di lui la stampa, nel gennaio 1765, procedeva molto lentamente, anche perchè il Sarti in quell' anno era stato nominato Procurator Generale del suo Ordine; così che solo nel successivo dicembre si era potuto riprendere la continuazione delle vite dei medici, la prefazione alle quali il Sarti spediva a brani da Roma solo il dì del Natale 1766 (5).

Fra queste lungaggini dell' autore da un lato, e del tipografo dall'altro, e fra questi inconvenienti, giunse a Bologna la voce che il padre Sarti era stato colpito di apoplessia *con pericolo di vita.* L' Assunteria di Studio il 17 maggio 1766 ne scriveva costernata all' ambasciatore in Roma, notando che non era neppure uscito il primo tomo dell' opera, il quale si sarebbe dovuto dividere in due parti, e che ne erano impressi 108 fogli, cioè solo le vite dei professori di diritto civile, canonico e di notarìa. Pregavasi

(1) *Lettere all' Assunt. di Studio,* 1742-70, lett. 16 aprile 1763.

(2) *Atti dell'Ass. di Studio*, 1756-77 a c. 38 r., sotto il 18 giugno 1763.

(3) Ibid. c. 38 v.; sotto l' 8 luglio 1763.

(4) *Ass. di Studio, Recap. sulla Storia dell' Univ.*

(5) Arch. di Stato di Bologna. *Lett. all' Ass. di di Studio,* 1742-70, lett. 4 e 12 ag., 26 novembre e 12 dicembre 1763; *Atti di Studio,* 1756-67 c. 39 v.; 18 agosto 1763, e c. 40 18 dic. 1763, c. 53 r., 23 genn. 1765; Bibl. dell' Un. di Bologna, mss., caps. 685, lett. del Sarti 16 marzo 1765; Arch. di Stato di Bologna, Demaniale, busta $\frac{81}{5964}$ lett. 7 agosto, 28 settembre, 23 novembre e 11 dicembre 1765; e 25 gennaio 1766 al padre Barbieri.

adunque l'ambasciatore a salvare e mandare a Bologna le carte che erano presso il padre Sarti, e subito si poneva innanzi con insistenza il nome del dott. Monti come continuatore desiderato dai bolognesi dell'opera del Sarti, affermandosi che il Monti era *certamente .... il più, se non anche l'unico, atto a tal uopo.* La malattia del Sarti fu da prima giudicata mortale, avendo i medici assicurato che, se anche fosse sopravissuto, sarebbe rimasto *sempre inabile a qualunque funzione almeno di mente* (1); e quantunque più tardi si fosse concepita qualche speranza di guarigione, un nuovo insulto apopletico, il 23 agosto 1766, lo spense in Roma nel convento di S. Romualdo (2).

V.

All'opera voluta e predisposta con tanto senno e amor patrio da Benedetto XIV la morte di Mauro Sarti fu invero iattura irreparabile. Aveva egli già scritte, ed erano in gran parte stampate, le vite dei professori di diritto civile e canonico, di notarìa, di medicina, e in parte aveva anche preparata la serie di quelle degli arcidiaconi, *mihique solum* (scrisse il continuatore) *eiusdem complendae ornandaeque labor relictus* (3). Per contrario le vite dei professori di filosofia e di lettere erano state appena abbozzate.

Mancavano adunque al compimento, allorchè il Sarti morì, oltre la prefazione, la classe dei professori di teologia, e, in gran parte, le due classi di filosofia e di umane lettere, ma soprattutto la copiosissima raccolta dei documenti e monumenti o veduti dal Sarti in Bologna, in Roma e in altri luoghi, o a lui indicati da amici.

Intanto il Senato bolognese bramoso che il papa avesse scelto per continuatore del Sarti il prof. Gaetano Monti, sebbene assai dubitasse di ottenere l'intento, insisteva coll'ambasciatore; e questi, ancor vivente il Sarti, scriveva, il 4 giugno del 1766, dubitare che il Mittarelli, Abbate Generale dei Camaldolesi, rimasto impotente il Sarti, avesse *subito.... avuto parola con N. S., supplicandolo a permettere che la sopradetta storia fosse continuata da un altro loro padre pur bolognese* (4). Aveva quindi indagato e potuto conoscere aver già il papa scelto a ciò il padre Mauro Fattorini. Era egli ignoto al Senato, come scrivevasi all'ambasciatore, talchè ai malcontenti bolognesi non restava a sperare se non nell'assistenza che avrebbe potuto prestare all'opera il padre Barbieri e soprattutto il prof. Monti (5).

(1) *Lett. di Studio e Uniti*, 1744-94, lett. 17 e 31 maggio 1766, e *Lettere a Studio,* 1742-70, lett. 30 maggio 1766.

(2) Ciò si rileva dalle *Memorie dell'Ordine,* esistenti presso il Generalato dei Camaldolesi, ove è scritto:

« *Sarti P. Mauro da Bologna, morì di colpo apopletico il dì 22 agosto 1766, di anni 67, nel Monastero di S. Romualdo a Roma e venne sepolto in detta Chiesa colla iscrizione seguente:* MAURO SARTIO BONONIENSI ABBATI, CURATORI GENERALI CAMALDULENSIUM, SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS CONSULTORI, VIRO PIETATE ERUDITIONE DOCTRINA ET EDITIS LIBRIS CLARISSIMO, DUM BENEDICTI XIV ET CLEMENTIS XIII SUMMORUM PONTIFICUM IUSSU PATRII ARCHIGYMNASII HISTORIAM SCRIBERET E VIVIS SUBLATO X KAL. SEPTEMBRIS ANNO CHR. MDCCLXVI AETATIS ANNORUM LXVII ».

V. anche l'op. cit. *Annales Camaldulenses,* tom. IX, pag. 148, ove l'iscrizione è pur riferita, ma dove si dà il 25 agosto come giorno della morte del Sarti, mentre nell'*Elogio* che di lui scrisse il padre Isidoro Bianchi, già cit., lo si dice morto *il 22 dello scorso agosto [1766]* (pag. 806). L'annotazione del giorno della morte del Sarti nelle Memorie dell'Ordine e l'iscrizione sepolcrale tolgono però, a mio credere, ogni dubbio.

La chiesa di S. Romualdo ora è distrutta.

(3) Praef., vol. I, pag. 613.

(4) *Lett. a Studio,* 1742-90. Lett. 4 giugno 1766.

(5) *Lett. di Studio e Uniti* 1744-94, lett. 11 giugno 1766.

Non era forse esagerata questa protesta che il nome del Fattorini, tuttochè bolognese [1], fosse in patria sconosciuto: per lo meno, se egli aveva pur dato prova di buoni studi filosofici e di valore oratorio e poetico nella scuola, in accademie e in istampe, e commentate alcune antiche iscrizioni scoperte nel 1756 a Classe fuori, a Ravenna, non aveva per certo pubblicato alcun saggio valevole a dimostrarlo fornito di quei particolari studi e di quella singolare erudizione che si richiedevano a proseguire un lavoro del genere di quello che stava per intraprendere.

Frattanto le carte lasciate dal Sarti erano state portate a Faenza dal padre Mittarelli, per consegnarle al Fattorini, che era Abbate di governo a Bagnacavallo, e che, il 28 maggio del 1768, otteneva dal papa un rescritto pel quale era sostituito nell' incarico del Sarti, pur coll' assegno di dodici scudi mensili fino al compimento del lavoro. Con altro rescritto pontificio del 23 luglio si conferivano al senatore Sigismondo Malvezzi le facoltà necessarie per provvedere alle spese di copia e di stampa; e cento scudi si assegnavano in principio d' agosto per la stampa della prima parte dell' opera [2].

Gli Assunti di Studio, che grandemente s' interessavano della sollecita prosecuzione del lavoro, non ebbero ritegno di far sentire al Fattorini a mezzo dell' ambasciatore, fin da principio, quasi direi la loro prevenzione, che la cosa, in mani sue, dovesse andar per le lunghe [3]; talchè, quando egli, il 13 agosto del 1768, dette loro da Bagnacavallo partecipazione ufficiale dell' incarico ricevuto dal papa, credette necessario tranquillizzarli circa il concepito timore, pregandoli *ad allontanare dall' animo loro qualunque timore di ritardo indiscreto nel compimento del I.º tomo per la presente mia assenza dalla patria, perchè posso con verità assicurarle che in questo mio nuovo soggiorno non mi mancano le materie già da me costì raccolte, e il mio più interessante pensiere è quello certamente di applicare e dar forma alle medesime* [4]. E similmente, ragguagliando sul lavoro il 9 settembre l'ambasciatore bolognese in Roma, gli diceva, a propria giustificazione: *V. E. sa meglio di me che il trattare simili materie richiede tempo e fatica, e non si può accusar di lentezza un autore che pesca in mari così vasti e torbidi. Io peraltro ho terminate le serie dei Professori che mancavano, come pure la Prefazione, che mi è costata non piccola fatica, e che da per sè sola fa un volumetto.* Aggiungeva di aver già consegnati al tipografo molti fogli perchè continuasse la stampa fino al suo ritorno in Bologna *per la festa dei Santi,* mostrando di credere, o tentando di dare a credere, che la prima parte dell' opera sarebbe compiuta per Natale! [5]

Il lavoro procedeva invece sempre a rilento; e giunto il 24 novembre senza che le promesse avessero avuto principio di esecuzione, fu nuovamente costretto il Fattorini a scrivere agli Assunti di Studio una lunga lettera, che par tessuta piuttosto di scuse che di giustificazioni, in cui chiedeva che oltre il padre Barbieri, gli fosse assegnato un altro revisore delle stampe, e proponeva fosse questi l' annalista conte Lodovico Vittorio

(1) Il padre Fattorini nacque in Bologna il 14 aprile 1727, da Flavio, mercante, figlio di Sante servitore di casa Dolfi, e da Maria Rosa Candi; fu battezzato sotto nome di Francesco di Paola, mutato in Mauro allorchè nel 1742 professò nell' Ordine camaldolese nel monastero dell'Avellana, essendone abbate don Andrea Filippo Fattorini, suo zio. Ebbe un fratello Gaetano, che fu professore chiarissimo di anatomia nello Studio fino al 1797.

Mauro Fattorini fu insegnante di filosofia nel monastero di Classe in Ravenna, ed ivi, nel 1763, dall'Arcivescovo Guiccioli fu scelto a Teologo di quell'Arcivescovado, e confermato nell' ufficio dal card. Oddi, e di là passò Abbate di governo del monastero camaldolese di Bagnacavallo.

(2) *Ass. di Studio, Recapiti della stor. dell' Un.* cit. e *Lett. di Studio e Uniti,* lett. 2 agosto 1768.

(3) *Lett. a Stud. e Uniti,* 1744-94, lett. 30 lugl. 1768.

(4) *Lett. a Studio* 1742-70, lett. 13 agosto.

(5) Ibid., lett. 9 sett. 1768.

Savioli, che si era spontaneamente profferto a sì fatto ufficio. Manifestava pure il proposito di far uscire tosto la prima parte del primo tomo dell' opera, riservando alla seconda i documenti, premettendo la serie degli Arcidiaconi, che era *già in pronto, e in gran parte condotta a termine* dal Sarti, e alla quale avrebbe aggiunta la serie degli scolari illustri, di cui non piccola porzione diceva essere compiuta. Ma voleva ancora che gli si desse *un abile soggetto* per trascrivere i documenti in Roma, *dei quali neppur uno si trova trascritto dalla f. m. del P. Abb. Sarti.* Asseriva di aver pronta la fine della prima parte, dando affidamento di spedire la prefazione a Natale (1).

L' Assunteria mosse a queste proposte e domande altrettante obbiezioni, perchè si era convinta che il Fattorini usasse una *indolenza grande;* a toglier la quale, anzichè compiacerlo nelle dette richieste, volle anzi fin d' allora tentare un mezzo più risoluto, pregando senz' altro il Cardinale Nipote perchè dal papa facesse direttamente sollecitare il Fattorini a compiere l' opera (2).

D' ora in avanti per gli Assunti di Studio la brama di veder finita l' opera diventa quasi smaniosa; e si direbbe che vi fosse qualcuno che li sobillasse o per proprio interesse, o per personale animosità. Se da un lato il Fattorini tentava scusare come non pregiudicevole alla continuazione del lavoro la sua assenza da Bologna, compiacendosi che la prefazione avesse riscossa dal celebre gesuita Zaccaria, come scriveva, *quella approvazione di cui non avrei saputo lusingarmi,* dall' altro l' Assunteria aveva incaricati invano il senatore Guastavillani e il bibliotecario Montefani Caprara a far affrettare il Fattorini. Però nessuna delle sue proposte aveva voluto accettare: non quella, in cui poi il Fattorini cedette, di dividere in due tomi il primo volume, accusando anzi l' abbate (proprio come già Benedetto aveva sospettato del Montefani) di voler *pubblicare ora la prima parte e poi Dio sa quando la seconda,* e non quella di dedicare egli l' opera al papa; e gl' imputava per di più due sconvenienze: di esser partito da Bologna senza avviso all' Assunteria, e di aver rifuggito di rendere il debito onore al Monti, col citare gli aiuti che questi gli aveva dati. Che più; l' Assunteria aveva scritto risolutamente all' ambasciatore perchè facesse togliere al Fattorini l' incarico di proseguir l' opera del Sarti (3), e aveva saputo dall' ambasciatore, per lettera del 29 settembre del 1769, che il card. Fantuzzi *era malissimo contento del procedere del P. Abbate Fattorini.... e conviene nel sentimento che il detto padre non sia a proposito per continuare la storia di codesta Università.* E intanto, e questo veramente giustifica la persistente avversione del Senato, aggiungeva che *il Padre Fattorini* (per iscriver la storia dello Studio di Bologna) *se ne sta tuttavia placidamente nel suo soggiorno di Bagnacavallo, malgrado le speranze di dare nelle passate feste una scorsa a Bologna* (4). Ma l' aver già promessi i primi fogli del secondo tomo pel principio di novembre del 1768, e in seguito addotto a scusa del ritardo l' aspettare l' elezione del nuovo papa (morto Clemente XIII il 2 febbraio 1769) per vedere se il successore gli continuasse l' assegno, suscitò proteste in Senato contro il Fattorini, cui accusarono in pubblica seduta di aver *lucrato senza alcun aggravio di spese — per disporre soltanto quanto era stato accumulato dal suo antecessore — la non indifferente somma di scudi mille e trecento ventiquattro* (5).

(1) *Ass. di Studio, Recap. sulla storia dell' Univ.,* lett. 24 novem. 1768.

(2) *Lett. a Studio* 1742-70, lett. 31 dic. 1768.

(3) *Lett. a Studio* 1742-70, lett. 8, 12, 13 e 14 genn., 15 luglio e 19 novem. 1769; *Recap. della stor. dell' Un.* 22 febbr. 1769, e *Lett. di Studio e Uniti* 30 agosto e 6 dicem. 1769.

(4) *Lett. a Studio* 1742-70, lett. 29 sett. e 13 dic. 1769.

(5) *Recapiti sulla stor. dell' Univ.,* minuta di memoriale 1769.

D' allora in poi nel Senato di Bologna sorse più acuto lo stimolo ad ottenere che fosse tolto al nostro abbate l' incarico della storia dello Studio e affidato ad altri, non ostante che il 27 luglio 1770 il Segretario Maggiore avesse riferito che la stampa del primo tomo dell' opera (in due parti) era compiuta (1), e non ostante le giustificazioni stampate dal Fattorini nel principio della seconda parte, che si lusingava valevoli a persuadere *aequum iudicem*. E neppur valse a moderare l' animosità non ingiusta del Senato il Breve del 18 maggio 1771, stampato in fronte alla parte seconda, in cui il pontefice mostrava la sua compiacenza all' autore, ne lodava la dottrina, l' ingegno e l' opera, e confermava: *Quare non solum probari a Nobis commendarique laborem hunc tuum existima, sed paratissimos etiam Nos esse ad eiusdem, ut appellas, primitias, quas Nobis offers atque inscribis, tuendas fovendasque patrocinio nostro, eaque pontificiae erga te benevolentiae accessione, quae plurimum pro tua in Nos observantia atque obsequio valere possit ad te magis magisque ad persequendam perficiendamque operam excitandum* (2). Però dal primo annunzio si erano perduti ancora inutilmente due anni, perchè il 12 agosto del 1772, confermandosi esser stampate le due parti del primo tomo, asserivasi ancora *non resta che di pubblicarlo* (3).

Tra il padre Fattorini e l'Assunteria di Studio, la quale dichiarava aversi *un concetto assai scarso della abilità sua*, s' inacerbirono ancor più i rapporti nel 1775, anche perchè alle proteste che essa, a mezzo del Segretario Maggiore, aveva fatte al Vice Legato, questi aveva risposto che *avrebbe gradito di vedere come apparteneva all' Assunteria l' ingerirsi in tale affare* (4).

Mentre però il Senato, sempre fermo nell'idea che si togliesse l'incarico al Fattorini, scriveva insistenti lettere all' Ambasciatore (una delle quali, del 10 maggio 1775, ci dimostra che il Senato vivamente bramava che fosse sostituito da Gaetano Monti, e che questi fin dall' anno precedente si era mostrato disposto a continuare l' opera sui professori dello Studio), il Fattorini aveva anch' egli ricorso al Segretario di Stato, ma non aveva però ottenuto favorevole risposta. Anzi, poichè dallo stesso cardinale era stato invece sollecitato al compimento dell' opera (ossia a finire il tomo II.°), parve che in dicembre del 1775 ne facesse il Fattorini sincero proponimento, avendo di nuovo promesso di compir l' opera entro il 1776, come si era anche formalmente impegnato col card. Branciforte (5).

E neppure mancò, ad inasprire maggiormente le cose, un foglio anonimo, letto in Senato il 22 aprile 1777, che alquanto velenosamente interpretava il ritardo del Fattorini come causato da disprezzo verso l' alto consesso; e, quello che è più curioso, la lettera anonima si manifestava come scritta da un senatore. *Un Vostro Collega* (dice il foglio) *pieno di zelo per l' interesse e il decoro della sua patria, non può soffrire con indifferenza di vedere cotanto ritardata la continuazione e il compimento dell' opera di questo nostro Studio bolognese, incominciata dal celebre Abate Sarti. Colui al quale avete dato l' incarico di proseguirla e di terminarla* (veramente l' incarico l'aveva dato il papa) *è un vero nostro nemico, e lo sapete per prova, per la poca stima e considerazione ch' egli*

(1) *Recap. sulla stor. dell' Univ.* cit.

(2) V. a pag. 616 di questa edizione.

(3) È a credere che se il Savigny avesse conosciuto questi particolari, non avrebbe da alcune parole del Tiraboschi dedotto che l'opera fosse stata *forse.... proibita da Pio VI, creato pontefice nel 1774.* (Op. cit., I, 502).

(4) *Recap. sulla stor. dell' Un.*, lett. 28 nov. 1772, 14 genn. e 1 febb. 1775.

(5) *Recap. sulla stor. dell' Un.*, lett. 22 mar., 6 e 13 dic. 1775 — *Lett. di Studio e Uniti*, 1744-94, lett. 10 magg. e 9 luglio 1775, 21 giugno e 9 luglio 1777, e *Atti della Congr. di Studio*, 1777-87, a c. 7 r. e v., 21 giugno 1777.

ha del vostro consesso. La di lui vita dissipata e oziosa e il di lui scarso talento bastantemente dimostrano che mai noi non potremo conseguire l' intento; ed egli intanto, con nostro pregiudizio, baldanzoso si ride della nostra indolenza. Risolvetevi dunque, se vi aggrada di scuotere costui dal suo letargo, e riparate a quella derisione a cui siamo purtroppo per di lui colpa soggetti (1).

Le insistenze del Senato, tramutate in minacce, seguitarono ancora per varie vie, ma senza frutto migliore; molto più che il Fattorini aveva portato alla sua badìa molti scritti relativi all' opera, e il senatore Lodovico Vittorio Savioli, che per certo doveva nel Senato essere uno dei più interessati a queste insistenze, aveva suggerito, come pretesto per ridomandarli al Segretario di Stato, *che in Bologna trovasi soggetto* (lo stesso Savioli), *che ha instradata la Storia Patria, e che per proseguirla abbisognerebbe d' aver sott' occhio molti dei documenti che sono presso del detto Padre Fattorini* (2).

Ma poichè nemmeno questo espediente giovò, e la Santa Sede, fin dal 1785, aveva fatto sapere all' Assunteria di Studio che l' ingerirsi della storia dell' archiginnasio non competeva a quella, ma a sè sola, si era ricorso ad un mezzo indiretto, cercando che una persona confidente del Fattorini che più non pensava alla continuazione dell' opera (di cui erano stati composti solo 12 fogli del II.° tomo), lo inducesse a consegnare spontaneamente all' Assunteria tutte le carte che teneva presso di sè (3). Ma qui le pratiche si arrestarono; perchè improvvisamente il Fattorini fu colto dalla morte in Perugia il 20 gennaio del 1790 nel convento di S. Severo *una mezz' ora* (come scrisse il Fantuzzi) *dopo aver preso il suo tenue pranso, e mentre trattenevasi allegro in compagnia de' suoi monaci* (4).

Alla inaspettata notizia fu sollecito il Senato a chiedere che a Bologna si mandassero tutti i manoscritti del Sarti e del Fattorini, relativi all' opera sui professori dello Studio, sebbene si vociferasse che di molte carte lo stesso Fattorini avesse fatto mal uso; ed un mazzo di manoscritti concernenti il lavoro, che erano in Bologna presso l' abbate Moratti copista ed aiutante del Fattorini, era stato ritirato e rimesso al Senato a cura dell' arcivescovo (5). Per le pratiche promosse presso la Segreteria di Stato, i manoscritti del Fattorini erano stati inviati da Perugia al cardinale De Zelada a Roma, dove Gaetano Marini aveva ricevuto ordine di esaminarli. Finalmente si consegnarono all' ambasciatore bolognese perchè li spedisse al nostro Senato, notificandosi l' *espressa volontà di Nostro Signore* che potesse vederli e giovarsene il senatore Savioli. Giunte poi le carte il 24 aprile 1790, e, riordinate, e fattosene un inventario dal Segretario Maggiore del Senato, furono dal senatore Mariscotti consegnate il 27 novembre alla Biblioteca dell' Istituto (poi dell' Università) dove conservansi ancora (6).

Qualche tentativo per ottenere che il papa facesse compiere un' opera così importante alla storia e così gloriosa al nome di Bologna, fu mosso ancora dal Senato, che

(1) *Recap. della Stor. dell' Univ.* (1777), e *Atti della Congr. di Studio* dal 1777 al 1787, c. 5, v. 22 apr. 1777.

(2) *Atti dell'Ass. di Stud.*, 1787-1794, c. 100 v., 18 novem. 1789.

(3) *Lett. dell'Amb. all'Ass. di Studio,* 23 luglio e 6 agosto 1777; *Atti della Congr. di Studio* dal 1777 al 1787, c. 42 r., 18 giugno 1779, e c. 151 v., 152 r., 22 febbr. 1785, c. 158 r. e seg., 1785, 11 apr., e *Atti dell'Ass. di Studio,* c. 100 v., 18 nov. 1789, c. 107 v., 16 dic. 1789, e c. 111 v., 4 febbr. 1790.

(4) Fantuzzi, op. cit., tom. IX, pag. 97.

(5) *Recap. sop. la Stor. dell' Univ.*, lett. 13 febbr. 1790; *Atti dell'Ass. di Studio,* vol. 1789-1790 e 112 v., 23 febbr. 1790; *Lett. di Studio e uniti,* 1744-94, lett. 27 febbr. 1790.

(6) *Atti dell'Ass. di Studio,* 1787-1794, c. 119 v., 10 mar. 1790, c. 124 v., 24 apr. 1790; c. 127, 9 ag. 1790, c. 127 r. e v., 8 nov. 1790; c. 137, 27 nov. 1790; *Recap. sopra la Stor. dell' Univ.*, lett. 10 e 13 mar. 1790.

avrebbe voluto prescelto *a continuarla* (siccome scrivevasi all' ambasciatore) *uno dei nostri Nazionali;* ma non pare che quegli neppure ne tenesse discorso alla Corte.

Nè migliore fortuna ebbe l' offerta che al senatore Mariscotti fece D. Antonio Magnani, bibliotecario dell' Istituto, quando i manoscritti gli furono consegnati, di continuare egli e finire il lavoro. L' offerta fu dagli Assunti dell' ultimo bimestre del 1790 raccomandata ai successori, senza che si vegga peraltro esser stata mai presa in considerazione (1).

La storia dello Studio bolognese, per munificenza di papa Lambertini cominciata e con tanto favore dal Sarti sapientemente condotta a buon punto, poi trascinata svogliatamente per ben ventidue anni dal Fattorini, che vi fece solo poche aggiunte, era destinata a non essere compiuta!

VI.

Innanzi di porre mano al lavoro che mi è stato affidato, io ho dovuto ricercare con ogni diligenza quali manoscritti editi ed inediti dell' opera del Sarti e del Fattorini fossero rimasti, e questo a fine di accrescere degli inediti la nuova edizione.

Solo in due biblioteche però mi fu dato rintracciare materiali che servirono a quest' opera: nella Universitaria di Bologna e nella Classense di Ravenna.

Nell' Universitaria di Bologna, sotto il n. 685 dei manoscritti, sono quattro buste contenenti 81 fascicoli di spogli di archivi e di biblioteche, di copie e di estratti di opere e di documenti, di notizie e di appunti, di vite e di frammenti di vite latine e volgari, edite ed inedite, alle volte ripetute in varie più o meno perfette redazioni, e si compongono delle carte del Sarti e del Fattorini, ricuperate in parte in Bologna presso l' abbate Moratti, e in parte trovate nel monastero di s. Severo di Perugia nelle camere del Fattorini dopo la morte di lui, delle quali ultime si ha un inventario sotto il n. XXVIII del citato manoscritto n. 685 della stessa biblioteca Universitaria.

Fra queste carte, di vite inedite complete si trovano unicamente quelle di Maccagnano I e di Maccagnano II e di Bliobarisio degli Azzoguidi; quelle di Tomaso Marzaloli, di Bonifacio e Ubaldino Galluzzi, di carattere del Fattorini tutte tre; e queste, perchè sono le uniche perfette, ho pubblicate nel vol. II da pag. 333 a 361.

Incomplete e poco più che abbozzate, vi sono anche le vite di Giuliano Cambi e di Ubaldino Malavolta (fasc. LXI e LXXII), alle quali, per la loro imperfezione, non ho creduto dovere dar luogo in questa ristampa.

Notevoli, pel contributo che porsero all' opera del Sarti, sono altresì nella medesima Biblioteca universitaria, i manoscritti di Gaetano Monti, da noi più volte ricordato, che fu non solo un dotto naturalista, ma anche un paziente ed erudito ricercatore di notizie d' archivi, un ingegnoso osservatore ed un critico di storia valente. Questi manoscritti stanno in quattro buste sotto il n. 1494, e contengono, in ventidue fascicoli in grande disordine, molti appunti di documenti d' archivi e molte vite, non sempre però complete, di professori, parte in volgare e parte in latino, donde largamente attinsero il Sarti e il Fattorini, sebbene l' autore ne facesse così scarso conto, da scri-

(1) *Assunteria di Studio, Lettere di Studio e uniti,* 1744-94, 24 febbraio, 17 marzo e 16 aprile 1790; *Recapiti sopra la Storia dell'Univ.*, lettera 3 marzo 1790; *Atti dell'Ass. di Studio,* 1787-94, a c. 140 v., 18 dicembre 1790.

vervi in fronte essersi trattenuto dal bruciarli solo perchè, sapendosi come avesse raccolte tante notizie, avrebbe potuto qualcuno credere si fosser perdute cose d'importanza [1]. Fra esse sono notevoli le vite dei civilisti Alberto Grassi e Giovanni d'Andrea [2], di Bonincontro dall' Ospedale, canonista [3], e dei medici Mondino de' Luzzi e Bonaventura da Castello [4], e del notaro Pietro Boatieri [5], tutte in volgare, meno le due prime, ma non tutte compiute. Sono ivi pure a ricordarsi le vite di Fabbruzzo Lambertazzi, di Pier Crescenzi e di Bonifazio da Gorzano, che però non furono veramente professori nello Studio [6].

In Ravenna, nella Biblioteca Classense la quale fu già del convento dei Camaldolesi dove a lungo soggiornarono il Sarti e il Fattorini, si hanno non pochi manoscritti dei due religiosi.

La busta segnata *Miscell. mss. n. V,* contiene notizie, appunti e documenti per l'opera del Sarti con varie iscrizioni latine, o raccolte o dettate dal Sarti. Altre notizie della famiglia Lambertini, brani di biografie, una vita in volgare di Accursio, una del Boatieri, con alcune vite in latino di Arcidiaconi della chiesa bolognese [7], sono nella busta *Miscell. 9* [8]; mentre molte lettere autografe del Sarti dal 1742 al 1749, e molte altre del medesimo a M. A. Fiacchi [9] ed un'altra del 1769, diretta ad Antonio Zirardini [10], si conservano in altre buste di quella biblioteca.

Tutti questi manoscritti non porsero il mezzo di fare molte aggiunte alla nuova edizione, che però volli almeno accrescere delle vite che trovai perfette, o quasi, e che naturalmente non era a credere potessero essere che pochissime; giacchè se di più ne fossero state preparate, certamente il Fattorini, con tanti stimoli che riceveva, le avrebbe almeno fatte comporre in bozze, come le ultime da lui scritte.

Ma volli altresì che la presente edizione fosse arricchita di tutti quei fogli, che debbono veramente dirsi inediti perchè non usciti coll' antica, e che il Fattorini aveva cominciato a stampare e tirati in forma di bozze, e di cui fu dato a noi di trovare solo due esemplari, l'uno di undici fogli, posseduto dal chiarissimo prof. cav. Leonida Busi, l'altro di dodici fogli, posseduto dalla Biblioteca comunale di Bologna, ove l'ultimo foglio è malauguratamente mancante di due pagine; le quali però, trattandosi di documenti di cui non mancano apografi, ho potuto supplire senza difficoltà [11].

In questi fogli a stampa impressi in torchio, ma dove la mancanza di qualche iniziale conferma che fossero rimasti allo stato di bozze, e quindi dovere esser stati tirati in pochissimi esemplari, e non già in fogli da pubblicarsi, si contengono, e sono opera del Fattorini [12], una prefazione, poi le vite di Taddeo Pepoli, di Brandaligio e

(1) Mss. n. 1494 della R. Bibl. Univ. di Bologna, 1.° fascicolo.

(2) Busta I, fasc. 4, n. 4; busta II, fasc. 3.

(3) Busta I, fasc. 4, n. 1.

(4) Busta I, fasc. 5, n. 2 e 3.

(5) Busta I, fasc. 5, n. 2.

(6) Busta I, fasc. V, n. 4; busta I, fasc. 4, n. 7; busta II, fasc. 2.

(7) Sono le vite di Guglielmo da Brescia, Pietro di Alrico, Bertrando, Raimondo di Bernardo da S. Artemia, Gerardo da Savona, e quella di Agapito Colonna, appena cominciata.

(8) Sotto il num. 40.

(9) *Mob. 30 - 4 - V.*

(10) *Arm. M, ord. 5, 6, C, num. 208.*

(11) Il Savigny pure possedeva un esemplare di questi fogli di 40 pagine di testo e di 50 di documenti, ossia una serie più completa di quella del prof. Busi, e meno completa di quella della Biblioteca comunale di Bologna. (Op. cit., vol. I, pag. 503).

(12) Questi fogli in 4.° sono registrati: Tom. II, *A, B, C, D* ed *E*, colla numerazione da pag. 1 a 39; poi segue l'*Appendix*, coi fogli *a, b, c, d, e, f* e *g*, con nuova numerazione da pag. 1 a 54; notandosi che mancano nel foglio *g* le pag. 49 e 50.

Pino Gozzadini, di Jacopo Belvisi, di Giacomo Bottrigari e de' suoi figli Lorenzo, Bartolomeo e Giacomo, di Pietro Cerniti, di Tomaso e Filippo Formaglini, di Raniero Arsendi, di Pietro Bompietri e di Filippo Foscherari, da noi riprodotte da pag. 273 a 313, nella parte prima del primo tomo. Segue un' *Appendix ad tomum alterum de Claris Archigymnasii Bononiensis Professoribus, vetera monumenta complectens,* contenente un sommario della vita di Taddeo Pepoli, poi una serie di documenti relativi ai professori di diritto civile, spezzata a metà del documento segnato *Q*. Questa parte parimenti abbiamo riprodotta nella seconda edizione, solo formando del sommario alla vita del Pepoli una vita a sè, togliendone i documenti relativi, che si posero nella serie dei documenti dei professori di diritto civile, alla quale veramente spettavano (1).

Con ciò può dirsi che la presente edizione sia completa per quanto di edito, di raro e di inedito ci lasciarono, in forma da potersi pubblicare, il Sarti ed il Fattorini.

Di questa ristampa il primo tomo fu curato esclusivamente dal mio compianto maestro conte Cesare Albicini, che ebbe la felice idea della nuova edizione e la iniziò nei giorni memorabili del Centenario dello Studio, con intelletto e con animo rivolti alla fama e all' onore della nostra Università, di cui fu preclaro ornamento.

Morto il conte Albicini il 28 luglio del 1891, la Regia Tipografia volle affidarmi la continuazione della ristampa, ed io accettai di curare per intero il secondo volume, che contiene i documenti.

Questi, per quanto è stato possibile, furono da me collazionati colla massima diligenza sugli originali, talchè nutro fiducia che il volume, che può veramente considerarsi come il codice diplomatico dello Studio bolognese, sia per soddisfare alle esigenze degli studiosi e riuscire utile anche ai cultori delle discipline diplomatiche e alla storia di Bologna della quale conferma i meriti nei progressi della scienza e nella diffusione della civiltà.

In qual modo il Fattorini abbia pubblicati i documenti nella prima edizione, facilmente può scorgere chi abbia pratica di questi studi. E già l' illustre Savigny, pur dolendosi di non poter confrontare i documenti nella forma pubblicata dal Fattorini coi loro originali, notava che *alcune palpabili mancanze ne rendono molto sospetta in generale la esattezza .... Trovansi eziandio per ben due volte gli stessi documenti ristampati da fonti diverse, e con notabilissime differenze, senza che* [il Fattorini] *se ne sia avveduto* (2). Ma chi si prenda la cura di collazionare qualche documento della prima edizione cogli originali, verificherà tosto che i documenti vi sono pubblicati negligentissimamente, anche con errori paleografici che ne mutano il senso, con omissioni di brani non sempre indifferenti pel senso, e di brani che molte volte, per le loro formole particolari, interessano il diplomatista (3), e che vi sono comodamente supplite con *etc.* E le omissioni ricorrono ogni volta che un luogo presenta difficoltà di lettura.

(1) V. il tomo II da pag. 91 a 157.

(2) Op. cit., vol. I, pag. 505.

(3) Chi voglia persuadersi quanto siano gravi gli errori e le omissioni nel testo dei documenti pubblicati dal Fattorini, confronti nella nostra edizione segnatamente il doc. XXXIII di dir. civ. (pag. 56), i doc. di diritto canonico n. XXXI (pag. 187), XXXV (pag. 191), XL (pag. 200), e il doc. VII degli Arcidiaconi (pag. 253), coi corrispondenti della prima edizione.

Si potrebbero citare in gran numero i *vel* interpretati per *ut,* gli *instrumenta publica* per *instrumenta predicta,* i *nunc* per *nomine,* i *predicta publice scripsi* per *predictam paginam.* In un documento del 1274, *die anniversarii* si trascrive *die.... comissariis* (pag. 220), ed in

Ora io confido che il lavoro faticosissimo, al quale per più anni mi sono sobbarcato pel desiderio che il nostro Ateneo avesse di un' opera così insigne ed onorevole una edizione facilmente reperibile, completa e soprattutto rispondente alle moderne esigenze della critica rispetto ai documenti (1), torni utile ai cultori delle scienze storiche, alla città ed all' Università di Bologna, alle quali e gratitudine di ospiti e l' onore dell' insegnamento legarono il mio predecessore in questo lavoro, e legano me pure, coi vincoli più affettuosi.

Bologna, 25 aprile 1896.

CARLO MALAGOLA

altro documento del 1293 (pag. 223 e seg.) fu letto *summam* invece di *sapientiam; quod diu* per *quamdiu; opositione* per *requisitione; similiter* per *secundum; deesse possunt* per *dicte possessiones; inventi* per *in vita*.

Se questi errori dimostrano imperizia e negligenza nel Fattorini nel trascrivere e nello stampare i documenti, vi sono alcuni casi in cui non si saprebbe addirittura come giudicare l' opera sua. Ad esempio, in un documento del 1199 (pag. 211) il testatore che si intitola *ego quidem magister Jacobus*, è fatto morire nell'atto stesso di testare, commutandosi in un *ego quondam magister Jacobus!* e nel documento XXVI dei professori di diritto canonico (a pag. 177 e seg.) la comunissima parola *manutenendum* è risibilmente letta *maritandum!* Altri infiniti esempi simili potrei addurre.

Questo può dimostrare quanto valga la prima edizione dell'opera rispetto alla pubblicazione dei documenti che costituiscono il secondo volume, e che sono di tanta importanza per la storia del nostro Studio e di Bologna, e quanto fosse utile, particolarmente per questa parte, la ristampa dell' opera del Sarti.

(1) È per me un gradito dovere ricordare che al lavoro ebbi favore ed aiuti cortesi da più persone. Mi aperse colla più gentile larghezza l'Archivio arcivescovile di Ravenna, S. Em. il card. Galeati, Arcivescovo; e così il Capitolare di S. Pietro di Bologna il canonico dott. Arturo Marchi, Arciprete della Metropolitana, e il m. r. don Carlo Benfenati, Abbate di Poggio Renatico. Mi furon cortesi di collazioni di documenti il signor Silvio Bernicoli, Vice Bibliotecario della Classense di Ravenna, il prof. Adriano Piccolomini, Bibliotecario della Malatestiana di Cesena, il prof. Augusto Zonghi, Bibliotecario Comunale di Fabriano e il cav. Alessandro Lisini, Direttore del R. Archivio di Stato in Siena. Mi prestarono in fine aiuto nello studio e nella collazione di documenti il ch. prof. Giuseppe Brini dell' Università di Bologna, la signorina Anna Volta, laureata in belle lettere, alunna valente del Corso universitario di paleografia e diplomatica, nonchè gli egregi ufficiali dell' Archivio di Stato di Bologna dott. Battista Emilio Orioli, cav. Francesco Giorgi, conte Francesco Malaguzzi Valeri e avv. Tullo Fornioni, ai quali tutti porgo le debite grazie.

JURIS CIVILIS PROFESSORES.

I. Fuit olim multorum opinio leges romanas post vastatum a barbaris romanum imperium neglectas pluribus saeculis jacuisse et prorsus exulasse a foro et judiciis, locum cedere coactas langobardis, salicis, ripuariis, aliisque impolitis et inconditis legibus, quas victores populi in Europam invexerant. Hanc vero laudem Lothario II imperatori tribuebant, quod proscriptis ejusmodi barbaris legibus romanas leges quasi postliminio revocaverit, nec deerant etiam qui tam praeclarum facinus Mathildi comitissae tribuerent. Sed veterem hanc fabulam jamdiu dispunxerunt viri eruditi, a quibus satis demonstratum est leges romanas numquam plane extinctas fuisse, nec minimum earum usum semper fuisse, praesertim in Italia; non aliter denique cum iis actum quam cum reliquis bonis artibus, quae quidem afflictae et prostratae fuerant sed numquam omnino abjectae et deletae.

II. Laudatur a Milone Crispino scriptore anglo s. Lanfrancus, quod *ad morem patriae,* hoc est Italiae, legibus navasset operam (1); atque hoc idem Italis laudi tribuitur a Wippone, quod a teneris annis cum aliis literis legum studia conjungant. Itaque Henricum Augustum rogat ut nova lege hunc Italorum morem apud Teutonicos suos inducat (2). Est hic Henricus II Conradi Salici filius (alii III appellant) qui centum fere annis ante Lotharium regnavit, cujus etiam praecipua laus fuit quod curante Gisela matre legum studia a primis annis coluerit (3), dignus propterea quem *lineam justitiae*

(1) Milo Crispinus in *Vita s. Lanfranci,* cap. V.

(2) Tunc fac edictum per terram Teutonicorum,
Quilibet ut dives sibi natos instruat omnes
Literulis, legemque suam persuadeat illis,
Ut, cum principibus placitandi venerit usus,
Quisque suis libris exemplum proferat illis.
Moribus his dudum vivebat Roma decenter,
His studiis tantos potuit vincire tyrannos,
Hoc servant Itali post prima crepundia cuncti.

Wippo in *Panegyrico Henrici II quem Tetralogum inscripsit, apud Canis. Lection. Antiq.*, t. IV, p. 166.

(3) Wippo Henricum laudaturus in Tetralogo, qui est quatuor personarum sermo, primo se ipsum inducit, secundo chorum Musarum, tertio Legem, postremo Gratiam. Sic autem lex ait:

CARMEN LEGIS

Ad regis laudes Lex ambas erigit aures . . . .
Quis Caesar melius, si quid rubrica notavit,
Scire valet, primis quam discere coeperat annis.
Felix sit genitor . . . .
Felix sit mater memorando carmine digna
Gisela de Caroli procedens sanguine Magni . . . .
Haec operam dederat quod rex in lege studebat.
Illa sibi libros persuaserat esse legendos,
Ut varios ritus dijudicet arte peritus.

Wippo, *ibid.*, pag. 167.

cuncti poene prudentes cognominarint, ut Wippo ipse scriptum reliquit (1). Neque suspicari fas est Milonem Crispinum et Wipponem de legibus romanis non esse locutos sed de barbaris illis, quas ante memoravi. Quae enim laus fuisset romanas leges negligere et in iis perdiscendis tempus terere, quae non informandis ad humanitatem moribus sed comprimendis efferatis hominibus institutae videntur quaeque propterea nullam eruditionem praestant, nullo ingenii acumine egent, rudes adeo ut ne leges quidem, aliquorum judicio, appellari debuissent (2)?

III. Quam bene autem huic egregiae educationi responderit optimus princeps Henricus II ostendit nova constitutio ab eo edita de juramento calumniae clericorum, qua controversiam diremit inter jurisperitos quosdam exortam (3). Data est Arimino cum in Germaniam rediret compositis Italiae rebus anno MXXXXVII (4), eamque postmodum confirmavit Honorius II (5), legum ipse quoque peritissimus, qui archidiaconatum bononiensem gesserat eo ipso tempore, quo jurisprudentiae studia in civitate nostra Irnerii opera maxime fervebant. Atque haec prima, ni fallor, lex est, in qua post superiorum temporum barbariem imperatoriam majestatem veluti redivivam intueri licet (6), quamque miror non prolatam ab illis, qui fabulam extinctae jurisprudentiae romanae ante Lotharii II aut Mathildis aetatem, convellere aggressi sunt.

IV. Non siluere igitur ante Irnerium romanae leges nec defuere legum periti, qui quaestiones de jure romano moverent, quarum unam nova constitutione diremit Henricus II. Sic etiam non defuisse oportet qui leges romanas docerent, raros quidem et ineruditos non tamen nullos. Ac Ravennae quidem manifestum est saeculo XI decurrente satis celebrem pro infelicitate temporum fuisse juris romani scholam, quam incolumem utcumque servavit ravennatium archiepiscoporum late jus dicentium potentia et romani imperii majestas, nondum omnino per illud tempus Ravennae extincta (7). Ex ea civitate narrat Odofredus, clarus et antiquus scholarum nostrarum professor, legum romanarum libros primum Bononiam allatos Irnerii aetate (8), qui relictis philosophiae studiis, quibus eo tempore vacabat, iis interpretandis se totum

(1) Wippo in *Vita Conradi Aug.* apud Pistor. *Rer. Germanic. scriptor.*, t. III, p. 461.

(2) Muratorius in *Praefat. ad leg. Langob. Rer. Ital. Script.*, t. I, p. II.

(3) Murator. *Rer. Ital. Script.*, t. I, p. 178.

(4) Edidit Bernardus Papiensis in prima antiquarum Decretalium collectione hanc Henrici II legem cum hoc titulo et his notis chronicis: *Constitutio nova D. Henrici Imperatoris Aug. dat. IIII die mensis aprilis civitate Arimino.* Est in lib. I ad tit. *De juram. calum.* Hinc autem apparet latam esse hanc Henrici legem anno MXXXXVII cum ex Italia in Germaniam, reddita Ecclesiae pace, rediret. Percommode enim eo anno esse potuit Arimini quarta die Aprilis, quem postmodum constat Mantuae Paschae festum magna celebritate egisse, quod incidit in diem XIX ejus mensis, ut est apud Muratorium in Annalibus ad hunc annum.

(5) Edita est in appendice ad concilium lateranense sub Alexandro III constitutio Honorii II confirmantis et moderantis hanc Henrici Augusti legem tit. *De juram. calum.*, cap. I, sed ibi mendum irrepsit in ea verba: *secundum decisionem etiam filii nostri H.* (Henrici) *quondam Imperatoris.* Legendum enim *secundum decisionem etiam bo. mem.* aut *fel. mem. Henrici quondam Imperatoris.* Sic enim Romani Pontifices loquuntur de principibus jamdiu vita functis. Sed imperitus aliquis amanuensis, qui hanc Honorii II constitutionem ex autographo aut ex antiquo exemplari exscripsit, ratus Henricum ejus legis auctorem fuisse Henricum IV imperatorem, qui Honorio sedente obierat, pro *bonae memoriae* aut *felicis memoriae* legendum putavit *filii nostri.* Fortasse in autographo scriptum erat *fel. mem.* aut *fl. m.* in quibus notis facile potuit imperitus scriptor impingere.

(6) Hac nova constitutione legem unam et alteram Codicis exponit et conciliat Henricus Augustus ut romanus imperator, quod haud scio num ab alio imperatore ad illud tempus actum fuisset, post redactum scilicet ad Francos et Germanos imperium.

(7) De Ottone, incertum I ne an II, constat palatium imperiale ab eo conditum Ravennae, ut ex placito Joannis archiepiscopi placentini apud Muratorium, *Antiquit. med. aevi*, diss. XXIX. De Conrado etiam Salico narrat Wippo Ravennam illum intrasse et cum magna potestate ibi regnasse. Wippo in *Vita Conradi* apud Pistor. *Rer. Germanic. script.*, t. III, p. 471. Plura de genere hoc afferri possent, si opus esset.

(8) Odofred. in l. *Jus civile*, Dig. *De just. et jure*, et alibi.

dederit atque ita natam jurisprudentiae scholam hanc nostram longe nobilissimam, quae et praestantia et numero doctissimorum interpretum legibus ipsis novam lucem attulisse visa est.

V. Sed, ut Irnerium libenter agnosco praecipuum instauratorem (Odofredus *illuminatorem* dicit) romanae jurisprudentiae, fundatorem etiam et parentem hujus nostrae scholae, quae perpetua doctorum successione ad hanc ipsam aetatem pervenit, ita difficile concedam ignotos fuisse legum libros ac neminem prorsus fuisse in hac civitate qui jus romanum docuerit ante Irnerium, hoc est ante initium XII aut finem XI saeculi, quo tempore vivebat Irnerius. In summa veterum monumentorum inopia, qua laboramus, non levia tamen elucent scholarum bononiensium indicia ante Irnerii aetatem. S. Guidonem aquensem episcopum Bononiam studiorum causa venisse narrant ejus acta a sociis bollandianis edita (1). Erat igitur aliquis exterorum concursus ad scholas nostras Guidonis aetate, qui circa initium XI saeculi ex nobilissimo genere natus est in ea ipsa civitate, cujus postea episcopatum obtinuit (2).

VI. Est aliquid etiam in libro dictaminum s. Bennonis episcopi misnensis, ex quo celebritas scholarum bononiensium indicari videtur. Scriptus est Bennonis liber circa annum MLXX ut adnotatum est a Bernardo Pezio, qui eum librum in lucem emisit (3). Continentur autem eo libro variae literarum formulae et traduntur scribendi praecepta pro varietate negotiorum, atque in his sunt exempla literarum, quae scribendae erant ab iis qui Bononiam studiorum causa venire optassent, cum formulis etiam responsionum quae ejusmodi literis dandae essent. Harum una nomen cujusdam monachi et episcopi bononiensis praefert et *optandis discipulis* est inscripta. Sed ut totus ille liber ex inemendato exemplari a Pezio editus est sic facile crediderim episcopi vocem vel ab imperito aliquo scriptore intrusam fuisse, vel non id significare quod prima fronte videtur (4). Praecesserant litterae discipulorum optantium ad hujus bononiensis professoris scholas admitti. Atque haec capite V ejus libri. Capite VI rursus prodit exemplum epistolae, quam discipulus ad professorem bononiensem magistrum suum scribit, magnis laudibus ejus doctrinam cumulans et grato animo commemorans beneficia ab eo accepta, cum in ejus disciplina versaretur. Inscripta est *viro industrio prae omnibus et in omnia diligendo A. bononiensi clerico* (5), qui in epistola ipsa dicitur *natura clarus, aetate gravis, divitiis pollens, ingenio providus, lingua facundus.* Haec literarum exempla, sive ficta sint sive vera, nisi Bennonem divinasse velimus et multo ante prospexisse celebritatem scholarum bononiensium, quae post Irnerium fuit, oportet aetate illa jam scholas nostras exterorum concursu frequentari coepisse.

VII. Non dubito quin antiquissimae civitatis nostrae scholae fuerint apud ecclesiam cathedralem et in monachorum aedibus; in iis enim locis se abdere solebant literae iniquitate temporum vexatae, atque ex ejusmodi scholis episcopalibus, ut voca-

(1) *Act. SS. Jun.*, tom. I, p. 229. Ex *mss. Aquensi*, § 1.

(2) Ortus dicitur *sub Rodulpho Imperatore Italiae*, Rodulpho scilicet II rege arelatensi et Burgundiae Cisiuranae superioris, qui cognomento iners dicebatur quique regnavit ab anno DCCCCXCIII ad an. MXXXII ut ex HONORATO BOUCHET l. VI *Hist. Provinc. in Rodulpho III* ostendunt bollandiani socii. *Ibid.*

(3) Extat apud BERNARDO PEZIO in *Cod. Diplom.*, p. I.

(4) *En ejus epistolae titulum:* C. bononiensis civitatis monachus et sacerdos humillimus, solo nomine episcopus I. B. optandis discipulis salutem.

Ex quo vestrae fraternitatis literas saepe legendo replicavi, meum extemplo animum non mediocriter exhilaravi. Id enim vos video me exposcere, quod divino dictante spiritu vobis possum affluenter impendere.... sine ergo ulla dubitatione ad me veniatis et quod petitis efficaciter habeatis. *Ibid.* c. V, p. 273.

(5) *Ibid.*

bantur, et ecclesiasticis, vel ipsa parisiensis academia exordium accepit (1). Itaque et in s. Felicis monasterio, ubi postmodum nova juris canonici schola auctore Gratiano nata est, antiquissimas fuisse scholas censeo; et magis etiam in s. Proculi, in cujus monasterii vicinia, posteriori etiam aevo, scholarum magna frequentia fuit ut ea pars civitatis multis saeculis quasi propria scholarium et studiosorum sedes fuerit; praesertim autem apud ecclesiam cathedralem, ubi canonici ex veteri instituto una vivebant, quibus jam inde ab anno MLXV Lambertus episcopus praedia multa largitus est, ne quid iis deesset, quo minus literarum studiis et ecclesiae servitio commode vacare possent (2).

VIII. Ac certe Irnerius ipse, antequam ad jus civile interpretandum accederet, docebat in artibus ut ait Odofredus (3), et ex elegantia et nitore, qua in interpretandis legibus usus est, manifeste apparet illum fuisse bonis literis non mediocriter eruditum. Sed ne haec ipsa quoque legum studia, in quibus postea Irnerius quasi supra humanum modum excellere visus est, ante Irnerium ipsum in nostra civitate ignota fuisse haud levibus argumentis assequimur. Ex primis qui jacentes in occidente literas excitare aggressi sunt s. Lanfrancum fuisse neminem dubitare existimo. Is autem Papiae natus sub initium saeculi XI ex primariae nobilitatis familia in patria primum eruditus est, deinde aliarum civitatum scholas discendi studio obivit, quas doctorum hominum fama celebrari audivisset. Ad ceterarum vero liberalium artium eruditionem studium quoque legum civilium adjunxit, in quo ita profecit ut in ipso juventutis flore veteranos advocatos in foro vinceret. Ita de Lanfranco Milo Crispinus, auctor synchronus et optimae fidei (4), et qui Milonem secutus videtur Ordericus Vitalis (5). Sed Robertus Montensis in accessionibus ad Sigibertum hoc amplius addit Lanfrancum cum Garnerio sodali suo repertis Bononiae legum libris naviter iis interpretandis insudasse; quamquam Lanfrancus, aliud vitae genus postea spectans et aliis studiis addictus, ab incoepto destiterit in quo perseveravit Garnerius (6). Haec Robertus Montensis ad annum MXXXII, quae primum protulit vir clarissimus Guido Grandius ut ostenderet multo ante Lotharii II aut Mathildis comitissae tempora legum romanarum studium agente s. Lanfranco in civitate nostra excitatum, contra quam viris doctis vulgo persuasum erat.

IX. Sed obstat Conradi abbatis urspergensis auctoritas, qui multo serius excitatum in Italia narrat romanae jurisprudentiae studium. Is enim in chronico ad annum

(1) Launojus, *De scholis celebrior. per occidentem restaurat.*, et Claud. Joly, *Traité historiques des ecol. episcopal. et ecclesiastiques.*

(2) Lambertus episcopus, restituta regulari disciplina inter canonicos ecclesiae bononiensis, studia quoque literarum restituisse debuit, quod etiam ex insigni ejus charta apparet anno MLXV scripta, in quo haec verba leguntur: Cunctorum praesentium ac futurorum sanctae Dei ecclesiae fidelium periciae notum fieri volumus, quod canonicam (bononiensis ecclesiae) nostro tempore nostroque studio, donante Christi misericordia, congregatam, atque canonico more ordinatam apostolico quoque et imperiali praecepto rite munitam, bono animo ardentique desiderio augeri, ditari, firmari quantum possumus omni jure vehementer cupimus.... Idcirco nostros canonicos in studiis intentos esse decrevimus. Igitur dignum fore duximus, et eos bonis ecclesiae, cui studiose serviunt, fulciri studeamus etc.

Ego Johannes diaconus ejusdem ecclesiae praeceptum domini mei episcopi, sicut superius legitur, scripsi et absolvi.

Extat in archivo canonicorum eccles. bonon., fascic. I, n. II.

(3) *Vide infra in* Irnerio.

(4) Milo Crispinus in *Vita s. Lanfr.*, cap. I et V.

(5) Orderic. Vital., *Hist. Eccles.*, l. IV.

(6) Lanfrancus papiensis et Garnerius socius ejus, repertis apud Bononiam legibus romanis, quas Justinianus imperator Romanorum anno ab Incarnatione Domini DXXX abbreviatas emendaverat, his, inquam, repertis operam dederant eas legere et aliis exponere. Sed Guarnerius in hoc perseveravit; Lanfrancus vero disciplinas liberales et literas divinas in Galliis multos edocens tandem Beccum venit et ibi monachus factus est. Robert. de Monte *ex edit. d'Achery ad calcem Oper. Guiberti Abbatis de Novingento,* p. 722.

MCXXVI ait Wernerium iis temporibus legum libros, qui dudum ita neglecti fuerunt ut nemo in iis studuerit, petente Mathilde comitissa revocasse in lucem, et, ut ipse inquit, renovasse (1). Consentit Odofredus, antiquus legum interpres in scholis nostris qui hanc laudem Irnerio tribuit, ut primus omnium ausus sit leges romanas interpretari post extincta Romae et Ravennae ea studia, idque ex traditione majorum se accepisse narrat (2). Est autem idem homo Garnerius, Warnerius et Irnerius, cujus exoticum nomen variis modis corruptum apud scriptores legitur (3). Cum autem Irnerius, sic enim jam appellari solet, initio XII saeculi vixerit et ad summum XI saeculi finem attigerit, cum eo Lanfrancus non potuit instaurandis legum studiis circa annum MXXXII incumbere, cum is nondum vitales auras carpere coepisset.

X. Ut hanc difficultatem declinaret clarissimus Grandius Garnerium Lanfranci sodalem alium esse existimavit ab Irnerio, de quo sermo est apud Urspergensem quique *lucerna juris* est dictus (4). Sed id non probabunt viri docti, quibus gratis confictus videbitur alter iste Garnerius jurisprudentiae instaurator. Muratorius vero vix conciliari posse existimat Urspergensem cum Roberto Montensi, quamquam hujus testimonium rejicere non audeat, quem fatetur Urspergensi ipso aliquanto antiquiorem (5). Movetur autem Milonis Crispini silentio, qui Lanfrancum ait *in primaeva aetate amore discendi ad studia literarum* esse profectum, at de labore suscepto in interpretandis legum libris verbum non habet.

XI. Sed adeo non obest Roberto Montensi Milonis Crispini silentium ut ejusdem auctoritas potius suffragetur. Duobus locis narrat Milo Crispinus de Lanfranci studiis, quod non vidit vel dissimulavit Muratorius. Primo ait Lanfrancum patre orbatum a teneris annis ad studia literarum perrexisse, nec rediisse in patriam nisi postquam *omni saeculari scientia perfecte esset imbutus.* Haec sunt Milonis verba capite I, quae vidit Muratorius. At rursum capite V, quasi se corripiens quod nimis parcus fuisset in narrandis Lanfranci studiis, eum ait annis puerilibus eruditum *in liberalium artium et legum saecularium scholis ad patriae suae* (hoc est Italiae) *morem,* ita ut adhuc adolescens contra veteranos causidicos in foro disceptaret et causas obtineret. Mox addit, tamquam rem miram et eo rudi saeculo inauditam, Lanfrancum cum causas ageret in promptu habuisse legum sententias, quas jurisperiti, judices et praetores grate admodum accipiebant. Ita enim interpretari licebit ea Milonis verba: *In ipsa aetate sententias depromere sapuit, quas gratanter jurisperiti, judices, vel praetores civitatis accipiebant* (6). Haec habet Milo Crispinus capite V, quae si vidisset vel non dissimulasset Muratorius, non erat cur objiceret Roberto Montensi hujus auctoris silentium, sed potius credibile admodum judicasset hominem, qui tantopere legum scientia excelluerit, iis etiam docendis aliquando vacasse.

XII. Non prorsus igitur irreconciliabile videtur dissidium esse inter Robertum Montensem et Conradum urspergensem. Errat uterque in aliquo; sublato autem utriusque errore dissidium tollitur. Ait Urspergensis in libris legum neminem ante

(1) Eisdem temporibus dominus Wornerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant nec quisquam in eis studuerat, ad petitionem Mathildis comitissae renovavit, et secundum quod olim a divae recordationis imperatore Justiniano compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpositis eos distinxit. URSPERGEN. in *Chron. ad an. MCXXVI.*

(2) ODOFRED. in l. *Sane si haec,* C. *De SS. Eccl.* et in l. *Jus civile,* Dig. *De just. et jure.*

(3) *Vide in* IRNERIO.

(4) G. GRANDI, *Ep. de Pandect.*, p. 18 et p. 64.

(5) MURATOR., *Antiquit. medii aevi,* diss. XXXXIV.

(6) MILO CRISPINUS in *Vita s. Lanfranci,* c. V.

Irnerium studuisse, quod a vero alienissimum est ut omnes jam eruditi viri consentiunt et Muratorius ipse fatetur (1). Unum igitur huic auctori concedi potest, novam lucem ab Irnerio legibus romanis additam, non quod ipse omnium primus renascentibus in Italia literis eas utcumque interpretari aggressus sit, sed quod primus glossas, ut ajunt, in eas scripserit atque ita novam docendi rationem induxerit, quae magno plausu excepta et propagata est ad nostram usque aetatem. Hinc factum est ut interpretum eorum, qui ante Irnerium fuerunt, memoria omnis extincta sit quod nihil scriptum reliquerint et quod etiam haud magno doctrinae et eruditionis apparatu interpretandarum legum provinciam susceperint; quare nec diuturnam instituerunt scholam, quae post eorum mortem persisteret, nec etiam dum viverent satis magnam de se existimationem commoverunt. Si hanc emendationem, uti necesse est, Urspergensi adhibeamus, nihil impediet quo minus assentiri possimus Roberto Montensi, dum primam instauratae jurisprudentiae laudem Lanfranco tribuit, modo ne velimus Lanfrancum cum Garnerio sive Irnerio conjungere, in quo Robertus Montensis magnopere erravit sed eo tamen errore quem aliqua venia dignum existimo.

XIII. Vixit Robertus in eo ipso monasterio beccensi, in quo floruit s. Lanfrancus, et in eadem illa liberalium artium schola eruditus est, quae ibi a s. Lanfranco instituta plurimos doctrina et pietate praestantes viros protulit. In eo monasterio cum alios s. Lanfranci discipulos tum ejus nepotem Lanfrancum agnoscere potuit, a quibus multa sciscitaretur multaque audiret de s. Lanfranco, qui quasi alter ejus monasterii fundator et parens habebatur. Et quoniam plures Itali ad illud ipsum monasterium discendi cupiditate confluxerant, inter quos celeberrimi sunt Alexander II romanus pontifex, s. Anselmus Lanfranco ipsi in cantuariensi archiepiscopatu successor, et Guitmundus aversanus episcopus (2), dubium non est quin etiam Lanfranco ipso silente multa ab hisce ejus discipulis narrata sint, cum de ceteris ejus rebus gestis tum vero maxime de studiis literarum in Italia susceptis ac de fama doctrinae, quam in Italia reliquerat, quaeque illos traxerat ad beccensem scholam tantis terrarum spatiis ab Italiae finibus remotam. Cum igitur Robertus Montensis scripserit Lanfrancum, repertis Bononiae legibus, iis interpretandis aliquid operae contulisse, non video cur de ejus fide dubitandum sit, qui nec facile decipi potuit nec alios credendus est voluisse decipere, vir nimirum probus et gravis, nec solum concellitarum suorum sed vel ipsius Alexandri III sapientissimi pontificis judicio commendatus, cujus jussu concilio turonensi anno MCLXIX celebrato interfuit. Sed cum Robertus fama celebrari audiret Garnerium, sive Irnerium, tamquam jurisprudentiae instauratorem, et scholam bononiensem ab eo fundatam ignorare non posset; hic vero, infelici anachronismo admisso, misere erravit et aequalem aetate fecit Lanfranco Irnerium; quamquam hoc erratum minuere visus est, cum scripsit Lanfrancum mature relictis legum studiis ad sacras literas convolasse, secus ac fecit Irnerius, qui ab instituto interpretandarum legum non discessit.

XIV. Sic igitur conciliari posse existimo Robertum de Monte cum abbate urspergensi, ut quoniam neque omnium primus leges romanas ab oblivione vindicavit Irnerius, quod Urspergensis dixerat, nec Lanfranco Irnerius comes esse potuit in instaurandis legum studiis ut scripserat Robertus de Monte; utrique ita fidem ex parte adhibeamus ex parte adimamus, ut neque omnino falsum reputetur quod de legum studiis Bononiae

(1) MURATOR., *ibid.*

(2) DACHER. in *Praefat. ad Opera s. Lanfranci.*

a Lanfranco instauratis, neque omnino verum quod de Irnerio primo romanarum legum assertore et vindice Robertus de Monte et abbas urspergensis tradiderunt. Eadem ratione conciliatur cum Roberto Montensi Odofredus, cui cum neminem constaret ante Irnerium glossandis, ut ajebant, legibus claruisse, et aliquam celebritatem scholae bononiensi tribuisse prae Irnerii fama, quae ubique pervagata est nec umquam extincta, Irnerio hanc laudem tribuit quod omnium primus ad leges interpretandas se contulerit.

XV. At Odofredus ait legum libros Bononiam deportatos eo tempore, quo Irnerius liberales artes docebat (1). Igitur nulla ratione cum Roberto Montensi conciliari potest, nec potuit Lanfrancus aut alius quispiam ante Irnerium, legibus romanis Bononiae interpretandis vacare, si qua fides Odofredo habenda sit. Sed ego Odofredum minime audiendum arbitror cum ait omnes legum libros non ante Irnerium Bononiam allatos. Possem id fortasse de Pandectis concedere, quae ob magnitudinem et raritatem exemplarium jamdiu ex usu scholae et fori excessisse videntur, barbaris praesertim saeculis quae Irnerii aetatem praecesserunt. At Justiniani Codice et Institutionibus et Novellis nulla aetas caruit neque vero carere potuit. Si enim leges romanae numquam siluerunt, ut satis jam a viris doctis demonstratum est contra quam olim vulgo persuasum fuit, et si in Italia praesertim jam inde ab initio saeculi XI jurisprudentiae romanae studium fervebat, notissimi erant qui ante nominati sunt legum libri, nec expectandum erat a nostris Bononiensibus ut ex urbe Ravenna, quasi ex sacrario deprompti, cum Pandectarum libris ad scholas nostras ipsi quoque adducerentur. Et sane si quis Odofredum legat ubi de allatis legum libris ad scholas nostras loquitur vix risum tenebit ac facile judicabit celebrem hunc jurisconsultum, cum legum jurisque peritissimus fuerit, in antiqua historia satis imperitum fuisse (2). Nihil obstat igitur quin s. Lanfrancus interpretandis legibus aliquando in civitate nostra vacare potuerit.

XVI. Sed sunt alia vestigia antiquae scholae bononiensis, in qua jus romanum doceretur ante Irnerium. Prodit ex autographa charta archivi Fratrum Minorum *Albertus legis doctor,* qui in vivis erat anno MLXVII (3). Atque hic profecto institui non potuit in schola Irnerii, qui nondum fortasse lucem aspexerat. Neque dubium esse videtur quin ipse quoque docendis legibus vacaverit, atque inter paucissimos numerandus sit qui aetatibus illis eo munere fungebantur; neque enim doctorem quemquam dicere amavit vetustior aetas, qui quam profitebatur facultatem non doceret.

XVII. Agnoscimus ex alia veteri charta, quam ex archivo monialium s. Christinae ediderunt annalium camaldulensium auctores, doctorem alterum ante ignotum. Est hic *Petrus de Monte Armato legis doctor,* qui anno MCIX inter mortales agebat (4). Atque

(1) Odofred. in l. *Jus civile,* Dig. *De just. et jure* de quo infra in Irnerio.

(2) Majores nostri ita ferunt. Studium primum fuit Romae. Postea propter bella quae fuerunt in Marchia destructum est studium. Tunc in Italia secundum locum obtinebat Pentapolis, quae dicta Ravenna postea est, unde (ubi) Karolus fixit pedes suos, et ibi est testamentum ejus, unde ibi coepit esse studium. Post mortem Karoli civitas illa collapsa est. Postmodum fuit translatum studium ad civitatem istam. Cum libri fuerunt portati, fuerunt portati hi libri: Codex, Digestum vetus et novum, et Institutiones. Postea fuit inventum Infortiatum sine tribus partibus. Postea fuerunt portati tres libri. Ultimo liber Authenticorum inventus est. Odofred. ad l. *Falcid.*

(3) In nomine sanctiss. et individuae trinitatis ab incarnacione domini nostri iesu christi milesimo sexagesimo septimo regnante enricus fil. quond. enricus imperatoris anno undecimo die quinto exeunte mense januarij indic. quarta subtus plano episcopio boloniensis iudiciariae Motinensis. Constat nos arefredo et maria iugale de burgo galeria venditore vendidisse .... infra plebe S. Vincentij in fundo reno etc. Actum in praedicto burgo galeria.

† Ego Albertus legis doctor huic paginae interfui, et m. m. ss.

Ex archiv. S. Francisci, l. I, n. VII.

(4) Anno MCIX. Hacta in castro Bixano feliciter. Nomina testium haec sunt: Azo presbiter de Bixano et Petrus legis doctor de Monte Armato, atque Brando filio quondam Brando etc. *Append. ad To. III Annal. Camaldul.,* col. 222.

hic etiam in alia quam Irnerii schola eruditus videtur atque in alia etiam docuisse. Irnerius certe in monumentis, quae de illo extant, usque ad annum MCXVIII non alio quam judicis aut causidici titulo donatur. Quis autem credat jam inde ab anno MCIX Petrum de Monte Armato, si quidem Irnerii discipulus fuisset, superbam doctoris appellationem usurpasse, a qua sibi magister ipse temperasset? Ac nondum fortasse per illud tempus irneriana schola doctores effundere coeperat.

XVIII. Sed Odofredus etiam, qui Irnerii aetate legum libros primo Bononiam allatos narrat, non inficiari potest fuisse aliquem qui ante Irnerium jus civile in nostra civitate docuerit. Unum ille memorat Peponem, quem nullius nominis fuisse dicit (1). Ac nisi eum commemorasset Odofredus ejus memoria prorsus extincta esset, quod et reliquis fere contigit qui ante Irnerium vixerunt, qui cum nihil scripto tradiderint et nondum invaluisset ut legum interpretes aliquid scripto adnotarent ad leges ipsas, mirandum non est ne eorum quidem nomina ad nos pervenisse. Sed ludunt aliqui in Peponis nomine quasi hoc ipso nomine ejus inscitia et tarditas ingenii notaretur, quo nihil insulsius esse potest. Contra vero non desunt qui eum non modice laudent et numisma etiam cum ejus effigie confictum jactant. Sed nullibi umquam fuit hic nummus quam in ejus cerebro a quo confictus est, qui ne ullam quidem antiquitatis speciem ei conciliare potuit (2).

XIX. Ex hac pervetusta schola bononiensi prodierunt Joannes Bonus et Marchisellus causidici bononienses, quos Mathildis comitissa penes se habuit anno MCIII (3) antequam Irnerium, nondum tunc fama notum, ad se accerseret. Sed quid haec ad celebritatem scholae bononiensis quae fuit post Irnerium? Hic omnium primus leges romanas ex veteri barbarie caput efferre nitentes sustulit et nova luce donavit, ac novam jurisprudentiae scholam Bononiae circa saeculi XII initium instituit, quae omnium princeps semper est habita. Ex ea deinceps ejus facultatis studia per omnem Europam propagata sunt (4), et Bononia legum mater et civitas docta omnium consensu est appellata. Pervetusta est moneta bononiensis cum hac epigraphe: BONONIA MATER STUDIORUM et illa item cum his literis: BONONIA DOCET, non pari tamen antiquitate. In veteri quoque civitatis sigillo, cujus hodie dum in quibusdam actis publicis sit usus, hic versus legitur: PETRUS UBIQUE PATER LEGUMQUE BONONIA MATER. Itaque ut Parisiis theologia, Salerni medicina, sic apud nos jurisprudentia suam veluti sedem fixisse videtur (5).

XX. Subobscure indicat cardinalis Ostiensis in suis ad Decretales gregorianas commentariis quid causae fuerit cur legum studia Bononiae restituta sint. Cum enim de assis notione et partibus disseruisset, propter hoc verbum ait Bononiam venisse

(1) ODOFRED. in l. *Jus civile,* Dig. *De just. et jure.*

(2) Hic nummus habere dicitur in antica parte Peponis caput cum hac epigraphe: PEPO. J. C. BONONIENSIS. In aversa parte pyramidem, cui ab ima basi ad summum verticem frondosa hedera circumvoluta sit cum hoc lemmate: ORNAT NON ONERAT. Prodiere ex eadem officina Irnerii, Bulgari et Beccarij numismata, eodem in pretio habenda, quae praeteriri potuissent nisi verendum esset ne cui fucum facerent. *Vid. Apolog. Augustal.,* p. 85, § 150: Bononiae 1726.

(3) FIORENTINI. *Memorie della gran contessa Matilde,* t. II, p. 188, 189; edit. clarissimus Mansius.

(4) Placentinus ex Irneriana schola in Galliam, Vacarius in Angliam legum studia invexit. Nam quae aliqui narrant de Petro Abaelardo in Gallia et Vacario in Anglia, docente eo ipso tempore quo Irnerius Bononiae jurisprudentiae studia instaurabat, merae fabulae sunt, quas suo loco refutabimus.

(5) In morbis sanat medica virtute Salernum
Aegros; in causis Bononia legibus ornat
Nudos; Parisius dispensat in artibus illos
Panes, unde cibat robustos; Aurelianis
Educat in cunis auctorum lacte tenellos.

GAUFRIDUS in *Poetria nova,* v. 1009. Apud FABRICIUM, *Bibliotheca Graeca,* vol. XIII, lib. VI.

studium civile, idque se audivisse *a domino suo* confirmat (1). Fuerat Ostiensis dominus, idest magister, Jacobus Balduinus, atque hic Azonem audierat. Vigebat igitur inter priscos scholae bononiensis doctores haec opinio a majoribus accepta de instauratis Bononiae legum studiis ob assis vocabulum. Sed quid tandem ferebat haec opinio? Crediderim aliquando exortam de asse controversiam inter jurisperitos et grammaticos bononienses, cui solvendae cum ceteri impares essent Irnerium legum libros consulendos censuisse, atque ita factum, ut homo elegantis ingenii et bonis literis, quantum ea tempora sinebant eruditus, legum romanarum elegantia et mira concinnitate captus, totum se iis addixerit.

XXI. Si divinare licet, ita natam existimo irnerianam scholam, illam nimirum celebrem scholam et illustrem studiosorum affluxu et doctorum praestantia, quae Bononiae florebat Ostiensis aetate, in qua ipse quoque eruditus est. Nam ante Irnerium non prorsus Bononiae jacuisse romanam jurisprudentiam satis ostendimus. Sed quaecumque tandem causa et origo fuerit irnerianae scholae, summam ei celebritatem conciliavit auctor ipse non solum ob eruditionem et doctrinam, qua superiores omnes longo intervallo post se reliquit, sed ob novam docendi rationem, quam in scholam invexit. Excitatus enim exemplo sacrorum interpretum, qui libros divini foederis non solum viva voce exponebant sed scriptis etiam adnotatiunculis et glossis maxime, ut ajebant, interlinearibus, quibus aetas illa plurimum delectabatur, ad difficiliora loca appositis, illustrabant, Irnerius eamdem rationem in interpretandis legibus omnium primus secutus est, quae mirum in modum placuit, quamque ante illud tempus nemo tentare ausus fuerat sive ob imperitiam sive quod obstare crederetur Justiniani interdictum, qui vetuerat ne quis legibus ab se editis scholium ullum aut interpretationem scripto adjiceret, veritus nimirum ne licentia interpretum vim faceret legibus easque in alienam sententiam detorqueret (2).

XXII. Accedebat quod Irnerius non in aliqua tantum juris parte explicanda sistebat, quod ante solebant tenues illi juris professores superiorum temporum qui vix Institutiones et Codicem novisse videntur et Codice etiam integro caruisse. At Irnerius universum juris corpus scholae commendavit, latentes in magnis Pandectarum voluminibus jurisprudentiae opes poene ignotas feliciter detexit et exposuit, in Codice ipso, quem luxatum et mancum habebant, restituendo et perficiendo, quantum conjicere possumus, non levem operam contulit, ex fastidiosa Novellarum farragine utiliora capita selegit et in studiosorum commodum Codici inseruit, quae omnia uberius explicabimus ubi de Irnerio agetur.

XXIII. Commendabat etiam Irnerii scholam magistri facundia et dicendi copia, qua in exponendis legibus et causis agendis utebatur. Atque haec non infima laus fuit irnerianae scholae, quae diu viguit in ejus alumnis, ob quam si qui copiose ornateque in legibus interpretandis et agendis causis dicere didicissent, ii bononiensem in morem dicere, sive *bononicum* sermonem, ut ab anglo scriptore appellatur, usurpare dicebantur (3). Excelluerat in hoc etiam s. Lanfrancus ut eloquentiam cum jurispru-

(1) Propter quod verbum (As) venit Bononiam studium civile, ut audivi a Domino meo. OSTIENSIS ad Rubr. *De testam.*

Studium hic intelligo non qualecumque sed commune, publicum, magna studiosorum et doctorum frequentia celebre, ut Ostiensis aetate dicere amabant. Sic MAURISIUS in *Histor.* EVELLINI apud MURATOR. *Rer. Ital. Script.*, t. VIII, p. 15. Sub isto venit studium scholarium in civitate Vicentiae et duravit usque ad potestariam domini Drudi.

(2) Dig. *Praefat.*, § 7, *Haec autem tria.*

(3) *Vide infra in* ROGERIO NORMANNO.

dentia conjungeret, quare a Milone Crispino, auctore synchrono, laudatur non quod aridas legum formulas et sententias in causis agendis depromeret sed quod eloquenter de jure disceptaret (1). Ut autem de Irnerio constat ejus glossas eleganter nitideque scriptas fuisse, sic et prisci illi doctores, qui ex ejus schola prodierant, pari laude floruerunt (2). Sed eorum glossas Accursii pelago absorptas difficile est internoscere, ac multo difficilius est vetustos codices legum nancisci, in quibus purae ac genuinae Bulgari, Martini, Jacobi aliorumque antiquiorum interpretum glossae reperiantur.

XXIV. Communicavit mihi nuper vir clarissimus Cajetanus Montius, quem et deinceps saepissime honoris et grati animi causa nominabo, et alio loco demonstravi quantum ex incredibili ejus humanitate et eruditione profecerim in hisce commentariis perficiendis, sententiam Jacobi glossatoris antiqui, quem primum ferunt bononiensem scholam jurisprudentiae post Irnerium rexisse, ex qua apparet quantum primi illi doctores a barbarie posteriorum temporum distarent (3); quod etiam apparet ex legibus et edictis antiquioribus populi bononiensis, quibus scribendis non dubium est quin legum professores adhiberentur. Atque ejus etiam rei specimen infra exhibemus (4). Sunt et Pilli quaestiones, satis dilucide nitideque scriptae, quaeque hominem produnt, qui si vellet, posset ornate copioseque dicere. Tale aliquid elucet in Placentini scriptis, nec in Azonis summa ea barbaries grassatur, quam in Accursio ac multo magis in Odofredo reprehendimus, quaeque adeo deinceps crevit, ut non solum eloquentiam posterioris aevi interpretes non coluerint sed sprevisse etiam videantur. Id autem accidisse oportuit, cum studiosi jurisprudentiae relictis legum fontibus purissimis faeculentos rivos et lacunas interpretum adire coeperunt; quo factum est, ut invisa politioribus ingeniis legum studia aliquando evaserint, quae olim allicere solebant homines ob nativam quamdam orationis puritatem et elegantiam, quam in legibus mirabantur (5).

XXV. Auxit famam scholae irnerianae Friderici I judicium, apud quem in summo honore fuerunt quatuor principes ejus scholae, doctores Bulgarus, Martinus, Hugo et Jacobus de Porta Ravennate, quorum opera potissimum usus est in constituendis italici regni legibus in celebri principum et magnatum conventu ad Roncalliam habito ad anno MCLVIII (6). Iisdem suadentibus aliae leges ab eo principe latae sunt, quarum

(1) Ab annis puerilibus eruditus est in scholis liberalium artium et legum saecularium ad suae morem patriae. Adolescens orator veteranos adversantes in actionibus causarum frequenter vicit torrente facundiae accurate dicendo. Milo Crispinus in *Vita s. Lanfranci*, cap. V.

(2) *Vide in* Irnerio.

(3) An. MCLI die .... Ego Jacobus ex praecepto dn. Guidonis rectoris Bononiae cognoscens de negotio, quod vertitur inter Bavosum et Ungarellos, scilicet Aigutium et fratres suos et Azonem; cum cognoverim, testium allegationibus in actis repositis, potiorem esse causam de Ungarellis, in Braida, quam praedictus Bavosus petit ab eis, eos ab omni intentione ipsius Bavosi absolvo. Actum apud curiam et domus potestatis. Ugo causidicus, et alii testes adfuere. *Ex archiv. canonic. s. Jo. in Monte.*

(4) Quintodecimo kal. Jun. indict. XII. Nos bononiensis populus propter perpetratum scelus a Grasso de Randuino commissum, quod Octolinum, suum videlicet generum, occulte nocte interfecit; juramus praedictum Grassum, et qui cum eo conscii et participes fuerant mortis praefati Octolini, deinceps in perpetuum neque concives civitatis fore Bononiae, neque habitatores castri seu burgi, sive villae, vel cujuslibet alterius loci et territorii, sive comitatus bononiensis, eorumque bona in nullius bonis esse volumus, sed vacua semper atque deserta, velut publicata et proscripta in commune totius populi bononiensis civitatis permaneant. *Ex Reg. Gross. Archivi pub. Bonon. pag. XXII. Est inter alia acta circa an. MCLIII scripta.*

(5) Petrus Blaesensis nihil magis suscipiebat in legum libris, quam vim quamdam eloquentiae, qui rapi se ad earum studia dicebat. Videatur ejus epistola XXVI.

(6) Interea Imperator colloquium in Roncallia in s. Martino proximo veniente maximum se habiturum constituit, omnibus fere Italiae principibus consulibusque etiam civitatum in ipso colloquio inesse praecepit; ad quod quatuor etiam principales legis doctores, videlicet Bulgarum et Martinum Gosiam seu Jacobum atque Hugonem de Porta Ravennate, Bononiae magistros interesse voluit. Otto Morena, *Histor. Rer. Lauden.* apud Murator. *Rer. Ital. Script.*, t. VI, p. 1016, 1017. In primis vocavit Imperator omnes jam dictos Bononiae

aliquae totidem verbis descriptae sunt apud Radevicum (1), et ea, quae est de *sacramentis puberum* (2), inter Authenticas Codici insertas locum obtinuit. Aliae fuerant de *jure feudorum* ac de *pace tenenda*, quas dubium non est quin fuerint ab illis ipsis nostris doctoribus scriptae.

XXVI. Sed cum Friderico auctores fuissent ut multa decerneret ad imperatoriam majestatem in Italia augendam et pacem tranquillitatemque publicam conservandam, tum vero etiam suae ipsorum dignitati egregie consuluerunt. Tunc enim iis suadentibus edita est celebris illa constitutio de scholarium et doctorum immunitatibus et privilegiis, quae totius juris academici basis et fundamentum est (3). Ejus tria sunt capita. Primum, ut qui *causa studiorum peregrinantur, et maxime divinarum sacrarumque legum professores ad loca, in quibus literarum studia exercentur, tam ipsi quam eorum nuncii veniant et cum eis secure habitent*, quibus verbis non solum scholaribus liberum itum et reditum sed immunitatem etiam a vectigalibus, portoriis aliisque oneribus concessam interprctantur. Alterum, ne quis in eos resve eorum manum injicere queat jure, ut ajunt, represaliarum. Tertium, ut sit eis optio utrum velint coram domino vel magistro suo (4) an coram episcopo in judicio, ubi opus sit, conveniri.

XXVII. Ante illud tempus doctores et scholares eodem jure fuerant ac ceteri cives. Post autem doctores legum (5) in sua quique schola dominatum quemdam exercere coeperunt et jus dixere auditoribus suis cum in civilibus tum in criminalibus causis (6). Ex eo tempore non jam doctores tantum sed *domini legum* dici amarunt (7). Praesertim autem illis visa est vilescere sola doctoris appellatio, cum eam quoque usurpare coeperunt sacrorum canonum professores, decretorum doctores postea nuncupati. Sed haec privilegia doctoribus et scholaribus a Friderico concessa, non tam valuerunt ejus principis auctoritate, quae cito post conventum roncalliensem in quo ea lex edita est apud Bononienses nostros refriguit, quam beneficio ipsius populi bononiensis (8), qui et alia multa deinceps indulsit legum doctoribus et studiosis, quae postmodum magna ex parte communicata sunt aliarum facultatum et maxime juris canonici professoribus.

XXVIII. Sed doctoribus legum praecipuus semper honor habitus est a populo bononiensi. Iis ante omnes locus datus in consilio civitatis (9), ac nihil publice actum,

magistros jussitque eis quod ipsi indicarent ei in veritate omnia regalia jura quaecumque Imperii jure in Longobardia ad ipsum pertinerent. *Ibid.* Quamvis autem doctores nostri ad declinandam invidiam reliquarum quoque civitatum magistratus accersendos et consulendos Imperatori suaserint, iis tamen unis tributae sunt leges in eo conventu editae. Qua de re videri potest PLACENTINUS in *Summa III Libr. Cod. tit. de Annonis et Tributis,* et ROMUALDUS SALERNITANUS in *Chronico* t. VI *Rer. Ital. Script.*, p. 222, 223.

(1) RADEVICUS. *De gestis Friderici,* lib. I.

(2) Hujus legis ferendae auctor fuit Martinus ob controversiam, quam cum Bulgaro habuit, et de qua coram Friderico disputavit. De ea re dicemus in Bulgaro et Martino. Est Auth. *Sacramenta puberum,* C. *Si adversus vendition.*

(3) Haec etiam mandante Friderico Codici inserta est ad tit. *Ne filius pro patre.* Est Auth. *Habita.*

(4) Nostri doctores, a quibus procul dubio haec lex scripta est, *Domini* titulum affectare jam coeperant; ut ex his verbis apparet. *Vide quae infra adnotatur.*

(5) Etiam doctores decretorum et liberalium artium magistros esse ordinarios judices inter scholares suos docet. ODOFREDUS in l. *Si se subjiciant,* Dig. *De judicibus,* recte ne an non, alii viderint.

(6) Judicia criminalium rerum desiere apud doctores paulo post initium saeculi XIII. *Vide infra in* AZONE.

(7) Doctores legum passim in antiquis monumentis civitatis nostrae *Domini legum* appellantur. *Statuimus, quod Domini legum non faciant pactum nec juramentum cum aliquo pro mutanda contrata causa studii.* Ita in Statutis mss. Populi Bonon. an. MCCLII in unum collectis, sed multo ante editis. Item ibidem: *Quod Domini legum dare debeant consilium potestati et judicibus Communis Bonon.* Et ita alibi passim.

(8) Populum bononiensem dico, quia olim civitatis nostrae populare regimen fuit. Illud saeculo XIV paulatim elanguit ac fere extinctum est. Successit Senatus, cujus nobilissimi ordinis praecipua auctoritas deinceps fuit.

(9) Consilium populi bononiensis non eadem semper forma fuit. Aliquando ex CC delectis viris, aliquando ex DCCC, quandoque etiam ex MM constabat. Sed in eo

quod alicujus momenti esset, iis inconsultis; ut vere dici possit civitatem nostram ad tantam magnitudinem, qua nunc est, et ad eam potentiam, qua erat XII et XIII saeculo cum magnam Aemiliae partem subjectam habebat, quod jurisprudentium consilio regeretur, pervenisse. Hinc facile intelligi potest cur priscis temporibus, cum aliarum disciplinarum studia cuique paterent, legum professionem non alii fere sequerentur quam nobiles viri et primarii cives (1). Tales fuere nostri legum professores plerique omnes usque ad saeculum XV et multo etiam serius. Contra vero philosophiae, medicinae et humaniorum literarum professores academia nostra plerumque habuit nulla olim generis commendatione illustres plerosque etiam exteros, nostris civibus facile concedentibus, quibus earum facultatum professio nec aeque nobilis nec aeque etiam quaestuosa videbatur. Sed ne ipsi quidem professores juris canonici initio fuerunt pari honore cum doctoribus legum apud majores nostros, quamquam progressu temporis, ac praesertim postquam laici homines cives nobilissimi hanc facultatem profiteri coeperunt quam soli ecclesiastici olim sequebantur, doctores decretorum non solum aequati sunt sed praelati etiam doctoribus legum. Atque haec hactenus de nostra jurisprudentiae schola ejusque antiquitate et praestantia. Deinceps de claris ejusdem professoribus, qui usque ad annum MCCC vixerunt, servato temporum ordine dicendum erit (2).

I.

IRNERIUS.

I. Quamvis ante Irnerium non omnino jacerent jurisprudentiae studia, ut satis demonstratum est, exiguos tamen progressus ad illud tempus fecerant. Ille omnium primus leges romanas ex veteri barbarie caput erigere nitentes sustulit et pristinae dignitati restituit. Sed vir tantus ac tam bene meritus de literis ac de humana societate vix nomine notus est, et quae de illo narrantur plerumque incerta, dubia et fabulis non raro admixta. Ac nomen quidem ejus germanicam originem prodit. Est enim genuinum hujus hominis nomen non Irnerius, uti nunc dicitur, sed Wernerius, Warnerius sive Guarnerius, quod miris modis ab imperitis scriptoribus detortum vel vitio sermonis corruptum est (3), ac tandem ex ea corruptione Irnerius effluxit, quod

semper primo loco, et quidem supra numerum, descripti fuere doctores legum et decretorum, ut ex antiquis tabulis manifestum est.

(1) De judicibus hanc legem tulit Lotharius I. « De judicis inquiratur si nobiles et sapientes et Deum timentes constituti sint.... Quod si viles personae, et minus idoneae ad hoc constitutae sunt, ejiciantur ». Crediderim aliquod vestigium hujus antiqui moris in Italia superfuisse Irnerii aetate, ut quoniam viles homines a judiciis exercendis arcebantur, iidem a jurisperitorum ordine universo excludendi censerentur.

(2) MURATOR. *Antiquit. med. aevi*, dissert. XXXXIV. — TIRABOSCHI. *Storia della letteratura italiana*, lib. IV, capo VII. — SAVIOLI. *Annali Bologn.*, t. I, p. I, sez. VIII. — SAVIGNY. *Storia del Diritto Romano nel medio evo*, lib. I, cap. VI, trad. di E. Bollati. — SCLOPIS. *Storia della legislazione italiana*, vol. I, cap. I. (C. A.)

(3) Brenemannus variis modis hujus hominis nomen efferri narrat ex Bynkershoekio; nam et Irnerium sive Yrnerium, Hirnerium vel Hyrnerium, Wirnerium, Wernerium, Wernerum, Wernherium, Warnerium et Guarnerium alicubi dictum esse ait, nec deesse qui Ireneum vocet; genuinum autem nomen videri Werner aut Warner, quae vox teutonica cum difficile ab Italis pronunciari possit in Irnerius degeneraverit. BRENCMAN. *De pandect. pisan.*, lib. I, c. V.

omnibus deinde placuit (1). Haec autem ejus nominis inversio in causa fuisse videtur cur aliqui existimarint primum romanae jurisprudentiae instauratorem Warnerium, sive Guarnerium, alium fuisse ab Irnerio nostro, pro quo etiam Ireum nescio quem, gratis omnino confictum, nonnulli intruserunt (2).

II. Ex eo autem quod verum Irnerii nomen Warnerius, sive Guarnerius, germanicam originem redoleat, pluribus persuasum est illum patria germanum fuisse (3). Nec desunt etiam qui mediolanensem (4) et qui florentinum dicant (5). Sed nihil vetat quominus et italus et quidem bononiensis fuerit, quamvis germanicum nomen tulerit. Et vero bononiensem fuisse plura demonstrant; in primis vetus charta anno MCXIII scripta, quam edidit in historiarum ravennatium libro quinto Hieronymus Rubeus. In ea *Warnerius de Bononia* cum aliis judicibus et causidicis adfuisse dicitur, cum Mathildis comitissa *in loco Baviana* jus diceret (6). Triennio post idem Warnerius in placito Henrici V imperatoris, quod a Muratorio editum est, bononiensis dicitur (7), et rursum in alio ejusdem imperatoris placito, quod insequenti anno MCXVII scriptum est, a Muratorio item editum (8). Adde et Landulphum seniorem, magnae auctoritatis scriptorem et fere synchronum, qui illum appellat *magistrum Guarnerium bononiensem* (9), ut jam de ejus patria dubitare non liceat. Nam qui germanum aut alia quavis ex natione dicunt nec antiquitatis praerogativa gaudent, nec ullum satis probabile argumentum pro se afferre possunt.

III. Hunc aliqui existimant Costantinopolim discendi studio profectum ibique non solum graecas literas didicisse sed sedulam quoque operam jurisprudentiae navasse, atque ita juris romani scientiam ex ea civitate in Italiam, ubi jamdiu amissam fuisse putant, revocasse. Aliis tamen probabilius videtur Irnerium juris romani addiscendi cupidum Ravennam profectum esse, ubi nondum omnino extincta erant ea studia, quemadmodum ex s. Petro Damiano intelligimus (10). Sed haec etiam gratis asseruntur, nec ullus est antiquus auctor qui horum aliquid memoriae prodiderit. Ac de allata ab Irnerio in Italiam legum scientia ex urbe costantinopolitana non immerito Donatus Antonius Astensis Janum Vincentium Gravinam ridet (11), qui hanc fabulam ex Mornacio et Cironio nimis credulus acceperat (12). Graecas autem literas Irnerio ignotas

(1) Wernerii sive Warnerii nomen sigla *W* expressum in antiquis libris erat. Haec facile in *Y* conversa est, eique addita literula *r* ut esset *Yr*. Hinc enatum videtur Yrnerii, mox Irnerii nomen. Ita conjicit clarissimus Montius.

(2) Guido Grandi. *Nuova disamina della storia delle pandette pisane*, p. II, c. IV.

(3) Brencman, *loc. cit.* — Pancirol. *De clar. leg. interpr.*, l. II, c. 13. — Forster. *Histor. jur. civ. et canon.*

(4) Brencman, *loc. cit.*

(5) Donat. Anton. Asten. *Dell' uso e autor. della rag. civ.*, c. V, et Brencman, *loc. cit.*, p. 53.

(6) Anno ab incarnatione domini millesimo tertiodecimo mense Madii indictione VIII cum adesset domina Matilda grandis ducatrix et comitissa marchionis Bonifacii filia in loco Baviana, ibique cum ea Ubaldus judex et Bonus judex, Albertus de Adigerio et Petrus judices et Siginfredus judex, causidicus quoque Warnerius de Bononia, Lambertus etc. Hieronimus Rubeus, *Hist. Rav.*, lib. V, p. 318.

(7) Dum in Dei nomine die Sabati, quae est fexta dies intrancte mense Martii in loco Gubernule scilicet in canonica sancti Remigii Henricus Dei gratia quartus Romanorum Imperator Augustus in consilio staret pro sui imperii, suorumque fidelium utilitate, adessent cum eo Warnerius Bononiensis, Ubaldus de Carpeneta, Ribaldus Veronensis etc. Factum est hoc anno ab incarnat. Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo decimo sexto; indictione VIII.

† Ego Wernerius judex affui et subscripsi. Murator. *Antiq. med. aevi*, dissert. LIII.

(8) Dum in Dei nomine die Sabati Henricus Dei gratia Imperator in judicio resideret et adessent cum eo Wernerius Bononiensis, Ubaldus de Carpenedia etc. *Ibid.*, dissert. XXXI.

(9) Magister Guarnerius de Bononia et plures legis periti populum romanum convenit etc. Landulph. Senior. *Histor. Mediolan.*, c. XXXI apud Murator. *Rer. Ital. Script.*, t. V, p. 502.

(10) S. Petr. Damian. *Opusc. de parentelae grad.*, cap. 8.

(11) Donat. Anton. Asten., lib. II, c. V, p. 133.

(12) J. Vinc. Gravina. *De ortu et progress. jur. civil.*, lib. I, c. CXXXXIII.

manifestum videtur. Si enim eam linguam novisset, quae sunt in legum libris graece scripta interpretatus esset ut ea auditoribus suis exponere posset. At certum est vivente Irnerio id a nemine adhuc tentatum. Itaque aliqui existimarunt hanc laudem tribuendam fuisse Bulgaro Irnerii discipulo. Sed id etiam falsum est; Burgundioni enim pisano, qui alia multa ex graeco in latinum transtulit, id debuere veteres jurisconsulti ut quae in libris legum graece scripta sunt latine reddita possent intelligere (1). Floruit autem Burgundio annis non paucis post Irnerium, quippe qui aetatem produxit ad exitum usque saeculi XII (2). Neque minus a vero alienum judico Irnerium jurisprudentiam ex schola ravennate Bononiam comportasse. Ut enim libenter concedo apud Ravennates non incelebres aliquos legum professores saeculo XI vixisse, ita nulla mihi ratio succurrit silentibus antiquis scriptoribus cur Irnerius Ravennam proficisci debuerit ad jurisprudentiam adipiscendam, quam suo sibi marte comparavit et ad quam potuisset initiari, si voluisset, in schola bononiensi, quam nullam non fuisse ante Irnerium supra ostendimus.

IV. Est hic omnino audiendus Odofredus, illustris irnerianae scholae alumnus, qui unus omnium aliquid scripto tradidit de ejus scholae initiis et de ejus fundatore Irnerio. Quamquam enim annis multis post Irnerium vixerit (quippe qui anno MCCLXV decessit) et antiquae historiae parum peritus fuerit, non video tamen cur ei fides abneganda sit, cum ait Irnerium prius docuisse *in artibus* in civitate nostra dein se ad jurisprudentiam contulisse ac studuisse *per se sicut potuit* in legibus. Haec narrat Odofredus ex auctoritate et traditione majorum, idest irnerianae scholae doctorum, qui perpetua successione ab Irnerio ad Odofredum ipsum pervenerunt, quem reputare possumus ultimum ejus scholae moderatorem; etenim post illud tempus schola bononiensis unum fere Accursium secuta est. Sed juvat Odofredum ipsum suis verbis dicentem audire, quamquam enim sermo ejus horridulus est et incultus, tamen nativa quadam simplicitate placet. Sic ergo Odofredus auditores suos in schola alloquitur. *Debetis scire vos, Domini, quod sicut nos fuimus instructi a nostris majoribus, dominus Yrnerius fuit primus, qui fuit ausus dirigere cor suum ad legem istam. Nam dominus Yrnerius erat magister in artibus .... et dominus Yrnerius studuit per se sicut potuit, postea coepit docere in jure civili* (3). Similia habet alio loco Odofredus: *Segnori, dominus Yrnerius, qui fuit apud nos lucerna juris, idest primus qui docuit in civitate ista, nam primo coepit esse studium in civitate ista in artibus. Et cum studium esset destructum Romae, libri legales fuerunt deportati ad civitatem Ravennae et de Ravenna ad civitatem istam. Quidam dominus Pepo coepit auctoritate sua legere in legibus, tamen quidquid fuerit de scientia sua nullius nominis fuit. Sed dominus Yrnerius, dum doceret in artibus in civitate ista, cum fuerunt deportati libri legales coepit per se studere in libris nostris, et studendo coepit docere in legibus et ipse fuit maximi nominis et primus illuminator scientiae nostrae* (4). Hactenus Odofredus, a quo duo haec intelligimus, Bononiae scilicet antiquissimam scholam fuisse, in qua Irnerius philosophiam eique cognatas facultates, quas artium nomine hodie dum appellatas novimus, docuerit, antequam ad jurisprudentiam acces-

(1) Vide quae infra dicentur in BULGARO Irnerii discipulo.

(2) Obiit anno MCLXXXXIII ut ex ejus epitaphio apud GRANDIUM, *Ep. de Pandect.*, p. 100.

(3) ODOFRED. in l. *Sane si haec*, C. *De SS. Ecclesiis.*

(4) ODOFRED. in l. *Jus civile,* Dig. *De justitia et jure.*

serit [1]. Quare manifesti erroris convincitur Muratorius cum solam jurisprudentiae scholam diu in civitate nostra viguisse autumat, reliquarum vero facultatum studia multo serius in academiam nostram inducta [2]. Deinde constat Irnerium nec alibi liberales artes professum quam Bononiae, nec alio migrasse ut leges romanas addisceret.

V. Sed quam felici omine Irnerius relictis artium studiis ad leges accesserit novae scholae ab eo institutae celebritas ostendit et judicium omnium nationum, quae ab irneriana schola quasi ex fonte jurisprudentiam hauserunt. Placuit ejus nova docendi ratio, placuere ejus glossae elegantes et breves, quae reconditas legum opes nitide et candide exponebant, ut ferri nullo modo possit Catellianus Cotta [3], aliique pecudum instar ejus judicium secuti, qui dicere ausi sunt Irnerium immerito *juris lucernam* appellari, cum non lucem sed tenebras ejus glossae legum libris induxerint. Qui hanc contumeliam Irnerio irrogant, nullo modo perspectum habuerunt quam interpretandi rationem secutus sit et in scholam suam induxerit Irnerius. Fuerunt ejus glossae breves et elegantes [4], et illae quidem non continenti oratione scriptae sed intercisae et ad loca tantum obscuriora legum et difficiliora appictae. Atque haec optima et commodissima est ratio interpretandi veteres libros, quam primi et antiquissimi cujusque facultatis interpretes usurparunt. Visuntur adhuc in pluteis bibliothecarum, quae antiquis libris abundant, veteres codices manu exarati ejusmodi glossematibus brevibusque adnotationibus instructi, quas vulgo glossas interlineares appellare solent, quia inter ipsas scripturae lineas insertae sunt et raro ad occupandum libri marginem excurrunt. Erat autem haec interpretandi, sive, ut ajunt, glossandi ratio maxime familiaris sacrorum bibliorum interpretibus, eamque instituto suo opportunissimam censuit Irnerius, cujus *interlineares glossae* saepissime memorantur ab Odofredo [5], quod de aliorum veterum jurisconsultorum glossis non aeque dictum reperio. Sed hanc magistri sobrietatem qui post illum ad interpretandas leges accesserunt non admodum diu tenuerunt; cum enim suas singuli glossas et adnotationes, primum exemplo et aemulatione magistri, post autem vel novitatis amore vel ostentatione ingenii in medium afferrent; paulatim enatae sunt immanes illae quas cernimus apparatuum, lecturarum, repetitionum farragines, quas non injuria multi conquesti sunt non lucem afferre legibus sed tenebras et caliginem. Sed procul abfuit ab hac culpa Irnerius, cujus glossae cujusmodi fuerint, si quis nosse cupiat, praeter illas, quas identidem Azo [6], Odofredus [7], aliique veteres commemorant, ac de brevitate et elegantia commendant, earum specimen videre poterit, quod ex codice Vaticano venerandae antiquitatis in appendice damus [8]. Sunt

(1) Signori: Dominus Yrnerius, qui logicus fuit, et magister fuit in civitate ista in artibus, antequam doceret in legibus etc. ODOFRED. in l. ult., C. *De in integr. rest. minor.* Similia habet aliis locis.

(2) MURATOR. *Annali d' Italia an. 1116* et *Antiquit. med. aevi*, dissert. XXXXIV.

(3) CATELL. COTTA recens. *Juris Interpr. Vide* IRNERIUS.

(4) Hic glossat dominus Irnerius elegantissimis verbis. ODOFRED. in l. *Manumissionis*, Dig. *De just. et jure*, et ita saepe loquitur cum Irnerii glossas producit.

(5) Ad istud breviter respondebo, ut dixit dn. Yr. et hoc dicit interlinearis sua in libris antiquis, servum fugitivum sui furtum facere dicit ipse, non in eo, quod homo est, sed in eo, quod servus: non inspecto jure naturali, sed jure gentium inspecto. ODOFRED. in l. *Jus civile,* Dig. *De just. et jure.* Unde vos assignabitis rationem talem, sicut declarat glossa interlinearis dn. Yr.... et dicit sic litera ista: duo pluresve possunt habere in solidum usum balnei, vel portici, vel campi. Dicit glos. Yr. inspecta licentia juris, non considerata potentia facti. ODOFRED. in l. *Si duobus vehiculum*, Dig. *Commod. vel cont.* Ubi dicitur quod nullus purpuram audeat vendere. Interlineavit dn. Yrnerius *nescio quare.* Sed Segnori, si ipse nescivit debuit scire. ODOFRED. in l. *Fucandae,* C. *Quae res vendi non possint.*

(6) Vide SUMMAM AZONIS, tit. *De jurisdic. om. jud.*, ubi jurisdictionis definitionem ponit.

(7) ODOFRED. *loc. cit.*

(8) *Vide Appendicem.*

in eo codice Irnerii glossae, quantum conjicere licet, purae, putae, nec aliorum doctorum glossis admixtae. Eae sunt, ut plurimum, interlineares, ac semper certe breves et elegantes. Multae leges intellectu faciliores vel glossis omnino carent vel rarissimas habent. Authenticae autem non sunt Codicis legibus insertae, sed ad marginem vel in summa aut ima pagina, glossarum instar, appictae, nec semper iisdem verbis expressae, quibus nunc in libris editis leguntur. Desiderantur etiam interdum aliquae ex Authenticis, quas in editis habemus, et quaedam abundant. Optandum esset ut ex certis indiciis ejus libri aetatem cognoscere liceret. Ac mihi sane, quantum ex literarum forma conjicere possum, non videtur scriptus post Irnerii tempora. Accedit quod sunt in eo libro unius Irnerii adnotationes et glossae. Credibile autem non est, si post Irnerium scriptus esset, voluisse illum quisquis fuerit qui eum librum sibi exscribendum curavit carere omnino eorum glossis et interpretationibus, qui post Irnerium interpretandis legibus claruerunt. Inde etiam ejus antiquitas comprobatur, quod non solum secundi sed primi etiam Friderici constitutiones ab eo absunt. Sola autem Autentica *Sacramenta puberum* (1), quae est Friderici I in ima pagina et quidem minus antiqua manu, scripta est ut multo post exaratum librum additam appareat.

VI. Sed quod magis in eo Vaticano exemplari quispiam miretur illud est, quod non solum tres postremi Codicis justinianei libri in eo desunt, sed multae etiam leges in novem prioribus libris desiderantur. Ex eo intelligi potest ob eamdem causam cur tres postremi justinianei Codicis libri, tamquam minus necessarii, olim negligebantur, nec scribi etiam solebant cum novem prioribus libris; sic ne ipsos quidem novem priores libros integros aliquibus placuisse, multasque leges, quod minus necessariae reputarentur, omissas. Itaque illud accidit Justiniani Codici quod ejus Novellis, quarum plures in antiquis libris desideramus, ob eamdem causam a legum studiosis omissas, quod scholae et foro minus utiles reputarentur (2).

VII. Est etiam illud peculiare in Vaticano exemplari, quod Codicis libri non per titulos, ut in aliis exemplaribus, sed per capitula distinguuntur, et aliqua etiam identidem in ipsius titulis, sive capitulorum argumentis, varietas et discrimen cum editis libris reperitur (3). Et licet leges ipsae in hoc codice admodum emendate scriptae sint, tituli tamen sive capitulorum inscriptiones non raro mendosissimae sunt et confusae. Atque in hunc fere modum detruncata et mutila fuisse arbitror Codicis justinianei exemplaria, quae ante restituta jurisprudentiae studia in usu erant. Nec meliori usum exemplari Irnerium ipsum puto, cum primum ad Codicem interpretandum accessit. Quare, ni meae me rationes fallunt, in hoc Vaticano exemplari primos Irnerii conatus in jure civili enucleando deprehendere licet, quos deinde perfecit cum integrum sanumque Codicis exemplar nactus, libros apte per titulos distinxit, priores glossas et adnotationes ad incudem revocavit, et, quod caput est, Authenticas, ut vocant, sive novas constitutiones suis quasque locis aptavit, rejectis nonnullis ac nonnullis etiam adscitis quae in prima operis informatione vel admiserat vel rejecerat. Atque

(1) C. *Si adversus vendit.*

(2) Accursius non plures quam jurisconsulti ex Justiniani Novellis interpretatus est, quamvis earum numerus ad CLXVIII excrescat, ceteris nimirum ab schola et foro olim exulare jussis. ANTON. CONTIUS in *Praefat. ad Novellas*, et J. V. GRAVINA, *De ortu et progress. jur. civ.*, lib. I, c. CXXXV.

(3) Patet id hoc uno exemplo; sic enim describuntur secundi libri capitula initio ejus libri: Incipiunt capitula secundi libri. I. De edendo. II. De in jus vocando etc. VIII. De errore advocatorum vel libellos concipientium. IX. Ut quae desunt advocationi partium judex suppleat. X. De causis quibus irrogatur infamia. XVI. Ne fiscus vel respublica, etc.

hinc etiam apparet Irnerium haud sane indignum ea laude qua donari solet quod nimirum *variis codicibus undique coactis et simul collatis, atque pluribus ex fragmentis judicio et acumine suo commissis, sparsa juris membra collegerit, quemque nunc habemus voluminum ordinem in regiones aetatesque omnes, additis obscuriorum locorum interpretationibus transmiserit* (1).

VIII. Non sum equidem nescius magnum esse inter eruditos jurisconsultos dissidium quoad Authenticarum epitomas Codici insertas. Et quamvis olim adeo certum vulgo reputaretur id Irnerii inventum fuisse ut ne dubitaret quidem ea de re quisquam, postea tamen exorti sunt acri judicio viri, qui hanc laudem Irnerio vel non temere tribuendam vel novis etiam rationibus plane auferendam putaverint. Rursum inter eos, qui Irnerio tribuunt Authenticas Codici additas, non desunt plures, qui eum graviter accusant quod vel punica fide vel per summam inscitiam Authenticarum epitomas Codici inserendas concinnaverit, quarum aliquae extra locum collocatae, aliquae non rectam continere sententiam dicuntur. Sed mei instituti non est hoc loco irnerianae doctrinae apologiam contexere, quod ad legum professores pertinet et alii diligenter fecerunt (2). Nam de ejus punica fide, quod aliqui suspicantur, plane calumniosum reputo. Quis enim sibi suadebit tantae auctoritatis virum non bona fide egisse cum Novellarum excerpta Codicis legibus vel corrigendis vel moderandis vel supplendis insereret? Patebant unicuique Novellae ipsae sive ex Juliani epitome sive ex Authenticorum ut vocabant, libro. Quare unusquisque potuisset Irnerium falsi arguere, si quid ex Novellis decerptum contra rectam veramque et palam receptam earum sententiam mala fide in Codicem intulisset.

IX. Quantum ad eos attinet qui ab Irnerio negant Authenticas Codici insertas, non video quid respondere possint Azoni, Odofredo et Accursio, qui quoties Authenticarum epitomas Codici additas interpretantur vel unum Irnerium memorant tamquam earum auctorem, vel neminem praeterea. Habemus Azonis commentaria in Codicem, scripta ab Alexandro a Sancto Aegidio ejus discipulo, in quibus passim Irnerio tribuitur Authenticarum coaptatio ad Codicis leges (3). Saepius etiam Irnerium memorat Odofredus, ubi de Authenticis Codici adjectis ex occasione disserit. Scrupulose autem distinguit, et lectorem monet si verbum aliquod est ab Irnerio adjectum ad coaptandam, atque, ut ipse loquitur, continuandam Authenticam cum Codicis legibus, ne quis scilicet quae Irnerii verba sunt pro verbis Authenticae, hoc est novae constitutionis, accipiat. Itaque expositurus Authenticam *Ad haec,* C. *De judiciis,* monet duas illas voculas *ad haec* non esse verba legis sed Irnerii aptantis et conjungentis Authenticam illam cum superiori lege (4). Similia habet pluribus locis (5). Quoties autem fert occasio ut in interpretandis Authenticis Irnerium nominet, sic de illo loquitur ut non dubitet quin ille unus ante omnes

(1) J. V. Gravina. *De ortu et progressu jur. civ.*, lib. I, c. CXXXXIII.

(2) Vide Alex. Arnoldi Pagenstecheri. Dissert. *Irnerius injuria vapulans.*

(3) Ita inquit hic Azonis exceptor et pedissequus ad Auth. *Hoc jus porrectum,* C. *De SS. Ecclesiis.* Dominus Y. tamquam vir subtilis posuit quaedam de Authentica illa in istam et ita ex praedictis duabus Authenticis hanc compilavit. Similiter ad Auth. *Generaliter autem,* C. *De ep. et cleric.* Hic autem dominus Yr. tamquam vir prudens assignavit Authenticam. Non aliter loquitur aliis multis in locis ac praesertim ad Auth. *Nisi rogati,* C. *Ad S. C. Trebellianam,* ubi ostendit eam Authenticam latius et uberius ab Azone ipso extractam quam ab Irnerio, et ad Auth. *Sed cum testator,* C. *Ad Falcid.* ac non uno loco lectorem monet, ut verba Irnerii Authenticam aptantis ad leges Codicis, ab ipsius Authenticae verbis rite distinguat.

(4) Ad haec: juxta haec. Et sunt verba Irnerii continuantis istam Auth. ad l. C. *Dixerat paulo ante.* Authentica ista non legitur super hanc legem ut corrigat eam, sed ut addat ei. Odofred. in Auth. *Ad haec,* C. *De judiciis.*

(5) Odofred. ad Auth. *Multo magis* etc.

eas novarum constitutionum periochas Codici adjecerit. Ita Irnerio tribuit, quod Ecclesiae romanae privilegium centenariae praescriptionis in Authentica *Quas actiones*, C. *De SS. Eccles.* competere dixerit, contra quam a Justiniano in alia Constitutione, qua, ut sibi videtur, priorem correxit, sit praescriptum (1). Quod si quando acciderit, ut aliquis legum professor, non contentus Irnerii brevitate in illis periochis contexendis, fontes ipsos adierit et Authenticam aliquam uberius et prolixius ex ipso Novellarum libro eduxerit; id sedulo monet Odofredus (2). Similia habet Odofredus de Hugolino, celebri legum professore, qui paulo ante Odofredum ipsum floruit (3). Sed posteriores istae Azonis et Hugolini curae ad unam vel alteram Authenticam, Codici jam insertam, uberius et ut ipsis videbatur clarius ex Novellarum corpore extrahendam, non videntur epitomas illas primum ab Irnerio in Codicem inductas e gradu dejecisse. Certe Authentica *Nisi rogati* satis brevis est uti nunc legitur in vulgatis Codicis justinianei libris, nec Odofredus ipse videtur eo loco probasse Azonis et Hugolini consilium, qui Authenticam illam uberius extraxerant ex libro Novellarum. Ait enim Authenticam illam, ut ab Irnerio expressam, satis claram et intellectu facilem fuisse secus autem ut apud Azonem legebatur. Quod si quis nosse cupiat, quantum differat ejus Novellae excerptum, ut prius ab Irnerio concinnatum fuerat, ab eo, quod Azonis cura postmodum effectum est, utrumque totidem verbis in ipsius Azonis commentariis in Codicem reperiet (4).

X. Accursius Azoni et Odofredo consentit in asserendis Irnerio Authenticis Codici insertis; sic enim habet in Authentica *In successionem*, C. *De suis et legitimis: Nota quod haec verba* sola naturali *non sunt de corpore Authenticae sed Irnerius posuit* (5). Hic vero mirificus mihi videtur Joannes Straukius, qui in ea dissertatione, quam inscripsit *Irnerius non errans* (6), magno eruditionis apparatu ostendere nititur multo ante Irnerium Authenticas Codici adjectas fuisse. Cum enim se Accursii auctoritate premi videret, ad ea verba « *sed Irnerius posuit* » *at posuit,* inquit, *ceu glossam, posuit extra textum Authenticae interpretandi gratia; quae verba postea in ipsam Authenticam errore librariorum assumpta* (7). Sed frustra nititur Straukius Accursii auctoritatem eludere; nisi enim Accursio et omnibus vulgo persuasum esset Irnerio auctore Authenticarum excerpta Codici indita fuisse; non erat cur ibi mentionem Irnerii faceret. Similem in modum loquitur Accursius in Authentica *Defuncto*, C. *Ad S. C. Tertullianum*, et in Authentica *Qui res*, C. *De SS. Eccles.* (8). Aperte autem ad Authenticam *Sed novo jure,* C. *De servo fugit.* omnes Authenticas ab Irnerio signatas asseruit super leges Codicis ut de ejus mente dubitare non liceat (9). Adjungere possum tribus istis jurisconsultorum choryphaeis anti-

(1) Odofred. ad Auth. *Quas actiones.*

(2) Ita post legem super chirographariis ad Authenticam *Sed novo jure*, C. *Si certum petatur.* Antiqui libri, inquit, satis breviter habent hanc Auth. hic secundum quod dominus Irnerius extraxit eam breviter de corpore Auth. sed dominus Azo diffusius extraxit eam de corpore Auth. Eumdem in modum loquitur ad Authenticam *Nisi rogati*, C. *Ad S. C. Trebell.* Quia, inquit, dominus Azo extraxit hanc Auth. alio modo de corpore Authenticorum, quam dominus Irnerius, ideo est difficilis, sed si quis habet eam, ut libri antiqui habent, et sicut dominus Irnerius extraxit eam de corpore Authenticorum, ista Auth. est sane plana et facilis.... sed dominus Azo aliter eam extraxit pinguius et latius, secundum quod libri novi habent.

(3) Or signori, dominus Hugolinus extraxit eam prolixius, quando ivit ad librum Novellarum, et sicut ibi invenit, scripsit eam hic. Odofred. in Auth. *Nisi rogati*, C. *Ad S. C. Trebellian.*

(4) Azo ad Auth. *Nisi rogati*, C. *Ad S. C. Trebellian.*

(5) Glossa in Auth. *In success.*, C. *De suis et legit.*

(6) Joannis Straukii. Irnerius non errans, sive Dissertatio ad Auth. *Quas actiones*, C. *De SS. Eccles.*

(7) *Ibid.* c. 2.

(8) Etiam Odofredus in Auth. *Qui res*, C. *De SS. Eccles.* monuerat, esse quaedam verba in ejus Auth. contextu, quae non erant de corpore Authenticorum, sed ipsius Irnerii.

(9) Haec verba non sunt in corpore Auth. sed sunt verba Yr. qui extraxit omnes Auth. signatas super leges Codicis. Glossa ad Auth. *Sed novo*, post l. *Fugitivi*, C. *De servo fugit.*

quissimum Canonum professorem Huguccionem Pisanum, qui ante Azonem in scholis nostris floruit. Is enim non secus ac Azo, Odofredus et Accursius ab Irnerio, sive, ut recte ait, Guarnerio, Authenticas Codici additas manifeste indicat in sua celebri Decretorum summa, quam in Vaticano codice vidimus (1).

XI. Sed illud decretorium videtur quod Straukius et ante illum alii plures attulerunt ut Irnerio abjudicarent epitomas Novellarum in Codicem illatas. Ajunt enim aetatibus multis ante natum Irnerium Novellarum excerpta, sive, ut dicimus, Authenticas Codici fuisse insertas; idque constare ex epistola s. Gregorii Magni ad Joannem defensorem, cui in Hispaniam eunti formam praescribit in clericorum judiciis servandam, atque prae ceteris novellam Constitutionem allegat ex libro I Codicis, quae est Authentica *Presbyteros*, C. *De ep. et cleric.* (2). Erant igitur Magni Gregorii aetate Codici justinianeo insertae Novellarum laciniae, quas Authenticarum nomine posterior aetas nuncupavit. Porro ex ea Magni Gregorii epistola Gratianus decerpsit canonem *De persona XI, q. I, c. 38*, qui ita inquit: *De persona presbyteri .... Ne vero objiciatur quia de clericis hoc loquitur non de presbytero, sciendum est quod superius in eadem Constitutione lib. Cod. I, legitur appellatione clericorum etiam presbyteros et diaconos contineri. Verba autem legis ista sunt: Presbyteros autem et diaconos et subdiaconos, cantores et lectores, quos omnes clericos appellamus et reliqua.* Ita Magnus Gregorius apud Gratianum in libris editis. At in antiquioribus libris manu exaratis res aliter habet. Neque etiam in omnibus Gratiani editionibus notae illae *L. I, Cod.* vel *L. Cod. I* apparent. Nam in veneta, quae prodiit anno MCCCCLXXXIII sic habetur *L. cap. I.* Sed jamdiu monuerunt correctores romani ne in libris quidem mss. satis certam esse codicis adnotationem eo loco factam, pro qua in aliis has siglas repererunt *L. I. c.* idest c. (constitutionis) *LI Novellae.* Atque id unum Straukio suspicionem ingerere debuisset de vitiata ejus Canonis adnotatione, atque ab eo diligenter investigandum fuerat num revera s. Gregorius Magnus caput illud Novellae ex libro Codicis primo in suam epistolam intulisset. Sed is contra cum Carolo Molinaeo (3) insultat correctoribus romanis, sive, ut ipse appellat, criticis gregorianis, quorum divinationem tanti valere inquit quantum ei quisque tribuerit (4). Ipse interim mala fide exscribit correctorum romanorum emendationem, quo magis eorum justissimam conjecturam debilitet.

XII. At enimvero neque Gratianus in canone *De persona*, neque Magnus Gregorius in ea epistola, ex qua decisus est canon ille, ullam Codicis justinianei mentionem fecerunt. Neque obstant Gratiani exemplaria typis edita et aliqua etiam exemplaria epistolarum Magni Gregorii, in quibus eam adnotationem libri I Codicis videmus; aliqua, inquam, exemplaria epistolarum sanctissimi pontificis non omnia; nam in editione quam adornarunt monachi s. Mauri nulla est Codicis mentio. Sic enim ibi habetur: *quia in eadem constitutione Li. c. legitur, appellatione clericorum etiam presbyteros et diaconos contineri.* Monent autem accuratissimi editores in Vaticanis quinque codicibus ita scriptum esse: *in eadem constitutione quinquagesimo primo capitulo;* ac rejecta Codicis importuna notatione, *sic explicari potest,* inquiunt, *quod habent plerique mss. Li. c.* Habent igitur libri

(1) Sed numquid sacerdotes debent reddi? Dixit quidam sic, propter Authenticam quae habetur C. *De ep. et cleric.* et l. Di. LIIII. *Si servus*, ubi dicitur quod episcopalis dignitas non liberat a curia. Ergo multo minus sacerdotalis. Sed illa verba creduntur esse Guarnerii, nec sunt in corpore Authenticorum. — HUGUCCIO in C. *Praeterea*, Di. 51 extat in codice Vaticano n. 2280.

(2) Est ep. LIV, lib. XII sive capitulare II; sic enim inscribitur in edit. monachorum s. Mauri.

(3) CAROL. MOLIN. *Lect. Dolan.*, n. 20, 21, 22, 23.

(4) STRAUK, *loc. cit.*

plerique manu exarati has notas *Li. c.* quas viri illi doctissimi non interpretantur *Libro I Codicis,* sed *quinquagesimo primo capitulo.* Quia vero etiam exemplaria manu exarata Gratiani, ut animadvertunt censores romani, habent easdem notas, quibus non primus Codicis liber sed quinquagesimum primum capitulum designatur; hinc apparet, numquam s. Gregorium Magni Codicis justinianei mentionem in illa epistola injecisse. Et quamvis posteriori aevo librariorum imperitia in libros editos ille error irrepserit, aetate Gratiani codices epistolarum Magni Gregorii, ex quibus suum illum canonem exscripsit, nondum tale mendum contraxerant.

XIII. Sed non aliunde melius haec controversia dirimi potest quam ex antiquis epistolarum Magni Gregorii exemplaribus ac praesertim ex vaticanis, ad quos monachi s. Mauri, ut supra dictum est, appellant. Eos igitur diligentissime inspexi permittente Dominico Passioneo cardinali s. Romanae Ecclesiae bibliothecario cujus gratia diu mihi, dum viveret, ad bibliothecam vaticanam aditus patuit et plurimum favente ejus bibliothecae praefecto Josepho Simonio Assemannio praesule doctissimo. Sunt autem tres omnino codices antiqui epistolarum Gregorii Magni, quos reperire licuerit in bibliotheca vaticana licet monachi s. Mauri, nescio an memoriae lapsu, quinque commemorent. Eorum primus quadrata forma et quadam literarum crassitie totiusque scripturae dissolutione, quae usitata est in antiquioribus quibusque libris, summam antiquitatem demonstrat [(1)]. In eo codice sic habet jactatus ille locus epistolae s. Gregorii: *quia superius in eadem constitutione Lj. capl. legitur appellatione clericorum aut presbyteros aut diaconos aut lectores et cantores quos omnes clericos appellamus.* In altero codice, qui priore quidem minus antiquus est, sed tamen infra saeculum XI non videtur scriptus, eae notae ita sunt expressae *LI cap.* [(2)]. Tertius codex etiam minorem aliquanto antiquitatem praefert sed minime tamen contemnendus. Is olim fuit Theodori de Leliis sacri palatii apostolici auditoris, emptus Parisiis cum aliis codicibus ut in libri fronte adscriptum est [(3)]. In eo sic habetur: *superius in eadem constitutione l. I cap. legitur,* etc.

XIV. His codicibus invicem collatis facile conjici potest veram et genuinam notationem Constitutionis novellae a Gregorio Magno indicatae ex antiquioribus libris in minus antiquos aliquantulum corruptam pervenisse. Quae enim in duobus primis est *Lj. capl.,* scilicet quinquagesimo primo capitulo, ea in tertio minus antiquo est *l. I cap.,* quod ambiguitatem aliquam lectori potest ingerere. At monent editores Benedictini in plerisque codicibus manuscriptis esse has notas *Li. c.* quae magis etiam sunt ambiguae. Sed ne ita quidem librum primum Codicis designant, quod in postremas denique editiones irrepsit infelici amanuensium aut editorum conjectura; qui cum notas illas haud recte intelligerent et aliunde perspectum haberent Authenticam *Presbyteros* decerptam ex novella Justiniani Constitutione, quam affert Gregorius Magnus libro I Codicis insertam esse; propterea tam in Gratiani Canonem quam in s. Gregorii epistolam Codicis librum primum induxerunt repugnante sancto pontifice, qui de Codice Justiniani eo loco ne cogitavit quidem sed capitulum quinquagesimum primum adduxit ejus Constitutionis, cujus auctoritatem ante usurpaverat.

XV. Sed incredibilis cuipiam videbitur et fictitia tanta haec unius Constitutionis concisio ut illud Magno Gregorio fuerit caput quinquagesimum primum quod nunc est decimum nonum; ei quidem in Novellae CXXIII capite XIX leguntur ea verba,

(1) Est codex Vatic. n. 621.
(2) Est codex Vatic. n. 618.
(3) Est codex Vatic. n. 619.

quae Magnus Gregorius eo loco attulit. Levis profecto est haec objectio; sed quis crederet ab Huguccione Pisano ferrariensi episcopo qui eodem saeculo, quo vixit Gratianus, Decretorum librum in nostris scholis interpretatus est, eam fuisse et praevisam et solutam? At enimvero is in sua olim celeberrima Decretorum Summa ad ea verba *cap. LI in c. De persona: Sic vocat,* inquit, *paragraphos (non constitutionem vel collationem), qui in eadem constitutione et collatione inveniuntur.* Nec curandum esse ait, si tot in quolibet libro non reperiantur, *quia in diversis libris varie ponuntur* (1). Hinc autem novum et invictum ducitur argumentum ad eliminandam tum ex Gratiani Canone, tum ex Gregorii epistola Justiniani Codicis mentionem temere intrusam. Constat enim Huguccionis aetate non aliud in eo Canone indicatum fuisse, et quidem apertissimis notis, quam primum et quinquagesimum capitulum novellae Constitutionis CXXIII.

XVI. Hic autem obiter animadvertere licet Gratianum, sive potius Magnum Gregorium, sicut ad ea verba, *appellatione clericorum etiam presbyteros et diaconos contineri,* capitulum LI novellae Constitutionis, quae est de *episcopis, clericis et monachis,* indicavit, sic ad alia verba ejusdem Constitutionis, quae paulo supra attulerat, capitulum LIII indicasse. Id apparet tum ex Huguccione ferrariensi episcopo (2), tum ex Gratiani editione veneta anni MCCCCLXXXIII, quam miror a correctoribus romanis non fuisse perpensam. Ac multo magis apparet id ex codice Vaticano epistolarum Gregorii Magni omnium antiquissimo, quem supra laudavimus, in quo, ut secundo loco cap. LI ita et primo loco cap. LIII nitidissime est adnotatum (3), quod equidem ad Justiniani Codicem referri non potest.

XVII. Cum haec scripsissem contigit mihi ut in Vaticana bibliotheca viderim insignem Canonum collectionem in pervetusto libro membranaceo, qui multo ante Irnerii et Gratiani aetatem scriptus est (4). In ea collectione multae ex Magni Gregorii epistolis afferuntur atque in his illa ipsa, quae est ad Joannem Defensorem, ex quo sumptus est Canon *De persona* apud Gratianum (XI q. 1). Sic autem ibi habet gregorianae epistolae locus apud Gratianum vexatus: *Sicut haec novellarum constitutio manifestat, quae eloquitur de sacratissimis et Deo amabilibus ac reverentissimis episcopis et clericis et monachis imperante Justiniano pp. ag. Petro gloriosissimo pp. Kap. LIII. Si quis contra aliquem... Ne vero obiciatur quia ecce de eodem clero loquitur non de presbytero, sciendum est quia superius in eadem constitutione quinquagesimo primo capitulo legitur etc.* Est hic per siglas expressum capitulum LIII ejus constitutionis, at capitulum LI non per siglas sed integris dictionibus, et, ut ajunt, per consequentiam literarum adnotatum est; quo nihil clarius ad eliminandam ex epistola Magni Gregorii et Gratiani Canone Justinianei Codicis mentionem. Hujus Vaticani libri in appendice specimen damus (5).

XVIII. Atque haec paulo prolixius discutienda esse censui ut funditus everteretur praecipuum argumentum, in quo tantopere sibi placuere Molinaeus et Straukius et quotquot negarunt Authenticarum periochas Codici Justinianeo ab Irnerio adjectas. Quibus id unum concedere possumus, minus elegantem illam Novellarum versionem ex graeca

(1) Huguccio ad C. *De persona* cit. ex cod. Vaticano 2280.

(2) En integrum Huguccionis locum, *cap. LIII.* Sic vocat paragraphos (non constitutiones, vel collationem), qui in eadem constitutione et collatione inveniuntur. Hic praecedit illum qui sequitur, et tamen hic habetur capitulum LI et verum est, quod ille § praecedit istum § uno medio. Nec est curandum si tot § non inveniuntur in quolibet libro a principio tituli constitutionis usque huc, quod in diversis libris vario ponuntur. Huguccio in *Summa decret., loc. cit.*

(3) Cod. Vatic. 621 cit.

(4) Cod. Palatino Vaticano.

(5) Vide *Specim. vetust. Cod.* in Appendice.

in latinam linguam, ex qua decerptae sunt Authenticae Codici insertae, quamque aliqui non recte a Bulgaro factam existimarunt, multo antiquiorem fuisse, utpote vel ipsi Gregorio Magno notam; id, inquam, concedere possumus, praeterea nihil (1). Potuit autem Burchardus vormatiensis, potuit Ivo carnutensis ex hac Novellarum versione, quae ante Irnerii aetatem cuique obvia erat, aliqua decerpere et in suos Decretorum libros inferre; neque bona est Straukii argumentatio, dum hoc etiam argumento demonstrare nititur, Authenticas ante Irnerium Codici assutas fuisse, quia apud Burchardum et Ivonem habemus Authenticam *Item praedium*, et Authenticam *Sed et permutare*, quae sunt in lib. I, tit. II, C. *De SS. Eccles.*; ex eodem enim fonte Burchardus, Ivo et Irnerius haurire potuerunt. Neque hic dissimulanda est mira Straukii confidentia, qui Ivonem pronunciat annis omnino XIV obiisse antequam Irnerius jus romanum profiteri coepisset. In quo errat insigniter; neque enim anno MCXXVIII Irnerius primum se contulit ad jus civile interpretandum, ut Straukius existimat, sed multo ante et quidem annis aliquot antequam Ivo, qui in vivis fuit ad annum usque MCXIV, extremum diem obierit; qua de re postea dicemus.

XIX. Sed sunt nonnulli, qui ita censent Authenticas Codici insertas ab Irnerio ut non ipse omnes, sed aliquas post Irnerium Martinus, aliquas Azo et aliquas etiam fortasse Rogerius, Bulgarus, Placentinus, Pillius, Joannes, Bagarottus, Roffredus, Jacobus et Hugo de Porta Ravennate, Hugolinus, Antonius Lius aliique qui XII et XIII saeculo restituendae jurisprudentiae insudarunt, inter Codicis leges inseruerint (2). Est in hac sententia Cornelius Van Bynkershoek, qui dissertationem hac de re edidit, in qua opinionem suam callide potius et per aucupia verborum, ut mihi videtur, quam solidis rationibus defendit (3). Et quoniam inter Codicis leges, praeter excerpta novarum Constitutionum Justiniani imperatoris, aliquot alias etiam habemus Friderici I et II quae omnes Authenticarum nomine celebrantur, de postremis istis quaestionem non movebimus; neque enim ab Irnerio poterant in Codicem inferri, qui cum Fridericus I imperio potitus est, jam decesserat. Ostendemus autem alio loco quibus auctoribus in Codicem sint illatae, et fabulam explodemus de jurisconsultis papiensibus olim ab Alvarotto venditatam et refricatam postea a multis atque in primis a Straukio, Heineccio, aliisque multis, qui jurisconsultos papienses Friderici II Constitutiones Codici inseruisse existimant (4).

XX. Quoad Authenticas vero ex Justiniani Novellis petitas audivimus jam quid Azo, Odofredus, Accursius et Huguccio Pisanus ferrariensis episcopus existiment. Et quamvis aliquam ex his novis Justiniani Constitutionibus Azo ipse et Hugolinus etiam ex Authenticorum libro latius et uberius extraxerint irneriana brevitate non admodum contenti, ceteri legum interpretes hanc Azonis et Hugolini libertatem non semper probarunt; ut apparet ex eo quod Authenticas illas, quas supra uberius ab Azone extractas diximus, in editis justinianei Codicis libris breves admodum et exiles cernimus (5). Quod si a tam multis, uti Cornelius Van Bynkershoek existimat, Authenticae in Codicem inductae fuissent, mira esset in iis diversitas in verborum contextu et quandoque etiam in sententiis, unusquisque enim arbitratu suo Novellarum excerpta confecisset et ad Codicis leges, ut sibi visum esset, accommodasset; in quo fieri nullo modo potuisset, ut maxima non appareret diversitas et dissensio. Neque vero credibile est, Irnerium,

(1) Alciat. Parerg., lib. 2, c. 40.

(2) Bynkershoek. Dissert. *De auctore, sive auctorib. authentic.*, c. 1.

(3) Extat inter ejus opuscula, Halae edita 1729.

(4) *Vide infra in* Hugolino Presbyt.

(5) Confer quae supra dicta sunt de Auth. *Nisi rogati*, ex Azone ipso, sive ex Alexandro de S. Aegidio in comment. ad Codicem.

cum id sibi proposuisset ut seipsum et ceteros legum studiosos eo labore ac taedio levaret, ut novas Justiniani Constitutiones, quibus Codicis leges vel emendabantur vel supplebantur, in verboso illo, prolixo et tricoso Authenticorum, ut vocabant, libro semper ubi opus esset investigarent, ac propterea earum Constitutionum summa capita et brevissima excerpta ad singulas Codicis leges aptare cogitasset, credibile, inquam, non est, aliquas tantum ex iis Constitutionibus excerpsisse, ceteras reliquisse intactas. Rursum, si ab aliis atque aliis Authenticae Codici adjectae fuissent, sicut Irnerium Azo, Accursius et Odofredus tam saepe commemorant, quidni et alios nominassent cum aliquam Authenticam non ab Irnerio sed ab illis in Codicem inductam interpretarentur? Et sane Joannes Cremonensis antiquissimus legum interpres, Azonis magister, in sua Authenticorum Summa (1) ad singulas quasque Constitutiones diligenter adnotat, quaenam ex iis Authenticae sint decerptae et Codici addictae. Atque inde apparet Authenticas, quas nunc inter Codicis leges habemus, jam tum eo illatas fuisse.

XXI. At, inquit Cornelius Van Bynkershoek, Joannem Cremonensem in ea ipsa Summa ad Constitutionem X collationis VIII ita scribere: *Ex hac Constitutione quidam habent in C. in tit. praedicto super l. Sacri affatus, vel super l. fin. Authenticam quae incipit: Gloriosissimi quoque.* Et ad Constitutionem II ejusdem collationis simile quiddam habet. At si quidam habent, inquit Cornelius Van Bynkershoek, non ergo unus Irnerius sed alii atque alii Authenticarum excerpta Codici indiderunt (2). Ita argumentatur auctor iste, sed non recte, meo quidem judicio. Authenticae omnes, idest Novellarum laciniae, suis quaeque locis ad leges Codicis aptatae erant aetate Joannis Cremonensis; sed cum una aut altera quibusdam legum professoribus minus necessariae viderentur, propterea eas in suis codicibus adscribere omiserunt. Id sibi vult Joannes Cremonensis nec aliud praeterea. Dum ergo ait: *quidam habent ex hac Constitutione Authenticam* hanc aut illam, id unum concludere potuit Van Bynkershoek non omnes doctores, non omnes libros eam habere Authenticam. Quod si quidam habebant, quidam autem non habebant; jam tum in aliquos libros irrepserant non solum reliquae Authenticae, sed etiam una illa et fortasse altera, quibus aliqui libri carebant. Non erat igitur expectandum ut Azo, Rofredus, Bagarottus aliique, qui post Joannem vixerunt, nova Authenticarum excerpta Codicis legibus agglutinarent. Atque ita Cornelius Van Bynkershoek suis ipse telis conficitur. Quod autem auguratur de Accursio Fridericum II id honoris ei tribuisse ut suas Constitutiones ab eo in Codicem inferri voluerit, id vero lepidissimum commentum est. Anno MCCXX edita est celebris illa Constitutio de immunitate et libertate ecclesiarum, ex qua decisa est Authentica *Cassa et irrita*, C. *De SS. Eccles.*, et aliae plures Codici sub variis titulis insertae. Eam Constitutionem Fridericus, paulo postquam edita est, doctoribus bononiensibus misit ut in Codicem inferrent; quod ab iis diligenter perfectum est (3). Erat autem Accursius per illud tempus nullius nominis et famae, vix inter infimi subsellii professores aut adhuc fortasse inter scholares numerandus (4).

XXII. Sed mirabitur fortasse aliquis Irnerium, cum Authenticorum librum uti spurium et apocryphum rejiceret, voluisse ex eo libro excerpta legum in Codicem ingerere. Ita autem sensisse de Authenticorum libro Irnerium liquet ex ejus glossa in

(1) Edita est haec Joannis Summa plerumque post summam Azonis, et quidem sub ipso Azonis nomine; sed quoniam ejus proemium est Joannis Cremonensis, non video cur Summa ipsa alium auctorem habere debeat.

(2) Bynkershoek, *loc. cit.*, cap. II.

(3) *Vide infra in* Hugolino Presbyt.

(4) *Vide infra in* Accursio.

Constitutione III, C. *De emendat. Codicis* [1], quare ab Azone primum, mox ab Odofredo accurate confutatus est [2]. Sed ante utrumque hunc errorem Irnerii notaverat et rejecerat Joannes Cremonensis in prooemio ad Summam Authenticorum; quamquam hic potius nititur benigna interpretatione opinionem Irnerii non prorsus falsam ostendere. Itaque existimat Irnerium non dubitasse quidem de auctoritate novarum Constitutionum, quae Authenticorum libro continebantur, sed offensum earum prolixitate et cum in eis frustra requireret concinnitatem illam, elegantiam et brevitatem quam in ceteris Justiniani legibus admirantur omnes, sibi suadere non potuisse librum tam verbosum et incomptum quoad verba et totius orationis contextum esse legitimum Justiniani foetum [3]. Quod si revera spurium et apocryphum eum librum reputasset, adeo nullam ex eo libro particulam inter purissimas Codicis leges induxisset, ut illum potius omnino a jurisconsultorum republica, quam ipse primus, ut ita dicam, instauravit diuque moderatus est, eliminandum curasset. Fieri etiam potest ut aliquando eum librum repudiaverit, post autem certis rationibus convictus agnoverit eum esse genuinum et tunc tandem ejus excerpta Codici inserere cogitaverit. Atque id verisimilius judico, si quidem vera sunt, quae narrat Odofredus de Irnerio qui cum causam aliquando in foro defenderet, eique adversarius legem quamdam ex Authenticorum libro opponeret; apage, inquit, bone vir, neque enim Justinianum habet auctorem liber ille, sed ineptum quemdam monachum. Itaque neque stilo neque ordine aut ulla re prorsus cum aliis Justiniani libris convenire deprehenditur; neque per titulos distribuitur sed per collationes; nec leges sub congruentibus titulis dispositas continet sed prolixas constitutiones seorsim editas [4]. Hisce de causis infirmare nitebatur hujus libri auctoritatem Irnerius, si Odofredo fides.

XXIII. Quod hic vero mussitasse dicitur Irnerius de monacho auctore libri Authenticorum, alii retulerunt ad epitomen Novellarum a Juliano antecessore editam, qua Burchardus et Ivo et alii passim ab antiquiori aevo usi sunt; sed nostri tamen irnerianae scholae interpretes non magni fecerunt, quod in ea constaret totidem verbis latinas ex graecis non esse factas Justiniani Constitutiones novellas. Huic itaque anteposuerunt incomptam illam et inelegantem versionem, in qua verbum verbo scrupulose redditum erat; atque hanc Authenticum, sive librum Authenticorum dixerunt [5]. De Juliani epitome in hanc sententiam loquitur Huguccio ferrariensis episcopus, antiquus juris pontificii interpres in nostris scholis, qui eam tribuit pseudomonacho Juliano, nec esse authenticam dicit [6]. Atque hinc etiam, ni fallor, conjici potest non ante Irnerii aetatem decisas esse ex Authenticorum libro particulas, quas Codicis legibus interjectas habemus. Hac enim una de causa videntur Juliani Novellae, quae ante Irnerium summam obtinebant auctoritatem, e gradu dejectae fuisse, quod illis relictis ex libro Authenticorum suppetiae novarum Constitutionum Codici justinianeo sint allatae. Tunc Authenticorum libri aucto-

(1) *Commentar.* Azonis in C. *Ad praefat. De emendat. Cod.*

(2) Odofred., *ibid.*

(3) Sed tamen, quod Irnerius voluit dicere, verum esse potest quoad dicta. Sed tamen auctoritas a Justiniano data fuit. Jo. Boss. in *Prooemio ad Summam Authentic.*

(4) Or Segnori, ex ista litera colligitur argumentum contra dn. Ir. Qui dictus dn. Ir. cum allegaret semel in judicio, et oppositum sibi fuisset de quadam l. Auth. quae ei contradicebat, ipse dixit: Vade, bone homo; quia liber ille non erat a Justiniano factus, sed a quodam monacho etc. Odofred., *ibid.*

(5) Ant. Contius, *Praefat. ad Novellas.*

(6) Est et alius liber, qui appellatur Novellarum, et est quoddam opus, quod dicitur factum a Juliano apostata et monacho, nec est authenticum. Huguccio in *Summa Decret.* ad C. *De persona,* XI, q. I.

ritas crevit et ex Juliano antecessore pseudomonachus Julianus confictus Novellarum auctor est habitus. Sed de his hactenus.

XXIV. Itaque Irnerius, cum primo repudiasset Authenticorum librum uti spurium et a pseudomonacho confictum, quia nondum in eo discutiendo satis diligentem operam impenderat, solerti postmodum adhibita consideratione eum agnovit legitimum Justiniani foetum, ejusque *totam utilitatem*, ut inquit Odofredus, in Codicem transtulit (1). De aliis legum libris dubitatum est ab aliquibus num Irnerio omnes innotuerint et in schola ab eo expositi sint. Atque id aliqui negant de tertia Pandectarum parte, quam Infortiatum dixere. Eam primum a Rogerio expositam et glossis instructam putant (2). Sed hanc quoque Pandectarum partem Irnerio notam pro certo habeo, quem constat vel ipsam *Infortiati* vocem exposuisse (3). Habemus etiam Azonis Summam in rubricas Digesti veteris et Infortiati in qua vix ullus Infortiati titulus est seu rubrica, ad quam Irnerii nomen non sit adnotatum. Neque Guidoni Grandio assentior cum negat Infortiati etymon ab Irnerio expositum, ac putat eum, qui eam vocem, ut est apud Odofredum, exposuit, non Irnerium fuisse sed vel Ircum vel Henricum de Baila (4). At Ircus ille jurisconsultus fictitius est nec umquam post homines natos fuit nec umquam Henrici glossae Irnerii nomine consignatae fuerunt, ut Grandio aliisque visum est; qua de re alibi dicemus. Sed quid Odofredo respondeas, qui ait Rogerium fuisse primum Infortiati glossatorem (5)? Dicam Odofredum esse intelligendum de amplo glossarum apparatu quem fecerit Rogerius, cum Irnerius paucas Infortiati legibus insperserit. Nam certe Odofredus ipse fatetur Infortiatum Irnerio notum fuisse ut supra dictum est, et saltem aliquas ab Irnerio glossas in lib. XXIV, tit. III, Dig. *Soluto matrimonio* scriptas observat Donatus Antonius Astensis (6).

XXV. Itaque vix fide ulla mihi dignus videtur Pancirolus, cum ab Irnerio non alios legum libros in schola expositos scribit quam Codicem et Digestum vetus; neque enim haberi potuisset tamquam romanae jurisprudentiae instaurator qui ceteras juris partes aut ignorasset aut neglexisset. Neque bononiensis schola tam celebris Irnerii aetate fuisset, ac multo minus civitas nostra jam tum ex legum studiis nomen sibi famamque comparasset, si eos solum libros irneriana schola exposuisset. Narrat Odofredus quo ordine in scholam bononiensem illati sunt legum libri aitque primum esse importatum Codicem, mox Digestum vetus et novum, dein Institutiones, postea Infortiatum, denique tres libros Codicis postremos et librum Authenticorum (7). Cum autem postremum hunc librum et viderit et excerpserit Irnerius, ut supra dictum est, multo minus credendum est reliquos legum libros, praeter Codicem et Digestum vetus, fuisse neglectos. Atque huc etiam facit Urspergensis auctoritas, qui nisi totum juris civilis corpus scholae commendatum fuisset ab Irnerio, non satis vere de illo dixisset legum

(1) Sed credo quod dominus Ir. dedit tunc tale responsum ideo quod non studuerat tunc adhuc in illo libro, unde necesse habuit dare tale responsum. Sed postea ipse mutavit talem opinionem suam, quod sapientis est mutare consilium in melius, et dixit, quod standum erat illi libro, et in illo libro studuit optime et bene scivit eum, quod apparet ex eo quod ipse totam utilitatem posuit super Codicem, signando Authenticas, quae leguntur super Codice. ODOFRED., *ibid.*

(2) GUIDO GRANDI. *Nuova disamina etc.*, p. II, cap. IV, p. 145.

(3) Dicunt quidam secundo, quod Infortiatum dicitur, idest augmentatum,... Unde dixit dominus Guarnerius, quod ex libro isto fuit augmentatum jus nostrum, et dicitur de veste de lana infortiata, idest de veste de lana augmentata. ODOFRED. in *Prooem.*, Dig. Novi.

(4) GRANDI, *ibid.*

(5) Secundum Ro. qui fuit primus glossator in libro isto. ODOFRED. in l. 1 *Soluto matrimonio* et in l. *Divortio* eod. tit.

(6) ASTENSIO, *ibid.*

(7) ODOFRED. ad l. *Falcid.*

libros, qui dudum neglecti fuerant, ab eo renovatos et prout a Justiniano compilati fuerant paucis fortasse verbis alicubi interjectis distinctos (1); quod cum de ceteris libris, tum maxime de Pandectis intelligendum est, nam Codex, Institutiones et Novellae etiam ante Irnerium minime negligebantur, et his saltem libris scholam bononiensem procul dubio usam censeo antequam Irnerius novam jurisprudentiae lucem afferret.

XXVI. Quo tempore Irnerius docere coeperit haud plane certum, sed ne illud quidem num suo arbitratu tantum an auctoritate principis jurisprudentiae scholam instituerit. Atque hic rursum, qui id affirmant, minime inter se consentiunt; alii enim Mathildis comitissae alii autem Lotharii II auctoritate Irnerium docendi provinciam suscepisse existimant. Sed ad tempus quod attinet, quamquam certis monumentis non liceat, non inanibus tamen conjecturis irnerianae scholae epocham figere licet circa finem XI saeculi aut initium XII. Supra indicavimus placitum Mathildis comitissae, quod habuit anno MCXIII, ut fieri solebat, in magno judicum, jurisperitorum et procerum conventu in loco Baviana (2). Ei interfuit *Warnerius de Bononia causidicus* et quidem honoris causa nominatus ante alios plures causidicos diversarum civitatum; nec dubium est quin sit Irnerius noster cui Warnerio seu Guarnerio nomen fuisse supra ostendimus. Non disputo nunc essetne Irnerius in Mathildis comitatu et familia, an ab illustri comitissa evocatus sit cum aliis aliarum civitatum causidicis, ut eum assidentem haberet in judicandis subditorum suorum causis in eo solemni conventu, quamquam hoc probabilius judico; sic enim postea factitasse comperimus Fridericum Aenobarbum cum Irnerii discipulis, quos ad roncalliensem conventum ex academia bononiensi revocavit et in gravioribus italici regni negotiis expediendis in consilium adhibuit. Vix autem intelligi potest Irnerium scholam ab se Bononiae institutam deseruisse ut Mathildis comitissae servitio se addiceret, nec monumenta habemus quae id evincant. Sed utcumque ea se res habeat, anno, quem diximus, MCXIII tantae auctoritatis Irnerius habebatur, ut principem locum teneret inter causidicos Mathildi assidentes. Igitur non tum primum sed multis ante annis debuerat, relictis artium studiis et professione, ad jurisprudentiam accedere atque in ea facultate profitenda ingentem sibi famam conciliare.

XXVII. Cum autem biennio post, anno scilicet MCXV, Mathildis obiisset, ejusque patrimonium Henricus V (quem alii IV appellant) occupasset, retinuit is judices et causidicos eosdem quos in palatio Mathildis repererat. In his eminebat Ubaldus de Carpeneta in plurimis comitissae tabulis per annos multos nominatus (3). At in duplici hujus principis placito, quod supra ex Muratorio attulimus, ante omnes causidicos et judices, ne ipso quidem Ubaldo excepto, Irnerium honoris causa nominatum vidimus. Illud idem apparet ex aliis Henrici V placitis et monumentis apud Muratorium (4), quae quidem omnia pertinent ad annos MCXVI, MCXVII et MCXVIII. Hoc autem postremo anno Irnerius cum Henrico Romam venit, eique suam operam contulit in excitandis Romanorum animis ad eligendum pseudopontificem Burdinum contra legitimum

(1) Ursperg., *loc. cit.*

(2) Extat apud Rubeum, *Historiae Ravenn.*, lib. IV, pag. 318 cit.

(3) Ubaldus advocatus de Carpeneta in tribus placitis Mathildis comitissae ad an. 1099 et 1100. Apud Ughel. in Ep. *Lucensibus*, et in aliis pluribus apud Murator. in *Antiquit. med. aevi*.

(4) An. MCXVI die XII Madii donationi cuidam Henrici Aug. pro Monasterio Padorolinensi ante Ubaldum judicem subscribit Warnerius judex. Murator., *Antiquit. med. aevi*, diss. XI.

Item eodem anno ante Ubaldum judicem subscribit diplomati ejusdem principis, quo bona ac jura Bononiensium confirmat. *Ibid.*

An. MCXVIII, XI Kal. Jul. Idem Imperator confirmat immunitatem a Mathilde comitissa concessam Hospitali prope Renum. Subscribit Gernerius judex, idem profecto ac Guarnerius noster. *Ibid.*, diss. XXXVII.

pontificem Gelasium II (1). In quo quidem negotio feliciter conficiendo magnam fuisse oportet Irnerii auctoritatem et aestimationem. Cum enim Romani jactarent velle se optimum pontificem eligere juxta legum et canonum praescripta, ut fere solent refractarii et seditiosi homines suam impudentiam legum velamento obtegere, Henricus ad fovendam hanc Romanorum insaniam cum alios jurisperitos tum vero ante omnes Irnerium adhibuit, quem hac una de causa Romam adduxerat. Qua re confecta, cum eodem principe ex urbe Roma digressus est; nec eo triennio ab Henrici latere discessisse videtur. Oportet igitur multo ante jurisprudentiae scholam ab Irnerio institutam, in qua et ipse tantam sibi famam conciliaverit, quanta necesse erat eum celebrari qui apud Mathildem prudentissimam foeminam et Henricum imperatorem primum in consilio locum obtinuerit et alios etiam erudierit, qui eo absente ejus vices in scholasticis muneribus sustinere possent; in quo numero esse potuit magister ille Walfredus legum professor illustris, de quo postea dicemus.

XXVIII. Neque vero credibile est Irnerium, postquam Henrico V in exercendis judiciis regnique negotiis tractandis suam operam contulit, tunc tandem ad legum libros in schola interpretandos accessisse. Primo enim obstat Odofredi auctoritas, qui ex majorum traditione narravit Irnerium cum esset artium professor ea professione relicta ad leges convolasse; quibus perdiscendis cum aliquandiu suo marte vacasset, eas postmodum in schola interpretari coepit. *Dominus Irnerius*, inquit, *dum doceret in artibus... coepit per se studere in libris nostris et studendo coepit docere* (2). Itaque Irnerius philosophiae et artium scholis relictis cum jam in jurisprudentiae professione supra Peponem et reliquos omnes, qui ad illud tempus fuerant, celebrari coepisset, tunc a Mathilde comitissa primum, dein ab Henrico V expetitus est et ceteris palatinis judicibus et causidicis antehabitus; quo sane honore dignus non fuisset homo nuper ex artium schola productus.

XXIX. Adde, quod ex irnerianae scholae celebritate et frequentia novum civitati nostrae decus accessit; quod ejus proprium ac suum per omnem postea aetatem, omnium nationum consensu, reputatum fuit. Exinde enim et legum mater haberi coepit et civitas docta appellari; quod et postmodum in suis nummis et insignibus inscripsit, ut alio loco diximus. Nihil autem opportunius ad antiquum hunc doctrinae et jurisprudentiae principatum civitati nostrae asserendum, quam quod apud anonymum poetam perantiquum habetur, qui librum edidit *De bello et excidio urbis Comensis*, a Muratorio editum (3). In eo populos et civitates recensens a Mediolanensibus accitas adversus Comenses, Bononiam hoc versu memorat:

Docta suas secum duxit Bononia leges (4).

Haec ad annum MCXIX gesta sunt. Rursus autem ad annum MCXXVII Bononiensium copias Mediolanensibus auxilio venisse ait:

Docta Bononia venit et huc cum legibus una (5).

Erat igitur per illud ipsum tempus, quo bellum utrumque a Mediolanensibus contra Comenses gestum est, Bononia ex legum studiis sic vulgo nota et celebris, ut leges

(1) Magister Guarnerius de Bononia et plures legis periti populum romanum ad eligendum Papam convenit, et quidam expeditus lector in pulpito s. Petri per prolixam lectionem decreta Pontificum de substituendo Papa explicavit. LANDULPH. JUN. *Histor. Mediol.* apud MURATOR. *Rer. Ital. Script.*, t. V, p. 502.

(2) ODOFRED. in l. *Jus civile*, Dig. *De justitia et jure.*

(3) MURATOR., *Rer. Ital. Script.*, t. V, p. 401 et seq.

(4) *Ibid.*, p. 418.

(5) *Ibid.*, p. 453.

ipsae Bononiensium quodammodo propriae reputarentur; siquidem iisdem temporibus poeta ille floruit et bellis ipsis, quae versibus descripsit, interfuit. Sic enim de se ipso canit:

. . . . falsa tacebo,
Quaeque meis oculis vidi potius reserabo (1).

Scripsit autem suum illud impolitum et rude poema circa annum MCXXX ut Muratorius observat (2). Si ergo tam rotundis verbis poeta comensis, homo exterus, cujus minime suspecta esse potest auctoritas, Bononiam *doctam* civitatem et legum quodammodo altricem praedicat, necesse est jamdiu ibi constabilitam fuisse jurisprudentiae scholam. Neque vero brevi tempore ac perfunctoria opera potuit civitati nostrae laus haec inhaerescere. Et quamquam ante Irnerium jam coepissent bonae literae in nostra civitate pristinam excutere barbariem, ei tamen potissimum referri debet acceptum hoc vetustum laudis et famae patrimonium, quo civitas nostra gloriatur. Quare admodum vero simile est Irnerium, antequam Henrico V se addixerit, interpretandis legibus et restituendis jurisprudentiae studiis Bononiae vacasse. Itaque irnerianae scholae epocham saltem circa initium saeculi XII statuendam esse existimo; qua in re facile consentientem Muratorium habeo, qui originem et progressum irnerianae scholae cum aetate Mathildis recte componi existimat. Imo, non solum circa initium saeculi XII potuit Irnerius ex Muratorii sententia jurisprudentiae scholam Bononiae moderari, sed etiam annis multis ante finem saeculi XI (3). Sed nihil certi hac de re constitui potest. Tantum apparet quam absurda sit eorum opinio, qui putant non ante Lotharium II restitui coepta jurisprudentiae studia, fovente ejus principis auctoritate, Irnerii industriam et conatus. Sed hactenus irnerianae scholae incunabula investigasse sufficiat.

XXX. Sed num qua tandem principis auctoritate Irnerii schola constituta est an vero ipse sua sponte ad docendum se contulit? Ita equidem existimo ac moveor in primis Odofredi silentio, qui cum probe cognitam haberet scholae irnerianae originem in ea describenda ne verbum quidem facit de principe ullo, qui vel Irnerio auctor fuerit ad leges romanas interpretandas vel praeclarum hoc institutum ab Irnerio susceptum sua auctoritate confirmarit. Accedit quod cum antiqui nostrarum scholarum professores, qui paulo post Irnerium floruerunt, aegerrime ferrent alibi quam in civitate nostra legum scholas haberi, variae sunt ab iis excogitatae rationes quibus persuaderent id jure fieri non posse; quod distortis etiam legum interpretationibus ostendere conabantur (4), non omissuri profecto privilegium aut rescriptum praesertim imperiale, si quod afferre potuissent, ad vindicandam et adstruendam suae scholae dignitatem. Et de Lothario II quidem nullum dubium est quin ejus aetate non solum instituta sed plane jam confirmata et multum celebris fuerit Irnerii schola, ut manifestum est ex iis quae paulo ante disseruimus. Nec quisquam est hoc tempore, qui de repertis apud Amalphim Pandectarum libris Lothario imperante deque ejus principis decreto de abolendis langobardis legibus et romanis revocandis, fabulam olim receptissimam non rejiciat. Ac miror huc impegisse elegantem academiae patavinae historiographum; quem si terrebant grandia et spissa Muratorii volumina, at Donati Antonii Astensis, Guidonis Grandii et si qui

(1) MURATOR., *Rer. Ital. Script.*, t. V, p. 413.
(2) MURATOR., *Antiquit. med. aevii*, diss. XXXXIV.
(3) *Ibid.*
(4) Glossa ad l. *Si duas de excusat. tutor.*, Dig. *De excusation.* et ad praefat. *Omn. reip.*, § *Haec autem tria.*

sunt aliorum id genus libri nec nimis grandes nec impoliti, in quibus haec accurate tractantur, terrere non debuissent (1).

XXXI. De Mathilde vero comitissa non inficior potuisse illam pro sua singulari prudentia hortari Irnerium ad publice interpretandas leges romanas, quod ab Urspergensi traditum est (2); sed ex ejus auctoritate jurisprudentiae scholam Bononiae fundatam, id falsum judico quam quod maxime. Mathildis enim numquam in civitate nostra imperium ullum exercuit, nec alibi, quam in ea civitate legum scholam ab Irnerio institutam, memoriae proditum est. Paruere Mathildi comitissae castra Montisbellii, Medicinae et Argelatae agro bononiensi contermina, ac prope interjecta; at Bononienses ipsi numquam in ejus ditione fuerunt. Neque audiendus est Leander Albertus (3), scriptor alias non indiligens rerum bononiensium, qui id sine tabulis et testibus affirmat (4). Quamquam, ut verum fatear, inutilis mihi videtur tota haec disquisitio. Cum enim Irnerius legum interpretandarum provinciam suscepit, jam aliqua erat Bononiae jurisprudentiae schola, ut supra demonstratum est. Erant etiam philosophiae professores, inter quos numerabatur Irnerius ipse, antequam legum studia capesseret. Non erat igitur cur Irnerius principis auctoritate indigeret ad jurisprudentiae scholam instituendam.

XXXII. Quamdiu aetatem egerit Irnerius, id quoque incertum est. Ego viventis memoriam non reperio post annum MCXVIII, quo Romae fuit cum Henrico Augusto. Sed tamen attigisse videtur Lotharii II tempora, qui imperator electus est anno MCXXV. His enim temporibus illum floruisse narrat Urspergensis. Illud pro certo habendum, circa annum MCXXXX jam obiisse (5). Per illud enim tempus bononiensem jurisprudentiae scholam regebat Jacobus, vetus ille glossator quem unum ex quatuor celeberrimis Irnerii discipulis fuisse perhibent (6). Atque hunc narrant ab Irnerio ipso, posthabitis Bulgaro, Martino et Hugone, qui inter ejus discipulos praecipui habebantur, delectum, ut sibi morienti in regenda schola succederet. Fertur enim Irnerius, cum ab eo jam sene et cum morte luctante quaesitum esset, quisnam ex quatuor illis ejus discipulis, qui ceteris eruditione et doctrina eminebant, in ejus schola moderanda succedere deberet, responsum his versiculis dedisse:

Bulgarus os aureum, Martinus copia legum,
Hugo fons legum, Jacobus id quod ego;

atque ita Jacobum in Irnerii schola moderanda successisse. Sed hoc Irnerii oraculum, quod habemus in historia laudensi Ottonis Morenae ab Osio edita, nescio quid fabu-

(1) Magnae molis libros sibi minime probari, ait non uno loco hic auctor. Sed haud scio, an exiguos ejus libellos in re quidem magna alii sint probaturi.

(2) Urspergen., *loc. cit.*

(3) Leand. Albert., *Histor. Bon. ad an. MCVI.*

(4) Neque in publicis populi bononiensis neque in privatis civium tabulis eorum temporum umquam praemittitur Mathildis nomen, sed aut romani pontificis aut imperatoris aut utriusque aut neutrius prout universa civitas aut ii qui contractum aliorumve actum tabulas scribendas curabant, in utrumque aut in alterutrum affecti erant. Sed Leander Albertus deceptus videtur ob hanc causam, quod monasterium s. Bartholomaei in fundo Mussiliano constructum existimavit a Mathilde comitissa; quod quidem monasterium medio in agro bononiensi situm est. Sed multis ante natam Mathildem annis conditum fuerat, anno scilicet DCCCCLXXXI, ut ex tabulis a Muratorio pruductis ex archivo monachorum s. Stephani, nunc amplissimi Senatus bononiensis. Murator. *Antiquit. med. aevi,* dissert. XXII. Ubi obiter emendare licet alterum Leandri errorem, qui monasterium illud s. Stephani de Mussiliano appellat. Quia nimirum monachis inde exactis vetustissimi monasterii aedes et praedia bononiensi s. Stephani monasterio jamdiu attributa fuerant.

(5) Ne commemoranda quidem hic videtur eorum opinio, qui vixisse scripserunt ad annum usque MCLXXXX; cui refellendae nimis multam operam impendit Donatus Antonius Astensis, fortasse quod a viris doctissimis defensam videret et antiquitatis etiam suffragio munitam. Ita enim Diplovataccio, Pancirolo, aliisque visum erat; ut Trithemium praeteream, qui ad annum MCC Irnerium vixisse tradiderat.

(6) *Vide infra in* Irnerio *et* Gratiano.

losum redolet. In ejus historiae editione, quam ex optimo exemplari pervetusto bibliothecae ambrosianae curavit Muratorius, nihil tale legitur (1). Fortasse quia Bulgarus *os aureum* vulgo dicebatur et Martinus *copia legum*, quod aliunde ex certis monumentis notum est, cum etiam constaret Jacobum bononiensem jurisprudentiae scholam Irnerii obitu vacuam sive ipsius Irnerii suffragio sive aliorum doctorum consensu regendam suscepisse (de quo dubitare non ausim ob Huguccionis, scriptoris fere synchroni, auctoritatem (2)) propterea sciolus aliquis versiculos illos totamque fabellam confingere potuit.

XXXIII. Sed illud etiam incertum est, quamquam in eo scriptores omnes jam vulgo consentiant, Jacobum, quem dixi, Bulgarum, Martinum et Hugonem Irnerii discipulos fuisse; licet certum sit ex irneriana schola prodiisse eamque plurimum illustrasse. Cum enim isti non ante medium saeculum XII floruisse reperiantur, Irnerius autem initio ejus saeculi, aut fortasse etiam sub finem saeculi superioris florere coeperit, nimis magnum temporis intervallum inter magistrum et discipulos excurrisse videtur. Sed cum certa monumenta desint, ob qualemcumque conjecturam a communi et vulgata opinione recedendum non censeo, quae quatuor illos jurisconsultorum principes pro Irnerii discipulis agnoscit.

XXXIV. Sunt qui putant Irnerium, dum viveret, pro Henrico V imperatore Italiam rexisse, imperialem vicarium propterea appellatum; atque ita in Carionis chronico legitur (3). Sed recentior est ejus chronici auctor, quam ut de re tam antiqua fidem facere possit. Quo tempore florebat Irnerius noster et multo etiam postea vixit Guarnerius marchio, ex quo *Marca Guarnerii* ea regio dicta est, quae nunc, magna saltem ex parte, Marchia Anconitana dicitur. Tenuit ille has regiones imperatorum nomine, ejusque perfrequens mentio est in monumentis saeculi XII. Cum autem utrique idem nomen esset, nam genuinum Irnerii nomen Guarnerium sive Warnerium, quod idem est, fuisse diximus, id huic opinioni causam praebere potuit. Est illud etiam maxime incertum quod ab Irnerio primum tradunt morem inductum fuisse creandi doctores, sive is sua sponte invexerit sive Lotharius II jus illud ex perscripta ab Irnerio formula tradiderit. Ego nullum ejus rei vetustum monumentum aut indicium reperio. Nam probatos quidem aliquo judicio eos, qui publice facultatem aliquam profiteri optabant, jam inde ab antiquissimis temporibus non dubito; sed solemnem hanc doctorum inaugurationem, quae postea invaluit, tradito conceptis verbis libro et additis honoris insignibus, aliquanto post Irnerium inductam existimo; eique fortasse causam praebuit Friderici Aenobarbi constitutio de privilegiis scholarium (4), quae non in civilibus modo sed et in criminalibus causis jurisdictionem doctoribus tribuit in scholares suos; qua re, ut mirum in modum aucta est doctorum dignitas et auctoritas, ita pronum fuit ut nova sibi procurarent honorum insignia. Praeter glossas in legum libros scripsit Irnerius formulas instrumentorum, quibus tabelliones in suis tabulis scribendis uterentur; atque hic Irnerii liber Formularium tabellionum vulgo dicebatur, qui ab aliis postea auctus eorum nomine circumfertur (5). Haec fuere prima artis notariae elementa, quam postea perfecit Rolandinus Passagerius.

(1) Extat in t. VI *Rer. Ital. Script.* utraque ejus historiae editio, altera alteri collata.

(2) Huguccio. *Summa Decretor.* ad C. *Forma apostolorum II. Q. VI in Cod. Vatic. 2280.* De quo vide infra in Gratiano et in Appendice.

(3) *Chron. Carion.*, lib. III.

(4) Auth. *Habita*, lib. IV, tit. XIII, C. *Ne filius pro patre.*

(5) Panciról., lib. II, c. XIII ex Odofredo in Auth. *Qui res.*, C. *De SS. Eccl.* et Accursio in Glossa in l. 2, § *Sane*, C. *De SS. Eccl.*

XXXV. Sed infinitus sim oportet si singula discutere velim quae de Irnerio apud scriptores leguntur; quae centies ab aliis regesta et novis ut plurimum erroribus aucta, cum nullius fere momenti sint, sine piaculo praetermitti poterunt. Illud singulare est quod Irnerius non solum jus civile sed canonicum quoque docuisse et in utroque parem laudem consecutus dicitur a Trithemio, quo nihil fingi potest absurdius (1); tum quod jus canonicum illud, quod postea in scholis obtinuit, nondum Irnerii aetate Gratiani opera exortum fuerat, tum quod primi illi legum professores academiae nostrae, post exortum jus canonicum, ab eo alienissimi fuerunt. Sed ne illud quidem dissimulare possum etiam numisma quoddam cum Irnerii effigie esse confictum. In ejus antica parte circa effigiem haec verba expressa dicuntur: IRNERIUS GLOSSATOR. In postica manus insculpta dicitur aeneum vas pulsans ad revocandum examen apum ad alveare infra positum cum hac epigraphe: INSTAURATIO ARCHIGYMNASII; quod quorsum pertineat nemo non intelligit (2). Sed revera numquam hic nummus in rerum natura fuit, nec nisi inscite admodum excogitatus est ab homine totius antiquitatis imperitissimo. Sed quidni igitur, inquies, has nugas praeteris? Quia typis editae sunt et per manus hominum circumlatae credulo incautoque popello fraudi esse possunt (3).

II.

RAYMUNDUS DE GENA.

Vixit Irnerii aetate Raymundus de Gena, non causidicus modo sed *legis lator* appellatus; quo titulo donatum quoque postmodum constat Jacobum de Porta Ravennate. Porro Raymundum novimus ex veteri charta archivi monachorum Montis Oliveti ad s. Michaelis in Busco. Scripta est ad annum MCXXVII eique Raymundus non contentus causidici appellatione, quo donatus a notario fuerat, ipse in hunc modum subscribit: *Egomet Raymundus legis lator mm. ss.* (4). Eam indicavit clarissimus Montius.

III.

WALFREDUS.

I. Vixit etiam cum Irnerio Walfredus sive Gualfredus legum professor illustris, cujus perfrequens mentio est in antiquis eorum temporum tabulis; ex quibus conjicere licet nec minimae auctoritatis hominem fuisse et opes non modicas legum professione,

(1) TRITHEM., *loc. cit.*

(2) Succedit tertius, Irnerii scilicet, nummus, cujus veteri veste induta imago quemnam referat, verba pandunt ibi IRNERIUS GLOSSATOR. Conspicitur in retrofacie vas aeneum, in quod manus pulsat, actum tamquam ejus agens, qui ad alveare advolantes apes revocet, quae non ablonge conspiciuntur, praeposito motu: INSTAURATIO ARCHIGYMNASII. *Apolog. August.* etc., § 151, p. 83.

(3) Vide: FANTUZZI. *Scrittori bolognesi,* t. 4, pag. 358, art. *Irnerio.* — TIRABOSCHI. *Storia della letteratura italiana,* lib. IV, cap. VII, § 14, 15, 16, 17, 18. — SAVIGNY. *Storia del diritto romano nel medio evo,* lib. IV, cap. XXVI e XXVII. (C. A.)

(4) In nomine.... An. MCXXVII die quarto mensis Jul. indict. quinta. Albertus cujusdam Raynerii donat vobis, Ugo et Albertus et Ildebrandus et Gisnardus filiis medietatem suorum bonorum in castro Sassilioni etc.

Signum nomina testium haec sunt: Ugo presbiter filius cujusdam Gerardo de Gaibano, nec non Raymundus causidicus de Gena etc. Teucius de castro Zena

ut opinor, et actionibus fori consecutum. Imperatoris Lotharii judicem fuisse constat, ut ex tabulis archivi publici Bononiensium intelligimus, quas indicavit clarissimus Montius (1). Eum plane ignorarunt scriptores nostri ac dubitari de illo potest num in Irnerii schola eruditus sit. Certe antiquum docendi morem, qui obtinebat ante Irnerium, a Walfredo servatum existimo ut viva voce leges romanas exponeret, a scribendis glossis abstineret, quod primus omnium ausus est Irnerius. Et sane, si quas ipse quoque glossas et interpretationes legibus adjecisset ut Irnerius et ejus discipuli fecerunt, earum, cujuscumque tandem pretii fuissent, vestigium aliquod appareret in Odofredi aliorumque veterum interpretum commentariis. Neque vero dubium est quin Walfredus docendis legibus diu vacaverit, cui et honorificam magistri appellationem semper tributam reperio (2), et non solum *jurisperitus* sed et *legum doctor* dictus est (3). Fuit Walfredo, dum viveret, magna conjunctio cum canonicis regularibus s. Victoris, ut ex eorum antiquis tabulis constat quae nunc in archivo s. Joannis in Monte asservantur. Ex iis aetatem agnoscimus qua vivebat Walfredus, ab initio scilicet usque ad medium circiter saeculum XII. Anno certe MCXXXXVI (4) adhuc in vivis erat, sed anno MCLI extremum diem obierat (5). Notatur ejus obitus in necrologio canonicorum s. Victoris ad diem XV kal. Octobris his verbis: *Obiit magister Gualfredus frater noster exterior, pro quo novem lectiones agimus, quia multum nos dilexit et adjutorium impendit.*

II. Fuit Walfredo filius Ildebrandus nomine, qui non secus ac pater canonicis s. Victoris addictissimus vixit iisque non minimam bonorum suorum partem moriens reliquit, siquidem eos ex asse haeredes non instituit (6). Ejus obitus in eodem necrologio notatus est ad diem II non. Septembris his verbis: *Obiit Ildebrandinus mag. Gualfredi filius frater noster, qui reliquit nobis multa bona.* Qui hic Ildebrandinus in pluribus antiquis tabulis Ildebrandus semper appellatur. Quod autem in necrologio victorino dicitur *frater noster*, id non eo pertinet quod Ildebrandus canonicus regularis in eo loco fuerit; sed quod ob beneficia iis collata a canonicis in societatem bonorum spiritualium adscitus sit quemadmodum et ejus pater, qui propterea recte ibidem dicitur *frater noster exterior*. Id autem non inutile fuerit adnotasse, ne quis existimet omnes qui *fratris nostri* appellatione in eo necrologio donantur, canonicorum regularium institutum secutos esse; quo in numero sunt episcopi plures, ut videre licet in ejus necrologii excerptis quae in appendice damus. Ac de Ildebrando quidem constat uxorem

notarius. Supra Raymundi nomen haec verba inserta sunt: *Egomet Raymundus legis lator mm. ss. — Ex archiv. s. Michael. in Busco.* Indicavit clarissimus Montius.

(1) A. D. MCLVII regn. Federico imperatore anno sexto regni ejus, imperii vero tertio, indict. V, in presentia dn. Gerardi episcopi Dei gratia sc. Bonon. eccl. in concione populi Bononiae in curia s. Ambrosii in conspectu eorum consulum scil. Accarisii qu. Lamberti Curtis, Isnardi Ricardi Attonis, Ursonis Angli Garisendi et eorum judicum Rolandi Dei gratia filii Rodulfi causidici, Guerini, Ildebrandi bone memorie fil. Gualfredi judicis imperatoris Lotharii et eorum Treguanorum etc. *Regist. gros.*, p. 8.

(2) An. MCXXVIII octavodecimo kal. Febr. Stephanus presbyter vendit domino Walfredo jurisperito agrum in fundo querceto. *Ex tab. archiv. s. Jo. in Monte,* lib. II, n. XX.

(3) An. MCXXXII, VIII kal. Jun. Albertus quondam de Arardo renunciat liti quam habebat cum Alberio priore s. Victoris in praesentia dn. Henrici Episcopi, dn. Fantini Archipresbyteri s. Auxani, et Gerardi canonici filii Alberti Grassi, et Henrici de Gena, et Walfredi legis doctoris etc. *Ibid.* n. XXIII. Anno MCXXXIX. Alberius prior s. Victoris investit mag. Walfredum doctorem legum. *Ibid.*, lib. III, n. X.

(4) An. mil. centes. quadrages. quarto tertio id. Januar. indic. septima. In presentia Walfredi magistri, et Alberti de Oddone etc. ego dn. Martinus prior ecclesie s. Victoris conquestus sum tibi dn. Henrico episcopo sc. Bonon. eccles. *Ibid.*, lib. III, n. XLIII et rursum. An. MCXLVI. Walfredus magister, Atto Conte, *aliique nobiles viri testes intersunt donationi* Gislae filiae Abbasacontis, *quem fecit Ecclesiae s. Victoris. Ibid.*, lib. IV, n. VIII.

(5) An. MCLI. *Ildebrandus filius quondam mag. Walfredi;* testis subscriptus in tabul. arch. s. Jo. in Monte ejus anni.

(6) Vide adnotat. sequ.

habuisse Mathildam nomine, quae ei fuit superstes quaeque anno MCLXXXXVI adhuc vivebat (1). Gessit Ildebrandus praeturam bononiensem anno MCLXXXVI (2), quo tempore nondum lege cautum fuerat ne quis qui civis esset bononiensis civitatis praetor esse posset.

III. Fuit etiam Walfredo filia Agnes nomine, quae nupserat Raynerio de Preitone, quaeque in antiquis tabulis anno MCLXIX scriptis filia dicitur *beatae memoriae domini Gualfridi judicis* (3). Eas in appendice damus ex archivo s. Gregorii ad Sapinam, quae nunc abbatia commendata est Flavio Chisio S. R. E. cardinali amplissimo, quem hic honoris et obsequii causa nominatum volo.

IV.

BULGARUS.

I. De Bulgari patria multis disputat Guido Grandius in animadversionibus ad epistolam de Pandectis ad Averanium, ubi Bulgarum patria pisanum fuisse defendit (4). Est autem Grandio prora et puppis Bartholi locus in l. *Ac consultissima*, C. *Qui testam. facere possint*, ad quam legem ita Bartholus scribit: *Finaliter glossa ponit quandam opinionem Bulgari glossatoris antiqui, qui fuit pisanus.*

II. Cum autem multa sibi ab iis qui bononiensem fuisse existimant objici posse videat, ea ex ordine sibi proponit et refellere nititur, atque, ut ingenio et eruditione praestans erat, videri potuit malam causam vicisse. Primo igitur sibi objicit id, quod ante Pancirolus animadverterat, Bartholi locum vitiatum esse ac *Bandinum*, secluso *Bulgaro*, ibi esse legendum: *Patria pisanus esse a nonnullis Bulgarus existimatur*, inquit Pancirolus, *cui errori causam corruptus Bartholi codex dedit, qui pro Bandino pisano Bulgarum citat. Ego, ut plurimos ejus aetatis interpretes, bononiensem fuisse existimo, qui ingenii felicitate excultaque doctrina supra alios sui temporis jurisconsultos excelluit et cum venusta etiam pronunciatione doceret vulgo os aureum est appellatus.* Cum igitur Bartholi auctoritate nitantur qui Bulgarum Pisanis adjudicant, ea sublata fundamentum omne ejus opinionis corruere oportet. Fatetur autem vel ipse oculatissimus Grandius glossae locum a Bartholo indicatum in quibusdam editionibus habere *Bandinum*, in aliis *Blandinium.* Sed cur, inquit, in veteri codice quo Bartholus usus est non potuit Bulgari nomen scriptum reperiri? *Cur etiam*, pergit idem vir clarissimus, *pro more scribendi veterum glossarum, initiali dumtaxat litera B ejus sententiae auctor eo loci indicatus a glossa supponi non possit, quem Bartholus quidem Bulgarum alii vero Bandinum vel Blandinium (quemadmodum et alii Berguntionem sive Burgundium ex Pancirolo lib. 2, c. 16), fuerint interpretati?* Sive igitur vera sit sive falsa censeatur glossae lectio, stat pro Pisanis Bartholi auctoritas qui diserte Bulgarum pisanum fuisse asserit. Ita concludit Grandius; qui addit insuper, *antiqui glossatoris* nomen, quo suum

(1) An. MCLXXXXVI. Hae sunt res quas dn. Matelda uxor quondam Ildebrandi magistri Gualfredi stipulat. promisit restituere in morte sua donno Rodulpho priori ecclesie s. Victoris etc. *Ex charta archivi s. Jo. in Monte*, lib. VIII. Hinc conjici posse puto Ildebrandum sine liberis decessisse et haeredes sibi instituisse canonicos regulares s. Victoris.

(2) Ex tab. ejus annis in *Regist. gros.*

(3) Vide in Append. tabulas anno MCLXIX signatas.

(4) Guid. Grandi. Ep. *De Pandectis*, p. 87 et sequ.

hunc pisanum juris interpretem appellat Bartholus, convenire potius Bulgaro quam Bandino; ille enim floruit medio saeculo XII ac decessit anno MCLXVII, hic autem vixit post initium saeculi XIII et obiit anno MCCXVIII, ut ex necrologio canonicorum s. Mariae ad Rhenum apparet.

III. Ita Grandius auctoritate Bartholi potissimum fretus Bulgarum Pisanis adscribit. Sed quanti demum Bartholi auctoritas facienda est, qui annis, ut minimum, CXXXXVI natus est post Bulgari obitum? Obiit enim Bulgarus anno MCLXVII, Bartholus autem natus est anno MCCCXIII ex Panciroli sententia. Sed quid, quod de Bartholi etiam auctoritate dubitare licet? In antiquo codice manu exarato bibliothecae collegii albornotiani s. Clementis, quo Bartholi commentaria in Codicem continentur, in hunc modum scripta est perioche illa, ex qua nata est disputatio: *finaliter glossa ponit quandam opinionem Py. glossatoris antiqui, qui fuit pisanus.* Quae lectio si retinenda esset aliquis dicere posset Pillium antiquum utique juris interpretem, qui fere in vetustis libris manuscriptis et editis ea nota Py. designari solet patria pisanum fuisse; quod quantum a vero absit liquet ex iis quae suo loco de Pillii patria dicentur. Sed ex hoc manifesto sphalmate, quod in eo codice occurrit, facile intelligimus parum fidendum esse etiam editis Bartholi commentariis, in quibus Bulgarus pisanus appellatur.

IV. Ego vero non solum dubiam esse existimo Bartholi auctoritatem, quam pro sua causa affert Grandius, sed plane nullam. Nego enim Bartholum umquam dixisse Bulgarum glossatorem antiquum fuisse pisanum. Bulgarum Pillius, Placentinus, Azo, Accursius, Roffredus, Odofredus aliique doctores antiqui saepissime memorant nulla umquam ejus patriae mentione facta; ita enim celebre erat Bulgari nomen, ut nulla egeret aut patriae aut parentum atque agnominis nota ut agnosceretur ab omnibus. Bartholus ipse Bulgarum saepe laudat, sed patriae ejus mentionem numquam ingerit (1). Cur ergo eo tandem loco novo atque inaudito exemplo illum dicere potuit pisanum? Aut undenam tandem didicit eum esse pisanum, quod nemo antea dixerat, non esse autem bononiensem, quod argumenta multa Bartholo ipsi minime ignota demonstrabant? Res igitur eo redit ut non solum corrupti sint codices, si qui sunt in quibus Bartholus *Bulgarum pisanum* legerit, sed ejusdem Bartholi libri omnino mendosi sint, qui hoc idem habent; ac propterea antiquus ille glossator a Bartholo citatus non *Bulgarus* fuerit sed *Bandinus*, clarus item scholarum bononiensium professor, patria pisanus, de quo postea dicemus. Sic itaque accidisse puto. Cum Bartholus in suis commentariis unica sigla B. nomen Bandini pisani ex more scripsisset, aliquis amanuensis, cui Bandinus iste haud sane celeberrimus si cum antiquioribus illis glossatoribus comparetur ignotus erat, Bulgarum ejus loco substituit aut Pillium; quae nomina erant vel ipsis jurisconsultorum famulis notissima. Simile mendum in aliqua Digestorum editione cum glossis accursianis enatum est ad l. *ult.*, Dig. *Fin. regund.*, ubi Accursius ait interpretationem latinam ejus legis esse Bulgari pisani. Scribendum fuerat Burgundionis pisani, quem ex primis fuisse novimus qui aliqua ex graeca lingua in latinam verterit. Id multo ante observavit Odofredus (2).

(1) Bart. in l. 1, C. *Si advers. vendit.;* in l. 2, C. eod tit.; in l. 3, C. *De tempor. in integ. rest.;* in l. 10, C. *De judiciis* et in C. *De ordine judic.;* in l. 11, C. *De petit. haeredit.*, et alibi saepissime Bartholus Bulgarum allegat nulla patriae indicatione facta.

(2) Unum tamen vobis non omitto, ut sciatis semper, quod in antiquis libris, ubi vos invenietis graecum, quod vos invenietis extra textum unum *B* et *e* et *r* dicit *Ber*. Verum tamen est quod scriptores ponunt *B*, *u* et *l*, et dicunt, quod fuerunt factae per dominum Bul-

V. Potuit autem Bartholus Bandinum pisanum glossatorem antiquum recte appellare licet Bulgaro recentiorem. Solebant enim nostri scriptores appellare doctores aut glossatores antiquos eos omnes, qui ante eorum aetatem vixerunt quosque ipsi minime potuerunt agnoscere. Id maxime ex Odofredi scriptis intelligi potest. Sunt enim Odofredo doctores antiqui illi omnes, qui Azonem, Jacobi Balduini a quo ipse eruditus est magistrum, aetate praecesserunt (1). Cum ergo Bandinus pisanus annis fere centum decesserit antequam nasceretur Bartholus, non video cur glossatorem antiquum appellare non potuerit. Sed quoniam fatente ipso Guidone Grandio in libris editis Accursii glossae ad citatam legem non Bulgarum habent sed Bandinum vel Blandinum, et Bandinum pisanum fuisse constat, nulla fides habenda est Bartholo aut ejus amanuensibus et exscriptoribus, dum glossam, quam Accursius Bandino, ipsi Bulgaro tribuunt. Adde quod in melioris notae editionibus justinianei Codicis, ut est illa quae curante Antonio Contio emendatissima et elegantissima prodiit Parisiis anno MDLXXVI, in glossis accursianis ad eam legem non Bulgarus sed Bandinus aperte legitur in hunc modum: *Sed Bandinus contra: quia non probatur etc.* Eodem prorsus modo legitur antiqui hujus glossatoris nomen in pervetusto Codicis justinianei exemplari manu exarato in membranis cum glossis Accursii, qui est in bibliotheca barberina (2), ut jam dubitare non liceat quin revera Accursius Bandinum scripserit, nec ullus ibi Bulgaro locus esse possit. Igitur hujus unius codicis auctoritate, quem mihi considerandum permisit vir eruditissimus mihique amicissimus Simon Ballerinius ei bibliothecae praefectus, omnis haec controversia dirimitur. Rejectis igitur, quae afferri poterant ad pisanam civitatem Bulgaro adstruendam, restat ut nullam jam de ejus patria movere litem liceat. Nam praeter scriptores nostros, qui numquam dubitarunt non esse bononiensem (3), talis etiam dicitur a Guilielmo Pastrengo, scriptore admodum antiquo (4), et Pancirolo, qui primus detexisse videtur hunc scriptorum plurium errorem de Bulgari patria, cui causam dedit corruptus Bartholi codex (5).

VI. Alidosius Bulgarum dicit Alberti Bulgari filium ex nobili genere natum; quod si verum esset non bononiensem fortasse dici oporteret Bulgarum sed imolensem. Viderat Alidosius inter acta antiqua civitatis exemplum foederis inter Bononienses et Imolenses initi anno MCLXVIII, cui scribendo interfuit *Bulgarus de Alberto de Bulgaro.* Sic hunc arbitratus est esse Bulgarum nostrum. Mirifice deceptus est. Erat Bulgarus ille ex Imolensium primoribus; fortasse ille ipse aut certe ex eadem gente qua Bulgarus alter imolensis anno MCLXXXI in alia charta foederis Bononiensium cum Imolensibus nominatus (6).

VII. Jus civile Bulgarus ab Irnerio didicisse dicitur cum Martino, Hugone et Jacobo (7). Cum iisdem jurisconsultorum principibus Friderico I imperatori assedit in conventu ad Roncallias celebrato, ubi italici regni jura ex eorum maxime sententia

garum. Sed hoc non est verum, quia dominus Bulgarus non plus scivit de graeco quam ego. Sed interpretationes de graeco in latinum fuerunt factae per quemdam Pisanum, qui vocabatur dominus Berguntio, et fuit avus domini Leonis ejusdem terrae. ODOFRED. in l. *Nam et Demosthenes,* Dig. *De legib. et Senatusconsultis.*

(1) Ponam vobis exemplum antiquorum doctorum, quod habuit locum usque ad tempora Joannis et Azonis. ODOFRED. in l. *Servum fugitivum,* C. *De servo fugit.*

(2) Cod. mss. 480.

(3) ALIDOSI. *Dottori Bolognesi di legge canonica e civile,* pag. 39. — ORLANDI. *Scrittori Bolognesi.* Vide *Bulgaro.*

(4) GUIL. DE PASTRENGO. *De orig. rerum,* pag. 15.

(5) PANCIROL., lib. II, cap. XV.

(6) Extant in archivo pub. bonon. in libro qui inscribitur *Regist. Gros.* p. 15 etc.

(7) Ita fert communis opinio, a qua discedere non licet propter scriptorum consensum. Sed temporum ratio non satis bene constare videtur ut supra monuimus.

sunt constituta. Sed ex quatuor istis Bulgaro maxime et Martino se amicum ostendit Imperator, quos et familiarissime acceptos saepius in consilium adhibuit et multis beneficiis affecit (1). Laudatur autem Bulgarus quod libere quae sentiebat Imperatori diceret, cum Martinus contra ejus aures mulceret nec ab assentationis vitio videretur alienus. Itaque cum aliquando utrumque interrogasset, num ipse uti Romanorum imperator esset rerum omnium dominus, Bulgarus intra aequissimos terminos hanc imperialem potestatem conclusit, quam Martinus effrenem prorsus et nullis definitam limitibus praedicavit, ut narrat Odofredus (2). Id alii aliter narrant. Muratorius in Annalibus Italiae narrat Fridericum Bulgaro et Martino quaestionem de mundi dominio proposuisse, cum medius inter utrumque equitaret. Itaque cum Martini responsum ei gratissimum accidisset, ubi ex equo descendit, nobilem equum, cui insederat, Martino donasse; quare Bulgarus facete dixerit: *amisi equum, quia dixi aequum, quod non erat aequum.* Hoc Muratorius narrat ex fide Ottonis Morenae in historia laudensi (3). Sed Odofredus narrat id de Azone et Lothario, quibus ait similem quaestionem ab Henrico VI propositam (4). Atque huic certe major fides habenda est; praesertim cum ea narratiuncula absit ab antiquis codicibus ambrosianis, ex quibus multo puriorem historiam laudensem edidit Muratorius ipse quam quae olim ab Osio edita fuerat, in qua haec narratiuncula continetur, ab eo qui historiam illam interpolavit, ut arbitror, adjecta (5).

VIII. Perpetuas habuit contentiones Bulgarus cum Martino, qui primus post restituta jurisprudentiae studia novae sectae inter jurisconsultos auctor fuerat et a receptis opinionibus scholae irnerianae, in qua veluti princeps habebatur Bulgarus, saepius recedebat. Sed Bulgarus tum propter eruditionem et doctrinam tum propter facundiam quamdam et copiam dicendi, propter quam vulgo *os aureum* dictus est (6), et libentius et majore multo scholarium concursu audiebatur quam Martinus. Hic autem, cum majore studio ad aucupandam Imperatoris gratiam niteretur quam Bulgarus, facile ab eo obtinuit ut opinionem quamdam, quam contra Bulgarum tuebatur quaeque non admodum placebat studiosis, sua constitutione confirmaret; atque ob hanc causam edita est Constitutio quae incipit: *Sacramenta puberum.* Ita Bulgarum vicit Martinus non doctrina et eruditione sua sed gratia quam apud principem obsequio et assentatione captabat. Haec narrat Odofredus, cujus verba inferne atteximus lectu digna ob nativam quamdam ejus auctoris simplicitatem (7).

(1) Olim, sicut fertur a majoribus nostris, quando Imperator Fridericus senior regnabat in Italia, dominus Martinus, et Bulgarus legebant in civitate ista, et dominus Fridericus utebatur consilio dominorum Martini et Bulgari, et unusquisque multa a principe habuit, et in arduis quaestionibus recurrebat ad eos. ODOFRED. in l. *Si minor.*, C. *Si advers. venditionem.*

(2) *Cum omnia principis.* Hic voluit colligere dominus Martinus, quod Imperator sit dominus omnium rerum singularium, et ita respondit imperatori Friderico seniori, dum esset apud Roncalliam, timore vel amore. Sed Bulgarus dixit contra in eodem loco .... et intelligebat dominus Bulgarus quod dicitur hic, quod omnia sunt principis quoad protectionem vel jurisdictionem vel verius omnia sunt principis, scilicet, fiscalia et patrimonialia. ODOFRED. in l. *Bene a Zenone,* C. *De quadriennii praescript.*

(3) MURATORI. *Annali d' Italia, anno MCLVIII.*

(4) *Vide in* AZONE.

(5) Historia Ottonis Morenae, tam ex editione Osii, quam ex codicis Ambrosianis, extat t. VI *Rer. Ital. Script.,* quam vide ad p. 1017, 1018.

(6) Imo, quod os aureum (idest Bulgarus) egregie excogitavit, ut determinaret contrarium. PLACENTIN. in *Exposit. ad reg. jur. CLIII.* Potest dici ut dixit os aureum, scilicet dn. Bulgarus. ODOFRED. in l. *Denique Divus Severus,* § 2, Dig. *De minoribus.*

(7) Unusquisque multa a principe habuit .... et Martinus plusquam Bulgarus erat gratiosus, quia sciebat melius applaudere .... Et dominus Martinus sciens esse discordiam inter dominum Bulgarum et ipsum, et videns quod opinio domini Bulgari magis placuit scholaribus, una die cum equitaret cum Imperatore dixit: Domine, quaedam opinio est inter me et Bulgarum, qui dicit, quod venditio facta a minore de re sua sine decreto non valet ipso jure .... Ego dico, si minor vendidit rem suam sine decreto, non valet, sed si jurat sive cum decreto sive sine decreto valet .... Decidatis quae opinio videtur

IX. Summa Bulgari auctoritas fuit in civitate nostra, in qua quia populari imperio regebatur rudibus adhuc moribus facile erat tam excellenti homini primas honoris partes deferri. Neque gratia, qua apud Imperatorem italicis civitatibus invisum valebat, Bulgari aestimationem apud populum minuit. Immo, cum aliquando auctor fuisset dedendae Imperatori ipsi civitati, populus ejus consilium secutus est, ratus hominem adeo prudentem et bonum civem nihil consulere quod ex patriae utilitate non esset. Itaque aeque charus et Imperatori et civibus suis, vicarius, ut appellabant, imperialis in civitate nostra fuit (1). Verum definire non licet quo tempore et quamdiu eo munere functus sit. In antiquis monumentis, quae de eo extant, causidicus et legum doctor appellatur ac nullibi vicarii imperialis titulo appellatum reperio; ex quo fortasse licebit conjicere non diu admodum illud munus gessisse. Postquam in conventu roncalliensi jura italici regni constituta, civitatibus italicis magistratus datus est qui pro Imperatore jus diceret. Eo munere postea functus est in civitate nostra Bozo quidam, avarus homo et populo exosus, a quo tandem occisus est et civitas hoc imperialis servitii jugo excusso libertatem arripuit (2). Pancirolus existimat hujus magistratus non aliam fuisse auctoritatem quam judicandi in causis appellationum, quae excederent summam XXV librarum, atque hoc ipsum munus Bulgaro demandatum. Sed cuinam credibile videbitur tanto viro tam levem procurationem tributam, quae pedaneum quemlibet et plebejum judicem vix requirebat? Si quando igitur vicarius Imperatoris fuit Bulgarus, major ejus dignitas et auctoritas fuit quam quae judicis appellationum esse poterat. Ac fallitur certe Pancirolus cum rectores civitatibus langobardis a Friderico datos post conventum roncalliensem non alios fuisse existimat quam appellationum judices. Fuit illis summa auctoritas in regendis civitatibus ut praetorum esse solebat; judices autem appellationum in causis, quae summam XXV librarum excederent, admisere civitates post redditam iis libertatem in pace constantiensi, tamquam exiguum vestigium subjectionis erga Imperatorem quam prorsus abjicere voluissent.

X. Quod autem ait Pancirolus, Bulgarum in eo magistratu tanta aequitate jus dixisse ut ejus sententiae de ambiguo jure prolatae in universa Italia vim legis habuerint, accepit ab Accursio, qui in glossa ad Authenticam *Hoc locum*, C. *Si secundo nupserit*, id praeclare institutum memorat, *ut uxori, quam maritus in testamento bonorum dominam et fructuariam esse voluit, stantibus liberis ex conjecta mente defuncti alimenta tantum debeantur;* quod cum jure inductum non sit, in curia tamen Bulgari obtinuit et ubique in Italia observatur (3). Sed Pancirolus hic non recte assecutus est quid sit curia Bulgari. Neque vero quidquam commune habuit curia Bulgari cum vicariatu imperiali, si quidem hunc umquam gessit. Bartholus id aliquanto melius intellexit (4). Curiam enim Bulgari, quam Accursius memorat, esse ait viam quamdam (domum dicere debuerat sive palatium), in qua morabatur Bulgarus, ubi ad tollendas contentiones civium, quae ante illud tempus a populo bononiensi ex veteri usu et consuetudine recepta erant, in scriptis redigi

vobis verior. Dixit Imperator: Domine Martine, vestra opinio placet nobis et vestra opinio est verior. Dixit Martinus Imperatori: Modo faciatis unam Constitutionem. Et ipse fecit Constitutionem, quae incipit: *Sacramenta puberum.* ODOFRED. in l. *Si minor.*, C. *Si advers. vendit.*

(1) Bulgarus, qui vicarius fuit Imperatoris in civitate Bononiae, interpretatus fuit ut filiis heredibus institutis uxor tantum habeat alimenta. SALICET. in Auth. *Quod locum.*

(2) GHIRARDACCI. *Historia di Bologna,* lib. III.

(3) PANCIROL., lib. II, c. XV.

(4) Curiam Bulgari est contrata quaedam in civitate Bononiae, ubi stetit Bulgarus, et ad fugiendas contentiones tempore ipsius Bulgari fuerunt ibi redacta quaedam in scriptis, quae fuerant Bononiae observata et de consuetudine approbata. BARTHOL. in l. 34, § 7, Dig. *De legatis et fideicom. II.*

coeperunt Bulgaro ipso vivente (1). Itaque in Bulgari aedibus prima juris municipalis scripti sive statutorum populi bononiensis principia posita sunt. Et quamvis nulla ex statutorum bononiensium collectionibus, quas habemus in libris sive editis sive manu exaratis (sunt autem postremi hujus generis plurimae), nulla ad Bulgari aetatem assurgat, tamen ex primis illis rudimentis, quae Bulgari aetate scripta emerserunt, non dubium est quin cetera creverint. Omnium antiquissima statutorum bononiensium collectio, quam viderim, annum praefert MCCXXXXIX. Verum in hac ipsa collectione leges quaedam insertae sunt, quae annum MCCIV habent adscriptum; nec dubito quin inter leges illas, quibus nulla temporis, quo editae sunt, nota adjungitur, plures sint longe antiquiores; ex iis nempe, quae prius usu et consuetudine populi bononiensis inductae fuerant, post autem in curia Bulgari scripto traditae. Mansit autem hic honor Bulgari aedibus diu etiam post ejus mortem. Atque haec fuit curia Bulgari in qua ipse primum dum viveret et jus dixit et responsa dedit et diu maximo scholarium undique adventantium concursu docuit. Post autem eo mortuo praetor Bononiensium eo ipso in loco, satis jam celebri, sedem aliquandiu tenuit et judicia exercuit (2). Erat autem vetus haec domus curia Bulgari commodissimo civitatis loco ubi postmodum excitatum est archigymnasium bononiense. Ibi erat etiam ecclesia Sanctae Mariae de Bulgaris appellata, cujus patroni fuere Bulgari quoad ea familia viguit.

XI. De Bulgari moribus conjectura fieri potest ex iis quae diximus et ex paucis ejus factis, quorum in tanta temporum distantia nondum memoria extincta est. In his celebratur insigne probitatis et constantiae exemplum, quod amissa uxore communibus filiis superstitibus dotem socero restituit. Erat enim ejus opinio defuncta in matrimonio filia dotem patri restituendam sive extent liberi sive non extent. Contra sentiebat Martinus extantibus liberis dotem non esse restituendam. Mortua itaque Bulgari uxore, ejus pater cum Martinum consuluisset repeteretne dotem; si mihi, inquit, filia tua nupsisset, frustra a me dotem repeteres, cui persuasum est extantibus filiis dotem non esse reddendam, at a genero tuo tu quidem repetere debebis cui aliter persuasum est. Itaque Bulgarus socero petenti dotem sine ulla controversia restituit et magna cum laude conservata existimatione patrimonii quam famae dispendium pati maluit, aegre id ferente Martino qui adversario suo insidias paraverat (3). Sed Albericus Bulgari auditor quamquam ejus sententiam probasset, cum sibi idem accidisset ut uxor relictis liberis decessisset, dotem restituere recusavit quod diceret ita quidem olim sensisse sed mu-

(1) Etiam Pisani, cum suas consuetudines non scriptas jamdiu haberent, anno MCLXI in scriptis redigendas curarunt. *Vide* Brencman., *Histor. Pandect.*, lib. I, cap. IX, pag. 57, 58.

(2) Habemus ejus rei monumenta jam inde ab anno MCLXXIX, quo ex tempore actis publicis saepe adscriptum legimus: *Actum in domo quondam domini Bulgari, ubi moratur Potestas.* (Extant in *Reg. gross. archivi publ.*, pag. 73 et alibi passim). Ac fortasse verisimilius est, non ante illud tempus factam fuisse primam illam statutorum bononiensium delineationem, quam vivente Bulgaro factam censuit Bartholus, nisi quis dixerit vivente adhuc Bulgaro magistratus urbanos consuevisse in suis aedibus convenire, ut cum eo de re publica deliberarent. Neque enim, Bulgaro solum auctore, prodire potuerunt prima illa populi bononiensis statuta scripto tradita; quoniam privati hominis non est, quamvis maxime auctoritatis, civitatis mores et consuetudines in leges scriptas convertere.

(3) Pater uxoris Domini Bulgari, post mortem ejus quaesivit a dn. Martino utrum repetere posset dotem a dn. Bulgaro, cum liberi extarent. Qui scilicet Martinus dixit: Domine, si ego fuissem maritus filiae vestrae a me dotem non possetis petere. Nam ego sum in opinione quod si liberi extent quod pater non potest petere dotem; sed vos a dn. Bulgaro potestis petere; nam ipse est in opinione quod sive extent filii sive non et filiafamilias decedit constante matrimonio, quod pater possit petere dotem. Unde consulo et moneo quod ad dn. Bulgarum accedatis et repetatis dotem, et si negabit cum de sua opinione scandalizabo. Sed dominus Bulgarus bene cavit sibi, nam dotem sibi restituit absque omni controversia, et sic, ut dixi, de jure et de facto suam opinionem approbavit, quod dn. Martino non placuit. Odofred. in l. *Dos a patre*, C. *Solut. matrim.*

tasse sententiam, quod in tanto viro valde reprehensum est, ut narrat Odofredus (1). Aliquando autem Bulgarus scholarem vetuit aprum laqueo haerentem capere contra propriam sententiam; non quod id jure fieri non potuisset sed quod indecorum videbatur et hominum dicteriis locum dare poterat (2). Itaque nullo discrimine paratus erat opiniones suas in agendo et sequi et deserere contra commodum et utilitatem suam ubi id honestum et decorum requirere videretur.

XII. Plures Bulgaro filii nati erant ex prima uxore, quos optima disciplina educaverat (3). Sed omnes jam adultos amisit. Doluit autem maxime unius morte, qui inter legum professores famam sibi et opes non minimas comparaverat. Cui cum pater infelix contra votum succederet tristem hunc versum protulisse fertur:

Ordine turbato succedis, Bulgare, nato.

Duorum ex filiis Bulgari nomina innotescunt ex necrologio canonicorum regularium s. Salvatoris, Bonaccursii nimirum et Bulgarini (4); atque hunc postremum existimo fuisse doctorem legum, de quo infra post Bulgarum pauca dicam. Agnoscimus ex eodem necrologio Tedericum Bulgari fratrem; ex quo propagatam puto Bulgarorum familiam (5), quae tamen brevi tempore extincta est (6) ejusque haereditas ad Lambertaccios, potentissimam civitatis gentem, pervenisse videtur (7).

XIII. Sed Bulgarus filiis omnibus amissis quamvis annis jam gravis cupidus procreandae prolis uxorem iterum duxit. Accidit autem ut cum prima post noctem nuptiarum die in scholis interpretaretur legem illam, quae incipit *rem non novam*, rati scholares ejus legis initium referri posse ad ejus uxorem quam pro virgine acceperat, quamvis alii aliter de illa judicarent, strepitus protervae juventutis in schola excitatus est et plausus ingens, libris, quos tunc ferebant, in neosponsum complosis vel ad scamna allisis (8).

XIV. Vixit haec postrema Bulgari uxor, quae Imelda dicebatur, post illum annis multis. Anno MCLXXVII die XIII kal. Sept. testamentum cum gravi morbo decumberet condidit, quo sacro camaldulensi eremo legavit possessiones omnes, quas habebat in Beveraria et fundum etiam, quem emerat ut in eo xenodochium et ecclesia construeretur in honorem Deiparae Virginis (9). Atque haec sunt initia ecclesiae et monasterii

(1) Odofred., *ibid.*

(2) Et ita referunt majores nostri, antiqui scilicet doctores, fecisse dn. Bulgarum, dum una die equitaret versus Galeriam cum quodam suo scholari, quia sunt ibi multi porci, invenit unum laqueum, unde voluit descendere. Scholaris dixit dn. Bulgaro, quod volebat capere eum, ut haberent inde bonam coenam. Et tunc dixit ei dn. Bulgarus: Non bene dicis: Sed scholaris ita respondit ei: Nonne altera die exposuisti ita *l. in laqueum?* Dixit dn. Bulgarus: Non muto opinionem, sed nolo quod accipias aprum, non quia timeam judicium futurum sed scandala, vel verba. Odofred. in l. *In laqueum,* Dig. *De acquir. rer. domin.*

(3) Sicut scripsit Joannes in commentario suo, dn. Bulgarus habuit plures filios et bonos et inter ceteros habuit quemdam doctorem, qui virili aetate mortuus est. Ipse supervixit omnibus liberis suis, unde dixit: *Ordine turbato etc.* Odofred. in l. *Pater,* Dig. *De inoffic. testam.*

(4) Ad diem XXV Aug. et V Octobr. *Vide Appendicem.*

(5) Ibid. ad diem XXVII Aug.

(6) In bononiensi chronico Seccadenarii, quod mss. conditum est in bibliotheca publica bononiensis Instituti Scientiarum, haec familia extincta dicitur anno MCCX ob simultates cum Garisendis.

(7) Bulgarini nomen diu viguit inter Lambertaccios, ad quos etiam pertinuit jus patronatus ecclesiae s. Mariae de Bulgaris, quod postea ad Caldarinos transiit, extincta prorsus Lambertacciorum familia circa annum MCCCCX, ut ex monumentis a clarissimo Montio indicatis.

(8) Signori, hic dominus Joannes et Azo scripserunt quamdam glossam solatii causa, et dicunt ipsi, dum dominus Bulgarus quodam mane legeret legem istam, et in nocte praecedenti duxisset uxorem, quam ipse pro virgine acceperat, cum a multis contrarium crederetur, et exposuisset *rem non novam, neque insolitam* .... scholares pulsabant libros contra eum. Odofred. in l. *Rem non novam,* C. *De judiciis.*

(9) Hujus testamenti excerpta vide sis in *Annalibus Camald.,* t. IV, pag. 70.

s. Mariae de Ravone, ubi diu incoluerunt camaldulenses monachi primum, dein moniales. Post autem ejus bona attributa sunt eremo Camaldulini; atque hunc eremum, prioratum s. Mariae de Camaldulino postea appellatum, seminario bononiensi extremis temporibus adjunctum constat (1).

XV. Sed Bulgarus, cum ad decrepitam aetatem vixisset, extremis vitae temporibus repuerascere visus est, ut nec jam memoria valeret nec pristinam retineret viri gravitatem (2). Sigonius obiisse dicit anno MCLXI (3), Matthaeus de Griffonibus, antiqui chronici bononiensis auctor quod Memoriale Historicum appellavit, anno MCLXVI (4). Guido Grandius in epistola de Pandectis anno MCLXVII. Decessit kalendis Januarii, ut ex necrologio rhenano intelligimus. Humatus est apud valvas ecclesiae divi Proculi contra Martini, qui ante obierat, sepulcrum (5). Ejus memoria non admodum frequenter occurrit in monumentis bononiensibus. Haec pauca mihi innotuere. Anno MCLIV cum Martino, Hugone et Jacobo aliisque viris clarissimis interfuit cum Ildebrandus cardinalis s. Eustachii ab Anastasio IV delegatus sententiam dixit in causa, quam habebat Guibertus abbas s. Stephani cum Ildebrando monacho et priore hospitalis s. Stephani ad Claternam (6). Anno dein MCLIX causam cognovit, quam canonici s. Victoris habebant cum Cabalerio quodam aliisque civibus (7).

XVI. Hanc laudem aliqui Bulgaro tribuunt quod quae in Pandectarum libris graece scripta sunt ipse latina fecerit (8), atque haec opinio jam inde ab Odofredi aetate exorta erat; quam ipse apertis verbis refellit, ac verum indicat interpretem graecarum legum quae in Pandectis occurrunt, nempe Burgundionem pisanum, hominem alias de literaria republica optime meritum ob plures Graecorum optimos libros latine conversos, ut supra indicavimus. Et quamvis in plerisque editionibus accursianarum glossarum pro Burgundione Bulgarus legatur, jamdiu hunc errorem viri eruditi persenserant (9). Sed Diplovataccius, dum Bulgarum ex mendosis Accursii glossis expungit, Bergolinum pistoriensem in scenam producit, hominem mihi plane ignotum, a quo exposita dicit quae graece scripta erant in legum libris. Viderat nempe, ut ipse fatetur, adnotatum in antiquis libris ad eas interpretationes graecarum legum et verborum *secundum Bg. Pis.;* cumque Burgundionem pisanum ignoraret, Bergolinum pistoriensem commentus est (10).

XVII. Ejus glossae in libros legum et copia et doctrinae excellentia ceterorum glossis praestiterunt. Id apparet ex antiquorum libris ac praesertim ex Odofredi amplissimis commentariis, in quibus vix ullam puto pagellam esse in qua saepius Bulgari opiniones legumque interpretationes non recitentur et explicentur. Fuerunt autem ejus glossae breves et elegantes (11), irnerianis similes; nondum enim mos invaluerat prolixos

(1) GRANDI. *Append. ad ep. de Pandect.*, pag. 268, et *Annal. Camald., loc. cit.*

(2) Ita referunt majores doctores nostri de domino Bulgaro. Nam dominus Bulgarus fuit optimus doctor, sed vixit tanto tempore quod deductus est ad infantiam, quia non recordabatur aliquid et ludebat ad pulverem cum pueris. ODOFRED. in l. *Sed an.*, Dig. *De negot. gestis.*

(3) SIGON. *Histor. Bonon.*, lib. III ad an. MCLXI.

(4) MURATOR. *Rer. Ital. Script.*, t. XVIII, pag. 107.

(5) Corpus suum Bononiae apud s. Proculum tumulari jussit contra valvas ecclesiae, Martini sepulchro directe oppositas, ut sicut vivens illi contrarius fuerat, sic deficiens, objiceretur in morte. GUIL. PASTRENG. *De orig. rer.* Vide *Bulgarus.*

(6) *Vide Appendicem.*

(7) *Ex charta archivi s. Jo. in Monte.*

(8) LEOPOLD. GUADAGNI viri clarissimi. *Dissert. de Pandect. Florent.*, pag. 134.

(9) PANCIROL., lib. II, c. 15. DIPLOVATAC. in *Bulgaro,* post ODOFRED., *loc. cit.*, et CINUS in l. *Nam et Demostenes,* Dig. *De legib. et Senatusconsultis.*

(10) Ille, qui fecit interpretationes, fuit quidam de civitate Pistorii, nomine Bergolinus, qui verba graeca in nostris libris juris civilis inserta transtulit in latinum. Nam in glossa antiqua dicebatur *secundum Bg.,* sed vitio scriptorum dictum est *secundum Bulgarum,* et male. DIPLOVAT. in *Bulgaro.*

(11) ODOFRED. in l. *Regula,* Dig. *De regul. jur.*

apparatus concinnare in legum libros. Ex iis autem multum profecit Accursius in suis commentariis, quamvis rariuscule et Bulgarum et doctores reliquos quos expilavit nominare soleat. Scripsisse etiam dicitur commentarium in regulas juris, cui adnotationes adjecit Placentinus (1). Peculiares aliquas ejus sententias cognoscere licet ex Odofredo, qui easdem, ut plurimum, amplexus est a Joanne, scilicet Azone et Jacobo Balduini, quasi per manus traditas ut enim Bulgaro Joannes, sic Joanni Azo, Azoni Jacobus Balduinus et huic tandem Odofredus in schola successit. Sed multo facilius cognosci posset quae fuerint priorum juris interpretum opiniones, Bulgari nimirum, Martini, Hugonis et Jacobi, quos magistros praecipuos et primarios (2) et quatuor legum columnas aetate sua appellatos novimus (3), ex pervetusto libello cui titulus est: *Diversitates dominorum in jure,* quem numquam editum puto. Eum habet bibliotheca regalis collegii Hispanorum Bononiae in membranis scriptum literis omnino antiquis, quaeque ad eorum doctorum aetatem accedunt (4). In eo recitantur singulorum doctorum opiniones adversae et oppositae, indicatis in libri margine eorum nominibus per siglas B. M. I., Bulgarum, Martinum et Jacobum designantes; de quo libello dicemus infra in Rogerio Beneventano. Sed quid de Bulgari numismate, quod sollicitum habuit clarissimum Grandium in epistola de Pandectis ad Averanium (5)? Pudet his nugis chartas inficere (6). Nec de Bulgaro aliud memoria dignum occurrit (7).

V.

BULGARINUS.

Ex Bulgari filiis unum fuisse qui Bulgarinus diceretur notum est ex necrologio canonicorum regularium s. Salvatoris (8). Atque hunc esse puto, qui legum professione vivo adhuc patre clarescere coeperat quique jam grandis natu magno patris dolore humanis exemptus est. Ad istum pertinere possunt, nisi quis potius ad Bulgarum patrem referre velit, *Excerpta legum edita a Bulgarino causidico.* Hic enim est libelli titulus, quem communicavit mihi vir clarissimus Josephus Garampius Vaticanae basilicae canonicus et apostolicis archivis praefectus, optimus studiorum meorum fautor et amicus. Est in parvo codice membranaceo qui Bulgari aetatem praeseferre videtur; atque in

(1) Carolus Stephanus Parisiis ediderat hunc commentarium Placentino inscriptum; sed Antonius Contius, Bulgaro auctori suo restitutum, rursum edendum curavit. ANTON. CONTIUS. *Disput.,* lib. I, cap. VI.

(2) OTTO MORENA in *Histor. Lauden.* apud MURATOR., *Rer. Ital. Script.,* t. VI, p. 1015.

(3) *Ibid.,* p. 4113.

(4) Est codex n. LXXIII, in quo Placentini Summa, et alia antiquorum doctorum opuscula continentur.

(5) GRANDI. Ep. *De Pandect.,* pag. 93.

(6) Indicavit olim nescio quis Guidoni Grandio nummum Bulgari effigie signatum, cum hac epigraghe: CIVEM HABET BULGARUM FELSINA CHRISOSTOMUM. Atque hujus nummi testimonio Bulgarum civitati bononiensi vindicabat. Sed Grandius, cui persuasum erat Bulgarum patria pisanum esse, negavit nummum esse Bulgari aetate percussum aitque illum eo tempore cusum, cum aliqui jam coeperant Bulgarum bononiensibus adscribere. Nullam scilicet fraudem ibi suspicabatur vir ingenuus, sed revera numquam in rerum natura visus est ille nummus, qui ex eadem officina prodiit ex qua Peponis et Irnerii et Irci Beccarii numismata et monumenta aliquot alia bonis viris per summam confidentiam ab eodem illo homine obtrusa, quem constat istiusmodi adulterinarum mercium propolam insignem fuisse.

(7) TIRABOSCHI. *Storia della letteratura italiana,* lib. IV, c. IV, § 21. — FANTUZZI. *Scrittori bolognesi,* vol. I, art. *Bulgaro.* — SAVIGNY. *Storia del Diritto Romano nel medio evo,* l. IV, cap. XXVIII. (C. A.)

(8) Die V Octob. Ob. Bulgarinus filius mag. Bulgari.

hunc modum incipit: *Meo amico et domino A. Sanctae Romanae Ecclesiae Cancellario B. in Christo salutem et eorum, quae juris sunt arcana, salutem. Vestrae serenitatis apices ad nos denique a vobis servili affectione suscepimus; proinde materiam ministratam, licet nimis arduam, feliciter, Domino favente, prosequimur.*

Arbitrum itaque eum dicimus, cui proprio consensu compromittentes auctor et reus partes committunt. Judex vero etc. Sequitur porro ostendens discrimen inter arbitrum et judicem. Atque in hunc modum breves legum regulas et praecepta juxta alphabeti ordinem eleganter et strictim proponit et explicat. Est autem notissimus in historia ecclesiastica Aymericus cardinalis romanae ecclesiae cancellarius, qui floruit sedente Innocentio II et anno MCXXXXVIII humanis excessit (1); nec dubito quin huic ipsi libellum suum Bulgarinus sive Bulgarus pater inscripserit. Alium certe non reperio romanae ecclesiae cancellarium aetate illa viventem, cujus nomen litera A. designari possit. Aymericum autem Bononiae studiorum causa aliquando fuisse verisimillimum duco, atque eo tempore propensiori studio colere coepisse canonicos s. Victoris et s. Mariae ad Rhenum, quibus moriens opulenta legata dedit (2). Fortasse in Bulgari schola eruditus est, ac propter hanc causam libellum illum vel a Bulgaro ipso vel a Bulgarino filio extorsit (3).

VI.

MARTINUS GOSIA. GUILIELMUS FILIUS. HUGOLINUS NEPOS.

I. Bononiae natus est Martinus ex Gosia praenobili familia circa initium saeculi XII. Sed haec exortis Ghibellinorum et Guelphorum factionibus eo quod ghibellinarum partium esset, a Guelphis victoribus e civitate ejecta est (4). Sed quia Volaterranus et alii Volaterranum secuti Martinum ex gente Bosia prognatum dixerunt, unde et Bosianus ab iis appellatus est, hinc eorum error subortus est, qui Martinum cremonensem putarunt; in qua civitate satis nota esse videbatur bosiana sive bossiana gens, ex qua Joannes Bossianus, ut ab iis dicitur, natus est, aeque celebris legum interpres qui non multo post Martinum floruit (5). Ac miror sane in hunc errorem incidisse auctores, alias accuratissimos, ephemeridis literatorum Italiae (6), qui Martinum optime secernunt a Joanne Bassiano, sive, ut ipsi dicunt, Bosiano Cremonensi; quod non recte viderat Volaterranus, majori venia propterea dignus, quod Martinum et Bosianum dixerit et patria cremonensem putaverit.

II. Sed quid est, quod iidem auctores ephemeridis literatorum Italiae Martinum quidem scribunt bononiensem genere, Cremonae tamen natum, ejus majoribus Bononia

(1) Ciaccon., p. 949, edit. Romae an. MDCLXXVII.

(2) Canonicis s. Victoris XX uncias auri legavit, ut ex eorum necrologio, cujus excerpta in Appendice damus. Canonicis autem rhenanis calicem magnum legavit et scyphum argenteum et X uncias auri, ut etiam ex eorum necrologio apparet ad diem V kal. Jun.

(3) Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Bulgarino*. (c. a).

(4) Ultimo colligitur argumentum contra Gosianos, idest, contra illos, qui tenent opinionem Martini Gosiani, ideo sic dicti quod fuit de Gosis de Bononia, viris nobilibus, propter partem ghibellinam expulsis. Cinus in l. *Taceat*, C. *De rei uxor. vendicat.*

(5) Volaterran. *Antropolog.*, lib. XXI. — Arisius Cremon., liter. V. — Martinus Bosianus. *Ephemerid. literat. ital.*, t. X, pag. 274.

(6) *Loc. cit.*

expulsis ob factionem ghibellinam? Florebat Martinus circa medium saeculum XII, ex quo conjicimus natum circa initium ejus saeculi; quo sane tempore Guelphorum et Ghibellinorum nomina Bononiae ignota et inaudita fuerunt. Neque etiam ferendus Muratorii error, qui Martinum Gosiam patria anconitanum fuisse scripsit (1). Nam gentem Gosiam non solum Martini aetate sed etiam postea Bononiae viguisse manifestum est (2). Nobilem vero cum primis reputatam, vel ex hoc ipso perspicuum est quod Martini nepos Hugolinus, Muratorio notissimus, praeturam anconitanam non multo post initium saeculi XIII gesserit. Ad quod munus in civitate aliqua, praesertim tam clara, nemo aetate illa eligi potuisset, quem generis nobilitas non commendaret.

III. Martinus in Irnerii schola eruditus inter jurisperitorum aetatis suae principes numeratus est. Fertur tamen nimis pertinax fuisse in tuendis opinionibus quas semel animo indiderat; ex quo contigisse dicunt ut cum aliquando legem in promptu non haberet ad id quod volebat adstruendum, ad aequitatem quamdam confugeret quam sibi animo fingebat, qua vim oppositarum legum eluderet. Itaque non semel ei accidisse narrant ut prolatis ab adversariis contra ea, quae in jure respondebat, legum testimoniis, rubore suffusus obmutuerit, non semper in sua illa aequitate praesidium idoneum nactus (3). Odofredus, in dicendo barbarus sed minime illepidus, fictam hanc Martini aequitatem frequenter ridet eamque *bursalem* vocat, idest non ex juris legumque principiis petitam, sed ex impotenti quaestus cupiditate enatam (4). Sed Martinus, ut erat acri ingenio et doctrina legum supra vulgarem modum instructus et in dicendo etiam facundus, ita opiniones suas, licet ab aliorum doctorum ac Bulgari praesertim placitis alienas, ornabat verbis ut auditoribus suis maxime probarentur. Hinc primum aperta scholarum dissidia et sectae inter legum studiosos exortae, quibus Martinus causam atque initium praebuit ut olim apud Romanos Antistius Labeo jurisconsultus (5). Sunt autem Martini sectatores Gosiani appellati, ceteris jurisprudentiae studiosis parum plerumque accepti. Eo factum est ut gosianae scholae opiniones raro ab aliis doctoribus probarentur (6); et Accursius certe, qui superiorum omnium doctorum scripta in suis glossis delibavit, Martino, ut plurimum, adversatur (7).

IV. Prodiere tamen ex Martini secta plures magni nominis doctores, Placentinus in primis et Pillius. Pancirolus addit Albericum de Porta Ravennate, sed is Bulgarum audivit (8). Innocentius III aliquam ex Martini opinionibus contra aliorum sententiam secutus est et lege lata confirmavit (9), quod et Innocentius IV fecit (10). Ostiensis

(1) MURATOR. *Antiquit. med. aevi,* dissert. XXXXIV.

(2) Anno MCLXXXXII *Hugolinus Gosia* testis nominatur in charta archivi s. Jo. in Monte.

Anno MCLXXXXIV *dn. Maria fil. qnd. dn. Guilielmi Gosiae, uxor dn. Brancaleonis.* Ex charta archivi monialium s. Agnetis.

Anno MCCIV *dn. Hugolinus Gosia et dn. Guilielmus frater ejus promittunt ratam habere venditionem quamdam.* Ex charta ejusdem archivi s. Agnetis.

(3) ODOFRED. in l. 4, Dig. *De his, qui notantur infam.* apud PANCIROL., lib. II, c. XIV.

(4) Dixit Martinus de sua ficta aequitate et bursali, propter quam est passus multas verecundias. ODOFRED. in l. *Item si quis furti,* Dig. *De his, qui not. infam.*

(5) PANCIROL., *loc. cit.*

(6) Dn. Joannes in quaestione ista putat dn. Martinum bene dixisse, quod raro accidit ut ejus opinio approbetur. ODOFRED. in l. *Si quis,* C. *Ubi in rem actio* etc.

(7) Ejus opiniones ut plurimum ab Accursio improbantur, Bulgarum imitante qui ei semper fuit adversus. GUILIELM. PASTRENG. *De orig. rer.* Vide *Martinus Gosianus,* pag. 51.

(8) Vide quae in ALBERICO dicuntur.

(9) Ista opinio antiquorum, idest Martini et Placentini, est canonizata extrav. *De caus. possess.,* can. *Pastoralis,* quam decretalem dominus Innocentius tertius fecit, et fecit eam, sicut faciunt domini, qui non verentur dicere nisi sicut placet eis, quia non est in illa decretali alio ratio nisi pro ratione voluntas, et fecit se glossatorem legum. ODOFRED. in l. *Ordinarii jud.,* C. *De rei vendicat.*

(10) Innocentius IV traxit se in partes Martini, et Placentini, ut extrav. *De caus. possess. et propr.* ODOFRED. in l. *Exitus,* Dig. *De acquirend. rer. poss.*

quoque (1) et alii Decretorum professores passim in Martini sententiam iverunt, qui cum ad naturalis aequitatis normam antiquarum legum severitatem emollire studeret, magis placebat ecclesiasticarum legum conditoribus et professoribus. Itaque illa Martini aequitas, ceteris legum interpretibus adeo invisa, illustres patronos habuit inter juris pontificii professores. Sed Fridericus etiam Aenobarbus ex Martini sententia aliquid ex juris romani rigore novis constitutionibus temperavit, et nostra etiam statuta bononiensia Martini opinionem de non restituenda post mortem uxoris dote, sive extent liberi sive non extent, non ratam modo habuerunt sed ampliarunt etiam (2).

V. Fuit Martinus cum Bulgaro, Hugone et Jacobo in conventu Roncalliensi. Et quamvis adversarios palam haberet primi subsellii jurisconsultos, atque in his Bulgarum irnerianae scholae principem, tamen gratia et auctoritate apud Fridericum Aenobarbum reliquos doctores vicit. Sed hic tamen Friderici favor et aliorum doctorum obtrectationes in causa fuisse videntur, cur Martinus aliquando Bononiae libenter non fuerit et Patavium concesserit, ubi anno MCLXIV moram agebat, ut ex tabulis a clarissimo Facciolato nuper indicatis intelligimus (3), si revera Martinus in iis tabulis nominatus cum nostro est idem. Cum autem anno MCLXV Bozone interfecto, quem Fridericus rectorem civitati nostrae praefecerat, imperiale servitium nostri excussissent, eo potissimum tempore Martinus, qui Friderico impensius favebat, solum vertere potuit ne quid sibi in civitate Imperatori prorsus inimica periculi crearetur. Ajunt aliqui Martinum, propterea quod Imperatori rerum omnium dominium et proprietatem adjudicare veritus non sit contra Bulgari sententiam, meruisse ut ejus agnati a Friderico inter principes referrentur. Sed ejus agnatos non alio in numero quam privatorum civium fuisse in civitate nostra compertum est. Ac miror Janum Vincentium Gravinam, qui hoc, nescio quo auctore, narrat, hujus fabulae falsitatem subodorasse (4).

VI. Laudatur Martinus in primis ab singulari memoria (5), ob quam factum reor ut ipse vulgo dictus sit *Martinus copia legum*. Ita siquidem appellatur in eo disticho quod in Bulgaro attulimus. Eodem titulo donatur a Boncompagno vetusto scriptore in libello quem edidit de obsidione Anconae, qui a Muratorio in lucem editus est (6). Laudat ibi Boncompagnus praeclaram Martini sententiam dicentis: *libertatem non posse ab aliquo exhiberi, sed detegi a quodam velamine servitutis*. Quare praecipuum libertatis patronum jure habendum esse Martinum concludit (7).

VII. Anno MCLIV Martinus cum tribus reliquis Irnerii discipulis, Bulgaro, Hugone et Jacobo, praesens adfuit cum Ildebrandus cardinalis sententiam diceret in causa monachorum s. Stephani; ibique in charta procul dubio autographa Martinus Gosia appellatur (8), ut hinc etiam de ejus familia dubitare non liceat, quam aliqui bossianam dixerunt, ut supra adnotavimus, et apud Boncompagnum, vitio amanuensium ut arbitror, Gossia dicitur.

VIII. De ejus simultatibus cum Azone et aliis doctoribus nihil attinet dicere, quam inscite multa scripserit Pancirolus aliique. Floruit Azo post Martini obitum; sed

(1) In quo confirmatur sententia Martini, et reprobatur sententia Joannis Baxiani. OSTIEN. in C. relatum. *De pot. jud. deleg.*

(2) *Statut. Bonon.*, rubr. CXII *De dot. restit.*, § 14 et 25.

(3) Cum regeret in legibus in domo Martini de Gosso juxta majorem ecclesiam paduanam. FACCIOL. *Syntagm.*, pag. 9.

(4) GRAVINA. *Op. cit.*, cap. CXXXXV.

(5) GUILIELM. DE PASTRENGO, *loc. cit.*

(6) Sed occurrit generosa laudis materia peroranti, qualiter vester avus Martinus Gossia (l. Gosia) fuisse doctus (l. dictus) copia legum. BONCOMP. *De obsid. Ancon.* MURATOR. *Rer. Ital. Script.*, t. VI, p. 926.

(7) *Ibid.*

(8) *Vide Appendicem.*

ut erat Gosianorum secta, quae nimirum auctorem habuerat Martinum, ceteris doctoribus odiosa, ejus opiniones Azo palam rejicere consuevit. Quod et postea Accursius, et quidem intemperantius quam ceteri, quippe qui non solum Martini opiniones explodere sed auctorem ipsum ludibrio habere non semel visus est (1). Quare alii audaciores facti, Martinum nihil sani verique unquam protulisse non veriti sunt affirmare (2). Cervicosum quoque fuisse ferunt, ut quam semel defendendam suscepisset opinionem, quantumlibet erroneam et singularem, numquam dimiserit. Itaque factum ajunt ut ejus pervicacia in proverbium ierit apud jurisconsultos, qui hodiedum Martinum appellent hominem quempiam, qui opinionem suam contra ceterorum sententiam perfracte tueatur (3). Sed quod aliqui narrant cum Martinus in publico certamine Azonem disputando vicisse visus esset et de victoria sibi plauderet, Azonem, ira percitum, aemulum suum occidisse auditorii clavibus ejus capiti impactis; merum commentum, non solum nullo antiqui scriptoris testimonio comprobatum, sed ne scite quidem excogitatum. Obiit enim Martinus, quantum ex ratione temporum conjicere possumus, Azone puero, aut certe infra eam aetatem qua certamen ingenii et doctrinae cum illo exercere non posset.

IX. Filium post se reliquit Martinus Guilielmum, scientia legum, humanitate et moribus viro nobili dignis ac patri non degenerem (4). Ex eo natus est Hugolinus Gosia, cui Boncompagnus librum de obsidione Anconae dicavit, quem scripsit circa annum MCCXX, ut conjicere licet ex iis quae Muratorius ad eum librum praefatur (5). Erat tunc Hugolinus Anconitanorum praetor, militiae cingulo non minus quam legum scientia clarus (6). Atque hinc arbitror Muratorio excidisse ut Martinum Gosiam Hugolini avum patria anconitanum fuisse scripserit (7).

X. Martini obitum conjicit Alidosius in annum MCLXVII (8). Sed undenam id expiscari potuerit reperire non licuit. Si Guilielmo de Pastrengo fides habenda sit, dicendum erit Martinum ante Bulgarum obiisse et ante ecclesiam s. Proculi sepultum. Narrat enim Bulgarum tumulari voluisse contra valvas ejus ecclesiae, ad quas erat Martini tumulus, ut qui vivens contra ejus sententias perpetuo ierat etiam post mortem illi se adversarium ostenderet (9). Verum id parum credibile est. Ex eo quod Bulgari et Martini sepulcra in eum modum posita cernerentur et vulgo constaret eos dum viverent mirum in modum sententiis discrepasse, propterea natam puto hanc fabellam ut etiam post mortem Bulgarus ostendere voluerit quam esset adversario suo infensus.

XI. De aetate etiam, quod tradit Pancirolus decessisse Martinum cum annum ageret LXXVIII, plane incertum judico. Quod autem sepultum scribit Bononiae apud Fratres Minores loco celebri, id non potuit ab homine vigilante dici, qui sciret nondum eo tempore natum s. Franciscum ordinis Minorum fundatorem, cum Martinus decessit. Sed id videtur ab imperito quopiam Panciroli commentariis assutum, quos ille impolitos et inemendatos moriens reliquit, ut conjici potest ex multis gravissimis antilogiis et anachronismis tanto viro indignis, qui in iis libris, quos de claris legum interpretibus scripsit, scriptos reperimus.

(1) Pancirol. in *Martino*.

(2) Jason in § 22 *Si minus,* Inst. *De act.* apud Pancirol., *loc. cit.*

(3) Baron. *Annal. eccles. ad an. MCLVIII,* n. X.

(4) Et quamquam filius ejus *(Martini)* a quo per successivam carnis propaginem consistitit, propter legum scientiam et alia curialitatis insignia clarissimus extiterit etc. Ita Boncompagnus, Hugolinum et patrem ejus Guilielmum laudans, apud Murator., *loc. cit.*

(5) Boncomp., *loc. cit.*

(6) *Ibid.*

(7) Murator. *Antiquit. med. aevi,* dissert. XXXXIV.

(8) Alidos. *Dott. Bologn. di legge etc.,* pag. 39.

(9) Guil. de Pastrengo supra in *Bulgaro* cit.

XII. Joannes Franciscus Nigrius in annalibus bononiensibus, qui manu exarati multis magnisque voluminibus continentur, ad annum MCLXVII Bulgari et Martini mortem narrat et carmina producit ad eorum tumulos inscripta, quae quia stilum XII saeculi et ejus aetatis gustum non praeseferunt a novitio aliquo scriptore conficta censeo nec digna quae hic lectorem morentur. Vixit Joannes Franciscus Nigrius saeculo superiore et ejus annales adservatos vidi Romae in bibliotheca barberina et in publica Instituti Scientiarum Bononiae.

XIII. Scripsit Martinus glossas in libros legum ut prisci doctores solebant antequam cupido incesserit consarcinandi perpetuos apparatus, lecturas, repetitiones, summas, consilia, quaestiones et si quo alio nomine appellantur doctorum, qui post illa tempora fuerunt, lucubrationes. Peculiares quasdam ejus sententias dispicimus in libello, qui inscribitur *Diversitates dominorum in jure,* de quo supra dictum est.

XIV. Guilielmus quoque Martini filius, quem legum scientia claruisse diximus, aliqua scripsisse videtur, ut intelligere licet ex alio quodam libello, quo continentur *Dissensiones doctorum in quibusdam juris civilis sententiis.* In eo laudatur Martinus et ejus filius (1). Eum vidi in codice membranaceo manu exarato bibliothecae chisianae, ad quam mihi aditus patuit beneficio amplissimi cardinalis Flavii Chisii, hujus mei gregoriani monasterii abbatis commendatarii; qui mihi semper colendus et cum laudis praefatione nominandus erit ob eximias virtutes summamque pietatem. Videtur autem libellus iste scriptus ante finem XII saeculi. In eo enim passim committuntur Hugo, Bulgarus, Jacobus, Martinus, Albericus, Joannes, qui ante ejus saeculi finem floruerunt. Ac, si quid video, huic libello basis et fundus fuit alter ille libellus, de quo supra dixi, qui *Diversitates Dominorum in jure* inscribitur; qui ex solis Irnerii discipulorum sententiis primum excerptus, postmodum auctus est expilatis Alberici et Joannis Bassiani glossis.

XV. Non rara est Guilielmi Gosiae memoria in monumentis bononiensibus. Sed quamquam jurisprudentiam coleret, doctoris tamen insignia consecutus non est. Caruit etiam eo honore Hugolinus Guilielmi filius, quamvis non tam militari cingulo quam legum scientia clarus a Boncompagno dictus sit. Eum tamen judicem appellatum reperio (2), quo nomine dici consueverunt, qui jurisprudentiam profitebantur nec ad doctoris gradum pervenerant, quem paucissimi per illud tempus obtinebant. Sed Ghirardaccius terrae caelum miscet, cum Hugolinum Martini nepotem scribit legum doctorem fuisse et anno MCCLXXXVI a scholis abductum, cum egregia militum manu a populo bononiensi Anconitanis subsidio missum in bello quod cum Venetis habebant (3); quae omnia tam falsa sunt quam est falsum hominem, qui paulo post initium saeculi XIII praeturam anconitanam gerebat, ut supra demonstratum est, potuisse eodem labente saeculo docere in scholis et belli munia obire. Fuere duo Hugolini fratres, Guilielmus II, qui cum praeturam Tifernatium gereret in ea civitate occisus est, de qua injuria sarcienda convenit inter populum bononiensem et tifernatem (4); et Scannabicchus, ex quo natus est Guilielmus III, qui anno MCCLVI praeturam Faventinorum tenuit et anno MCCLXXIV

(1) Contra sentiunt in actionem rescissoriam, vel restitutoriam. Dicunt enim Jac. eam sua natura esse restitutoriam, et datur a praetore mortuo restitutis. Idem dicit Martinus, et ejus filius. Extat in cod. biblioth. Chisianae cum tractatu: *De actionibus* Joannis de Blanasco.

(2) An. MCLXXXXVIII prid. kal. Nov. coram dn. Ugolino de Gosio judice, Petro de Romancio, Rodaldo Rubeo, Palmerio causidicis etc. *Reg. gros.* p. 74 in Archiv. Commun. Bonon.

(3) Ghirardacci, lib. VIII.

(4) Agitur ea de re in Statutis Civitatis anno MCCXXXXIX editis.

cum Lambertacciis, quarum partes sequebatur, expulsus est ejusque domus excisae atque in earum vacua area (1) nosocomium et ecclesia s. Mariae de Vita postmodum extructa fuerunt (2).

VII.

HUGO DE PORTA RAVENNATE.

I. Mens legum ob excellentiam et copiam doctrinae appellatus, Bononiae floruit Hugo cum Bulgaro, Martino et Jacobo, irnerianae scholae principibus, ex qua ipse quoque prodiit. Patrem habuit Albericum Lombardum (3), virum non obscurae famae, ex quo ejus posteri agnomen duxerunt Alberici propterea dicti. Floruit autem Bononiae haec Albericorum familia quoad expulsa est cum ceteris, quae erant ghibellinarum partium; ac postmodum restituta pristinum dignitatis gradum retinuit. Cum autem ejus familiae domus essent prope portam ravennatem, ubi et turris Albericorum appellata diu fuit (4), propterea Hugo *de Porta Ravennate* dici solebat; quemadmodum et Albericus, ex eadem familia genitus, qui paulo post vixit et legum etiam professione claruit, de Porta Ravennate dictus est (5). Diu autem mansere in ea familia Hugonis et Alberici nomina, ut ex monumentis bononiensibus apparet (6). Sed indicavit mihi clarissimus Montius, quo oculatiorem hominem in explicandis antiquae historiae bononiensis ambagibus neminem unquam reperi, Hugonis familiam in duas olim scissam fuisse, in Hugo-Albericos nimirum et in Amedeos; ac primos censet ab Hugone ipso recta successione profluxisse, apud quos Hugonis memoriam saeculo XIV adhuc in honore fuisse, idem vir clarissimus observat (7).

II. Pancirolus vix agnovit hunc insignem legum doctorem, quem ne discrevit quidem ab Hugolino Presbyteri, qui annis multis post hunc vixit. In eodem luto haesit Diplovataccius, et, quod magis etiam miror, Alidosius, quem latere non poterant domestica utriusque monumenta (8). Ac in eo etiam erravit Alidosius, quod Hugonem Albericum et Hugonem de Porta Ravennate duos fuisse homines censuit, quorum alter legum alter philosophiae et artium professor fuerit. Erravit etiam quod Hugonem Jacobi, de quo mox dicemus, fratrem fuisse existimavit. Floruit Hugo post Irnerium unus ex quatuor doctoribus quos Fridericus Aenobarbus constituendis italici regni juribus ad Roncalliam in consilium adhibuit (9). Ejus opera irnerianae scholae celebritas aucta et

(1) Locus ille vulgo dicebatur *il Guasto de' Gosi*.

(2) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. IV, c. VII, § 22. — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. Martino. — Savigny. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXVIII. (c. a.)

(3) Hugo de Alberico causidicus, et legum doctor nominatur in charta s. Jo. in Monte ad annum MCLI. In charta vero abbatiae s. Stephani, nunc Senatus bononiensis, quae scripta est anno MCLIV, dicitur: « Hugo de Porta Ravennate causidicus et legum doctor ». Vide etiam quae infra adnotantur.

(4) Anno MCCI. In questo anno addi VII de Maggio cascò la torre di messer Albericho di messer Ugo Albericho, e cascò sopra porta Asinella et molte altre case, et ammazzò Piero degli Asinelli con la donna sua et con le donne de Mussarello et Guielmo Mariscalco et Ghiberto de Lucha. *Ex Chronic. Bonon. mss. in biblioth. Instit. Scient. Bonon.*

(5) Alidosius fratrem dicit. Alidosi. *Dottori bolognesi di legge can. e civ.*, pag. 221.

(6) *Ex Chronic. cit.*

(7) An. MCCCLVIII die XIII Maji dn. Mixina quondam Francisci de domo Ugonis Albrici uxor olim dn. Petri de Carbonensibus. *Ex Mem. Com. Bonon. Jacobi Petri de Zancardis.*

(8) Alidos., *loc. cit.*

(9) Anno MCLXII cum Bononienses Friderico Imperatori se dediderunt, vivebant adhuc quatuor Irnerii discipuli, ut narrat Otto Morena in *Historia Laudensi.* Pollebat, inquit, tunc Bononia in literalibus studiis prae ceteris Italiae civitatibus, quatuor legum columnis inter

academiae nostrae honor additus, majore in dies scholarium concursu. Juxta morem ab Irnerio traditum, ejus studium fuit illustrandi legum libros non perpetuis ac prolixis commentariis, sed variis adnotatiunculis et glossis ad obscuriora legum loca appositis, ex quibus multa decerpsit Accursius. Observat autem vir accuratissimus Donatus Antonius Astensis neminem ex antiquis doctoribus uberiorem glossarum segetem Accursio suppeditasse in Pandectarum libros quam Hugonem (1). Eum itaque auctorem passim sequuntur et laudant, praeter Accursium, Azo, Roffredus, Odofredus et alii doctores antiqui, in quorum libris Hugonis glossae ac sententiae veteri more hanc siglam, ejus nominis indicem, *H.* vel *Hu.* appictam habent.

III. Verum si quis paulo diligentius in hanc rem inquirat fortasse conjiciet glossas, quae hac sigla apud Accursium maxime in Pandectarum commentariis notatae sunt, potius pertinere ad Hugolinum Presbyteri, de quo infra dicemus, quam ad Hugonem Albericum. Certe Odofredus in eum modum Hugolini Presbyteri nomen designat (2), Hugonis vero nomen integrum apponere solet et quidem cum aliqua honoris significatione (3). Constat autem Hugolinum Presbyteri optimum glossarum apparatum in Pandectas, quem Odofredus ceteris ad illud tempus editis anteponere solebat, edidisse (4). Itaque ex hoc apparatu uberiorem glossarum segetem colligere potuit Accursius suis commentariis inferendam. Et sane in accursianis commentariis *Azo* et *Hu.* fere semper una simul occurrunt et aut alter cum altero committitur si dissentiant aut invicem componuntur si consentiant; et nomen quidem *Azo* semper praeponitur, *Hu.* autem postponitur. Quae satis ostendere videntur doctorem illum, hac nota *Hu.* designatum, non priscum Hugonem fuisse sed Hugolinum, qui cum Azone vixit et Azone ipso aetate aliquanto inferior fuit, ut egregie conjicit clarissimus Montius cui totam hanc animadversionem debemus.

IV. Sed quamquam Hugonis nomen magnopere celebraretur in scholis, post vulgatos Accursii apparatus ut reliquorum qui praecesserant clarissimorum legum interpretum ita et Hugonis fama paulatim obliterata est ejusque nomen rarius exaudiri coepit apud legum studiosos. In codice manu exarato bibliothecae regiae parisiensis habentur *Distinctiones domini H. in varios libros Codicis* (5). Hunc esse Hugonem nostrum existimo, cujus distinctiones perfecit absolvitque Albericus de Porta Ravennate ejus agnatus; qua de re postea dicemus (6).

V. Ejus non infrequens memoria est in antiquis Bononiensium tabulis ab anno MCXXXI ad MCLXVIII, quo decessit, si quidem ille idem est Hugo magister, cujus mentio est in tabulis monachorum divi Stephani ad annum MCXXXI (7): *An. MCLI sub praesentia et testimonio dn. Hugonis de Alberico causidici et legum doctoris,* actum de querimonia, quam Martinus prior s. Joannis in Monte et s. Victoris ad Bononiensium praetorem Guidonem Raynerii de Sasso detulerat. Est hic primus Bononiensium

ceteros magnifice tunc radiantibus, scilicet Martino Goxia et Bulgaro ac Jacobo atque Ugone de Porta Ravegnana. Apud MURATOR., *Rer. Ital. Script.*, t. VI, p. 1113.

(1) DON. ANT. D' ASTI, lib. II, c. VII, p. 186.

(2) Dn. Hu. discordavit ab Azo. dn. Azo dixerat, ut supra dictum est, sed dn. Hu. dicebat etc. Ita passim loquitur Odofredus.

(3) Odofredus Hugonem raro admodum nominat, cumque appellat *magnae auctoritatis virum,* aut simili aliqua laudis significatione ornat.

(4) Scio tamen quod dn. Azo in apparatu suo notavit quaedam, et dn. Hu. qui fecit meliorem apparatum, qui fuit publicatus. ODOFRED. in l. *Si dotis causa,* Dig. *Soluto matrimonio.*

(5) Est in Cod. IV, MDCIX, ex t. III Indicis Libr. mss. biblioth. reg. paris., p. 614.

(6) Vid. infra in ALBERICO.

(7) Anno MCXXXI. Hugo magister, cum aliis multis praesens instrumento in archivo monachorum D. Stephani, nunc Senatus Bononien.

praetor, quem in antiquis eorum temporum monumentis reperire licuerit. Is se Dei gratia *Bononiensium rectorem et potestatem* appellabat (1). Vides hic Hugonem dici causidicum et legum doctorem. In alia ejusdem anni charta causidicus tantum appellatur (2). Ejus patrem Albericum certo cognoscimus et patriam quoque unde originem duxit, ni fallor, ex alia charta, quae scripta est anno MCLIX (3). Ei scribendae interfuit Lambertinus Guidonis filius, Lamberti nepos, Mundi pronepos, ex nobilissima jam tum Lambertinorum familia, cujus nunc primum commemorandae oblatam occasionem lubens amplector. Quamquam enim ea non egeat commendatione priscorum temporum postquam immortalis memoriae Pontificem protulit Benedictum XIV, qui non solum genti et patriae suae sed universae christianae reipublicae maximo ornamento fuit, juvat tamen hoc loco quasi intento digito ostendere quam altis ex principiis ducenda sit ejus familiae origo. Mundus enim, quem hic habemus, saltem circa medium Christi saeculum XI aetatem egisse videtur. Fuit Mundi pater Lambertus, quem agnoscimus ex veteri charta ad annum MCIV, quam communicavit clarissimus Montius. In ea subscriptus legitur *Lambertus filius Mundi de Lamberto,* cujus aetas facile assurgere potuit ad XI saeculi initium (4). Neque dubium est quin primus ille Lambertus, quem veluti Lambertinae gentis auctorem agnoscere licet, egregius vir fuerit non secus ac Mundus ejus filius, utriusque enim nomen in posteritate diu servatum est et ex eorum altero commune gentis agnomen est effectum. Sed in hujus clarissimae familiae stemmate explicando dabimus alibi prolixiorem operam.

VI. De Hugone illud addemus anno MCLXVI adhuc in vivis fuisse (5), nec post eum annum ullibi ejus memoriam in monumentis bononiensibus reperiri. Egisse tamen vitam creditur ad annum usque MCLXVIII, ut in ejus sepulcrali titulo adnotatum est, quem hic damus.

Transiit ut vivat mundanae legis alumnus;
    Mors sit ei requies, ultima vita Deus.
Urbis honor, mundi speculum, jacet hic Ugolinus,
    Spiritus astra tenet, corpora signat humus;
Cui fortuna manum revocans concessa tetendit,
    Cui lex uberius ubera plena dedit.
Mens legum cecidit, reliqui latitant Farisei.
    Christus, qui novit parcere, parcat ei.
Mens respondebat veraci consona linguae
    Et par effectus cordis et oris erat.
Fraudis, nequitiae, livoris et ambicionis
    Inter concives unicus hostis erat.
Mors voluit mundum sub certa lege teneri,
    Nam cinis est hodie qui fuit ignis heri.

A. D. MCLXVIII.

(1) An. MCLI. Sub praesentia et testimonio domini Ugonis de Alberico causidici et legum doctoris et Guarini de Sproato dominus Martinus Dei gratia prior s. Jo. in Monte et s. Victoris de querimonia quam fecerat dn. Guidoni Rainerii de Sasso Dei gratia Bonon. rectoris et potestatis etc. Rolandinus notarius bononiensis potestatis Gerardi tabularii filius. *Extat in archivo s. Jo. in Monte.*

(2) Ugo causidicus de Albrico, cum aliis testibus praesens interfuit, cum causa quaedam Bavosi, quondam Ugonis Vicecomitis, jussione potestatis Bonon. commissa est domino Jacobo causidico examinanda et definienda. Actum apud curiam et domum potestatis. *Extat in eod. archivo.*

(3) An. MCLIX die XVIII Jul. dn. Guibertus Abbas monasterii s. Stephani renovat domos etc. Ugoni causidico filio Alberici Lombardi. Testes fuerunt Lambertinus filius Guidonis Lamberti de Mundo, Petrus de Asinella etc. *Extat in archivo s. Stephani, nunc amplissimi Senatus Bonon.*

(4) Extat haec charta in archivo monialium s. Agnetis, cui testium nomina in hunc modum adscripta sunt:
Ego Hieremias m. m. s. s.
Ego Johannes bonus causidicus interfui.
Lambertus filius Mundi de Lamberto. Reginerius et Albertus germani filii Lamberti de Bero.

(5) Anno MCLXVI. Sex. kal. Oct. Dn. Ugo de Porta Rav. testis. *Ex archiv. s. Jo. in Monte.*

VII. Tumulum habuit Hugo in claustro canonicorum s. Victoris, ubi adhuc ea inscriptio visitur, sed literis non admodum antiquis scripta. Fortasse ex antiquiori lapide exscripta est ut diutius vim temporis ferret, nisi potius annis multis post Hugonis obitum composita sit ad ejus memoriam retinendam. Ac mirum certe cuipiam videbitur Hugolinum hic appellari hunc doctorem, qui nuspiam alio quam Hugonis nomine dictus est. Hinc aliquis suspicabitur confictam vel ex veteri reformatam inscriptionem illam, postquam Hugonem hunc doctorem antiquum cum Hugolino, qui aliquanto serius vixit, confundi contigit.

VIII. In vetusto necrologio Canonicorum Regularium s. Joannis in Monte et s. Victoris ita Hugonis obitus notatur: *kal. Jun. obiit Ugo causidicus clericus et frater noster A. D. MCLXVIII.* Sed multis locis interpolatum est necrologium istud, nec ego praestare ausim ita in primo ejus necrologii autographo scriptum fuisse. Qui enim a canonicis illis dici potuerit *clericus et frater* non intelligo nisi fortasse extremis vitae suae annis, terrenarum rerum curis abjectis, canonicis s. Victoris se adjunxerit. Sed vanam esse hanc conjecturam monuit me clarissimus Montius, qui anno MCLXXI et anno rursum MCLXXXVI adhuc in vivis fuisse Hugonis uxorem compertum habuit ex antiquis eorum temporum tabulis (1).

VIII.

JACOBUS.

I. Hunc etiam de Porta Ravennate aliqui appellant (2). Atque hinc factum arbitror ut Alidosius Hugonis, de quo supra dictum est, fratrem fuisse scripserit. Jacobi patrem prodit vetus charta archivi monialium s. Agnetis, quam indicavit clarissimus Montius. Is fuit Ildebrandus Hugonis Boni (3). Atque hic idem Ildebrandus rursum prodit ex alia charta canonicorum s. Joannis in Monte, ubi dicitur *Ildebrandus Alberti Hugonis de Boni* (4); ex qua agnoscimus non solum patrem sed avum quoque Jacobi, quem notarius in charta monialium s. Agnetis brevitatis causa omiserat (5). Non igitur ex Albericia gente prodiit Jacobus ex qua Hugonem editum fuisse ostendimus. Eum potius crediderim aliquo agnationis gradu conjunctum cum Walfredo legum doctore, qui cum Irnerio floruit. Moveor ut id credam ex eo quod Ildebrandum Jacobi patrem video Walfredi

(1) An. MCLXXI. Constat me quidem Io. Pegoloetum de strata majori vendidisse tibi presbitero Alberto accipienti pro ecclesia s. Victoris et pro dn. Ysabella quondam uxore dn. Hugonis de Alberico peciam unam terre. VI kal. Octob. *Ext. in archiv. s. Jo. in Monte*, fasc. VIII, n. XXI.

An. MCLXXXVI, X kal. Maji. Constat me quidem dn. Ysabellam uxor. dn. Ugonis donasse tibi dn. Ribaldo priori etc. *Ibid.* fasc. IX, n. XXXVI.

[Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. IV, cap. VII, § XXIII. — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Ugo*. — Savioli. *Ann. Bol.*, t. I, part. I, ad an. 1141 et alibi. — Savigny. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXVIII, § IV]. (c. a.)

(2) Odofred. in l. *In bonae fidei*, C. *De rebus creditis*. Jo. Andr. in *Addit. ad Specul.*, tit. *De Confess.*, § *Nunc videndum.*

(3) An. MCLVII. Cartam venditionis et conditionis fecerunt Guitafloris filius Joannis Boni de Anna et Amelgarda vir et uxor de duabus tornaturis .... in Bertalia .... in nomine Jacobi legis doctoris filii Ildebrandi Ugonis Boni et ejus heredum etc. *Ext. in Archiv. monial. s. Agnetis.*

(4) In charta emptionis Walfredi doctoris, anno MCXXVIII scripta, testis occurrit Ildebrandus de Alberto de Ugo de Boni. *Ext. in archivo canonic. s. Jo. in Monte.*

(5) In alia veteri charta canon. s. Jo. in Monte, anno MCXXXIX scripta, quae etiam spectat ad Walfredum doctorem, habetur Ildebrandus de Ugo de Boni investitor.

contractibus et negotiis interesse. Adde quod utriusque agri erant contermini [1] et quod in Walfredi quoque familia Ildebrandi nomen usitatum erat, nam et Walfredo filium fuisse constat, qui Ildebrandus dicebatur, ut supra demonstravimus. Odofredus et alii fortasse Jacobum appellare consueverunt doctorem seu glossatorem antiquum; quod Pancirolo errandi causam praebuit. Is enim duos sibi fingit hoc nomine, Jacobum scilicet Irnerii auditorem, qui glossator antiquus merito dici potest, et Jacobum Bandini, cujus minorem esse antiquitatem existimat. Sed postremum hunc fictitium judico. Potuit autem Odofredus Jacobum doctorem aut glossatorem antiquum dicere prae Jacobo Balduino, qui multo post Jacobum de Porta Ravennate aetatem egit et Odofredum ipsum in jure civili erudiit. Ceterum id familiare fuit Odofredo ut doctores antiquos vocaret eos omnes qui ante ejus aetatem vixerant.

II. Porro Jacobum delectum ajunt ab Irnerio ut sibi succederet in regenda jurisprudentiae schola, cujus ipse fuerat fundator et parens; idque apparet ex iis versiculis quos in Bulgaro retulimus. Est autem credibile Irnerio vivente unam tantum fuisse legum scholam, nec quemquam ex ejus auditoribus ausum esse leges interpretari. Hanc itaque scholam regendam primus post Irnerii mortem obtinere potuit Jacobus. Post autem docuere Bulgarus, Martinus, Hugo et alii plures, atque ita professorum numerus in dies est auctus. Sed minime ferendus est Donati Antonii Astensis error, qui professorem hunc nostrum appellat Jacobum Grosiam ex eoque natam dicit Grosianorum sectam Bulgari placitis adversam. Gosianos nimirum dicere voluit, quos auctore Martino Gosiae natos manifestum est [2]. Docuit autem Jacobus per illud tempus quo Gratianus monachus Decretorum librum Bononiae composuit, ut liquet ex testimonio Huguccionis episcopi ferrariensis, qui annis non admodum multis post Gratianum librum Decretorum in scholis nostris interpretatus est. Is enim in sua Decretorum Summa ad *c. Post appellationem II q. VI,* editum fuisse ait Decretorum librum, *Jacobo bononiensi jam docente in scientia legali et Alexandro tertio Bononiae residente in cathedra magistrali in divina pagina ante apostolatum ejus.* Atque ita legitur apud Huguccionem in pervetusto codice Vaticano [3]; nam glossa hujus loci in libris editis licet ab Huguccione petita sit et quoad sententiam congruat verbis tamen differt. Cur autem Huguccio ceteris praetermissis unum Jacobum ex legum professoribus commemoret et Alexandrum quoque III (sive Rolandum Bandinellum qui fuit Alexander III), Bononiae theologicas disciplinas profitentem, huc inducat, casu factum fuisse vix mihi persuaserim. Num credibile est Gratianum, dum suam illam *Concordiam Discordantium Canonum* componeret, in iis quae ad jus civile pertinent Jacobi glossatoris, in theologicis autem Rolandi Bandinelli consilio usum? Etiam Bonifacius VIII cum sextum Decretalium librum edere decrevisset praeter tres insignes juris canonici professores quibus hanc provinciam demandavit, legum quoque professorem eximium eidem operi perficiendo adhibuit, Dinum Mugellanum. Multo igitur magis Gratianus in magna illa canonum sylloge concinnanda et in ordinem redigenda, optimi legum professoris et theologi consilio egere poterat, praesertim cum tam multa complecti deberet ex legum et theologiae fontibus necessario petenda. Nam quod aliqui existimant quae apud Gratianum ex jure civili afferuntur alia manu addita fuisse post emissum a Gratiano ipso Decretorum librum id merum commentum est, quod accurate refellendum erit ubi de Gratiano agemus.

(1) Id apparet ex iisdem antiquis tabulis eorumdem canonicorum, ut observavit clarissimus Montius.

(2) Donatus Anton. Asten., lib. II, c. VIII, p. 185.

(3) Hugucc. in *Summa Decret.* ex cod. Vatic. 2280.

III. Scribebat Gratianus circa annum MCXXXX, quare dubium non est quin per illud tempus Jacobus in schola floreret. Hic etiam cum Bulgaro, Martino et Hugone de Porta Ravennate Friderico I adfuit in conventu roncalliensi. Anno MCLI jussu praetoris Bononiensium causam quamdam Bavosi Hugonis Vicecomitis filii cognoscendam et definiendam suscepit, cujus sententiam supra attulimus, ut ostenderemus, irnerianam scholam non adeo ferream ac barbaram in dicendo fuisse, ut posterioris aevi jurisconsultos fuisse comperimus.

IV. Hunc eximio legislatoris titulo ornatum quandoque novimus in antiquis tabulis (1). Baronius ad annum MCLVIII scribit Jacobum summis laudibus donatum a Petro Blesensi in epistola post ejus obitum scripta, *quam potius,* inquit, *publicum dixeris epitaphium;* ac miratur *quomodo hunc tanta luce coruscum non viderit qui recentiorum jurisconsultorum vitas conscripsit.* Sed ea epistola (quod pace tanti viri dixerim) non est Petri Blesensis et alium habet auctorem licet aliquando edita sit inter Blesensis epistolas. Est autem Petri de Vineis, qui in ea non Jacobi antiqui glossatoris sed Jacobi Balduini obitum deflet; de quo suo loco dicemus.

V. Jacobus uxorem habuit Julittam, quae ei fuit superstes (2). Obiit autem Jacobus anno MCLXXVIII, V id. Octob., quo die ejus obitus in necrologio s. Salvatoris adnotatur (3). Etiam Julittae uxoris et Julianae filiae obitus in eodem necrologio notatus est (4). Anno MCCXXV inter moniales nobilissimi monasterii s. Agnetis degebat vidua quaedam Julitta, cum Jacobina filia (5). Num haec Julitta Jacobi uxor fuit, ejusdemque filia Jacobina? Si ita sit, facile intelligi poterit cur tot antiquae tabulae ad Jacobum doctorem Ildebrandum ejus patrem et avum quoque Albertum (6) pertinentes, habeantur nunc in archivo monialium s. Agnetis. Ubi enim ad illud monasterium secessit Julitta Jacobi uxor cum Jacobina filia tabulas quoque secum attulisse debuit, quibus Jacobi haereditatem ad moniales translatam tueretur (7).

VI. Alidosius hic intrudit Augustinum de Porta Ravennate, quem vixisse ait anno MCLXV et glossas edidisse in legum libris ab Odofredo laudatas (8). Sed corruptum aliquem Odofredi locum Alidosio fucum fecisse arbitror; est enim plane inauditum hujus doctoris nomen. Ireum quoque, sive Ircum Beccarium aliqui adjungunt Irnerii discipulis (9), quem post homines natos numquam fuisse existimo (10),

(1) An. MCLIII octavo kal. Mart. Ego quidem Gerardus de Bilicia et Inmila jugales .... vendimus et concedimus tibi Jacobo legislatoris tuisque heredibus peciam unam terre .... prope Britalia. *Ex tab. archivi s. Agnetis.*

(2) An. MCLXXXI, IX kal. Octob. Constat me quidem Vinciguerram .... vendidisse .... tibi Villano procuratorio nomine pro dna Julicta relicta dni Jacobi ejusque heredibus totum illud quod habebam in clausura ipsius dne Julicte in Bertalia etc. *Ibid.*

(3) *Vide excerpta Necrolog. s. Salvator. in Append.*

(4) *Ibid. mense Aug. et Sept.*

(5) Eodem die et anno (MCCXXV) dn. Agnesia que fuit de civitate Roma et nunc priora ecclesie s. Agnetis presentibus et consentientibus infrascriptis suis sororibus scilicet dna Julicta et dna Jacobina ejus filia et dna Diana etc. *Ex archiv. monial. s. Agnetis.*

(6) An. MXC die XIII Febr. Petimus a te Alberto filio qnd. Ugonis qnd. de Boni .... ut nobis Leo .... libello enfiteotico etc. *Ibid.*

(7) Ita suspicatur clarissimus Montius.

(8) Alidosi. *Dott. Bol. di legge etc.,* pag. 1.

(9) *Ibid.,* pag. 150.

(10) Est locus mendose scriptus in libellis Roffredi Beneventani, in quo legitur Henrici de Baila glossas signatas fuisse per *Ir.* Sed quisnam iste *Ir.*, qui Henrici glossas suo nomine notabat? Ircum ajunt, sive Ircum Beccarium. Ita ex duabus literulis male intellectis novus legum professor expressus; de quo etiam numisma confictum est cum ejus effigie, his additis literis: IRCUS BONONIENSIS J. C. In aversa parte aries in sidereo coelo micans cum hac epigraphe: FVLGET IN AETHERE MODO de quo vide *Apolog. Augustal. diplom.* § 152, pag. 84. Prodiit hic nummus ex ea officina, quae Peponis, Irnerii et Bulgari nummos effuderat; ejusque nothiam nemini sano non obviam cum subodorasset clarissimus vir Guido Grandius, rejicere tamen ut spurium immo plane fictitium et imaginarium non ausus est in amici gratiam a quo ejus decriptionem acceperat. Vid. Guido Grandi, *Nuova disamina della storia delle pandette,* p. II, cap. IV.

quemadmodum et alios plures apud Alidosium, Ghirardaccium, Bumaldum et Orlandium confictos (1).

IX.

HUGO ANSALDUS. ALBERTUS GRASSUS.

ROLANDUS RODULPHI GUARINI. GUIDO CASTELLIUS. GALLITIANUS. ERRO. GUIDO ROMANCIUS. MAGISTER AEGIDIUS.

I. His celeberrimis legum doctoribus causidicos aliquot adjungimus, qui iisdem temporibus vixerunt. Memoravimus alio loco Joannem Bonum et Marchisellum bononienses Mathildis comitissae judices. His addere licet Hugonem Ansaldum et Albertum Grassum causidicos, qui anno MCXVI ad Henricum V a populo bononiensi legati sunt ut eum principem civitati iratum ob arcem, quae Imperatoris nomine teneri solebat, destructam conciliarent. Quod ab iis feliciter actum est et non solum in Imperatoris gratiam Bononienses restituti, sed eorum etiam consuetudines et privilegia ab eo confirmata fuerunt (2). In charta monachorum s. Stephani, nunc amplissimi Senatus bononiensis, anno MCVIII scripta, dicitur *Ugo judex de Ansaldo.* Ex ejus familia, quae diu non viguit, appellationem nacta est ecclesia s. Andreae de Ansaldis hodiedum nuncupata. Alberti Grassi gens adhuc superest, quae per omnem aetatem egregios cives et viros omni genere laudis praestantes tulit. Albertus filium habuit Gerardum, primo canonicum, dein episcopum bononiensem (3).

II. Vixit aliquanto serius Rolandus Rodulphi Guarini, quem interfuisse reperio quibusdam actis publicis ad annum MCLIX (4). Eodemque tempore vivebat Guido Castellius, Guido Perticonis ex fratris nomine alias dictus, qui testis adfuit anno MCLX quibusdam tabulis, quae sunt in archivo canonicorum s. Joannis in Monte (5). Vivebat eo tempore, quo ejus familia Placentinum celebrem jurisconsultum ex Montepessulano Bononiam revocavit. Ac fortasse is ipse ejus rei auctor fuit (6).

III. Gallitianus et Erro causidici una vixerunt inclinante saeculo XII. Uterque interfuit anno MCLXXXVI quibusdam actis, quae sunt in archivo publico civitatis. Erro autem obiit insequenti anno, ut liquet ex necrologio s. Victoris, in quo legitur: *kal. Jul. ob. dn. Erro causidicus amicus noster. MCLXXXVII* (7). Gallitiano filius

(1) Tiraboschi. *St. lett. it.*, lib. IV, cap. VII, § XXIII. — Savioli. *Ann. Bol.*, t. I, part. I ad an. 1141. — Savigny. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXVIII. (c. a.)

(2) Haec omnia impetrata sunt ab Alberto Grasso et Ugone de Ansaldo, ut legitur in insigni harum rerum monumento apud Murator. *Antiquit. Ital. med. aevi*, dissert. XI.

(3) In charta anni MCXXVIII in archivo s. Jo. in Monte subscribit Gerardus clericus sanctae bononiensis ecclesiae filius Alberti Grassi causidici. Idem Gerardus anno MCXXXII inter canonicos bononienses recensetur in tabulis canonicorum ecclesiae bononiensis.

(4) Guido de Perticone causidicus et Rolandus causidicus fil. Rodulphi de Guarino in actis an. MCLIX in *Reg. gross.* Sed Rolandum biennio ante praesentem reperio deditioni Montisbellii, quae acta est anno MCLVII, XIV kal. Jun. in presentia domini Gerardi episcopi sanctae bononiensis ecclesiae in concione populi bonon. in curia s. Ambrosii in presentia eorum consulum, scilicet Accarisii filii qnd. Lamberti Curtis .... et eorum judicum Rolandi Dei gratia filii Rodulfi causidici Guarini, Ildebrandi bone memorie filii Gualfredi Dei gratia judicis Imperatoris Lotharii et eorum traguanorum. *Extant haec acta in archivo Communis Bonon. in Reg. gross.* p. XXIIII.

(5) In iis tabulis dicitur Guido causidicus de Castello.

(6) Ex numero consulum civitatis fuit an. MCLXXIV et MCLXXV.

(7) *Vide Appendicem.*

superstes fuit Odoricus nomine, cujus mentio honorifica est in annalibus Ordinis Praedicatorum. Is enim ex praecipuis fuit qui nascentem illum ordinem in civitate nostra consilio et opera plurimum adjuvit. Vixit iisdem temporibus Guido Romancius causidicus, ita dictus ex Romancii patris nomine. Ab eo gens romancia clara et nobilis agnomen sumpsit, ex qua fuit Rolandinus Romancius celebris legum interpres, de quo suo loco dicemus.

IV. Exeunte XII saeculo floruisse videtur magister Aegidius legum professor, doctoris quidem insignibus minime ornatus sed non ignobilis tamen in scholis, uti et Aldricus, de quo infra dicemus. Aegidio certe tribuitur libellus quidam, qui inscribitur *Diversitates Dominorum in jure* (1), de quo dicemus infra in Rogerio Beneventano. Etiam in bibliotheca regia parisiensi *libellus pauperum mag. Aegidii* memoratur, qui fortasse Aegidio huic nostro tribuendus videtur (2).

X.

VACARIUS.

S. THOMAS CANTAURIENSIS. ROGERIUS NORMANNUS.
PETRUS BLESENSIS.

I. Quo tempore Irnerius Bononiae, eodem in Galliis Petrum Abaelardum, in Anglia Vacarium jus civile docuisse tradit Donatus Antonius Astensis in iis libris, quos scripsit de usu juris civilis in proviinciis Occidentali Imperio subjectis (3). Sed quod ad Abaelardum pertinet non leve est Astensis erratum, qui fictitium nobis juris interpretem obtrudit toti antiquitati ignotum, cujus doctas lucubrationes in jure civili temporum injuria periisse frustra conqueritur. Petrus Abaelardus, quem unum vetus historia memorat, adeo jus civile in scholis non docuit ut ne didicerit quidem, totus enim in philosophicis ac theologicis studiis fuit ut ejus scripta declarant. Porro Astensem decepit glossa in l. *Quinque pedum,* C. *Fin. regund.*, quae Petrum Abaelardum memorat (4). Ac multo ante Astensem eodem impegerat Alciatus, qui in ea lege interpretanda cespitasse ait Petrum Abaelardum, *tempestate sua non incelebrem professorem,* ibique inscitiam suam publice confessum esse (5). Sed Alciatus et Astensis et quotquot sunt qui Petrum Abaelardum glossa illa commendatum in jurisconsultorum rempublicam induxerant non satis oculati fuerunt. Petrus Abaelardus, cum ex subtilitate ingenii sui nimium sibi plauderet, quo factum est ut novas etiam et ab Ecclesia reprobatas opiniones in theologiam invexerit, ridebat jurisconsultos quasi hebetes homines, qui in interpretandis legibus planissimis atque apertissimis insudarent. Itaque ajebat nullam esse legum particulam, cujus ipse, qui numquam in ea disciplina versatus erat, rectam sententiam assequi non posset. Sed egregie retudit ejus hominis temeritatem aliquis ex

(1) Diversitates dominorum in jure tribuuntur magistro Aegidio in catalogo librorum, qui fuerunt Cervotti Accursii quem in Appendice exhibemus.

(2) Savioli. *Ann. Bol.*, t. I, part. I ad an. 1116. — Fantuzzi. *Scrittori bolognesi,* art. *Egidio da Bologna.* (c. a.)

(3) Donat. Anton. Asten., l. I, c. IV, pag. 75, et c. VIII, pag. 147.

(4) Sed Petrus Bailardus, qui se jactavit, quod ex qualibet quantumcumque difficili litera traheret aliquem sanum intellectum, hic dicit: nescio. *Gloss.* in l. *Quinque pedum,* C. *Fin. regund.*

(5) Alciat., *loc. cit.*

jurisconsultorum familia. Cum enim ab eo postulasset ut exponeret legem illam quam supra memoravimus, quae profecto obscurissima est, haesit Abaelardus suamque inscitiam prodidit. Huc spectat glossa illa, in qua novum legum interpretem Alciatus aliique sibi detexisse visi sunt. Narrat hanc historiolam Odofredus ex Joanne Cremonensi, sive Nicolao Furioso (1), ex quibus item accepit Accursius. Neque alium Abaelardum, sive Bailardum, ut in glossa dicitur, hic excogitare licet, unum enim Petrum Abaelardum literarum scientia clarum novimus non tam doctrina quam erroribus et vitae suae casibus saeculo XII in Gallia insignem. Atque hunc ipsum indigitat Odofredus, cum et acutissimum philosophum fuisse dicit et Parisiis versatum et magicis etiam praestigiis deditum; quo vitio insimulari solebant rudibus illis saeculis quotquot erant supra vulgi captum docti homines et acuti philosophi.

II. Expungendus igitur ex jurisconsultorum albo Petrus Abaelardus. De Vacario autem non negaverim ejus opera jurisprudentiae studia in Anglia floruisse. Sed id aliquanto serius accidit quam Astensi est visum. Leges romanas in Angliam attulit Theobaldus cantuariensis archiepiscopus, ut narrat Joannes Saresberiensis auctor synchronus (2). Is anno MCXXXIX ex abbate beccensi inauguratus est Cantuariensium antistes ac non multo post Romam profectus est, ut pallium more majorum ab Apostolica Sede acciperet (3). In hoc autem itinere cum legum studia in Italia feliciter excitata maxime in scholis nostris fervere comperisset, redux in Angliam viros in ea facultate praestantes adducere potuit qui jurisprudentiam docerent, quorum princeps Vacarius.

III. Sed si Gervasium dorobernensem audimus, probatum auctorem et ea aetate scribentem, non ante annum MCXXXXIV leges romanae in Angliam appulisse videntur. Is narrat leges et causidicos in Angliam accitos ob lites et dissidia, quae tunc exorta sunt cum Theobaldus a Caelestino II romano pontifice petiit ut sibi Sedis Apostolicae legatio deferretur, ex qua dejectus fuerat Henricus episcopus wintoniensis (4). Cum autem Caelestinus pontifex creatus sit anno MCXXXXIII mense septembris, nec amplius quam mensibus quinque Petri cathedram obtinuerit, non ante annum MCXXXXIV, quo decessit, legum et causidicorum transitus in Angliam constitui potest.

IV. Atque hoc quidem Vacarii nomen retinendum est, licet in aliqua Saresberiensis editione pro *Vacario* legatur *Vicario*, ex quo aliquis suspicari potuit de Theobaldi archiepiscopi vicario quopiam jus romanum in Anglia tunc profitente. Sed plane indubium est primo huic justinianei juris in Anglia interpreti Vacario nomen fuisse. Nam, praeter Saresberiensis auctoritatem, sic etiam appellatur a Gervasio dorobernensi

(1) In lege ista sicut scriptum invenitur per dominum Joannem sive per Nicolaum furiosum, qui scripsit post eum, fuit deceptus quidam qui magnus philosophus putabatur, et dicitur quod fuit quidam qui vocabatur magister Petrus baiardi, et fertur de eo quod in nocte nativitatis domini dum esset in curia romana ivit ad civitatem parisius: et cantavit ibi unam lectionem matutinarum, et in mane tempestive rediit ad curiam romanam coram domino papa, et multa alia mirabilia feruntur de eo, et valde deridebat legistas et jactabat se: quod nulla lex esset in corpore juris quantumcumque esset difficilis in litera quin in ea poneret casum, et de ea traheret sanum intellectum, unde una die fuit sibi ostensa a quodam ista lex et tunc ipse dixit nescio quid velit dicere ista lex, unde derisus fuit. ODOFRED. in l. *Quinque pedum*, C. *Fin. regund.*

(2) Tempore regis Stephani a regno *(Angliae)* jussae sunt leges romanae exulare, quas in Britanniam domus venerabilis patris Theobaldi Britanniarum primatis asciverat. Ne quis etiam libros retineret ed eto regio prohibitum est, et Vacario nostro indictum silentium; sed Deo faciente, eo magis virtus legis invaluit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare. Jo. SARESBER., *Policrat.*, lib. VIII, c. 22.

(3) WARTON. *Angl. Sac.*, t. I, pag. 7.

(4) GERVAS. DOROBERN. *inter Scriptores Angl. a Seldeno edit.*, col. 1665.

in actis pontificum cantuariensium (1). Eodem etiam nomine dicitur in chronico normannico, quod edidit Duchesnius inter antiquos Historiae Normannicae Scriptores (2), cujus chronici locum insignem postea perpendemus.

V. Cum igitur Vacarius in Angliam venerit in comitatu Theobaldi cantuariensis archiepiscopi, post pallium a Romano Pontifice acceptum ad ecclesiam suam redeuntis, id contingere debuit aliquanto post annum MCXXXX ex notatione temporum, quam supra indicavi. Suffragatur chronicon normannicum a Duchesnio editum, in quo Vacarius dicitur leges romanas anno MCXXXXIX in Anglia apud frequentes auditores docuisse (3). Itaque de tempore, quo in Anglia romanae jurisprudentiae schola instituta est, dubitare non licet. Atque illud aeque certum videtur post Irnerii obitum leges romanas in Angliam migrasse, contra quam Astensi est visum.

VI. Nemo etiam prudenter, ut opinor, dubitabit quin Theobaldus Vacarium e scholis nostris abduxerit, tum quia nulla erat ubivis gentium celebris jurisprudentiae schola nisi in civitate nostra, tum quia etiam post invectam apud Anglos jurisprudentiam romanam docente Vacario si quis fuit ex Anglorum natione, qui majores in ea facultate progressus facere optaverit, is ad academiam nostram venit ut non jam ex rivulis, quos aperuerat Vacarius, sed ex suis fontibus unde Vacarius ipse hauserat legum scientiam acciperent. Thomas Beket cantuariensis archiepiscopus et martyr aliique plures ex Anglia Bononiam Vacario ipso vivente ad jurisprudentiam perdiscendam profecti sunt; ac tantus Anglorum concursus fuit ad scholas nostras saeculo Christi XII ut vix dum ex humanis per martyrium rapto Thoma Cantuariensi et in sanctorum album relato Angli scholares, qui Bononiae erant, aram sancto martyri conterraneo suo in aede divi Salvatoris erexerint (4). Ac verissime affirmari potest nullam nationem fuisse, ex qua jam inde ab XII Christi saeculo major studiosorum concursus ad scholas nostras quam ex Anglis fuerit (5). Non aliis igitur e scholis quam ex bononiensibus nostris in Angliam migravit Vacarius, quem surculum irnerianae institutionis appellare non dubito. Neque vero credibile est a Theobaldo accitum ad instituendam jurisprudentiae scholam in Anglia novitium professorem nullius nominis ac famae, sed hominem in scholastico pulvere diu exercitatum quique interpretandis legibus cum auditorum plausu diu vacaverit. Tempora autem egregie congruunt ut Vacarius et Irnerium senem audire potuerit et annis aliquot in academia nostra exerceri post Irnerii obitum antequam in Angliam proficisceretur.

VII. Vacarii patriam obscure indicat chronicon normannicum supra laudatum, in quo Vacarius gente lombardus dicitur. Ac nostram quidem civitatem inter lombardas, uti tunc appellabant, censitam indubium est. Non propterea tamen Vacarium certo dixerim nostris civibus adscribendum, quamquam primos quosque celeberrimos legum interpretes in Irnerii schola eruditos Bononienses fuisse constat, ut vel ipse Pancirolus fatetur (6). Docuit Vacarius in academia oxoniensi, quae jam celebris erat ob sacrarum literarum et theologiae studia (7). Sed contra nascentem in Anglia jurisprudentiam romanam atrox procella desaeviit. Leges romanas male feriati quidam homines Stephano Anglorum regi in invidiam adduxerunt ab eoque edictum extorserunt, quo proscriptae

(1) Erat diebus illis apostolicae sedis legatus Henricus Wintoniensis.... Tunc leges et causidici in Angliam primo vocati sunt, quorum primus erat M. Vacarius. Hic in Oxfordia legem docuit. Gervas. Dorobern. *inter Script. Angl. edit. Selden.*, col. 1348.

(2) *Vide infra.*

(3) *Ibid.*

(4) Trombelli. *Memorie istoriche di santa Maria di Reno e di s. Salvatore*, pag. 71.

(5) *Vide excerpta Necrolog. s. Salvatoris in Append.*

(6) Panciroł. *De cl. leg. interpr.*, lib. II, c. XV.

(7) Gervas. Dorobern., *loc. cit.*

sunt et exulare jussae ab Angliae finibus. Gravi etiam poena interdictum est ne quis quem librum ejus facultatis penes se retineret et silentium Vacario impositum. Ita narrat Joannes Saresberiensis; sed ab eo etiam accipimus non diuturnam admodum fuisse hanc procellam (1); qua disjecta et Vacarius intermissum docendi officium repetere potuit, et jurisprudentiae romanae studia tanto ardentius expetita sunt quanto magis insana quorumdam consilia ad ea extinguenda et abolenda conspiraverant.

VIII. Habemus Alexandri III epistolam decretalem *Abbati de Fontibus et Magistro Vacario* inscriptam. Extat in appendice ad concilium lateranense celebratum anno MCLXXIX, ubi idem erratum irrepsit ac in quibusdam Joannis Saresberiensis editionibus, nam pro *Vacario* mendose scriptum est *Vicario* (2). Sed Antonius Augustinus, qui eamdem edidit in prima collectione Decretalium (3), legitimum Vacarii nomen ex optimae notae codicibus intulit, ut dubitare non liceat quin unus idemque Vacarius sit, de quo disserimus. Quoniam autem in ea epistola mentio est Rogerii eboracensis archiepiscopi Sedis Apostolicae legati, et hanc legationem anno MCLXIV a Rogerio susceptam constat ex actis s. Thomae cantuariensis archiepiscopi, qui Sanctae Sedis legatus usque ad eum annum fuerat; hinc apparet, saltem eo tempore Vacarium adhuc in Anglia fuisse, nec alio tamen quam magistri titulo illustrem, ac nondum fortasse a docendi munere abductum.

IX. De hoc primo caesarei juris interprete apud Anglos mirum quam multa turbet Joannes Seldenus, vir abstrusiore eruditione spectabilis sed in hac particula patriae historiae plane ignarus (4). Atque illud in primis vix ferendum in tanto viro videtur, quod Vacarium esse eumdem putat ac Rogerium Beneventanum, inter legum professores ejus aetatis celebrem. Hunc autem rursus confundit cum Rogerio beccensi abbate, viro apprime docto et pio, qui post caedem s. Thomae archiepiscopi cantuariensis in ejus locum ad eam ecclesiam regendam expetitus est; sed, quamquam magno electorum studio sollicitatus, munus illud invicta constantia detrectavit (5). Itaque si Seldenum audiamus, unus idemque homo fuit Vacarius legum professor, Rogerius Beneventanus etiam legum professor et Rogerius monachus beccensis, qui nimirum in beccensi monasterio dioecesis rothomagensis in Normannia, in quo s. Lanfranci opera celebris patebat cum sanctioris disciplinae tum literarum schola monasticae militiae nomen dedit, atque post annos aliquot prior monasterii creatus est, dein abbas; quo in munere, post recusatum archiepiscopatum cantuariensem, anno MCLXXIX diem extremum obiit (6). Ita Seldenus, qui nec solus, nec, opinor, primus haec commenta protulit sed unus tamen ceteros scriptores vicit in iis exponendis et ornandis.

X. Sed neque Rogerius Beneventanus cum Rogerio abbate beccensi, nec Vacarius quidquam commune habet cum alterutro nedum cum utroque. Sed Seldenum decepit corruptus locus chronici normannici a Duchesnio editi, in quo haec leguntur: *An. MCXXXXVIII obiit Bechardus* (lege Lethardus), *cui successit Rogerius magister Wacarius gente Longobardus, vir honestus et juris peritus, cum leges romanas anno ab incarnatione Domini MCXXXXIX in Anglia discipulos doceret et multi tam divites quam*

(1) Jo. Saresber., *loc. cit.*

(2) *Append. ad Concil. Lateran.*, p. VI, *De Sponsalibus etc.*, c. XIII.

(3) Anton. Augustin. in *Prima collect. Decretal.*, lib. VI, tit. VII *De eo qui duxit*, cap. II.

(4) Jo. Seldenus. Dissert. in *Fletam Operum*, t. II, vol. II, cap. VII.

(5) Robert. de Monte in *Append. ad Sigibert.* ad an. MCLXXIII.

(6) Hoc anno obiisse Rogerium abbatem legimus in chronico beccensi, quod vulgavit Lucas Dacherius ad calcem operum s. Lanfranci.

pauperes ad eum causa discendi confluerent. Suggestione pauperum de Codice et Digestis excerptos IX libros composuit, quae sufficiunt ad omnes lites, quae in scholis frequentari solent, si quis eos perfecte noverit (1). Nihil attinet dicere quam mendose editum sit hoc chronicon, ex hac enim brevi perioche judicium de ceteris partibus facere licet. Sed levi tamen opera offendiculum tollitur, in quod imprudens Seldenus impegit. Sic enim addita interpunctione legendum est: *Obiit Lethardus,* hoc enim ei abbati nomen fuit, *cui successit Rogerius. Magister Vacarius gente Longobardus... cum leges romanas... doceret etc.* Obitum scilicet Lethardi abbatis et Rogerii successoris electionem narrat chronicon normannicum. Dein alia omnia ac de magistro Vacario dicere incipit, qui per illud tempus jus civile in Anglia profitebatur.

XI. Neque difficile fuerat ejusmodi mendum in chronico normannico pervidere et emendare. Quid enim sapit *Rogerius magister Vacarius?* Si de uno eodemque homine hic diceret chronici auctor, quantumvis impolitus et rudis, usitata forma scripsisset: *Obiit magister Rogerius Vacarius.* Atque hanc sane difficultatem praesensit Seldenus, quam ut caute declinet, disputare incipit de Vacarii nomine (2), qua in re ita vir doctissimus ineptit ut hic plane Seldenum non agnoscam. Si familiare, inquit, cognomen fuisset Vacarius aut locum cognominis tenuisset, haud ita commode dictus fuisset *Rogerius magister Vacarius,* sed aut *Rogerius Vacarius magister* aut *magister Rogerius Vacarius.* Scite admodum. Sed hic tamen monendus est Seldenus, scribi non potuisse *Rogerius Vacarius magister,* sine hujus Rogerii Vacarii injuria. Magistri enim appellatio proprio hominis nomini postposita mechanicae cujuspiam artis professorem plerumque indicabat, praeposita autem professorem artium liberalium. Sed quidquid hac de re sit, quid est igitur quod contra receptum dicendi morem Seldeno ipsi probatum, *Rogerius magister Vacarius* ab auctore chronici normannici appellatur? Hic se torquet Seldenus et suspicatur Vacarium esse appellativum nomen quo designetur singulare munus ab eo homine susceptum, vacandi nimirum legendis et interpretandis legibus; quo nomine alios eo aevo dictos auguratur. Hic autem, ut infelicissimam conjectationem suffulciat, grammaticos importune consulit et Joannis Januensis catholicon atque Huguccionis derivationes expilat, ut Vacarium a vacando dictum et sibi et populo si superis placet, persuasum eat. Tandem quasi re confecta sibi plaudit de tam praeclaro invento; nec minus apte dictum putat Vacarium a vacando quam Accursium ab accurrendo, nam et Accursium ita dictum ferunt, propterea quod *accurrit et succurrit contra tenebras juris civilis.* Sed ut omnes nunc rident accursiani nominis etymon, quod Accursius ipse commentus est, ita nemo sapiens hanc Seldeni etymologicam conjectationem probabit, plane insulsam et nugatoriam nec viro sobrio dignam.

XII. Quod si Rogerius ille Vacarius monachus primum beccensis in Normannia dein prior celeberrimi ejus monasterii fuit, ex quo munere gradum sibi ad abbatiam fecit quam anno MCXXXXIX consecutus est, ut Seldenus ipse fatetur, non video qui fieri potuerit ut in Angliam romanae leges ejus opera inductae sint. Qui enim in eo monasterio, in quo per illud tempus benedictini instituti disciplina religiosissime vigebat, prioris munere fungebatur, profecto esse non poterat in comitatu Theobaldi archiepiscopi cum ex Italia rediret. Ac multo minus poterat Oxonii, aut si alibi placet, scholam romanae jurisprudentiae instituere. Norunt enim quotquot monachorum ritus et institu-

(1) *Chronic. Norman. inter Histor. Norman. Scriptor. antiquos a Duchesne edit.,* pag. 983.

(2) *Ibid.,* § V.

tiones callent prioris officium ejusmodi esse ut qui illud gerit ad eum totius monasterii cura, quantum ad monasticam disciplinam et quotidianas ascesis exercitationes, maxime pertineat; nec ullo modo illud munus ab absente administrari posse. Neque fingi potest, Rogerium, cum privatus esset monachus, jurisprudentiam romanam in Angliam induxisse. Contra enim faciunt, ut cetera omittam, momenta ipsa a Seldeno allata (1). Rogerius igitur beccensis monachus nihil commune habuit cum Vacario. Rogerius enim monasticen professus est in monasterio beccensi, in quo ob spectata virtutum merita ad ejus monasterii praefecturam ascendit; Vacarius ex Italia accitus in oxoniensibus scholis jurisprudentiam docuit. Ille anno MCXXXXIX creatus est abbas beccensis; hic autem sedente Alexandro III adhuc inter scholarum professores censebatur, ut liquet ex inscriptione decretalis epistolae ab eo Pontifice ad eum datae, quam supra memoravimus. Frustra autem Seldenus Vacarium alterum hic comminiscitur a superiore diversum, qui leges romanas in Angliam advexit. Id enim inane effugium est ad difficultatem declinandam; vel ipsa enim insolentia nominis, cui haud scio an geminum in tota antiquitate reperire liceat, Seldenum admonere debuerat ne tam audax in fingendo esset.

XIII. Neque magis certum judico Rogerium hunc beccensem abbatem eumdem esse cum Rogerio glossatore antiquo, qui primus omnium summas, ut vocant, juris civilis scribere aggressus est. Potuit id persuaderi Seldeno aliisque qui unum eumdemque hominem fuisse existimarunt Rogerium Vacarium; cum enim etiam de Vacario auctor chronici normannici narret utiliora juris capita in ordinem redacta, hoc est summam juris civilis ab eo conscriptam, facili quadam sed tamen admodum infelici conjectura Rogerium illum antiquum legum interpretem traduxerunt in Angliam et monastico cucullo personatum in scenam induxerunt. Sed totius fabulae fundamento sublato cetera uno tempore corruunt ut iis diruendis opus non sit majorem operam impendere. Non frustra tamen susceptum puto laborem refutandi Seldenum, cujus auctoritas viros etiam apprime doctos transversum agere posset, ut egit Donatum Antonium Astensem et criticum primi subsellii Heineccium, qui Rogerium Vacarium Irnerio aequalem jus romanum ex Justiniani libris in Angliam curante Theobaldo Cantuariensi importasse, ibique in scholis publice exposuisse tradit nec abbatem beccensem fuisse diffitetur (2).

XIV. De Vacarii scriptis nullibi mentionem reperio, praeterquam in chronico normannico. At Seldenus, qui totus est in ornando primo hoc legum romanarum adventu in Angliam suam, mirum quam multa hic congerat, trahens ad Vacarium suum quaecumque de antiquo illo legum glossatore Rogerio uspiam leguntur non solum apud spectatos et eruditos sed apud plebejos quosque ac triobolares scriptores. Sed mihi vel ipsa chronici normannici fides aliquantulum dubia est quoad novem libros, qui a Vacario scripti dicuntur. Nullum certe vestigium eorum librorum in tota antiquitate occurrit. Cum

(1) Corruptus chronici normannici locus, quo usus est Seldenus, habet eodem tempore Rogerium electum esse abbatem beccensem et leges romanas ejus opera in Angliam inductas. Rursum Seldenus probat Rogerium fuisse priorem beccensem ex beccensis monasterii chronico, in quo haec leguntur: « Huic sancto viro *(Lethardo)* successit dominus Rogerius prior secundus in utroque testamento apprime eruditus, nec non clericali et saeculari scientia decenter ornatus ». Haec ad annum MCXXXXIX gesta narrantur. At Seldenus, cum ibi legerit, Rogerium fuisse priorem secundum monasterii beccensis, id eo pertinere existimat ut s. Lanfranci in eo prioratu successor fuerit, Gerere igitur debuisset Rogerius prioratum beccensem jam inde ab eo tempore, quo sanctus Lanfrancus ex priore beccensi creatus est archiepiscopus cantuariensis, scilicet jam inde ab anno MLXX, quo anno Rogerius nondum erat natus. Miror virum doctum quam haec absurda et repugnantia sint non vidisse.

(2) Heinec. *Histor. juris,* lib. II, c. III, § LVII.

autem britannicae bibliothecae perampla codicum manuscriptorum supellectili instructae sint, quorum indices diligentissime scriptos habemus, frustra in iis requirimus indicium ullum eorum librorum, quos Vacarius scripsisse dicitur; quique cum esse ac reputari debuissent utilissimi, necesse fuisset et frequenter exscribi et per manus hominum ferri; ac tandem plura eorum exemplaria etiam extra Angliae fines excurrere oportuisset, quo factum esset, ut aliqua saltem vel integra vel semilacera alicubi nunc asservari contingeret. Sed neque in anglicis bibliothecis neque in aliis aliarum gentium ad hanc diem vel exigua lacinia ex Vacarii libris reperta est, nec, quod etiam pluris facio, apud ullum antiquum scriptorem, chronico normannico excepto, eorum librorum mentionem reperio. Sed cum ejus chronici auctor centum et amplius annis post adventum Vacarii in Angliam scriberet, definit enim in anno MCCLIX quo tempore plena erant omnia summis, apparatibus et tractatibus juris, ac plures de ordine judiciario libri erant scripti, fieri potuit ut aliqua ex ejusmodi lucubrationibus ad fori usum aptata et usu recepta apud Anglos Vacario tributa sit, idque in chronico normannico adnotatum, quod vulgi opinione ferebatur. Mihi igitur prorsus incredibile videtur Vacarium auctorem esse eorum librorum quos chronicon normannicum memorat.

XV. Quod autem nuperus scriptor britannus tradit non leges romanas ex Justiniani libris sed jus canonicum ex Gratiani decretis in Angliam a Vacario illatum (1), id nullam veri speciem habet. Pugnat enim contra apertissimum Joannis Sarisberiensis auctoris synchroni aliorumque veterum scriptorum testimonium. Ac nondum fortasse vulgatus erat Decretorum liber a Gratiano monacho cum Vacarius in Angliam profectus est, ut suo loco dicemus. Neque mirum est ab ecclesiastico viro Theobaldo, scilicet archiepiscopo cantuariensi, cogitationem susceptam inducendi leges romanas in Angliam; clerici enim fere ubique gentium in causis civilibus jure romano potius quam patriis legibus uti volebant.

XVI. Sed quamvis primas partes egerit Vacarius in legibus romanis in Angliam inducendis, sua tamen laude fraudandus non est Thomas Beketus, sanctissimus Cantuariensium archiepiscopus. Audivimus ex Joanne Saresberiensi domum (idest familiam) Theobaldi archiepiscopi cantuariensis leges romanas in Angliam importasse (2). In familia autem Theobaldi archiepiscopi honestissimum locum obtinuit Thomas Beketus, ut narrat ipse Saresberiensis (3); a quo etiam accipimus Thomam juri civili operam dedisse, ut in causis perorandis et definiendis atque in instruendis populis facilitatem sibi compararet (4). Sed quamquam Saresberiensis locum non indicat ubi Thomas legum civilium studia secutus sit, dubium tamen non est quin id Bononiae egerit. Matthaeus Parker, qui in vita Thomae cantuariensis archiepiscopi profitetur se operam non minimam in id contulisse, ut, quoniam de eo viro multa varie magis quam vere scribuntur, veritate diligenter investigata ea proferat quae indubiae sint fidei, ait Thomam in Theobaldi archiepiscopi familiam et clientelam receptum esse, ab eoque ob ingenium et doctrinam unice dilectum, atque in Italiam missum esse ut jus civile perdisceret ne quid in eo desiderari posset quod ad reipublicae administrationem, ad quam eum jam animo destinarat, pertineret. Itaque juris civilis scientiam consecutum ad Theobaldum rediisse scribit (5).

(1) De Rapin Thoyras. *Histoire d'Angleterre*, t. I, pag. 191, edit. Basil. MDCCXL.

(2) Jo. Saresber., *loc. cit.*

(3) Inter primos et praecipuos familiares (Theobaldi) in brevi admissus est. Jo. Saresber. in *Vita s. Thomae Cantuar.*, c. 3.

(4) Ut vero in causis perorandis et decidendis et populis instruendis a Deo praedestinato facilitas pararetur antistiti, juri civili operam dedit. Jo. Saresber., *loc. cit.*

(5) Parker. *De antiquit. Britan. eccles.*, p. 197.

XVII. Ne quis autem dubitet quin Thomas, cum in Italiam missus dicitur ad jurisprudentiam perdiscendam, ad academiam bononiensem se contulisse, praeterquam nulla in Italia erat celebris jurisprudentiae schola praeter bononiensem, id aperte tradit Joannes Brompton antiquus auctor anglus in chronico, quod edidit Seldenus (1). Idem narrat Joannes Saresberiensis fidus s. Thomae sodalis in ejus vita, non quidem ut edita est sed multo locupletiori quam in pervetusto codice optimae fidei Parisiis vidit apud abbatem Le Beuf, academiae inscriptionum et humaniorum literarum socium, amicus meus Petrus Antonius Tiolius vir eruditus inter pontificii cubiculi custodes honorarios a Benedicto XIV P. M. adlectus. Locus igitur tribuendus s. Thomae cantuariensi inter scholarum nostrarum alumnos, in quibus audivisse videtur aliquem ex quatuor celeberrimis doctoribus, quos ferunt Irnerii discipulos fuisse, qui tunc maxime florebant. Cum enim Theobaldus inauguratus sit archiepiscopus cantuariensis anno MCXXXIX, ut supra dictum est, Thomas non multo post in Italiam venit; quo tempore quatuor illi illustres doctores academiam nostram toto orbe celebrem reddiderant.

XVIII. Huic sancto viro paulo post mortem ara erecta est in ecclesia s. Salvatoris a scholaribus anglis, quae post annos aliquot dejecta est et justae magnitudinis aedicula cum novo altari in honorem sancti martyris ab iisdem scholaribus anglis excitata; de qua multa sunt diligenter scripta a clarissimo Trombellio in historia s. Mariae ad Rhenum et s. Salvatoris (2).

XIX. Giraldus Cambrensis in commentariis de vita sua Rogerium Normannum laudat quem doctorem egregium appellat; aitque in scholis parisinis liberales artes docuisse ac diu Bononiae legum studia secutum (3). Hunc viderat Giraldus Parisiis anno MCLXXIX postquam ex Italia redierat (4). Adnumerandus est igitur antiquioribus academiae nostrae alumnis. Ex numero professorum fuisse non ausim dicere. Is ita de praestantia doctorum et academiae nostrae judicabat, ut neminem putaret magnum aliquid in jurisprudentiae studio efficere posse, qui a nostris scholis abfuisset. Testatur id Giraldus ipse; quem cum Rogerius de jure disputantem in scholis audivisset, ratus illum Bononiae jurisprudentiae studia secutum, non est, inquit, sub sole scientia (de legum scientia loquitur) quae magis alibi quam Bononiae floreat (5). Haec porro communis omnium persuasio erat; quare Giraldus ipse, cum omnium votis expeteretur ad regendam jurisprudentiae scholam, quam Matthaeus Andegavensis Romam vocatus ab Alexandro III, a quo cardinalis creatus est, relinquebat, conditionem recusavit Giraldus hac una de causa, quod ad majores in legum scientia progressus faciendos Bononiam cogitabat malebatque inter auditores scholarum nostrarum mereri quam inter academiae parisinae professores (6). In qua quidem academia cum quandoque, ut eruditiores scholares solebant, publicam disputationem habuisset, plane *bononicum idioma* (hoc est ex bononiensi usu et ratione et qualem in scholis bononiensibus audiri solebat) ejus orationem fuisse, vel ipse magister ejus Matthaeus Andegavensis affirmare non dubitavit. Nec deerant qui ab eo sciscitarentur quamdiu Bononiae studuisset. Haec de se narrat

(1) Brompton in *Chron. edit. Selden.*, col. 1057.

(2) Trombellius, *loc. cit.*

(3) Doctor quidam egregius Mag. D. Anglus, qui et Parisiis in artibus legerat, et diu Bononiae in legibus studuerat, cujus nuncupatio, mag. Rogerius Normannus etc. Girald. Cambren. *De rebus a se gestis,* lib. II, c. II in *Anglia Sac.*, t. II, pag. 478.

(4) *Ibid. Vide et synopsim Vitae Giraldi ipsius, quae ibid. habetur,* pag. 374.

(5) Non est sub sole scientia, si fuerit Parisios forte delata, quae incomparabiliter ibi (scilicet Bononiae) et longe excellentius quam alibi non praevaleat. *Ibid.*

(6) *Ibid.*

Giraldus Cambrensis, vir aetate sua celebris nec tam doctrina et muneribus quam vitae casibus illustris. Sed Rogerius Normannus, cujus causa huc digressi sumus, post annos plures in scholis parisinis transactos inter artium professores rothomagensis ecclesiae decanatum obtinuit, ut Giraldus ipse narrat, eamque dignitatem extremis annis saeculi XIII obtinebat, non praetermissus in syllabo decanorum rothomagensium a Galliae Christianae auctoribus, qui Rogerium *le Normand* illum appellarunt, sed de ejus tamen doctrina nihil exploratum habuerunt (1).

XX. Petrus ex civitate Britanniae minoris, in qua natus est, Blesensis appellatus, pietate literisque ac rebus gestis magnopere claruit. Primam adolescentiam Parisiis in literarum humaniorum studiis transegit, poesi maxime delectatus. Sed has nugas, ut ab ipso appellantur, satis mature atque *a primo juventutis limine* deseruit (2), captus ac prope inebriatus incredibili quodam amore legum civilium (3). Neque mirum videri debet hominem eleganti ingenio tam facile potuisse musis amoenioribus post gustatas earum delicias nuntium remittere ac majorem sibi uberioremque voluptatem in legum studio polliceri; poterat enim tunc nativa legum elegantia et amoenitas quemlibet non stupidum aut barbarum hominem allicere. Nondum scilicet glossarum illuvies et interpretum ineptiae purissimos legum fontes infecerant, nec legum professores ex suis commentariis, sed ex ipsis legum libris jurisprudentiam docebant. Incensus igitur desiderio addiscendi juris civilis Bononiam venit et (quantum ex ratione temporum conjicere possumus) aliquem ex Irnerii discipulis audire potuit. Cum enim circa annum MCC (4), et quidem aetate gravis obierit, inito calculo, facile intelligitur accessisse illum ad academiam nostram non multo post annum MCL, quo tempore quatuor celebres Irnerii discipuli adhuc in vivis erant. Sed quamvis tantopere eam facultatem expetiisset, non tamen in ea quievit ejus animus meliora semper affectans. Itaque cum in jurisprudentia magnos jam progressus fecisset, se totum theologicis disciplinis et sacris literis tradere constituit. Ob eam rem ab academia nostra ad parisinam profectus est (5) in qua Joannem Saresberiensem, postea carnotensem episcopum, audivit (6). Sed ita tamen a scholis nostris discessit ut *crebro,* quemadmodum ipse inquit, *bononiensis castra militiae suspiraverit quae vehementer amata citius et praemature* ab se deserta dolebat (7). Cum Bononiae esset, rogatus a sodalibus suis jurisprudentiae studiosis sermones identidem ad eos habuit, quibus ad virtutem ac pietatem eos hortabatur; quos cum morosus quidam censor aliquando legisset, auctorem reprehendit quod in iis legum verba et aliquas juris formulas non raro usurpasset, quas ille scilicet nimis alienas reputabat a christiani doctoris officio. Sed eam criminationem accurate refellit Petrus Blesensis, ac certum sibi esse profitetur, *numquam super verbis se facturum quaestionem de qua facultate sumantur, dummodo aedificent ad salutem* (8). Medicinae quoque non inutilem operam contulit (9), sed dubium est Bononiae ne an Parisiis an denique alibi gentium.

(1) Gall. Christ., t. XI, pag. 117.

(2) Petrus Blesensis, ep. LXXVI.

(3) Lex equidem saecularis gloriosa supellectili verborum lepidaque orationis urbanitate lasciviens me vehementer allexerat et inebriaverat mentem meam. Ep. XXVI.

(4) Petrus de Cussanvilla in *Vita Petri Bles. ejus operibus praefixa.*

(5) Petr. Bles., ep. XXVI.

(6) *Ibid.,* ep. XXII.

(7) *Ibid.,* ep. XXVI.

(8) Increpas me, quia in exhortationibus meis, quas rogatu conscholarium nostrorum quandoque Bononiae feci, verba posui quae jus civile redolebant.... Loquebar equidem legisperitis.... de terribili sententia districti et extremi judicii, et dicebam quod nec appellationis remedio, nec supplicationis suffragio, nec actione in factum subsidiaria, nec aliquo restitutionis beneficio poterat attentari etc. Petr. Bles., ep. VIII.

(9) *Ibid.,* ep. XLIII.

Nulla tunc erat in nostra civitate medicinae schola cujus memoria supersit, sed potuit tamen Petrus Blesensis vel proprio marte vel privata institutione usus ei facultati eodem tempore incumbere quo legibus vacabat. Cum enim relictis humanitatis studiis ad jurisprudentiam se contulerit et post navatam jurisprudentiae operam, non tantam fortasse quantum voluisset, ad theologiam in scholis parisinis accesserit, verisimile non est voluisse illum quo tempore sacris studiis omnino erat addictus medicinam addiscere.

XXI. Expletis theologiae studiis, nihil attinet dicere quam multa pro Ecclesia Dei praeclare gesserit, quae munera obierit, quam charus magnis principibus fuerit ac praesertim Guilielmo II Siciliae regi, cujus aliquando magister fuit, et Henrico II regi Angliae, in cujus palatio magno cum honore diu versatus est. Haec abunde ab aliis explicata sunt (1) et ceteris etiam silentibus ex ejus scriptis, quae plura sunt et christiano doctore dignissima, qui vir quantusque fuerit satis intelligi potest. Archidiaconi Bathoniensis titulo notissimus est, quod eam dignitatem annis plurimis gesserit, licet extremo vitae suae tempore archidiaconus londinensis sit creatus (2).

XI.

ROGERIUS BENEVENTANUS.

I. Fama notissimus est Rogerius Beneventanus inter antiquiores legum interpretes. Sed ut ejus nomen clarissimum est ita cetera plane obscura. Pancirolus vix nomen recitat, nec in tempore quidem quo vixit designando scriptores conveniunt. Itaque enitendum ut aliquid ad ejus memoriam illustrandam afferatur. Ac primo dubitare non licet quin inter irnerianae scholae alumnos recensendus sit ut primi quique illustres legum professores. Bulgari discipulus fuit et eo adhuc vivente clarescere coepit. Intelligimus id ab Alexandro a s. Aegidio seu potius ab Azone cujus commentaria in Codicem Alexander a s. Aegidio, ab ore docentis accepta, emisit in lucem. Is enim narrat a Rogerio defensos Barcenses quosdam Provinciae magnates in perduellionis judicio, quod de iis actum est coram Friderico Aenobarbo imperatore, cum Bulgarus Rogerii praeceptor in eadem causa diceret pro comite barcinonensi, qui eos magnates perduellionis accusaverat (3). Est hic locus Azonis insignis non solum ad doctorem hunc nobilem scholae nostrae adstruendum sed ad ejus quoque aetatem agnoscendam. Atque ex eo etiam aliquid elucet ad antiqua imperatorum jura demonstranda in regnum arelatense, ad quod Provincia et comitatus barcinonensis pertinebant. Sed hoc alii viderint.

II. Fuit Rogerius patria beneventanus; sic enim a Rofredo contribule et auditore suo diserte appellatur (4). Minime igitur audiendus Diplovataccius, et si quis est alius

(1) Petrus de Cussanvilla in *Vita Petri Blesensis.*

(2) Petr. Bles., ep. CLI.

[Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. IV, cap. VII, § XXVII e XXXII. — Savigny. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXXVI]. (C. A.)

(3) Facit lex ista ad quamdam magnam causam, quae quandoque agitata fuit in curia domini Federici. Accusabantur Barcenses magni viri Provinciae de infidelitate coram Imperatore a comite Barcilonensi.... Et sic dominus R. qui in causa pro eis stabat. Sed dominus B. cujus scholaris fuit R. adversae parti praestans patrocinium etc. Alexand. a s. Aegidio in l. *Si maritus,* C. *De donat. inter vir. et uxor.* Porro siglis illis B. et R. certum mihi est designari Bulgarum et Rogerium: alii enim doctores iis temporibus non fuerunt, quorum nomina iis siglis designari potuerint.

(4) Dominus meus Rogerius Beneventanus dum Placentiae regeret etc. Rofred. in libell. *De interdicto utrobique,* pag. 109.

qui mutinensem dicat (1). Diplovataccium decepit non bene intellectus Speculatoris locus, ex quo quidem intelligitur Rogerium Mutinae aliquandiu versatum, sed nihil hoc ad ejus patriam designandam (2). Sed multo minus audiendus est Seldenus qui Anglum fuisse dicit (3), cujus fabulam de Rogerio Vacario supra disjecimus; est enim Seldeno Rogerius glossator antiquus idem ac Vacarius ille, qui leges romanas in Angliam intulit. Itaque de Rogerio multa congerit, sed extra chorum, ut ajunt, saltat. Eodem impegit Heineccius qui frustra Joannis Saresberiensis fidem appellat (4). Nec defuere alii viri docti qui incaute novum hoc monstrum ex Rogerio et Vacario conflatum in publicum protulerunt (5).

III. In aliquibus antiquis libris cum impressis tum manu exaratis celebris hic legum professor Frigerius aut Frogerius dicitur, quandoque etiam Fridericum appellatum observat Pancirolus (6), corrupte scilicet et amanuensium scriptorum culpa, nam de genuino ejus nomine Rogerio quod plura et probatiora habent exemplaria dubitare non licet. Est etiam magnus scriptorum dissensus in Rogerii aetate definienda. Qui Martino et Bulgaro aequalem faciunt, quo in numero est Pancirolus (7), minus a vero aberrant quam qui Irnerio vel aequalem vel superiorem fuisse existimant; in quo errore consentiunt scriptores multi minime ignobiles, Joannes Seldenus (8), Donatus Antonius Astensis (9), Guido Grandius (10), Bernardus Tanuccius (11), Leopoldus Guadagnius (12) aliique. Sed quoniam Rofredum Beneventanum, qui circa initium XIII saeculi florere coepit, Rogerius erudiit ut a Rofredo ipso plurimis locis traditum est, ipse autem Bulgarum audierat et cum Bulgaro magnae cujusdam causae patrocinium gesserat, dubitari non potest quin post medium saeculum XII cum Joanne Bassiano, Ottone Papiensi et Placentino et serius etiam cum Azone juvene, quem item Rofredus audivit, senex ipse floruerit. Hic autem praetereundum non est lepidum Diplovataccii commentum, qui cum Rogerium glossatorem omnium antiquissimum et Irnerio ipso aetate multo superiorem statueret videretque se Rofredi testimonio jugulari, pro Rogerio Beneventano substituendum esse voluit Carolum Beneventanum in Rofredi libris, atque hunc esse censuit Rofredi magistrum Carolum nempe de Tocco appellatum, de quo infra dicendum est. Sed hoc nodum scindere est non dissolvere; nec facile cuiquam suaderi poterit nomen unum pro altero tam diversum in Rofredi libris intrusum.

IV. Neque duos fingere licet Rogerios, quorum alter Irnerio aequalis vel superior fuerit alter multo inferior Rofredi tempora attigerit. Qua enim ratione alterum ab altero distinguas? Laudant antiqui doctores Rogerium quemdam illustrem legum interpretem, cujus glossae post ejus mortem in legum libris extabant et opiniones in pretio erant.

(1) Iste Rogerius fuit mutinensis secundum Speculatorem in tit. *De possessor. et petitor.*, § 1. DIPLOVAT. in ROGER.

(2) Si est dejectus ad judicem dicens: Domine, talis me violenter de possessione dejecit.... unde cum peto puniri etc.... Clientulus respondebit: Domine, immo pro me sententia est ferenda, aeque enim probaveram me possidere.... Sic fecit fieri Rogerius Mutin. prout recitat Ubertus de Bobio et Rofredus. SPECUL. *De petit. et possess.*

(3) SELDEN. *Dissertat. ad Fletam*, c. VII, n. 6.

(4) HEINECCIUS in *Histor. Jur. civil.*, lib. I, c. V, ex JOANNIS SARESBERIENSIS POLICRATICO lib. VIII, c. XXII ait, Rogerium Vacarium leges romanas in Angliam invexisse. At Saresberiensis Rogerium Vacarium nullum agnoscit, ac Vacarium solummodo praeclari ejus facti auctorem nominat.

(5) LEOPOLD. GUADAGNIUS. *De Pandect. Florent.*, cap. XII, pag. 69.

(6) PANCIROL., lib. II, cap. XVIII.

(7) *Ibid.*

(8) SELDEN., *loc. cit.*

(9) DONATUS ANT. D'ASTI. *Dell'uso della rag. civile*, lib. I, cap. IV, pag. 67 ex PETRO POLANTO in *Adnotat. ad P. de Bellapert.*

(10) GUIDO GRANDI. *Nuova disamina della storia delle pandette pisane*, p. II, cap. IX, § 2, pag. 185.

(11) *De Pandect. Pisan.*, pag. 128.

(12) LEOPOLD. GUADAGNIUS, *loc. cit.*

Hic omnium primus juris compendium, quod Summam vocant, confecit. Atque haec de Rogerio notissima sunt; quae cum aptissime cadant in Rogerium unum Rofredi praeceptorem, nec aliunde certa ratio in promptu sit pro antiquiori Rogerio adstruendo, non video cur duos eodem nomine admitti oporteat legum interpretes. Sed Rofredus ipse certis indiciis ostendit Codicis Summam, quae veteri legum interpreti Rogerio nomen et famam conciliavit, non alium auctorem habere quam Rogerium Beneventanum magistrum suum. Sic enim inquit ad tit. de SC. Turpilianum *Voluit notare dn. H. ut tradit dominus meus in Summa* (1). Agnoscit igitur Rofredus Rogerium magistrum suum Summae Codicis auctorem. Neque aliquis dicat hanc Summam ab Rofredo memoratam Azonis esse non Rogerii, nam Azonem quoque ut magistrum suum laudat Rofredus ejusque Summam saepius extollit. Siquidem in Azonis Summa ad caput illud, quo SC. Turpilianum exponitur, ne verbum quidem est, ut observat clarissimus Montius, de illa Hugonis adnotatione quam Rofredus in praeceptoris sui Summa legerat. Non alius igitur a Rogerio Beneventano Rofredi praeceptore fuit Rogerius ille vetus interpres, qui Summam Codicis omnium primus confecit.

V. Neque etiam ex eo inferre licet Rogerium unum aliquem fuisse multo antiquiorem Rofredo, quod primus Infortiati interpres Rogerius fuisse dicatur (2); eo quod vero simile non sit, hanc praecipuam legum civilium partem neglectam fuisse usque ad Rofredi tempora. Id enim non ita intelligendum est quasi nemo ante Rogerium glossas ullas in Infortiatum scripserit, sed quod ipse primus uberiorem apparatum in eum librum ediderit, qui cum in scholis olim extra ordinem legeretur, non est mirandum quod aliquanto serius copiosis commentariis sit illustratus (3).

VI. Scripsit Rogerius more antiquorum interpretum glossas in legum libros, ac praesertim in Infortiatum, quibus Rofredus, Odofredus, Accursius aliique usi sunt.

VII. Summam Codicis primus omnium confecit, non admodum prolixam nec numeris omnibus absolutam, quam Placentinus aemulatus est et alii deinceps.

VIII. Summam quoque perbrevem edidit *De praescriptionibus*, cui dialogum adjunxit de eodem argumento, in quo Rogerius ipse cum jurisprudentia disputans inducitur. Haec edita sunt inter *Tractatus juris universi.* Sed multo ante in lucem prodierant cum Placentini libro de *Varietate actionum* (Moguntiae, ex aedibus Joannis Scheffer anno MDXXXI). Prodiit rursum Coloniae Agrippinae Rogerii *Tractatus de Praescriptionibus* anno MDLXVIII, ac Venetiis anno MDLXXXIV.

IX. His Rogerii et Placentini libellis adjecit Nicolaus Rhodius alium Rogerii tractatum *De quorumdam veterum jurisconsultorum antinomicis sententiis,* cujus tale est initium. *Inter cetera juris studia, quae ejus candidatis scientiam cum utilitate conjunctam afferre possunt, in primis id utilissimum puto varias eas legum sententias in memoria habere. Sed quia natura ita comparatum est, ut ea, quae quis optime novit, meminisse perpetuo non possit; ideo diversitatem sententiarum, quae inter maximos legum professores vertitur.... ego Rogerius, Deo auctore, quam fieri poterit brevissime colligere studebo. Contrarii sunt in quadam lege de integ. resti. Nam dicit Jacobus etc.* Pergit

(1) Rofred. in Libell. ad tit. *De SC. Turpilianum,* rub. ult.

(2) Ut bene intelligatis quamdam glossam domini Ro. qui fuit primus glossator, et priores glossas ex illis descendentes ad evidentiam hujus legis notavit. Odofred. in l. 4, Dig. *Soluto matrimonio.* Rursum: Secundum Ro. qui fuit primus glossator in libro isto. *Idem ibid.* in l. 1 eod. tit.

(3) Pancirol., l. II, cap. XIII.

in hunc modum Jacobum, Martinum et Bulgarum invicem committere, quos hisce siglis indigitat Ja. M. B., nec alium doctorem nominat nisi aliquando Irnerium (1). Hujus opusculi inscriptio Rogerii aetatem non sapit et ab editore ipso addita videtur. Opusculum vero ipsum magnam habet similitudinem cum altero quod inscribitur *Diversitates Dominorum in jure*, cujus alibi mentionem fecimus Nicolaum Rhodium non bona fide egisse, quod *Diversitates Dominorum* non ediderit uti ab eo repertae sunt, sed non leviter immutaverit et novam eis formam servata rerum substantia indiderit. Confer excerpta ex *Diversitatibus Dominorum* quae in Appendice exhibentur. Sed quid est quod *Diversitates Dominorum* in indiculo librorum, qui fuerant Cervotti Accursii, tribuuntur magistro Aegidio? Et quis tandem hic magister Aegidius? Ignotus est antiquissimus hic jurisconsultus, quisquis ille fuerit, qui eum libellum edidit olim vulgatissimum (2). Ac mihi sane verisimilius est ejus libelli auctorem fuisse Aegidium, quem habebat Cervotti liber, quam Rogerius cui tribuitur a Nicolao Rhodio. Quis enim mendum suspicetur in catalogo librorum Cervotti, qui anno MCCLXXIII scriptus est, cum eos libros Cervottus Guilielmo fratri vendidisset? At Nicolaus Rhodius facile mendosum codicem reperire potuit, vel ob imperitiam antiquae scripturae Rogerium pro Aegidio incautis lectoribus obtrudere.

XI. Sunt qui putent duos fuisse Rogerios, quorum alter ab antiquo aevo leges civiles alter canonicas sit interpretatus (3). Sed unus juris civilis professor Rogerius Beneventanus ex omnium temporum memoria cognitus est, alter vero ille omnino ignotus ac merito ab eruditis viris expunctus (4).

XII.

CIPRIANUS FLORENTINUS.

I. Plaudit sibi miris modis Thomas Dempsterius, quod novum Italiae decus et jurisprudentiae lumen detexerit Kilianum Scotum. Hunc ait ante omnes in Italia leges romanas interpretari aggressum, eique praeclari facinoris comitem additum Irnerium et alios postea ingenti numero secutos (5). Haec si vera essent, non solum inter professores nostros illustrem locum teneret Kilianus sed veluti primus jurisprudentiae restitutor habendus esset. Sed ego hominem hunc numquam fuisse existimo. Hunc primus, quod sciam, Joannes Fichardus in scenam produxit. Cum enim de Rofredo Beneventano diceret, illum ait praeceptore usum Kiliano quodam, cujus nulla scripta supersunt. At Rofredus, qui saepissime praeceptores suos cum honoris praefatione nominat, Kilianum perpetuo silet. Ciprianum quidem alicubi magistrum suum appellat (6) atque ex ejus corrupto ob oscitantiam hujus librarii nomine Kilianum toti antiquitati ignotum prodiisse censeo.

(1) Ja. usus clausula domini Irnerii, qui dicit ex ignorantia deficit id quo a sciente fieret, ut hic fuit pactum alias delictum. ROGER. *De Antinomic. Sent. post init.*

(2) Indiculus librorum CERVOTTI est in Appendice. Hunc etiam libellum habet catalogus librorum, qui erat apud Stationarios Universitatis, quem vide sis in Appendice.

(3) DIONYS. SIMON. *Biblioth. historic. auctorum juris.* Vide *Rogerius.* — MORER. in *Lexico* etc.

(4) *Praefat. ad Summam s. Raymundi*, edit. Veron., § XV.

[SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXIX]. (C. A.)

(5) DEMPSTER. *Histor. Ecclesiast. Scot.*, l. X, p. 417.

(6) In hac opinione fuit magister meus Cyprianus. ROFRED., *Libell. P. VII de SC. Turpiliano.*

II. Expuncto igitur Kiliano, de Cipriano dubitandum non est quin antiquioribus legum interpretibus sit adjungendus. Patria florentinum fuisse ab Accursio accipimus. Is enim aliquam ejus glossam producens et rejiciens florentinum aperte dicit (1). Et quamvis alii aliter hujus antiqui interpretis nomen legant, in pervetustis tamen codicibus bibliothecae Barberinae et collegii Hispanorum Bononiae hujus jurisconsulti nomen compendio scriptum reperi in hunc modum Cy. quod Cyprianum sive Ciprianum interpretari licet; alium enim non habemus, cujus nomen ea compendiaria nota scriptum esse possit.

III. Laudatur Ciprianus a Philippo Villanio, qui ex paucis Accursii verbis magnificum Cipriani elogium effingit potius oratorio more ad quamdam veri speciem quam ad historiae fidem accommodatum. Itaque nihil aliud fere quam ejus nomen et patriam et professionem ab eo auctore habemus, quae ipse ab Accursio accepit. Unum addit de suo, quod quam in sententiam accipiendum sit haud satis intelligo. Cum jura, inquit, civilia Ravennae docerentur, Ciprianus fere primus omnium quae contraria in legibus prima fronte videbantur egregie conciliavit, quaeque in diversis locis dispersa in eamdem sententiam conveniebant, in unum collegit ac rite disposuit. Ita Philippus Villanius in libro, quem inscripsit *De origine civitatis Florentiae* et de ejusdem famosis civibus ad Philippum de Alenconio cardinalem ostiensem; cujus synopsim italicam edidit clarissimus Mazucchellius, nos latini autographi excerpta in Appendice damus (2). Sed ea aetate, qua Ciprianus vixit, nec magnam fuisse scholae ravennatis celebritatem arbitror, nec ipse inter primos recenseri potest qui jura civilia interpretati sunt, nec aliud ab eo scriptum censeo quam breves aliquot glossulas in libris legum quos interpretabatur, ex quibus unam aliquam decerpsit Accursius. Vixisse enim Ciprianum oportet exeunte XII saeculo ac fortasse initium quoque XIII saeculi attigisse, quippe qui Rofredum Beneventanum erudiit, qui Azonem etiam in nostris scholis audivit. Eo autem tempore aut nulla erat omnino aut fere jam deserta apud Ravennates jurisprudentiae schola, cujus in tanta veterum tabularum copia, quibus archivum metropolitanae ecclesiae ejus civitatis et classense nostrum abundant, nullum certum monumentum reperire licuit. Cum autem eo tempore multi jam fuissent clarissimi legum interpretes, quos supra recensuimus, non video cur Ciprianus eo nomine laudandus sit quod fere omnium primus ex eo numero fuerit. Neque etiam aut amplioribus commentariis aut aliis scriptis civilem jurisprudentiam illustrasse videtur, quae ante Philippum Villanium, ineruditum scriptorem et a Cipriani temporibus nimis distantem, commemoravit nemo.

IV. Hujus florentini jurisconsulti filius fuisse videtur Gerardus Cipriani filius jurisperitus florentinus, qui anno MCCXII cum esset judex Communis Bononiensium cum duobus primariis civibus legatus est ad archiepiscopum pisanum electum arbitrum in controversia quadam, quae erat inter Bononienses nostros et Pistorienses. Praeturam bononiensem eo anno gesserunt eodem tempore florentini duo, Gerardus Capoinsaccus et Catellanus. Apud horum alterum assessoris officio functum existimo Gerardum Cipriani filium (3). Atque ex jurisconsultis istis verisimile est propagatam fuisse Ciprianorum familiam Florentiae olim illustrem, de qua habemus Dini Mugellani consilium,

(1) Reprobo hic opinionem Cy. qui dixit textum hunc habere locum.... tamen non dicit verum, nec est bona sua argumentatio, licet fuerit noster concivis, scilicet Florentinus. ACCURSIUS. in Auth. *De incest. et nef. nupt., collat. III ex codic. biblioth. Barberin. et Colleg. Hispan.*

(2) *Vide Appendicem.*

(3) ZACCAR., *Anecdot.*, pag. 132, 133.

quo demonstrat Ciprianos non esse ex magnatum ordine, qui in Republica Florentina populari regimini assueta quemadmodum aliquando etiam in nostra, a publicis procurationibus arcebantur (1).

XIII.

ALBERICUS DE PORTA RAVENNATE.

I. Orlandius inter scriptores bononienses duos, qui eodem tempore vixerint et eadem legum professione claruerint, Albericos recenset, alterum de Porta Ravennate appellatum, de Scannabicchis alterum quae gens olim Bononiae notissima fuit. Ac postremum hunc reliquisse dicit quasdam juris quaestiones, quas extare dicit vademque sistit Ghirardaccium (2). Sed nihil ejusmodi apud Ghirardaccium legitur, nec ulla alibi hujus doctoris mentio, qui cum Alberico de Porta Ravennate aetatem egerit. Alidosius, praeter Albericum de Porta Ravennate, Albericum Arimundum de Scannabicchis de Sancto Petro inducit sed eum recte dicit multo serius quam Albericum de Porta Ravennate vixisse (3). Sed Albericus iste Scannabicchius et Arimundius de Sancto Petro non unus idemque doctor fuit sed unus et alter; de quibus suo loco dicetur. Nunc igitur de Alberico de Porta Ravennate. Hunc autem plerique non recte distinguunt a magistro Aldrico, qui iisdem temporibus vixit nec incelebris fuit in jurisconsultorum ordine. Sed facile est alterum ab altero apud Odofredum distinguere, qui utrumque saepissime laudat. Primum semper dicit doctorem legum aut antiquum doctorem, alterum non alio quam magistri Aldrici nomine appellat. Ex quo apparet postremum hunc doctorum coetui adscriptum non fuisse, quamvis legum scientia excelleret. Etiam in Accursii glossis non raro utriusque auctoritas affertur, sed saepius Albericus in Aldricum amanuensium culpa conversus est et contra.

II. Sed Albericus vulgo de Porta Ravennate dicebatur atque ex eadem familia prodiisse videtur ex qua Hugonem fuisse diximus. Erant propria ejus familiae nomina Hugo et Albericus (4), atque ex hoc postremo cognomen duxit. Bulgarum in jure civili audivit (5), in quo ita excelluit ut nemo majori auditorum concursu eam facultatem in academia nostra docuerit. Testis est Odofredus, qui in scrutanda antiquorum doctorum historia diligentissimus fuit, Albericum, ob auditorum frequentiam legere consuevisse in palatio Communis Bononiae sive in scholis s. Ambrosii quae tunc erant palatium Communis Bononiae (6); nullae enim erant per illud tempus publicae scholae et doctores in suis quique aedibus idonea sibi auditoria construenda curabant vel pretio conducebant. Erant autem, quantum ab Odofredo ipso intelligimus, s. Ambrosii scholae ampla quaedam conclavia prope s. Ambrosii ecclesiam, ubi ab antiquiori tempore populi bononiensis conventus haberi solebant et a magistratibus urbanis jus dicebatur, ante-

(1) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. IV, cap. VII, § XXVI. — Savigny. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXIX. (c. a.)

(2) Orlandi. *Notizie degli scrittori bolognesi*, p. 40.

(3) Alidosi. *Dottori Bolognesi*. V. *Alberico*.

(4) Hugo legum doctor Irnerii discipulus, de quo supra dictum est, patre Alberico natus est. In charta vero archivi monialium s. Agnetis, anno MCCXXVIII scripta, habemus dn. Amedeum qnd. dn. Ugonis Alberici filium, qui vendit etc.

(5) Odofred. in l. *Jure succursum est*, Dig. *De jure dot.*

(6) Dixit Albericus antiquus doctor, et audivi a domino Bagarotto, quod habebat tot scholares, quod legebat in palatio Communis, scilicet in scholis s. Ambrosii, quae erant tunc palatium Communis. Odofred. in l. *Quicumque*, Dig. *De fide instrum.*

quam Bulgari aedes ad id fuerint delectae. Conveniebant in iisdem scholis certis diebus societates artium (1), atque hoc primum fuit reipublicae bononiensis palatium, curia s. Ambrosii appellatum, cujus exiguae reliquiae adhuc supersunt prope splendidum s. Petronii templum in vico qui est ad ejus latus occiduum.

III. Extat ad Albericum Stephani Tornacensis epistola, qua illi commendat Hugonem clericum aurelianensem, rogans ut eum in suo contubernio habere velit. Stephanus Albericum Bononiae noverat cum ibi studiorum causa versaretur, ejusque absentiae dolorem solari se ait assidua ejus recordatione, quare et ejus nomen non cessabat apud amicos et domesticos praedicare et extollere (2).

IV. Sed ejus factum illaudabile narrat Odofredus, quod supra indicavimus, ubi de Bulgaro dicebatur. Cum esset vini appetens et conviviis libenter interesset, animi levitatem et intemperantiam doctore indignam aliquando ostendit. Cum apud hispanos discipulos pranderet ac vinum praepotens nigrum appositum esset, poscenti aquam ad diluendum vinum album miscuerunt, quo potu largius sumpto inebriatus est ac poscentibus discipulis, ut erat mente non integra, recusare non potuit quin pro illis fidejuberet eisque sua scripta commodaret, quam ob causam has illi insidias struxerant (3).

V. Vixit cum Joanne, Aldrico, Henrico de Baila, Placentino aliisque qui ante finem XII saeculi academiam nostram illustrarunt. Odofredus tamen ait fuisse aliquanto Joanne antiquiorem licet uterque ex Bulgari schola prodierit (4). Alidosius floruisse ait anno MCXXXX (5). Ego serius existimo. In tabulis bononiensibus eum reperio ab anno MCLXV ad MCLXXXXIV (6).

VI. Glossas in legum libros scripsit ut ceteri doctores eorum temporum. Ejus quoque celebrabantur Distinctiones, prolixum opus, quod prius edidit minus perfectum et absolutum postea vero secundis curis perfecit et auxit. Novas et antiquas Alberici Distinctiones memorat Odofredus, qui multo copiosiores et meliores esse ait Alberici Distinctiones, quam Joannis (7). Eas numquam typis editas fuisse existimo. In codice manuscripto bibliothecae regiae parisiensis habentur *Distinctiones a dn. Hugone compositae, a dn. Alberico consummatae* (8). Atque hinc etiam conjectura ducitur de eadem familia Hugonis et Alberici. Videtur enim Albericus incoeptum opus ab Hugone quasi haereditario jure perficiendum accepisse (9).

(1) Odofred. in l. *Item magistri,* Dig. *De pactis.*

(2) Tom. XII, p. II. *Bibliot. PP. Colon.,* p. 409. Epistola XXIV.

(3) Odofred. in l. *Dolum,* C. *De dolo malo.*

(4) Dominus Albericus antiquus doctor, qui fuit contemporaneus dn. Joannis, immo seniore etate, ut audivi a dn. Bagarotto. Odofred. in l. *Praescriptione,* C. *Si contra jus vel utilit. pub.*

(5) Alidos., *loc. cit.*

(6) In charta archivi monachorum s. Stephani, nunc Senatus bononiensis, anno MCLXV scripta, nominatur dominus Albericus causidicus. Item anno MCLXXXXI praesens fuit *emptioni canonicorum s. Petri* a ministralibus scholae congregatae in s. Sisto dominus Albericus legis doctor. *Ext. in arch. canonic. s. Petri,* fasc. II, n. I. Idem nominatur in charta archivi monialium s. Agnetis scripta anno MCLXXXXIV die XV febr. quam indicavit clarissimus Montius.

(7) Ad solutionem horum contrariorum .... ita distinguendum est ut consuevi distinguere, et advertatis hanc distinctionem, quia bona et quotidiana est, et est in multis locis, et est prima in novis et antiquis distinctionibus dn. Alberici, et dominus Azo scripsit eam in summa hujus tituli .... Item dominus Joannes scripsit eam in suis distinctionibus, et incipiunt *Pactorum etc.* ut ille domini Alberici, sed longe majores et meliores sunt ille domini Alberici quam ille domini Joannis, et durant per quindenos quinternos, sed ille domini Joannis non durat nisi per duos quinternos, unde caveatis vobis quando emitis .... Dicetis ergo quod pacta alia sunt super substantialibus contractus, alia super naturalibus, alia super accidentalibus etc. Odofred. in l. *Bonae fidei,* C. *De pactis.*

Ex his Odofredi verbis intelligimus, cujusmodi essent Alberici distinctiones his ab eo editae, ut aliae essent novae, aliae antiquae.

(8) Est codex IV, MDCIII. *Index libr. mss. biblioth. Reg.,* t. III, pag. 613.

(9) Tiraboschi. *Op. cit., loc. cit.* — Fantuzzi. *Scrittori bolognesi,* art. *Alberico.* — Savigny. *Op. cit., loc. cit.*

(C. A.)

XIV.

ALDRICUS.

I. Ignoravit Aldricum Pancirolus; quem tamen facile agnoscere poterat in Odofredi, Rofredi Beneventani, Cardinalis Ostiensis aliorumque veterum doctorum libris. Floruit Bononiae cum Bulgaro, Martino, Hugone, Jacobo, non pari quidem fama cum illis jurisconsultorum principibus, sed tamen non ita obscurus ut ejus memoria ad aetatem nostram pertingere non potuerit. Diplovataccius, qui non bene ab Alberico secernit, plura ait ab illo scripta fuisse in jure civili *per modo novellarum quae tamen non inveniuntur* (1). Quid velit hic sibi Diplovataccius non intelligo. Glossas credo Aldricum ex more aliorum doctorum scripsisse in legum libros quibus usi sunt antiqui doctores, quos supra nominavi, in primis autem Accursius qui tamen non semper Aldricum ab Alberico recte distinguit. Est autem manifestus error glossae accursianae ad *l. Dolum, C. De dolo malo,* ubi Aldrico tribuitur id quod Alberico accidisse alibi ostendimus (2). Quamquam hunc errorem tribuendum censeo amanuensibus et librariis potius quam Accursio ipsi, cui ignotum esse non poterat quaenam essent Alberici, quaenam Aldrici scripta. Eum scribit Ostiensis annis pluribus jus civile Bononiae docuisse (3), et magnae auctoritatis virum appellat Rofredus Beneventanus. Si tamen apud Ostiensem etiam et Rofredum pro Aldrico Alberici nomen reponendum non sit (4). Sed nemo frequentius ejus auctoritatem usurpat quam Odofredus, qui tamen nec dominum neque doctorem umquam appellat sed magistrum. Ita etiam appellatur in antiquis tabulis anno MCLIV (5) et MCLXXII (6) scriptis, quod non casu sed certa ratione factum est. Quamvis enim et doctrina excelluerit et in docendo etiam famam non vulgarem consecutus sit, doctoris tamen gradum non obtinuit.

II. Suspicatur clarissimus Montius Aldricum nec glossas in legum libros scripsisse nec aliud docuisse quam formulas actionum forensium. Itaque ut in Accursii glossis sic in aliis veterum jurisconsultorum libris perperam Aldricum pro Alberico irrepsisse putat, ac propterea Aldrici nomen ibi tantummodo retinendum ubi magistri nuncupatione donatur; ut est non raro apud Odofredum (7).

(1) Diplovat. in *Alberico.*

(2) Et ponebat Aldricus casum in hac lege in Hispanis, qui invitaverant eum ad prandium, ut fidejuberet pro eis vel rationes suas accommodaret, et dabant ei vinum quasi aquam rubeo mixtam, ut sic inebriaretur. Gloss. in l. *Dolum,* C. *De dolo malo.*

(3) Ostiens. in *Summa,* tit. *De test.*

(4) Rofred., tit. *De actionibus.*

(5) Mag. Aldricus cum Bulgaro, Martino, Hugone et Jacobo aliisque primariis viris interfuit scribendae sententiae Hildebrandi cardinalis in causa monachorum s. Stephani, quam in Appendice dedimus. Nominatur autem mag. Aldricus non solum post quatuor illos doctores, sed post plerosque ex iis magnatibus et claris civibus, qui una adfuerunt.

(6) An. MCLXXII Mag. Aldricus, et Guido de Romanzo judices dati a Coss. populi Bonon. in causa canonicorum s. Jo. in Monte. *Extat in eorum archivo.*

(7) Savigny, *loc. cit.* (c. a.)

XV.

HENRICUS DE BAILA.

I. Hunc etiam ignoravit Pancirolus et ceteri fere qui de claris legum interpretibus scripserunt. Sed ejus memoriam nobis servarunt Odofredus et Rofredus Beneventanus, a quibus accepit diligentissimus Diplovataccius (1). Alidosius vix nomine notum habuit et vixisse ait anno MCC (2). Natus est ex nobili et potenti familia, quae diu in civitate nostra floruit ac de Baila dicebatur. Diplovataccius de Bulla perperam vocat; Alidosius de Balia (3). Fuit autem aeque clarus scientia legum ac manu promptus et strenuus in armis (4). Qui vir esset Henricus experimento suo didicit Placentinus. Cum enim in schola exponeret senatumconsultum Vellejanum et quamdam Henrici opinionem rejiceret, per jocum inquit: *Homo ille,* nimirum Henricus de Baila quem confutabat, *erat in partibus ubi habitat Vellejanum.* Sed caro ei stetit hoc dicterium. Cum enim id rescivisset Henricus, nocte correptis armis in eum irruit injuriam dicaculi doctoris ulturus. Sed ille fuga sibi consuluit et ad Montempessulanum se recepit (5) ubi jus civile, quoad vixit, professus est. Vivebat Henricus anno MCLXIX, ut ex tabulis archivi monachorum s. Stephani (nunc Senatus bononiensis) in quibus *Henricus causidicus et legum doctor* subscriptus legitur.

II. Atque hinc intelligimus Henricum non solum interpretandis legibus in schola sed etiam agitandis in foro causis intendisse, quod *causidici et legum doctoris* tituli declarant. Scripsit, ut primi illi interpretes qui ante illum fuerant, non perpetuos apparatus in legum libros quos in scholis legebat, sed breves glossas ex quibus sua commentaria ditavit Accursius. Rofredus aliquando eum laudat ejusque glossas memorat, quas ait reperiri signatas per *Yr.* Ita in libris editis legitur. Ego Henrici glossas hisce siglis notatas existimo *Hn.* vel *Hr.,* quibus Henrici nomen indicaretur. Neque enim sola litera *H.,* quae est prima ejus nominis, designari poterat, eadem enim sigla usus erat Hugo; sic enim hodiedum non solum in manu exaratis sed etiam in editis antiquorum doctorum libris notatum videmus ejus doctoris nomen. Frequentes enim sunt in Rofredi Libellis, in Summa Azonis, in commentariis Accursii et Odofredi hae et id genus aliae siglae *H. B.* vel *Bul. M. P. Pla.,* quae Hugonem, Bulgarum, Martinum, Pillium, Placentinum designant. Sed amanuensium culpa vitiatae sunt eae siglae quibus Henrici glossae insignitae erant, ut jam fere in editis libris et in manu etiam exaratis, non

(1) Henricus de Bulla (lege de Baila) patria bononiensis, summus legista atque orator, in jure civili pulchra per modum glossarum composuit, cujus glossae inveniuntur signatae per Irnerium secundum Rofredum Beneventanum in suis Libellis tit. *De SC. Vellejano.* Hic fuit vir nobilis etc. DIPLOVAT. in *Henrico de Bulla.*

(2) ALIDOSI. *Dottori bolognesi di legge canonica e civile,* pag. 68.

(3) Hujus familiae de Baila dictae mentio occurrit in actis publicis civitatis usque ad saeculum XIV.

(4) In quaestione ista dixit dn. Henricus de Bailia (lege de Baila) qui fuit antiquus doctor et strenuus in armis, magisque in legibus, quod quaestio ista erat erronea. ODOFRED. in l. *Quamvis,* C. *De juris et facti ignorantia.*

(5) Hanc sententiam secuti sunt multi, praecipue Pl. qui dum in cathedra legeret dixit de domino Henrico de Baila, cujus glossae inveniuntur signatae per *Yr,* qui nobilis erat et potens in civitate Bononiae et tunc temporis regebat: Homo ille erat in partibus, ubi habitat Vellejanum. Unde dominus Henricus, qui erat in contraria opinione, de nocte assalivit dominum Placentinum, et sic timore illius recessit de Bononia et ivit apud Montem Pessulanum. ROFRED. BENEV. in *Libel.,* rubr. I *De SC. Vellejano.*

admodum antiquis, in hunc modum exhibeantur *Yr*. Mendosa haec nota fucum fecit Diplovataccio, qui cum apud Rofredum legisset glossas Henrici de Bulla (sic ille hunc doctorem appellat) reperiri signatas per *Yr.*, existimavit ibi Irnerium indicari et henricianas glossas ab Irnerio signatas. Hoc autem admisso, necesse erat Irnerium Henrico vel posteriorem vel saltem aequalem fuisse, atque etiam Placentinum, qui cum Henrico vixit quique Martini Gosiae auditor fuit. Martinum vero ipsum, Bulgarum, Hugonem et Jacobum multo ante Irnerium vixisse oportuisset. Ita unius notatiunculae vitio in miras ambages incidit Diplovataccius ex quibus se explicare non potuit et primam restitutae per Irnerium jurisprudentiae epocham infeliciter turbavit.

III. In eumdem scopulum impegit Bernardus Tanuccius cum jus civile profiteretur in academia pisana, ex qua ob singularem prudentiam ad summos honores et primos ministerii gradus apud regem neapolitanum expetitus est (1). Neque Guido Grandius, cum Tanuccium confutare niteretur, quamvis recte viderit non potuisse Henricum de Baila esse coaevum Irnerio, tamen cum explicare vellet qui fieri potuerit ut Henrici glossae signatae fuerint per *Yr.*, idest, ut ipsi videbatur, per *Irnerium,* aliquid dicere potuit quod veri speciem ullam praeseferat (2).

XVI.

GUILIELMUS DE CABRIANO.

I. Hic etiam Panciroli diligentiam fugit immo et Diplovataccii, quod magis miror, et ceterorum qui recenti memoria de claris legum interpretibus scripserunt. Sed tamen aetate sua non vulgaris doctrinae famam consecutus est eumque perpetuo laudat Odofredus et Accursius etiam non pauca ab eo mutuatus est. Originem et agnomen duxerat ejus familia, quae ex praecipuis Brixianorum fuit, ex castro agri brixiani Cabriano quod ab ea civitate passibus circiter XIII mille distat. Sed hujus tamen professoris nomen non uno modo effertur in antiquorum libris ob librariorum imperitiam, ubi non modo Cabrianum sed et Gabrianum et alicubi etiam Camianum reperio. Hunc esse Guilielmum censeo quem studiose laudat Stephanus Tornacensis; tempora enim et professio congruunt nec alius per illud tempus occurrit eo nomine inter legum professores, qui Bononiae floruerint, iis laudibus dignus. Ei commendat Hugonem clericum aurelianensem, de quo etiam scripsit ad Albericum de Porta Ravennate. Pergratum sibi accidisse ait quod ex testimonio multorum, qui Bononia advenerant, acceperit ejus famam ac celebritatem nominis in dies crescere et se ipsa majorem fieri. Itaque optare se ut magis magisque aucta, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus, et longe lateque diffusa in ejus auditorium remotas excitet nationes (3).

II. Cum Bononiae degeret Stephanus Tornacensis vel nondum inter professores legum sedere coeperat Guilielmus vel minore adhuc fama docebat in scholis, quam

(1) Grandi. *Nuova disamina della storia delle pandette pisane*, p. II, c. IV, pag. 142.

(2) *Ibid.* [Tiraboschi. *Op. cit.*, *loc. cit.* — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Enrico di Baila.* — Savigny. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXX]. (c. a.)

(3) Hilaris opinio tua, relatu commeantium, se ipsam in dies excedens gratum mihi praebet spectaculum.... Crescat obsecro et sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, longe lateque diffusa, in auditorium tuum remotas excitet nationes. *(In editis est* adiutorium, *quod manifeste mendosum est).* Steph. Tornac., epist. XXVI.

supra modum deinde auctam gratulatur Stephanus Tornacensis. Sed cum Guilielmus patria bononiensis non esset, non miror nullibi ejus mentionem in monumentis civitatis nostrae reperiri. Neque vero de ejus aetate quidquam statui posset nisi ex epistolis Stephani Tornacensis constaret Guilielmum et Albericum de Porta Ravennate coaevos fuisse, utrique enim clericum illum aurelianensem commendavit. Scripsit Guilielmus casus legum quibus commentaria adjecit Joannes Bassianus (1), atque hinc etiam de ejus aetate aliquam ducere licet conjecturam; senior enim Joanne fuisse videtur quod etiam de Alberico dixerat Odofredus. Scripsit praeterea glossas veteri more in libros legum, quas frequenter Accursius, Odofredus aliique usurpant.

III. Guilielmum de Cauriano archiepiscopum ravennatem iisdem temporibus habemus, qui creatus circa annum MCLXXXX anno MCCI obiisse dicitur (2). Si cognomentum hujus hominis spectes, nihil impediet quo minus eumdem esse putes qui prius annis multis in academia nostra jus civile docuerit, post autem Ravennatium antistes inauguratus sit (3). Suffragatur agnominis raritas et tempora etiam mire conveniunt. Ut igitur Lotharius Cremonensis ad pisanam ita Guilielmus de Cabriano ad ravennatem cathedram per illud ferme tempus evectus est.

IV. Jacobus Malvicius in chronico brixiano, inter rerum italicarum scriptores a Muratorio edito, Guilielmum quemdam de Cardinalibus memorat ravennatem archiepiscopum, quem ex praeclara Brixiae familia editum dicit; eumque ait pro Lombardis apud Fridericum Aenobarbum de concilianda pace primum tractasse, demum anno MCLXXXIII extremam ei operi manum imposuisse eoque agente pacem Constantiae compositam (4). Quem hic de Cardinalibus dictum habemus, eumdem esse puto ac Guilielmum de Cabriano, de Cardinalibus dictum librariorum imperitia. At Malvicius memoria lapsus turpiter in historia peccat, nec dum enim, cum de pace inter imperatorem Fridericum et italicas civitates et magnates agebatur, Guilielmus cathedram ravennatem obtinuerat. Conventui italicorum procerum anno MCLXXV habito, in quo primum de pace cum Imperatore firmanda tractari coeptum est, pro Brixianis interfuit Albricus de Cauriano (5). Hinc erroris causam Malvicio extitisse arbitror. Adde quod Guilielmum noverat Imperatori amicissimum fuisse, minus aequum vel aperte infensum Pontifici Romano. Mortuo enim Henrico VI constat ravennatem archiepiscopum, qui tunc erat Guilielmus de Cabriano, Innocentio III obstitisse cum Aemiliam provinciam sibi subjicere niteretur (6). Huic ipsi tribuendum censeo quod Henricus VI amplissimo diplomate

(1) D. Joannes, sive Nicolaus Furiosus post eum commentavit legem istam in libro isto. Insuper etiam commentavit eam eisdem verbis in casibus dn. Guilielmi de Cabriano, qui Casus nuncupantur; sed casus non ponuntur, nisi in quibusdam legibus. ODOFRED. in l. *Cum et judices*, C. *De jurejur. propter calum.*

(2) Sub id tempus Guilielmus Ravennatum archiepiscopus, quem nonnulla ejus aetatis monumenta Willelmum de Cauriano appellant, cum diligenter Ecclesiam administrasset, de vita decessit. HIERON. RUBEUS. *Histor. Rav.*, lib. V, pag. 360 et 368.

(3) Satis notum est, olim promiscuum fuisse usum et nunc etiam alicubi esse, duarum literarum *b* et *u*, ut nihil inter has voces Cabrianum et Caurianum intersit.

(4) Intercurrentibus autem multo tempore legatis hinc inde, venerabilis pater et civis noster memorandus Guilielmus de Cardinalibus, tunc Archiepiscopus Ravennatum, pro Lombardis ad Imperatorem profectus est. Erat quippe diebus illius genealogia civium illorum de Cardinalibus summe praecipua, quae apud multos cives Brixiae, me vivente, digna memoria, nemine tamen de ea superstite, observatur. JAC. MALVIC. in *Chron. Brixian.*, distinct. VII, cap. LIII. *Rer. Ital. Script.*, t. XIV.

Anno Christi MCLXXXIII Julio mense in Constantia urbe Alemanniae idem dn. Guilielmus pacem inter Imperatorem et Lombardos composuit. *Ibid.*

(5) Ex actis conventus anno MCLXXV celebrati apud Fridericum I pro concilianda pace. Extant in archivo Communis Bonon. in libro, qui inscribitur Reg. Gross., unde edidit MURATORIUS, *Antiquit. med. aevi*, dissert. XXXXVIII.

(6) MURATOR. *Ann. d' Italia, an. MCLXXXXVIII.*

Brixianos donaverit, quod anno MCLXXXXII in Germania datum est, eique scribendo cum multis ecclesiasticis proceribus, unus ex italicis interfuit Guilielmus archiepiscopus Ravennas (1).

XVII.

ANSELMUS AB HORTO.

I. Non obscurus est in historia mediolanensi Obertus ab Horto. Is consul erat anno MCLXXI, cum nova Mediolani moenia constructa sunt annis aliquot post civitatem a Friderico Aenobarbo vastatam (2). Sed multo celebrior est inter jurisprudentiae professores; est enim quasi primus auctor juris feudalis. Is omnium primus cum Gerardo Cagapisti (Bernardinum appellat Diplovataccius (3)) consuetudines feudales in ordinem redegit et literis mandavit; quae hodiedum in corpore juris civilis locum habent et omnium suffragio sunt probatae. Filium habuit Anselmum nomine, sive, ut tunc dicere solebant, Ansellum, qui in nostris scholis eruditus est; quod credo etiam de ejus patre Oberto, vix enim quisquam fuit primis illis restitutae jurisprudentiae temporibus qui aliquam in ea facultate laudem consequi posse speraret procul a nostris scholis.

II. Edidit Anselmus libellum *De instrumento actionum,* quem manu exaratum vidi in codice membranaceo bibliothecae collegii Hispanorum, ad quam aditus mihi commodissime patuit humanitate illustrissimi domini Antonii Martinez, ejus collegii moderatoris, doctrina et eruditione spectatissimi viri (4). Mira est autem imago academiae bononiensis quam auctor iste, rudis quidem et inelegans, in eo libro exhibet, et est aptissima ad convellendam Muratorii opinionem, qui ait initio solas leges in nostris scholis floruisse ceteras autem facultates multo serius inductas (5). Justitiae templum appellat academiam nostram, quam esse dicit domum trilateram cui tectum apponunt septem planetae, dexter autem paries ex variis naturis rerum coagmentatus erat, sinister vero numeris colligatus, ultimus denique quibusdam formis contextus. Porro praeclari aedificii fundamentum casibus constructum, argumentis confirmatum, coloribus veluti quibusdam floribus, erat variatum. Hanc domum Bononiae se reperisse dicit, in eaque diu multumque consedisse et omnia diligenti perquisitione scrutatum esse. Nemo hic non videt, praeter jurisprudentiam propter quam hoc praeclarum aedificium justitiae templum appellatur, astronomiam, physicam, arithmeticam, dialecticam, grammaticam denique et rhetoricam ac poesim, haud prorsus insulse expressas, quibus se dedisse operam fatetur, sed jurisprudentiae in primis cui potiores studiorum suorum partes devoverit. In eumdem modum, cum doctor quidam parisiensis ad sodales suos sermonem haberet in illud Prov. IX 1. *Sapientia aedificavit sibi domum,* ita sapientiae domum constituit ut artibus pro basi positis, leges et medicinam parietibus, theologiam tecto superno comparaverit (6).

(1) Murator. *Antiquit. med. aevi,* dissert. L. [Savigny. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXIX]. (c. a.)

(2) Corius. *Histor. Mediol., an. MCLXXI.*

(3) Diplovat. in *Oberto ab Orto.*

(4) Ejus libri specimen in Appendice exhibemus.

(5) Murator. in *Antiquit. med. aevi,* diss. XXXXIV, et in *Annal. Ital., an. MCXVI.*

(6) Ext. mss. inter cod. Digh. n. 33, ex Vood lib. I, pag. 22.

III. Anselmum memorat Obertus ejus pater, qui eidem inscribit secundum librum feudorum. Apparet autem ex ipsa libri inscriptione Anselmum non minus quam ejus patrem patrocinandis causis vacasse, quod etiam observavit Diplovataccius, qui multa ab eo feudalia dubia definita fuisse confirmat (1).

XVIII.

PLACENTINUS.

I. Post Martini Gosiae decessum principem locum tenuisse videtur in Gosianorum secta Placentinus. Hunc Martini auditorem fuisse ferunt, ac certe fuit ejus opinionum non instrenuus assertor. Sed ut erat in dicendo liberrimus et audacissimus non ita Martini studiosus fuit ut ab eo post mortem insectando abstinere potuerit (2). Heineccius eum vocat Ottonem Placentinum contra veterum omnium monumentorum fidem (3). Et sunt qui natum in Gallia dicant (4), sed id etiam nulla ratione. Moventur, opinor, quibusdam verbis ex ejus prooemio ad Summam in tres postremos Codicis libros, quam vix inchoatam reliquit; sic enim inquit: *Exacto quadriennio iterum domum apud Montempessulanum redii, ibique mihi cordi fuit trium librorum Codicis titulos utiles et Digestorum .... sub summulis comprehendere.* Dixerat ante Bononiae se quadriennio docuisse, accitum a scholaribus qui eum e patria sua, ubi vacuus curis et docendi labore aetatem agere decreverat, importunis precibus et consanguineorum etiam officiis extraxerant. Sed mihi videtur locus ille corruptus, ut est revera innumeris mendis foedata in libris editis Summa illa a Placentino incoepta et a Pillio absoluta. Itaque legendum existimo, *exacto quadriennio iterum demum apud Montempessulanum redii.* Quod si quis aut vitium hic esse neget aut emendationem non probet, non admodum repugnabo dum mihi concedat Placentinum iis verbis patriam suam non designasse; quippe qui in eodem prooemio aperte ostenderat patrium solum non esse sibi apud Montempessulanum. *Ad haec,* inquit, *loco tertio mihi apud Montempessulanum venit in animum tyronibus legum introductiones ad libros juris majores componere .... His autem peractis longe postea in patriam reversus sum.* Si ergo post diuturnam moram apud Montempessulanum habitam Placentinus in patriam se reversum fatetur, alibi natum oportet quam apud Montempessulanum.

II. Sed quaenam igitur Placentini patria? Ego Placentiam censeo, sive vicum aliquem ex agro placentino in Insubribus. Placentinum certe appellat Diplovataccius (5), atque id etiam non infelici, ni fallor, conjectura assequimur ex antiquis tabulis (6).

III. Quae Placentini fortuna fuerit ubi primum ex Martini disciplina excessit plane obscurum est. Sed ut erat Martinus ipse totaque ejus secta non profecto acceptissima ceteris nostris doctoribus, Placentinus in nostra academia cum dignitatis locum non

(1) Diplovat. in *Oberto ab Orto.*
[Tiraboschi. *Op. cit.,* lib. IV, cap. VII et XXX. — Savigny. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXIX]. (c. a.)

(2) Sed nec illud obstat quod impie et falsissime, et contra propriam conscientiam a miseris Bononiensibus (Martino scilicet et aliis tribus Irnerii discipulis) Friderico Imperatori Placentiae (in conventu scilicet roncalliensi) persuasum est, Italiam esse tributariam. Placentin. in *Summa,* C. *De annon. et tribut.*

(3) Heinec. *Histor. jur. civ.,* lib. I, cap. IV.

(4) Pancirol., lib. II, cap. XX.

(5) Placentinus eximius legum doctor et clarissimus, patria placentinus. Diplovat. in *Placentino.*

(6) In antiqua, ut vocant, matricula notariorum, scripta post initium saeculi XIII, occurrit inter notarios bononienses: « Savinus nepos magistri Placentini, filius Alberti, Vallis Tari de Placentia ». *Extat in archivo publ. bonon.*

perpetuo tenuit, quem excellens ejus ingenium et doctrina postulare videbatur. Fastus etiam et elatio quaedam animi in eo erat, quae alios professores ab se alienare plurimum poterat. Vix legi possunt sine stomacho quae ipse praefatur ad Summam in tres postremos libros Codicis, et quidem non in ipso juventutis flore in quo aliqua aetati venia concedi posset, sed extremis vitae suae annis paulo ante quam e vita excederet (1). Hisce ex causis accidisse arbitror ut Placentinus non semel relictis scholis nostris, in quibus eruditus fuerat, in aliis civitatibus jus civile interpretatus sit. Ipse fatetur se aliquamdiu Mantuae docuisse in ea Summa, quam scripsit de actionibus earumque varietate quae incipit: *Cum essem Mantuae.* Sed ego hanc typis editam non vidi, ab Odofredo tamen (2) et a Diplovataccio laudatam reperio (3). Postmodum apud Montempessulanum diu fuit, ubi multa scripsit quae ipso in prooemio suae Summae in tres postremos libros Codicis enumerat. Ex Montepessulano in patriam rediit (4), ubi nondum duos menses egerat cum a Bononiensibus, qui cognomen acceperant ex Castello ubi erant eorum aedes, accitus Bononiam venit et jus civile in Castello per biennium docuit tanta celebritate et auditorum concursu, ut aliorum scholae vacuae sint relictae si vera sunt quae ipse jactabundus narrat (5). Exacto biennio in patriam rediit, unde mox extractus est a juris studiosis qui iterum illum ad scholas bononienses magno studio perduxerunt, quas annis quatuor tenuit nec fortasse umquam postea deseruisset nisi sua dicacitate magnum sibi capitis periculum creasset. A quo ut sibi caveret rursus ad Montempessulanum aufugit, ubi vixdum incoepta Summa in tres extremos libros Codicis extremum obiit diem.

IV. Narrat haec omnia de se ipso Placentinus in ejus Summae prooemio (6) sed causam silet cur postremo ad Montempessulanum concesserit. Eam porro intelligimus ab Rofredo Beneventano quae ejusmodi fuit. Cum Placentinus in schola de more dissereret et senatusconsultum Vellejanum exponeret, rejecit opinionem quamdam Henrici de Baila viri nobilis et potentis, qui per illud tempus jus civile item in academia nostra docebat. Neque vero opinionem modo rejecit sed auctorem etiam notavit mordaci joco, sic enim de Henrico dixit: *Homo ille erat in partibus ubi habitat Vellejanum.* Quod cum Henrico allatum esset, is ira percitus Placentinum noctu armatus aggressus

(1) Credidi multum expedire mihi ad memoriam, meique nominis famam in perpetuum conservandam, legum cupidis ad juris scientiam addiscendam ab initiis Codicis incipere, Rogerii Summas in desuetudinem mittere .... longe postea in patriam reversus sum, indeque post aliquot dies, ante duos videlicet menses, ab illis Bononiensibus, qui de Castello vocamur, accitus Bononiam veni, ibique in Castello continuo biennio discipulis jura tradidi, aliosque praeceptores ad lumen invidiae provocavi, scholas eorum discipulis vacuavi, juris arcana pandidi, legum contraria compescui, occulta potentissime reseravi. Et quod fuit mirabilius, etiam rogatus ut de legibus sermonem facerem, rem non novam (fortasse rem novam) aggredus sum, cunctisque vocatis scholaribus morem gessi. PLACENTIN. in *Prooem. Summae in tres poster.*, lib. C.

(2) Alius tamen, antequam ipse dominus Jacobus (Balduinus) natus esset, plenam super hoc tradidit doctrinam, scilicet dominus Placentinus in sua Summa laudabiliter, quae incipit: *Cum esset Mantuae.* ODOFRED. in l. *De dolo,* C. *De dolo malo.*

(3) DIPLOVAT. in *Placentino.*

(4) Ex prooem. cit.

(5) Celebris est adhuc in civitate nostra locus, qui a Castello nomen ducit, quod ibi olim castrum sive arcem fuisse constat, quam Bononienses ut Imperialium jugum excuterent anno MCXII diruerunt. Vid. MURATOR. in *Antiquit. med. aevi,* dissert. XI, et GHIRARDAC. *Histor. Bologn.*, lib. II, p. 61. Atque eo ipso in loco splendidas habet aedes Castillia gens, quam laudat Placentinus, quaeque ad haec usque tempora praecipuum dignitatis locum in nostra civitate obtinuit. Jam inde ab anno MCXVII hujus familiae monumenta habemus. Arardus enim de Castello nominatur in tabulis archivi canonicorum s. Joannis in Monte, ad eum annum scriptis, quas indicavit clarissimus Montius. Sed ejus familiae unus tantum nunc surculus superest, annis jam gravis, Catelanus Comes, legum professor emeritus in scholis nostris, in quo tam praeclara gens deficiet. Hic recta successione descendit ab Alberio de Castello, qui in vivis erat ad annum MCXXI, ut ex tabulis ejusdem archivi, quas idem vir clarissimus vidit et indicavit.

(6) In prooemio cit.

est. Qui cum ex eo discrimine vivus evasisset nec satis sibi cavere posse intelligeret ab adversario irato et potenti, tutum sibi recessum ad Montempessulanum quaesivit (1). Arisius haec omnia tribuit Azoni qui post Placentinum floruit, atque in eumdem errorem incaute lapsi sunt auctores Ephemeridis literatorum Italiae (2) ab Arisio decepti.

V. Habuerat etiam Bononiae adversarium Joannem Bassianum, incertum an solum quod sententiis discreparent an vero aemulatione et obtrectatione laudis, ex qua facile injuriae nascuntur (3). Hac eadem ex causa Azo, qui paulo post Placentinum floruit et quasi numen aliquod jurisprudentiae aetate sua habitus est, in Placentinum, licet jam humanis exemptum, satis invidum se prodidit (4), quamvis eum alicubi laudat. Atque Baldus observat ipsum Azonem et Accursium saepe Placentini opiniones improbare non alia ex causa quam ob invidentiam (5). Contra Pillius, qui ex eadem Martini Gosiae schola prodierat et fortasse Placentinum ipsum aliquando in jure civili audierat, summis eum laudibus extollit. Ait enim Placentinum plus contulisse legibus quam ipsae leges sibi; illum tenebras ab legibus depulisse quibus erant involutae, quaeque mutae et elingues antea erant, ejus opera eloquentes et disertas esse redditas (6). Etiam Innocentius III juris canonici non minus interpres quam auctor egregius quandoque contra aliorum sententiam Martino et Placentino consensit, qua de re inurbane carpitur ab Odofredo (7). Accursius vero licet quandoque ejus opiniones non admiserit, ut a Baldo observatum est, saepissime tamen ejus auctoritate nititur in suis commentariis ad Corpus juris civilis universum, quod et interpretes juris canonici faciunt, ut negari non possit Placentini doctrinam permagni semper aestimatam fuisse. Summam vero famam sibi comparavit legum libris in compendium redactis, quod prius tentaverat Rogerius sed ipse majore industria perfecit. Summas appellarunt veteres jurisconsulti ejusmodi synopses et compendiarias institutiones, quae magno usui fuerunt iis quibus grandia illa legum volumina formidini erant, quamquam hae quoque Summae in magnam postea molem excreverint. Sed de Placentini scriptis postea. Narrat ipse de se tantum valuisse dicendo, ut rogatus a discipulis orationem publice habuerit de legibus. Sive ex tempore dixerit sive meditatus et de scripto orationem recitaverit, hic ejus ingenii partus nusquam visus est, quo sane haud aegre carere possumus. Erat enim Placentinus rudis earum artium quae in probabili oratore requiruntur.

VI. Est etiam magna laus Placentini quod primus apud Montempessulanum juris civilis scholam instituerit, in qua civitate medicinae studia florebant et nostra etiam aetate ut cum maxime florent. Non abnuit hanc laudem Bulaeus Placentino quoad Montispessulani academiam, sed Parisiis tamen antequam Placentinus ex nostris scholis juris civilis disciplinam apud Montempessulanum propagaret fuisse claros juris civilis interpretes affirmat (8). Optandum fuisset ut aliquem ex eo numero nobis indicasset; quod cum non fecerit, vir ceteroqui adeo diligens ut quaecumque ad rem literariam pertineant ubivis gentium gesta in suos commentarios de historia universitatis parisiensis

(1) Rofred. in *Libel. ad SC. Vellejanum.*

(2) Aris. *Cremon. literat.*, p. 89. *Ephemer. literat. ital.*, t. X, p. 281.

(3) Pominus Placentinus in Summa sua scripsit et bene super titulum, licet Dominus Joannes eum more hostili fuerit persecutus. Odofred. in l. *Qui se patris*, C. *Unde liberi.*

(4) Unde invidens Azo dno Placentino scripsit talem doctrinam. Odofred. in l. *Qua ratione*, Dig. *De acquir. rer. domin.*

(5) Bald. in l. 2, num. 3, C. *De convenien. fisci debit.*, lib. X.

(6) Pillius in *Prooem. ad Sum. Placent.*, tit. *De municip. et origin.* cit.

(7) *Vide supra in* Martino Gosia.

(3) Bulaeus. *Histor. Universit. Par.*, t. II, p. 488.

magno studio congesserit, erit unicuique integrum fidem illi adhibere aut negare dum antiquitatem et celebritatem scholae juris civilis in sua academia parisiensi extollit et praedicat.

VII. Obiit Placentinus apud Montempessulanum anno MCLXXXXII ibique honestum tumulum habuit in coemeterio divi Bartholomaei extra urbis moenia cum hoc titulo, quem habemus apud Bulaeum:

PETRA · PLACENTINI · CORPVS · TENET · HIC · TVMVLATVM
SED · PETRA · QUAE · CHRISTVS · EST · ANIMAM · TENET · IN · PARADISO
IN · FESTO · EVLALIAE · VIR · NOBIS · TOLLITVR · ISTE
ANNO · MILLENO · DVCENTENO · MINVS · OCTO

Dies Eulaliae Barcinonensis festus est prid. Id. Februarii, Emeritensis vero IV Id. Decembris.

VIII. Pancirolus aliam inscriptionem habet mutilam et mancam quae ad ejus sepulcrum posita dicebatur. In ea laudatur Placentinus quod *jura pontificia et caesarea praeclare docuerit.* Vel ipsa juris pontificii et caesarei nuncupatio novitatem sapit. Nec vero constat Placentinum juris canonici peritia celebratum esse, quod fuisset contra ejus aetatis morem. Ea enim aetate juris civilis professores jus canonicum quasi novitiam disciplinam nec cum majestate legum romanarum comparandam elato supercilio despiciebant.

IX. Placentinum laudat Trithemius aliique qui de medii aevi scriptoribus agunt, sed longum esset emendare eorum errores. Trithemius eum dicit utriusque juris cultorem et explanatorem celeberrimum, scilicet, ex usu nostrorum temporum, cum nemo jurisprudentiam profitetur quin utriusque juris laurea donetur. Ait praeterea claruisse sub Henrico VI anno MCC, quam aetatem non attigit. Auctor chronici chronicorum Placentinum dicit Irnerii discipulum, quod perfalsum est. Pancirolus etiam minus diligens in Placentino visus est quam in plerisque jurisconsultis. Praeter illud in quo de ejus patria erravit, hoc etiam ferendum non est quod gymnasium apud Montempessulanum aperuisse dicit Placentinum circa annum MCLXXXXVI. Ex quo consequeretur eum obiisse multo post annum MCC. Bis enim apud Montempessulanum fuit et postrema ejus secessio ad eam civitatem multis annis accidit post primam. Plura de genere hoc omitto, quibus expendendis et emendandis operae pretium non est tempus impendere.

PLACENTINI SCRIPTA.

Summa Codicis. Hanc laudat Odofredus multis locis. Praeripuit enim Placentinus palmam Rogerio et Joanni Bassiano, qui parum plaudente populo in eodem pulvere versati sunt (1). Hanc edidit apud Montempessulanum, ut ipse inquit in sua Summa Institutionum (2). Haec solum complectitur novem priores Codicis libros, nam reliqui tres omitti solebant a doctoribus, tamquam minus utiles. Saepius typis edita est haec Placentini Summa, quae olim magno in pretio habebatur.

(1) Post eum (scilicet Rogerium) fecit dominus Placentinus suam Summam. Post eum dominus Joannes, quae incipit *Quicumque vult,* et est nulla. ODOFRED. in l. *Qui transigit,* Dig. *De transact.*

(2) Summa novem librorum Codicis, quam apud Montempessulanum promulgavi. PLACENTIN. in *Summa instit.*, tit. XIV, lib. II.

Summa Institutionum. Haec etiam saepe typis edita est et laudata ab antiquis doctoribus.

Summa, seu tractatus de varietate actionum. Hanc scripsit Placentinus cum esset Mantuae, ut ipse inquit in ejus exordio (1). Hanc quoque laudat Odofredus (2).

De actionibus personalibus tractatum scripsit, quem editum habemus inter tractatus juris universi. To. III, p. II.

De accusationibus publicorum judiciorum. Hic etiam Placentini tractatus ibidem editus est. To. XI, p. I.

De judiciis et jurisdictionis prorogatione. Extat ibidem. To. III, p. I.

De Senatusconsultis. Extat hoc Placentini opusculum ibidem. To. I.

Ad Senatusconsultum Macedonianum brevis commentariolus, est ibidem in eodem volumine.

Pillius in Summa trium librorum Codicis innuere videtur Placentinum scripsisse Summulam de Decurionibus, cujus alibi nullum vestigium reperio (3).

Glossas etiam scripsit more aliorum juris interpretum in libros quos legebat in scholis, ex quibus non pauca delibavit Accursius (4).

XIX.

ODERICUS BONCONSILIUS.

JOANNINUS PRAECEPTOR. MERCADANS. GUIDO BARATTERIUS.

I. Praeter nobiliores istos legum interpretes, qui extremis XI et primis XII saeculi annis floruerunt, non defuere alii plures minori fama et nullis, qui ad aetatem nostram pervenerint, libris editis clari. Qui tamen dum viverent hoc uno magnum honorem assecuti videntur quod in academia nostra docuerint, quae jurisprudentiae primatum obtinebat. Eorum aliquot hic recensere juvat ne suus antiquitati honos denegetur. Est autem ex eo numero Odericus Bonconsilius. Sed mirum quae varietas in hujus professoris agnomine, modo enim ex Bonisconsiliis modo autem ex Malisconsiliis dicebatur (5). Atque haec agnominis varietas diu post Odericum in ejus familia mansit (6). Anno MCLXVI in actis publicis civitatis reperio Odericum judicem, et anno MCLXXVIII Odericum causidicum (7). Sed anno rursum MCLXXXXVII adhuc judicem appellatum reperio Odericum Bonconsilium (8), qui insequenti anno legum doctor dicitur, et cum Azone, Hugolino aliisque nobilissimis viris deditioni Montisbellii interfuit; ex quo apparet magnae auctoritatis hominem fuisse. Hic fortasse ut bonis malisve consiliis suis clientibus adesse reputabatur, modo Bonconsilius modo autem Malconsilius appellatus videtur. Sed dubitari potest num idem sit Odericus ille, qui anno MCLXVI et qui rursum anno MCLXXXXVII judex appellatur (9). Filium habuit Odericus Bonconsilius

(1) Ceterum, quae restant de fructibus deque possessionibus, in Summa, quam feci Mantuae, de varietatibus actionum, diligens lector inveniet. PLACENTIN. *Ibid.* tit. I, loc. cit.

(2) Plenam super hoc tradidit doctrinam dominus Placentinus in sua Summa laudabiliter, quae incipit: *Cum essem Mantuae.* ODOFRED. in l. *De dolo, C. De dolo malo.*

(3) PILLIUS ad tit. *De Decurionibus.* (C. A.)

(4) TIRABOSCHI. *Op. cit., loc. cit.,* § XXVIII e XXXII. — SAVIGNY. *Op. cit.,* lib. IV, cap. XXX. (C. A.)

(5) An. MCC, V Id. Aug. D. Odericus de Maloconsilio testis suscribitur in tabulis archivi s. Agnetis, quas vidit clarissimus Montius.

(6) An. MCCLXXXXII. Bonifacius qu. dn. Guilielmi de Bonconsiliis, sive de Malconsiliis bona paterna divisit cum Bonifacio et Guidone fratribus suis. *Ex Memor. Commun. Bonon.* Indicavit clarissimus Montius.

(7) *Extant in archivo pub. in Reg. Gross.* Indicavit idem clarissimus Montius.

(8) An. MCLXXXXVII mense Martio sententiae cuidam Gerardi Subtilis, qui erat judex praetoris Bononiensium, testis interfuit dn. Odricus de Bono consilio judex. *Extat in archivo canonic. s. Petri Bonon.,* fasc. II, n. III.

(9) Qui jurisprudentiam profitebantur, antequam doctores crearentur, jurisperiti judices aut causidici dici solebant. Si ergo idem sit Odericus iste, annis ut minimum uno et triginta inter juris professores fuisset, antequam doctoris insignia consecutus esset.

legum doctor Bonifacium, legum item doctorem haud ignobilem de quo infra dicemus; et ex eadem familia alii postea extiterunt professores, Galvanus legum et Guilielmus decretorum. Sed Oderico id in primis gloriosum fuit quod Pillium medicinensem jurisconsultum nobilissimum erudiit. Is enim Odericum dominum suum appellat et aliquam ex ejus opinionibus exhibet (1); ex quo conjicere licet Odericum aliquid scripto dedisse, glossas saltem in libros legum quos in schola interpretabatur.

II. Joanninus Praeceptor, mihi aliunde ignotus, anno MCLXXXXVIII inter legum professores cooptatus est, ut liquet ex ejus juramento ex formula recitato, quam in Appendice damus. Est idem fortasse ac Joanninus Tebaldus judex, qui anno MCCIII cum Hugolino legum doctore Regium missus est ad foedus cum illa civitate feriundum, ut ex tabulis archivi publici Bononiensium.

III. Mercadantem, sive ut alibi dicitur Mercatantem aut Mercatorem, doctorem legum veteres tabulae exhibent jam inde ab anno MCLXXXX (2). Is anno MCCIII cum Azone et Guidone Baratterio delectus est a populo bononiensi, ut decerneret quantum ex aere publico praestandum esset Opizoni de Osa, qui post initam praeturam bononiensem abdicare coactus est ad sarcienda nimirum damna, quae ob eam rem pertulerat (3). Rursum anno MCCVII praesentem fuisse constat scribendis concordiae legibus inter Bononienses et Ferrarienses (4). Hunc non ignoravit Alidosius, qui ad annum MCCIII vixisse ait (5).

IV. Guido Baratterius legum doctor cum Mercadante vixit, ut ante dictum est. Anno MCCV praesens adfuit Oberto Vicecomiti Bononiensium praetori cum sententiam diceret ex arbitrio Ariminensium et Caesenatium in causa finium (6). Est haec vetus controversia in qua Ubertus arbiter electus pronunciavit agrum ariminensem et caesenatem Rubicone amne terminari. Sed in eo amne constituendo non minus acerba est nunc inter literatos quosdam utriusque civitatis dissensio, quam olim fuerit inter civitates ipsas de agrorum finibus regundis (7).

XX.

PILLIUS.

I. De Pillio multa Pancirolus et ceteri qui de claris legum interpretibus scripserunt. Ac certe post restituta jurisprudentiae studia pauci elegantioribus scriptis eam facultatem ad illud tempus illustraverant. Sed in ejus patria designanda plerique omnes falluntur. Alii Modoetiae natum dicunt (8), alii Mutinae aut in pago Mutinensi (9), Diplovataccius ejus patriam Mitilinam appellat (10), et sunt qui modicensem etiam aut medi-

(1) Dominus autem meus Odericus dicebat. PILLIUS in Question. *Sabbat.*, q. XXXXVIII.

(2) An. MCLXXXX Indict. II dn. Mercatans legum doctor testis cuidam venditioni Petri de Asinella. *Ex tabulis archivi s. Joannis in Monte.*

(3) *Ex Reg. Gros.*, p. 126 in archivo pub.

(4) *Ibid.*, p. 166.

(5) ALIDOSI. *Dottori bolognesi di legge*, etc.

(6) *Extat Oberti sententia in codice diplomatico civitatis Bonon. in biblioth. Instituti Scientiar.*

(7) FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Bonconsilio.* — SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXIX. (C. A.)

(8) PANCIROL., lib. II, c. XXI.

(9) GRAVINA. *De ortu et progress. jur. civ.*, § 149. — MURATOR. *Antiquit. med. aevi*, dissert. XXXXIV.

(10) Pilius de Mitilina composuit egregium tractatum etc. DIPLOVAT. in *Pillio.*

censem esse dicunt (1). Atque isti, qui medicensem vocant, propius ad veram ejus patriam indicandam accedunt. Natus est enim Medicinae, celebri loco agri bononiensis, ut ab Odofredo intelligimus (2) cujus maximi facienda est auctoritas; vixit enim non multo post Pillium ipsum. Minime igitur audiendus Pancirolus, dum tacite reprehendens illos qui Pillium a Modoetia, agri mediolanensis castello, oriundum dicunt, ex patre mutinensi in Bononiae pago, qui Modoecia vocabatur, natum existimat. Numquam enim Modoeciae nomen in Bononiensium finibus auditum at Medicinae nomen plane notissimum. Repudianda etiam Muratorii censura, qui dum eos reprehendit a quibus Pillius modoetiensis appellatur, reprehensione ipse non caret, vult enim Pillium patria mutinensem fuisse propterea quod patre mutinensi se ipse natum dicit.

II. Sed Muratorium decepit corruptus locus ex Summa Placentini in posteriores tres Codicis libros, quam Pillius a Placentino inchoatam absolvit. Quaerit Pillius in titulo: *De municipibus et originariis,* quid de illo dicendum qui non ex civitate ortus sit sed ex vico civitati subjecto. Respondet esse municipem illius civitatis sub qua vicus ille est constitutus. Sic autem de se ipse inquit: *Cum igitur mutinensis natus sim, qui sub Bononiae civitate constitutus est, jure bononiensis possum appellari.* An potuit hic Muratorius Pillii patrem mutinensem videre? Potius videre debuerat hunc locum non levi mendo foedatum, sed ita tamen ut facillime posset emendari. Sic igitur restituendum puto: *Cum igitur Medicinae vico natus sim, qui sub Bononiae civitate constitutus est;* nisi magis placeat: *Cum igitur medicinensis natus sim, qui vicus sub Bononiae civitate constitutus est, jure bononiensis possum appellari.* Haec plana et aperta est responsio, quam unam Pillius propositae quaestioni aptare poterat. Atque id Muratorius ipse concedere debet, nisi velit Mutinam a Pillio vicum appellari sub bononiensi civitate constitutum; quod Mutinensium aures horrebunt.

III. Non est igitur de legitima hujus loci emendatione dubitandum, ac Pillium jure optimo civitati nostrae adscribemus natum in vico seu castro agri bononiensis praecipuo et opulento Medicina, cujus nomen parum notum scriptoribus variis modis detortum est, ut supra indicavimus. Natus est autem Pillius non ignobili genere, ut ipse de se testatur in ea oratione quam sibi habitam a mutinensi civitate fingit, ut illum ad se invitaret; qua de re postea agemus. Ac videtur in tenera aetate ad literarum studia accessisse. Cum enim tertium jam annum jus civile in nostris scholis magno plausu et concursu auditorum interpretaretur, juvenem immo adolescentem in illa ipsa oratione se dicit. Nec dubium est quin diligenter in humanioribus quoque literis eruditus fuisset, cum se contulit ad jurisprudentiam; lucet enim interdum in ejus scriptis, ac praesertim in quaestionibus sabbatinis, species quaedam eloquentiae et puritas latini sermonis, ex quibus apparet potuisse illum satis eleganter scribere, si id curasset.

IV. Quos praeceptores audierit in academia nostra haud plane certum reputo. Vixit cum Alberico, Joanne Bassiano, Placentino, Oderico aliisque. Odericum alicubi dominum suum appellat, quo nomine praeceptorem antiquitus significatum novimus. Fortasse illum non admodum aetate provectum juvenis ipse audivit, ut fuerint fere

(1) Joannes Andreae (in *Addit. ad Spec. juris in prooem.*) Pillium dicit medicensem. « Et assume de Pileo, qui medicensis fuit, qui tantum in principio sui libelli, etc. ». Ita Jo. Andreae in codice mss. bibliothecae Barberinae (est codex 452). In libris editis modicensis dicitur. Sed vox *medicensis* magis ad veram accedit; nata enim videtur ex medicinensis voce vera et genuina, quam librarius imperitus corrupit.

(2) Vide infra Odofredi verba, ubi Pillii scripta recensentur.

ejusdem aetatis. Certe cum Pillius academiam nostram deseruit ut ad leges Mutinae interpretandas accederet anno circiter MCLXXXVIII, non solum adhuc vivebat Odericus sed etiam decennio post erat in vivis, ut suo loco diximus (1). Non abhorret etiam a vero Placentini auditorem fuisse, cujus Summam perfecit et a quo filius appellatur in oratione, quam Placentinus ad eum in visu fingitur habuisse cum ei suam Summam perficiendam commendavit. Ac certe Martini et Placentini opiniones libenter sequitur; quo etiam nomine parum gratus esse poterat reliquis academiae nostrae professoribus, quibus odiosa erat Gosianorum secta quam Pillius ipse secutus videtur.

V. Sed praeter jus civile, in quo Pillius excelluit, etiam jus canonicum attigit contra eorum temporum morem. Habemus id a Tancredo inter juris canonici professores celeberrimo, qui cum Pillio vixit sed aetate tamen inferior. Hic enim in egregio tractatu de Ordine Judiciario auctores commemorans, qui idem argumentum tractaverant, Pillium laudat doctorem egregium quem imitari se velle profitetur, aitque illum praeter leges civiles aliquid etiam ex jure canonico delibasse (2).

VI. Pillius igitur legum doctor creatus, in scholis nostris magno plausu et auditorum frequentia docere coepit. Quo munere cum tertium jam annum fungeretur, a Mutinensibus optimis conditionibus invitatus est ad jus civile in ea civitate interpretandum; quas ille conditiones repudiandas non duxit praesertim inopia rei familiaris afflictus et a creditoribus ob vadimonia infeliciter suscepta misere agitatus. Obtulerant autem Pillio Mutinenses C marchas argenti (3), quae sane ingens summa erat pro illis temporibus; centum enim argenti marchae DCCC argenti uncias pendebant et ex Panciroli calculo DCLXX aureorum summam conficere poterant (4). Sed non erat tamen immodica, neque enim quotannis stipendii et honorarii loco pensitata, ut existimasse videtur Pancirolus et, quod etiam magis miror, Muratorius (5); sed semel initio tribuenda ut ex ejus fructibus haberet Pillius unde necessarii sibi sumptus consequenti tempore praestarentur. Erat id ex usu eorum temporum ut non annali stipendio fere conducerentur professores sed congruo pecuniae munere semel collato; atque ea, ut plurimum, conditione ut qui conducebantur fundos ex accepta pecunia coemerent, quos amitterent si iis pactis non stetissent quibus fuerant conducti. Ita Mutinenses ipsi postea egerunt cum Guidone de Suzaria, ut ex tabulis a Muratorio editis (6). Ita et nostri cum Hugone Lucensi medico, cui libras DC in feudum, sic enim ajebant, dedere pro se et ejus haeredibus ea lege ut fieret civis bononiensis et aliquot quovis anno mensibus Bononiae degeret et chirurgiam exerceret, de quo viro plura suo loco dicentur. Haec qui minus

(1) *Vide in* Oderico Bonconsilio.

(2) Primo Richardus Anglicus (editi libri habent Angelicus) ad instar cujusdam compilationis leges et canones sub certis paragraphis inducendo, et pro utraque parte in singulis articulis allegando tractavit. Postmodum Pileus legista et doctor egregius civili ordine paucos tantum canones inducendo, ad modum Summae scribendo perfecit, quam pro sui sapientia et doctrina imitari dispono. Tancredus, *De ordine judiciario in proemio.*

(3) Praestat Pillium ipsum audire rhetoricantem et suam defectionem excusantem, inducta per prosopopoeiam mutinensi civitate, quae illum animo moerentem consolatur et se invitat: « Cum essem, inquit, Bononiae, ibique juris praecepta quamplurimis auditoribus traderem cursumque mei magisterii in triennium traherem, quadam die, dum de variis sociorum meorum debitis, quibus etiam tenebar adstrictus, cogitarem, minasque creditorum et infestationes sustinerem, occurrit mihi Mutina, quae juris alumnos semper diligere consuevit meoque compatiens labori benignissimo vultu tabulis me allocuta est: Quid hic facis juvenis? Cur tantis et tam importabilibus agitaris? Non convenit tuae adolescentiae.... Accede igitur ad me, quae tibi similes consuevi dulciter affectuoseque complecti, et te ac socios tuos his omnibus liberabo. Statimque mihi prope centum marchas obtulit argenti pro numero ». Pillius in *Sum. Placentini* ad rub. *De municip. et origin.*

(4) Panciroł., *loc. cit.*

(5) Murator., *loc. cit.*

(6) *Id., ibid.*

perspecta habent, incredibilia narrant de effusis professorum stipendiis priscorum temporum. Sed ad Pillium redeo.

VII. Cum igitur aliquid manasset in publicum de conditionibus Pillio oblatis a populo mutinensi, Bononienses nostri, qui ejus discessum scholis perniciosum fore prospiciebant et aegre patiebantur in civitate vicina, nec admodum amica, celebrari studia legum quae veluti propria et sua reputabant, professores legum sacramenti religione retinendos censuerunt. Itaque ne is tunc et alii postea elaberentur, magistratus bononiensis vocatis professoribus legum imperavit ut singuli jurarent se in biennium e scholis nostris non discessuros. Narrat hoc ipsum Pillius; sed ut erat exulcerato animo stylum in Bononienses plus aequo acuisse videtur (1).

VIII. Sed quamquam Pillius cum ceteris doctoribus sacramento se obstrinxisset ne saltem in biennium ab academia nostra discederet, callida tamen juramenti interpretatione et reditum promittens, Bononienses elusit et Mutinam profectus est ad jus civile docendum (2). Sed Pillii discessus in causa fuisse videtur, cur Bononienses legem illam tulerint multis odiosam et multarum turbarum fomitem, qua nemini licebat in academia nostra docere nisi sacramento se obligasset non alibi umquam jurisprudentiae scholam quam Bononiae habiturum. Discesserat etiam a scholis nostris ante Pillium Placentinus, qui Mantuae docuit atque in aliis fortasse Italiae locis, denique apud Montempessulanum jurisprudentiae scholam instituit. Hanc autem defectionem doctorum aliquot a scholis nostris non solum populus bononiensis aegre ferebat, sed ea quoque aliis doctoribus nostris magnopere displicebat quorum res agebatur; institutis enim alibi scholis decrescere oportebat exterorum concursum ad academiam nostram atque ita minui doctorum nostrorum quaestum, neque enim professoribus stipendium ullum ex publico sed ex scholarium collationibus praestabatur. Itaque quod magistratus bononienses agebant, ut legibus et edictis professores religione sacramenti adactos retinerent, hoc nostri doctores distortis legum interpretationibus assequi nitebantur. Somnia videntur et deliria, quae veteres illi majorum gentium interpretes scripserunt in *l. Si duas Dig. De excusat. tutor. Doctores Bononiae,* inquit Odofredus, *habent excusationem a tutelis, non qui docent Mutinae vel Regii.* Ita scilicet leges, quae sunt de immunitatibus et privilegiis doctorum, interpretabantur ut non ad alios quam ad bononiensium scholarum professores pertinere dicerent.

IX. Accursius, qui non minori studio tenebatur retinendi dignitatem scholarum bononiensium quam ceteri doctores quorum scripta expilavit, cum eamdem legem interpretaretur, ad illa legis verba, *Romae autem docentes a tutela et cura remittuntur,* hanc glossam scripsit: *Romae, vel in oppido Berytensium, vel in aliqua civitate regia, ut Bononiae.... non ultra Aposam, quia extra civitatem veterem est* (3)*; non Mutinae, non Regii.* Ita Accursius in glossa ad illam legem. Sed totam hanc fabulam pluribus

(1) Quo non multo post a Bononiensibus audito, sub alio velamine omnibus legalibus professoribus convocatis, ipsos et me ad sacramentum compulerunt, ne per continuum biennium extra civitatem Bononiae discipulis jura civilia traderemus. Quo facto, tamquam ligatis hircis ad fustem, ut italico utar proverbio, parangaria exemplo (fortasse legendum extemplo) munera, quantum rustici portare consueverunt, nobis induxerunt (legere malim indixerunt). His ergo tam inhonestis injuriis prioribus cumulatis, importabile onus collo meo portandum persensi. PILLIUS, *loc. cit.*

(2) Ita ea de re scribit Pillius ipse, sed obscure admodum, ut locus mendosus videatur: « Idonea itaque securitate, deinde promissis accepta, omnique pactione de nunc, vel in posterum regendis scholis cessante, cum ea (Mutinensem civitatem intelligit) a suis civibus receptus, non declinata origine, sic domicilium mutavi. Bononiensibus tamen fidem promissam, licet coacte, servare disposui ». PILLIUS, *loc. cit.*

(3) Aposa est amnis exiguus, ultra quem olim civitas non protendebatur, nunc fere mediam secat.

exponit Odofredus, qui veluti proditores eos habet qui extra scholas nostras jus civile docerent (1). At Pillius et qui post accepta Bononiae doctoris insignia alibi docebant, quorsum hae doctorum glossae et interpretationes spectarent, minime ignorare poterant. Itaque Pillius ipse cum interpretaretur Codicis titulum, qui est *De studiis liberalibus urbis Romae et Constantinopolitanae,* jura quovis loco tradi posse docuit, nec vim legis veritus est, quae vetabat, ne alibi traderentur quam Romae, Costantinopoli, Beryti et si qua erat alia civitas regia, quaeve hoc privilegio donata esset. *Verum*, inquit, *cum imperium modernis temporibus scissuram senserit, istae quoque civitates duae dominationem perdiderunt; coeperunt quoque jura quovis loco tradi et Bononiae maxime, quae legalium studiorum monarchiam tenuit, necnon Mutinae, in qua jurisprudentiae arcana reseramus* (2).

X. Pillius igitur et sacramenti religione, ut sibi videbatur, solutus et nullum veritus famae dispendium, Mutinam ad docendum concessit. Et quoniam ea lex, quam supra indicavimus, de sacramento professorum lata est circa annum MCLXXXIX, ut alio loco ostendemus (3), circa illud tempus Pillium ad Mutinenses migrasse conjicimus. Num autem perpetuo in ea civitate permanserit an iterum Bononiam venerit ad docendum, ut discedens promiserat, certo definire non ausim. Anno MCCVII Bononiae erat, interfuit enim cum abbate s. Michaelis medicinensis monasterii cum Gerardus episcopus bononiensis sententiam diceret in causa decimarum, quae erat inter Capitulum ecclesiae bononiensis et Medicinenses, cui sententiae post abbatem s. Michaelis subscribit *dn. Pillius doctor legum* (4). Atque hinc verum ejus nomen elicimus; alibi enim, non minima varietate, Pylius, Pyleus aut Pileus, Pius etiam quandoque appellatur (5).

XI. Verum cum alia monumenta non suppetant, quibus comprobari possit Pillium diuturniores moras Bononiae habuisse quam quantas oportebat ut interesset Medicinensibus conterraneis suis in judicio disceptantibus, recte inferri non potest illum aliquando desertis scholis mutinensibus ad nostras rediisse. Sed Odofredus etiam, ni fallor, ostendit Pillium numquam recessisse a scholis mutinensibus; sic enim ejus discessum a civitate nostra memorat et honorificam ejus mansionem apud Mutinenses, a quibus civitate donatus est, ut reditum omnino sileat; quod non erat ab eo omittendum si quidem Bononiam reversus juris civilis interpretandi provinciam iterum in scholis nostris suscepisset (6). Diplovataccius, alias diligentissimus in perscrutandis veterum jurisconsultorum monumentis, narrat ex fide Speculatoris Pillium fuisse apud Montempessulanum, ubi praeter usitatum morem doctorum modesto admodum vestitu usum dicit. Sed verisimile est mendosum fuisse Speculatoris locum quem prae oculis habuit Diplovataccius, immo

(1) Custodiatis vos hic (ita Odofredus auditores suos alloquitur) propter unam glossam hic scriptam, et est dn. Joannis, et Azonis. Et hi, glossant hic, remissionem (al. vacationem) non habent. Igitur doctores, qui docent ultra Aposam, non debent habere immunitatem, de quo docebat dominus Bagarottus unde procedebat hoc. Scholares voluerunt quod dominus Azo legeret in platea s. Stephani. Dicebant enim: Bononia est regia civitas, ut invenitur in legenda s. Ambrosii et s. Petronii. Et Bononia est ab Aposa citra. Unde dicebant ipsi: Si nos docemus in regia civitate, debemus habere immunitatem, si citra Aposam. Si ultra, non, similiter et liberi eorum et uxores debent habere immunitatem, non qui docent leges Regii vel Mutinae; immo est una proditio. ODOFRED. ad l. *Si duas,* Dig. *De excusat.*

(2) PILLIUS in *Summa Placentini* ad lib. XI, C. tit. *De studiis liberalib. urb. Romae.*

(3) *Vide infra in* LOTHARIO CREMONENSI.

(4) Extat Gerardi episcopi sententia in tabulis archivi canonicorum s. Petri an. MCCVII, XI kal. Sept. scriptis.

(5) Pillius etiam dicitur in veteri charta anno MCLXXXVI scripta, quam ex archivo s. Stephani, nunc Senatus bononiensis, in Appendice damus.

(6) Alio modo legitur secundum dn. Pyleum qui fuit de Medicina, et fuit valde bonus, et recessit de civitate ista, et fecit se civem mutinensem, et habuit hic (scilicet Mutinae) magnum honorem. ODOFRED. in l. *Solutum,* Dig. *De pignor. actione.*

alterius doctoris nomen sola hac sigla *P.* ibi notatum esse, ut fere sunt jurisconsultorum nomina in antiquis libris, facile ostendi potest (1). Pillium certe alibi quam Bononiae et Mutinae jus civile interpretatum non constat.

XII. Cum scribendo et docendo vacaret Pillius, suam quoque operam in foro patrocinandis causis impendit. Memorat ipse defensos a se monachos cantuarienses contra ejus ecclesiae archiepiscopum (2), qui causa cecidit, quamvis a Petro Blesensi defensus. Actum est hoc judicium ab Urbano III, cum Veronae esset ad annum MCLXXXVII, quo Pillius accessit rogatus a monachis cantuariensibus, quorum aliquot in Italiam cum priore monasterii ob eam causam venerant. Erat ibi etiam Petrus Blesensis, primus inter legatos archiepiscopi ad Pontificem, qui archiepiscopi partes strenue tuebatur. Ea de re tota multis agit Gervasius Dorobernensis in chronico, qui et responsa Pilli coram Pontifice et ejusdem Pontificis literas ad clerum Angliae refert aitque multis diebus a Pillio et Petro Blesensi coram Pontifice in ea causa disputatum fuisse (3). Causam quoque magni momenti contra Regem Angliae ejusque procuratores defendit et obtinuit, cujus meminit Glossa *in c. Dominus noster. 23. qu. II* his verbis: *Et per hoc decretum Pius obtinuit contra nuntios regis Angliae; quia cum ipse* (rex) *commonitus recusaret de suis justitiam facere, fecit litem suam, unde nuntii ipsi condemnati sunt.* Sed hic pro *Pius* legendum omnino *Pillius* tum quia inter antiquos juris professores numquam Pii nomen auditum, tum quia in libris manu exaratis, quibus utebatur Diplovataccius, id Pillio tribuitur ut ex Diplovataccio ipso intelligimus. Neque omittendum est lepidum Pillii commentum ad quosdam clientes suos in judicio defendendos, quod ex Baldo recitat Pancirolus: *Machinarii,* inquit, *ex alto lapidem projecturi praeclamarunt praetereuntibus, ut sibi caverent. Quidam vero iter faciens, ea voce neglecta, fuit vulneratus et machinarios in jus vocavit ut vulneris impensas solverent. Illi Pileum consuluerunt, qui cum sciret testibus probari non posse illos transeuntes praemonuisse, hac usus est arte. Machinarios in judicium duxit et cum a praetore interrogarentur, cur temere lapidem dejecissent, monitu advocati nihil responderunt. Mirante id praetore et causam quaerente, muti sunt, respondit Pileus et nihil audiunt. Tunc adversarius, imo, inquit, audivi eos transeuntibus acclamantes ut sibi caverent. Ergo absolventur, subjunxit Pileus, praemonens enim de damno non tenetur, eosque liberavit* (4).

XIII. Pillii doctrinam an probitatem laudet Odofredus dum eum *valde bonum* appellat, non satis intelligo. Laborasse videtur eo vitio, quo plerique ex clarioribus illis juris interpretibus, immodica scilicet cupiditate gloriae, qua aperte fatetur se excitatum ad perficiendam *Summam in tres postremos libros Codicis,* vix a Placentino inchoatam (5). Uxorem habuit, ex qua filium suscepisse videtur Guidonem, qui in tabulis ad annum MCCLXVII scriptis *Pillei de Medicina* filius appellatur (6). Ac de ejus uxore narrant cum esset in extremo vitae discrimine non haeredem nominasse, sed tantum respondisse se facere haeredem eum de quo interrogata fuerat. Quare dubitatum est an illud testamentum censendum esset jure factum; quod negavit Pillius et auctoritate

(1) Volentem autem ex humilitate, vel corporis necessitate, humilem ferre habitum, non contemno: ut P. de Corbis in Montepessulano. SPECULAT., tit. *De Advocato, § Sequitur videre,* in fin.

(2) Ad tit. *De Metrop. Beryt.,* lib. XI, C.

(3) GERVAS. DOROBERN. in *Chronico,* edit. Selden, col. 1497 sequ.

(4) BALD. in *Pratica utriusq. jur.,* rub. *De cautel.*

(5) Coepi cogitare quidnam possem scribere, per quod mihi memoriam meam conservarem et alios praeceptores ad invidiam provocarem. PILLIUS in *Prooem.* cit.

(6) Guido quond. Pillei de Medicina in Capella s. Isaiae testis cuidam instrum. *Ex Mem. Commun. Et an. MCCLXXI.* D. Pileus Guidonis Pilei Cap. s. Isaiae. *Ibid.*

legum sustinuit (1) quamvis plures jurisconsulti non infimi subselli ejusmodi testamentum pro legitimo habeant (2). Ejus mortis et sepulcri nullum extare monumentum vere tradit Pancirolus. Videtur autem Mutinae extremum obiisse diem. Eum laudat Trithemius aliique omnes veterum jurisconsultorum biographi. Aliquid Orlandio suboluisse videtur de hoc scriptore, atque hic ipse est, ut opinor, quem appellat *Pilium Bagarottum* glossatorem antiquissimum, quem vixisse ait anno MCLX (3).

PILLII SCRIPTA.

Quaestiones Sabbatinae. Ita inscriptus est liber Pillii quaestiones juris continens ab eo in scholis die Sabbati disputatas. Atque ejus exemplo editas habemus quaestiones sabbatinas Rofredi, dominicales et veneriales, sive venercales, Bartholomaei Brixiensis, diebus nimirum dominicis et Veneris disputatas. Notissimus est apud antiquos jurisconsultos hic Pillii liber, et saepe vel ab ipso Accursio quaestiones sabbatinas laudatas observat Pancirolus (4). In iis quaestionibus proponebat Pillius quae vel facto contigerant, vel ad veri speciem excogitata erant poterantque dubitationem movere. Itaque iis explicandis et definiendis argumenta in utramque partem adducit, quibus invicem collatis suam tandem sententiam profert. Scriptae sunt satis eleganter et dilucide, procul ab illa exuberantia et nimietate, quae post Accursium jurisconsultorum scripta invasit. Apparet autem ex his ipsis quaestionibus Pillium vel bononiensem fuisse vel diu in civitate nostra versatum, plura enim in iis tractantur quae ad res Bononiensium pertinent. Talis est quaestio XXXII, quae sic incipit: *Bononienses, dum civitatem suam contra hostilem incursum Teutonicorum vallis munirent et fossis, medietatem praedii Caji Sei occupaverunt etc.* Eas primum edidit ex codice manuscripto episcopi narniensis Vincentius Portius jurisconsultus lucensis et Carolo Borromaeo cardinali amplissimo dedicavit, cum hoc titulo: *Celeberrimi jurisconsulti ac glossatoris vetustissimi D. Pilei modicensis quaestiones aureae. Romae apud Antonium Bladum MDLX.* Sunt quaestiones CXXXII. Erat ille narniensis episcopus Donatus Caesius, vir clarissimus, postmodum inter cardinales adlectus, qui Bononiae a teneris annis legum studia secutus erat eamque civitatem non semel postea feliciter rexit. Ejus bibliothecam Vincentius Portius laudat plusquam centum membranaceis libris instructam. In hac scholastica exercitatione Pillius ea primum invenisse dicitur quae in jurisperitorum libris Brocarda appellantur (5). Sunt autem Brocarda, inquit Pancirolus, regulae generales, vel, ut aliis placet, perplexae quaestiones, plurimis ab utraque parte argumentis rationibusque munitae, ex quibus non secus ac ex labyrintho sive longa distinctione nemo se facile explicare potest. Haec ab aliis saepe aucta et sub aliis atque aliis jurisconsultorum nominibus passim extant in libris tum editis tum manu exaratis.

Liber Disputationum. Hunc perfecit non multo postquam Mutinam venit Bononiae incoeptum, quem ipse fatetur certantibus in foro utilissimum (6). Dubitavi aliquando num hic ipse liber ille esset, qui sabbatinas quaestiones complectitur. Sed Diplovataccius alterum ab altero secernit et in libro disputationum mentionem ait fieri quaestionum sabbatinarum.

Summa Placentini in tres postremos Codicis libros. Hanc vix inchoatam a Placentino perfecit Pillius. Fingit autem Placentinum cum secum ipse deliberaret sibi in visu adfuisse gestantem dextera manu librum perfectum absolutumque, quo continebantur Summae Institutionum et priorum novem librorum Codicis aliaeque in alias juris partes ab eo perscriptae; sinistra vero imperfectum librum in quo Summam in tres postremos libros Codicis scribere incoeperat, seque a Placentino admonitum ut librum, quem ipse vix

(1) Jo. Andr. in addit. ad *Specul.*, tit. *De testam.* in addit. incip. Pyleus, et est ejus quaestio CX.

(2) Paul. de Castro in l. 8, C. *Qui test. fac poss.*

(3) Orlandi. *Notizie degli scrittori bolognesi*, p. 237.

(4) Pancirol., lib. II, c. XXI.

(5) Pancirol. ex Bal. in c. ult. *De Feud. Marchiae*, et Azo in *Summa*, tit. *De munic. et origin.*

(6) Pillius in *Prooemio* cit.

inchoaverat, perficeret quod ab eo diligenter est factum. Sed huic Placentini et Pillii Summae aliquid posteriori manu adjectum est, ut ad lib. XI *De decurion. et fil. eor.* ubi mentio est Fratris Joannis Vicetini viri celeberrimi ex Ordine Praedicatorum, qui vixit post Pillii aetatem. Scribebat autem Pillius hanc Summam Mutinae paulo post annum MCLXXXXI (1).

Summa in libros feudorum. Hoc etiam Pillii opus memorat Diplovataccius, qui Pillium dicit ante omnes in libros feudorum scripsisse. Ejus etiam meminit Baldus in prooemio feudorum.

De Ordine Judiciario. Quod judicium Tancredi fuerit de hoc libro supra ostensum est. Magno usui fuit in foro agentibus, antequam prodiret *Speculum Juris* Guilielmi Durantis, qui reliquis palmam praeripuit. Rofredus Beneventanus cum idem argumentum tractaret plurimum se profecisse ex Pillii commentariis professus est.

Oppositiones per modum dialogi. Hunc Pillii librum memorat Odofredus in *l. Bene est. Dig. De rebus creditis*, his verbis: *Or in oppositionibus domini Pylei, qui fuit de Medicina et recessit de civitate ista et fecit quasdam oppositiones per modum dialogi etc.*

Pillii librum de Ordine Criminali laudat Otto Papiensis in suo tractatu *De Ordine Judiciali.* Fortasse idem est, qui alias inscribitur *De Ordine Judiciario.*

Tractatus de confectione et porrectione libelli. Hunc memorat Diplovataccius ex Jo. Andreae.

Glossas frequentes scripsit in libros legum quos in scholis legebat. Hinc saepe ejus nomen apparet inter veteres juris interpretes, quorum scripta expilavit Accursius hac nota *Pi.*, vel *Py.* plerumque expressum. Vide glossam in *C. De municip.*, et in *l. Cives. C. De incolis Lib. X*, et glossam in *l. Si quis in tant. C. Unde vi. etc.* Laudatur etiam in glossis decretorum. Vide glossam in *C. Dominus noster XXIII q. 2.* (2)

XXI.

JOANNES BASSIANUS.

I. Praecipuus inter Bulgari auditores fuit Joannes Bassianus (3). Atque ita omnino appellandum censeo, Baxanum enim dicit Odofredus, Baxianum Ostiensis, quod perinde est ac Bassianum, ut aperte dicitur a Pastrengo. Alii ergo non recte Bossianum aut Bosianum alii Bazianum appellant. Patria cremonensis fuit. Aliqui bononiensem dicunt, sed non recte. Cremonensem aperte appellant Guilielmus de Pastrengo vetustus auctor (4) et Trithemius (5), quique omnium instar esse debet, Carolus de Tocco, qui eum in legibus praeceptorem habuit (6). Ad jurisprudentiam accessit Joannes in Bulgari schola, cum jam esset in philosophiae et artium studiis versatus (7). Quibus praesidiis adjutus cum acri ingenio polleret (8), ad singularem doctrinae excellentiam pervenit, nec ullum ex

(1) Meminit Pillius ad tit. *De jure reip.* monetae bononiensis, cujus cudendae jus nuper ab Henrico VI concessum dicit. Constat autem monetam Bononiensibus ab Henrico concessam anno MCLXXXXI, ut ex ejus diplomate apud MURATORIUM in *Antiquitatibus italicis*, dissert. XXVII.

(2) FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Pillio.* — SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXXII. (C. A.)

(3) Dominus Bulgarus et Joannes, qui fuit discipulus dn. Bulgari, et dn. Azo, qui fuit discipulus dn. Joannis. ODOFRED. in l. *Et si post tres.*, Dig. *Si quis cautionibus* et in l. *Quinimo interdum,* Dig. *De pactis.*

(4) GUIL. DE PASTRENGO. *De origin. rer.*, pag. 44.

(5) TRITHEM. *De Script. Eccl.*, c. 421.

(6) Carolus de Tocco Joannis discipulus eum saepe laudat in suis commentariis ad leges Langobardorum, et Joannem Cremonensem perpetuo appellat.

(7) De dn. Azone non miror, quia nescivit in artibus: sed de dn. Joanne sic, quia scivit in artibus. ODOFRED. in l. *Mora fieri intellig.*, Dig. *De usuris.*

De domino Azo. non miror, quia non fuit extremus in artibus, licet in scientia nostra fuerit summus: sed de dn. Joanne miror, quia fuit extremus in artibus etc. *Id.* in l. *Quaecumque specialiter*, Dig. *De offic. ejus cui mand. est jurisd.*

(8) Dom. Joannes de subtilitate ingenii sui, quae fuit maxima, revocabat in dubium. ODOFRED. in l. *Cum et judices*, C. *De jurerur. propter calum.*

legum professoribus, qui tunc in academia nostra florebant superiorem habere visus est. Quare et lucernam juris ut olim Irnerius et insolentiori etiam elogio speculum mundi dictum autumant (1).

II. Sed haec praeclara doctrinae ornamenta corruptis moribus et illaudabili vita foedasse dicitur. Ludo in primis et comessationibus praeter modum deditum, in iis ita intemperanter quandoque versatum tradunt ut nudus in alea remanserit (2). Simultates cum Placentino exercuit qui Gosianorum sectae, ceteris semper invisae, princeps habebatur. Itaque et ejus sententias saepius oppugnare consuevit et impotenti quadam aemulatione Summam quamdam edidit, quam Placentini Summae opponeret (3). Verum id parum feliciter Joanni cessit, cuius Summam ventosam appellat Odofredus (4), inanem scilicet nec tanto viro dignam. In opinionibus vero Placentini refutandis plus odio adversarii sui quam veritatis amore quandoque ductus videtur; interdum enim quaedam rejecit, non quod juri adversa sed quod a Placentino asserta essent (5). Neque id mirum cuiquam videri debet, ut enim Bulgarus et Martinus perpetuo inter se dissidentes fuerunt ita Joannes in Bulgari schola successor difficile convenire poterat cum Placentino, qui Martini placita tuebatur et primum inter Gosianos locum tenebat.

III. Plures discipulos magni nominis erudiit Joannes Cremonensis. Prae ceteris celebratur Azo, nec omittendi sunt Carolus Beneventanus, alias de Tocco appellatus, et Nicolaus Furiosus qui utilem sane ac diligentem operam magistro suo docenti praestitit. Quaecumque enim ab eo, cum leges in schola interpretaretur, dicebantur, scripto mandabat (6), ut plus iste studiosus scribendo quam ille docendo visus sit (7). Sic autem Nicolaus Furiosus Joannis dicta venerabatur, ut nihil pateretur excidere et ea quandoque non secus ac divina quaedam oracula exciperet (8). Ut igitur exceptoris officio apud Azonem functus est Alexander de S. Aegidio in scribendis ejus commentariis in Codicem, ut suo loco dicemus, sic Nicolaus Furiosus apud Joannem Cremonensem. Sed Azonis commentaria ab Alexandro scripta typis edita habemus; Joannis vero glossas in legum libros a Nicolao exceptas jam diu amisimus. Extat inter codices bibliothecae regiae *Lectura Joannis in Codicem* (9), quam esse Joannis Cremonensis existimo. Ex ejus glossis maxime creverunt Accursii commentaria (10), ac saepissime etiam ab Odofredo laudantur. Sed hic tamen Joannem non semel reprehendit, quod, licet liberalium artium scientia esset instructus et in dialecticis egregie eruditus, ingenio autem esset acutissimo, hanc suam ingenii subtilitatem et excellentiam in legibus interpretandis non semper ostenderit (11).

(1) PANCIROL., lib. II, c. XXIII.

(2) Joannes Bassianus cremonensis patria, legum doctor, vir elegantis ingenii, sed perditae vitae, ludo enim et comessationibus deditus, nonnumquam pannis exutus, nudus remanebat in alea. GUIL. DE PASTRENGO, pag. 44.

(3) PANCIROL., *loc. cit.*

(4) *Vide quae infra adnotata sunt ex* ODOFRED.

(5) Dominus Joannes, qui multum persequebatur dom. Placentinum. ODOFRED. in l. *Edita,* C. *De edendo.*

(6) *Vide adnotata infra in* NICOLAO FURIOSO.

(7) PANCIROL., *loc. cit.*

(8) Sed dn. Joannes pro intellectu hujus « obscurando, et ad hoc ut nullus scholaris intelligeret » istum, scripsit hic quamdam glossam, de qua Nicolaus Furiosus in tantum gavisus fuit, ac si esset raptus a Deo, et ita scripsit post eum — audi quae dixit dn. Jo. tria vel quatuor: primo ex tribus de quatuor redde primum secundum et ultimum: secundo primum tertium et ultimum: tertio quae sunt tria post primum. ODOFRED. in l. *Item quaeritur,* § *Qui impleto,* Dig. *Locat. et conducti.*

(9) *Est codex 4824 ex Bibliotheca Bibliothecarum.*

(10) Scripsit (Joannes) optimas glossas super toto corpore juris civilis, quas Accursius in suo posuit apparatu, cujus opiniones ceteris praestant. GUILIEL. DE PASTRENGO, *loc. cit.*

(11) Licet dn. Joannes fuerit literata persona in artibus et etiam ex subtilitate ingenii sui in expositione hujus glos. non fuit subtilis. ODOFRED. in l. *Non videtur,* C. *De integ. rest. min. XXV an.*

Quandoque etiam nimis intemperanter dialecticis cavillationibus indulsisse videtur in legibus paulo difficilioribus enodandis, ut observat idem Odofredus [1].

IV. Perpetuus fuit Azonis consensus cum Joanne praeceptore suo; nec desunt qui Joannem Azoni praeponant, si quando, quod rarissime accidit, eos dissentientes reperiant [2]. Celebrem quoque Azonis Summam, quo vix alter prodiit liber majori plausu exceptus a legum studiosis, Joannis opibus non minima ex parte ditatam, aliquando creditum est [3]. Arborem actionum, libellum ingeniosum et elegantem, scripsit, magno semper in pretio habitum. Diplovataccius illum laudat ob rerum delectum et concinnam brevitatem. Alios vero doctores, qui postea idem argumentum tractarunt, reprehendit, quod quaestiones inutiles nexuerint et cum Joannes Bassianus duodecim non amplius distinctionibus et divisionibus omnes actiones judiciales complexus esset, ipsi novis excogitatis subtilitatibus rem in aperto positam magnopere implicuerint. Laudat tamen Joannem Baptistam de Sancto Blasio doctorem patavinum, qui sua aetate egregium commentarium in Joannis arborem edidit [4]. Etiam Rofredus Beneventanus miram praedicat hujus libri concinnitatem utilitatemque quod actiones omnes, quotquot esse possunt, in eo sint descriptae [5]. Hunc porro librum idoneo schemate ornavit ad arboris formam, cujus ramis e trunco nascentibus circulos inscripsit, quibus singularum actionum nomina indidit, uti arborem consanguinitatis et affinitatis pingere solemus [6].

V. Ejus etiam extat Summa libri Authenticorum, quae edita est cum additionibus Accursii post Azonis Summam. Haec Azoni ipsi tributa videtur, sed ex prooemio constat esse legitimum Joannis Bassiani foetum. Scripserat etiam Codicis Summam aemulatione Placentini, ut supra indicavimus. Sed parum probatus fuit legum studiosis hic Joannis labor, quem non uno loco deridet Odofredus [7]. Scripsit praeterea *Librum Distinctionum*, cui Odofredus distinctiones Alberici antehabendas judicat [8]. Ejus etiam habemus brevem Summam Pandectarum, quae item edita esse solet post Summam Azonis et Azoni etiam attributa est ab imperito typographo, qui cum initio libri Azonis Summas Codicis et Institutionum impressisset, Joannis Bassiani, Placentini ac Pillii scripta in eodem volumine edita Azoni tribuit, ingeminans in summa quaque pagina Azonis nomen [9]. Aliqua etiam addidit Joannes Casibus Guilielmi de Cabriano, ut ex Odofredo intelligimus [10].

(1) Vel potest dici secundo modo secundum Jo. qui convolavit ad dialecticam suam etc. ODOFRED. in l. *Julianus*, Dig. *De cond. indeb.*

(2) Audivi Oldradum de Laude praeceptorem meum dicentem, quod quotiescumque Joannem et discipulum illius Azonem dissidentes comperiebat, quod raro fit, semper Joannis opinionem amplectebatur, reparationibus (lege reportationibus) et argumentis validioribus, legibusque fulcitam. GUILIELM. DE PASTRENGO, *loc. cit.*

(3) *Idem, ibid.*

(4) DIPLOVAT. in *Joanne Bassiano.*

(5) Omnes actiones, quae sunt in mundo, inveniuntur notatae in arbore Joannis. ROFRED. *De Libell.*, tit. *Qualiter concipiendus est libellus.*

(6) Licet dominus Joannes fecerit duos circulos in arbore actionum de istis duobus interdictis, ego tamen coniunctim de utroque tracto. ROFRED. in libel. *Ad interdict. de fonte refic.*

(7) Dn. Frogerius (lege Rogerius) in articulo isto contradixit et ita invenietis scriptum in Summa sua.... Post eum fecit dn. Placentinus suam. Post eum dn. Joannes fecit suam, quae incipit: *Quicumque vult.* Et est nulla. ODOFRED. in l. *Qui transigit*, Dig. *De transact.*

Dn. Joannes, inquit, fecit Summam suam, quae incipit: *Quicumque vult:* quae Summa non valet unam festucam. *Id.* in l. *Edita actio*, C. *De edendo.*

Ita scripsit in sua Summa verbosa et pomposa.... quae non valet unam nucem marcidam. *Id.* in l. *Qua quisque*, Dig. *De edendo.*

(8) Distinctiones dn. Alberici meliores sunt, quam illae dn. Joannis. ODOFRED. in l. *In bonae fidei*, C. *De pactis.*

(9) Incipit materia super Pandectas secundum Jo. Bossia. Ita in editis inscribi solet. In extremo libri titulo auctor se prodere vult in dialecticis versatum, voces aliquos dialecticorum proprias non necessario usurpans. Sed hoc potius libri fragmentum quoddam videtur, quam opus absolutum et perfectum. In ejus prooemio juris studiosos hortatur, ut ante sonum campanae divi Proculi surgant.

(10) Dominus Joannes commentavit legem istam in duobus locis. Ipse commentavit eam in Casibus domini Guilielmi, in quibus fecit additiones suas. ODOFRED. in l. *Si quis in tantam*, C. *Unde vi.*

VI. Cum in Bulgari schola eruditus sit Joannes Cremonensis et Azonem ipse erudierit, ejus aetatem his duobus veluti terminis interjectam oportet. Cetera enim incerta omnia; nec quo tempore docere coeperit nec quamdiu aetatem egerit quove anno decesserit ulla ratione definiri potest. Floruit igitur post Bulgarum cum Placentino, Pillio, Alberico et aliquamdiu etiam cum ejus discipulo Azone, saeculo nimirum XII properante ad exitum. Non igitur audiendos arbitror eos qui Joannem jam inde ab anno MCLV celebrem sibi famam comparasse existimant. Id natum opinor ex falsa quorumdam opinione qui Joannem Irnerii discipulum fuisse dixerunt, quo in errore versati sunt auctores Ephemeridis literatorum Italiae. Neque etiam certum est extremum diem obiisse anno MCLXXXXVII, quemadmodum Pancirolo visum. Errat hic misere Pancirolus sepulcralem titulum praelongum rudi carmine scriptum afferens, quem ad Joannis Bassiani tumulum positum fuisse censet in aede divi Antonii. Sed neque in divi Antonii aede sepulcrum illud neque ad Joannem Bassianum pertinet. Jacuit in eo magister Bazianus non inglorius canonum professor, de quo suo loco dicendum erit. Is in cathedrali aede tumulatus fuit, ubi adhuc titulus sepulcralis marmori inscriptus superest. Sed Joannes Bassianus ubinam obierit ac tumulum acceperit omnino non liquet.

VII. Narrat Oldradus de Ponte Joannem aliquando a scholaribus hispanis invitatum liberius vino indulsisse et inebriatum commodasse illis suos libros, quod sana mente non fecisset. Sed fallitur Oldradus Joanni tribuens quod Alberico acciderat (1). Atque hinc forte aliquis conjiciet natam minus aequam scriptorum aliquot opinionem de corruptis Joannis moribus, de qua supra diximus. Pancirolus Joannem alterum Odofredo auctore huic nostro subjicit, quem antiquiorem vocat (2). Sed is male interpretatur Odofredum, qui non alium agnovit Joannem legum interpretem quam Cremonensem Bulgari auditorem. Quod si Joannes ille Cremonensi nostro antiquior fuisset, ut hariolatur Pancirolus, vixisse debuisset vel cum Bulgaro ipso vel cum Irnerio, quibus temporibus Joannem nullum legum interpretem, praeterquam dicente Pancirolo, fuisse audivimus.

VIII. Incidunt in haec tempora Joannis Bassiani prima universitatis scholasticae initia, si id universitatis nomine intelligamus quod iisdem temporibus placebat. Quamquam enim jam tum docente Irnerio permagnus fuerit exterorum concursus ad scholas nostras, atque hic deinceps auctus sit, aucta scholarum fama et numero docentium, ut etiam Eugenio III sedente civitas nostra maxime ob hanc causam toto orbe celebris esset, ut testatur Eugenius ipse literis ad episcopum bononiensem datis (3), tamen nullum adhuc scholarium corpus constitutum fuerat nec societas inita quae rectores queis subesset aut leges haberet quibus regeretur. Id primum inclinante saeculo XII institutum est, ac fortasse nationes singulae, aut saltem quae ceteris scholarium numero praestabant, societatem initio inierunt. Post autem universa scholarium multitudo, bifariam discreta, duo corpora sive duas universitates citramontanorum et ultramontanorum constituit. Sed haec scholarium coitio non parum doctoribus nostris displicuit, ita enim everti videbant suum illud regnum scholasticum, quod Friderici I constitutione et populi bononiensis auctoritate obtinuerant. Itaque contra novos istos scholarium ausus non dubitarunt sua arma exerere, leges nimirum romanas, ex quarum praescripto negabant

(1) *Vide in* ALBERICO.

(2) PANCIROL. ex ODOFR. ex lib. 2, Dig. *Si ex nox.* etc.

(3) *Vide literas Eugenii III in Appendice.*

fas esse scholaribus coire in corpus et rectores creare (1). Displicuit etiam civitatis moderatoribus haec scholarium coitio, nec leves exortae sunt turbae ob hanc causam, quibus quandoque compescendis non minimam operam impendit Honorius III romanus pontifex, ut in Rofredo Beneventano dicemus. Sed cum scholares in proposito persisterent quieverunt doctores, et populus bononiensis institutam a scholaribus societatem sive universitatem probavit (2).

XXII.

NICOLAUS FURIOSUS.

I. A Joanne Bassiano sejungendus non est Nicolaus Furiosus, inter ejus discipulos praecipuus et prae omnibus de magistro suo optime meritus. Guilielmus de Pastrengo patria regiensem fuisse suspicatur (3). Ei plurimum debuere legum studiosi, quod ex ore magistri in schola docentis legum interpretationes et glossas exceperit, quamobrem saepissime ab Odofredo laudatur, qui Joannis glossas non tam Joanni ipsi tribuit quam Nicolao Furioso (4). Sed aliquid etiam de suo protulit Nicolaus Furiosus, glossas nimirum in usus Feudorum quas Baldus commemorat (5). Docuit Bononiae exeunte saeculo XII, ejusque scholae fuisse videntur in foro majori, loco civitatis celeberrimo (6). Cardinalis Ostiensis Nicolaum Furiosum non sine furore scripsisse ait, bigamum si ex dispensatione ordinetur non recipere characterem ob hanc rationem quod sicut non potest Pontifex oculum amissum reddere, ita nec defectum sacramenti sanare (7). Si hic revera Nicolaus Furiosus fuerit Joannis Bassiani auditor, dicendum videtur non solum in jure civili versatum fuisse sed aliquid etiam delibasse ex jure canonico, quod non erat ex usu eorum temporum. Albericus de Rosate Nicolaum quemdam cremonensem doctorem decretorum alicubi laudat (8). Judicabunt alii num hic esse potuerit quem Ostiensis pro Nicolao Furioso acceperit (9).

(1) Si ergo dicimus quod scholares cum faciant universitatem et corpus, quod possint creare et habere rectores. Verumtamen dicimus quod de jure scholares non possunt eligere rectores, quia isti sunt discipuli doctorum; unde ipsi doctores qui exercent professionem debent eligere rectores, et ita scripsit hic Joannes et Azo. Et ita dicitur quod est Parisius, quod doctores eligunt rectores, et non scholares, tamen per l. municipalem hujus civitatis scholares creant rectores. ODOFRED. in l. *Periniquum*, C. *De jurisd. om. jud.* Ex his Odofredi verbis sublucet, quae fuerit Joannis Bassiani opinio quoad hanc rem, scholares nimirum non posse coire in corpus et habere rectores, quia non exercent professionem aliquam sed sunt sub exercentibus, idest, sub doctoribus. Itaque quoad pastoribus, campsoribus, negotiatoribus concedebant, id scholaribus eo jure negabant, quod ipsi professores alicujus artis aut facultatis non erant. « Qui exercent professionem, ipsi eligunt judices, sed discipuli non exercent, unde ipsi non eligunt ». Ita ODOFRED. *ibid.*

(2) FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Bassiano.* — SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXXI. (C. A.)

(3) GUIL. DE PASTRENGO. *De orig. rer.*, p. 52.

(4) Joannes, qui primo notavit, sive Nicolaus Furiosus, qui notabat post eum, circa legem istam graviter videtur errasse. ODOFRED. in l. *Si a furioso*, Dig. *De reb. cred.*

Dn. Joannes, inquit, sive Nicolaus Furiosus post eum commentavit etc. Et rursum ibidem: Nicolaus Furiosus sic incepit commentare .... quae Joannes facundus .... in medium contulit. *Id.* in l. *Cum et judices*, C. *De jur. prop. cal.* Et alibi passim.

(5) BALD. in prooem. *Feud.* et ad tit. *De pace Const.*

(6) Actum in schol. dn. Nicolai in platea majori anno MCLXXXXIV. *In tabulis archivi s. Salvatoris*, fascic. XXIII, n. 24.

(7) OSTIENSIS. *De bigam. non ordinan. v. et an cum bigam.*

(8) ALBERIC. ad rubr. C *Ne filius pro patre.*

(9) SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXVIII. (C. A.)

XXIII.

OTTO PAPIENSIS.

Floruit ante XII saeculi finem Otto Papiensis jurisconsultus celebris, saepe laudatus a Rofredo Beneventano, Odofredo, aliisque antiquis legum professoribus. Ejus auditor fuit Carolus de Tocco [1], credo in scholis nostris; exterus enim homo voluisse non videtur alibi requirere doctos magistros, cum hic haberet aetatis suae principes, et aliquos reipsa hic audivisset, Joannem et Placentinum [2]. Petrus Jannonus Bagarottum addit [3], quem ego frustra in Caroli commentariis quaesivi. De ceteris nullum est dubium, et de Ottone quidem annis multis se ejus auditorem fuisse dicit [4]. Neque papiensis schola ullius famae erat, si erat quidem illis temporibus. In nostra igitur academia docuisse videtur et in ea Carolum de Tocco aliosque erudiisse. Ac certe non alibi quam in academia nostra Carolum in jure civili eruditum Jannonus ipse existimat, et nos infra ostendemus ex perspicuo Odofredi loco Carolum de Tocco nostris professoribus esse adjungendum. Scripsit Otto librum *De ordine judiciario,* quem typis editum habemus. In eo affert decretales Alexandri III et Lucii III, ex quo aliquam de ejus aetate conjecturam facere licet. Glossas etiam scripsit in libros quos legebat in scholis ut prisci doctores solebant. Ex iis non pauca mutuati sunt Odofredus et Accursius ut mirum sit tam celebrem doctorem a Diplovataccio praetermissum, cujus mentionem haud raro factam videre poterat apud Odofredum et Accursium et alios praeterea multos [5].

XXIV.

LOTHARIUS CREMONENSIS.

I. Nulla supersunt Lotharii Cremonensis scripta, sed tamen praetereundus non est ob nominis celebritatem quam consecutus est dum viveret in academia nostra, ex qua ad amplissimas dignitates evectus est. Fuisse enim constat episcopum vercellensem, mox archiepiscopum pisanum. Addunt et patriarcham hierosolymitanum fuisse. Ego illum credo auditorem fuisse Joannis Bassiani contribulis sui, qui saeculo XII inclinante princeps in jure civili interpretando in nostris scholis habebatur. Certe utriusque tempora mirifice congruunt. Docuit autem Lotharius in scholis nostris, quantum conjicere licet, eo tempore quo primum lex lata est, ne quis docere in scholis nostris posset nisi prius sacramento se obstrinxisset se numquam alibi jus civile interpretaturum, neque daturum operam ut alibi quam in civitate nostra juris civilis schola haberetur. Itaque is est omnium primus, quem constet eo sacramento se obstrinxisse ex formula,

(1) Otto Papiensis, cujus auditor extiti per multos annos, dixit. CAROLUS DE TOCCO in *Leg. Longobard.* lib. III, l. 4 *Si quis Longobardus*, tit. 4 *De his quae a viro.*

(2) *Vide infra in* CAROLUS DE TOCCO.

(3) GIANNONE. *Istoria civile del regno di Napoli*, t. II, lib. X.

(4) *Loc. cit.*

(5) SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. IV, cap. XXXIV. (C. A.)

quam in Appendice damus [1]. Ex ea apparet procuratores Communis Bononiae prius promisisse Lothario se illum non coacturos ut juraret Bononiae potius quam ullibi gentium jurisprudentiae scholam habiturum; post autem et in continenti Lotharium eo sacramento se obstrinxisse. Ita scilicet, nisi ego magnopere fallor, prudenter sibi cavebant magistratus nostri ne doctores eludere possent vim sacramenti, quo se scholis nostris devoverant quasi non libere jurassent.

II. Obligavit Lotharius suam operam scholae bononiensi ex praescripta juramenti formula kalendis Decembris anno MCLXXXIX [2] et saltem usque ad annum MCCIV jus civile professus est [3]. Glossas in legum libros quos interpretabatur scripsit, quarum non minima pars in Accursii commentaria migravit. Neque rara in iis est Lotharii mentio, uti et apud Odofredum aliosque antiquos legum interpretes. Vixit cum Nicolao Furioso, Pillio, Azone et aliis, qui vertente saeculo XII et ineunte XIII in academia nostra floruerunt. Cum Azone celebrem habuit controversiam de supremo imperatoris dominio, de qua in Azone dicam. Sed quamquam Odofredus, qui eam controversiam narrat, Lotharium prae Azone meliorem fuisse militem dicat quam doctorem, ex quo de Lotharii nobilitate judicare licet, tamen Lotharium doctrina plusquam vulgari fuisse manifestum est, quippe quem Henricus VI imperator, cum Bononiae esset, in consilio habere voluit cum eoque atque una cum Azone aliquando equitare sibi non indecorum duxit [4]. Neque ipse Odofredus Lotharii auctoritatem in suis commentariis usurpare praetermittit, ut supra dictum est.

III. Narrat idem Odofredus non uno loco Lotharium fuisse sequioris sexus magis quam virum gravem deceret amicum [5]. Et quamquam Arisius Lotharii famam tueri nitatur et Pancirolum redarguat, qui hoc Lotharii vitium minime dissimulaverat, nihil tamen affert quod Odofredi auctoritatem extenuet nedum evertat, et gratis asserit hanc calumniam a Pancirolo exceptam, ab Lotharii adversariis confictam fuisse, qui aegre ferebant Henricum imperatorem ei nimium favere, quasi vero grande piaculum reputaretur iis praesertim temporibus hominem Imperatori amicum mulierosum esse [6]. Non video autem quid causae fuerit cur Odofredus haec de Lothario confingeret, qui annis multis post ejus obitum in nostris scholis florere coeperat. Fallitur etiam meo judicio Arisius dum Lotharium Cremonensem juris professorem alium existimat ab eo, qui ex episcopo vercellensi ad archiepiscopatum pisanum evectus est. Odofredus qui eo tempore de Lothario scribebat cum recens erat Lotharii memoria in civitate nostra eumdem non semel ait fuisse archiepiscopum pisanum, qui jus civile in scholis nostris

(1) *Vide Appendicem.*

(2) *Ibid.*

(3) An. MCCIV die .... dn. Buiamons et dn. Lotharius Cremonensis praesentes fuerunt sententiae latae a Jo. card. diac. S. M. in Cosmedin Bononiae in causa monachorum s. Stephani cum canonicis s. Petri. *Ex tabulis in archivo canonic. s. Petri, in Lib. Axium,* p. 13.

(4) Vide ODOFREDI locum ex commentariis in l. *Imperium,* Dig. *De jurisd. omn. jud.;* quem dabimus, ubi de Azone.

(5) Et hic colligitur argumentum a lege expressa pro sententia Azonis contra sententiam Lotharii; dum dn. Azo et Lotharius docerent in civitate ista et compromissa esset eis quaedam causa, dicebat Lotharius: nos sumus judices delegati, non possumus citare, sed requirere eamus personaliter .... dn. Azo dicebat: judices delegati non possunt citare per edicta .... sed requirere per nuncium vel per epistolam .... verumtamen excusabitur Lotharius, quod fuit homo, qui multum placebat dominabus .... excusabat eum, quod causa illa erat inter quemdam dominum, et dominam, et carnaliter volebat eam cognoscere. ODOFRED. in l. *Sed interpellatur,* § *arbiter,* Dig. *De arbitris.* Item in l. *Sancimus,* C. *De judiciis.*

Debetis scire quod dn. Lotharius diligebat multum dominas et libenter eas videbat: licet postea fuerit factus archiepiscopus pisanus, et propter eum fuit facta decretalis *Extra de foro competenti,* can. *Si diligenti.* *Id.* in l. *Imperium,* Dig. *De jurisd. om. jud.*

(6) ARISIUS. *Cremon. literat.,* t. I, p. 93.

docuerat [1]. Idem tradit Albericus de Rosate antiquus legum interpres qui Lotharium academiae nostrae professorem ob excellentem doctrinam electum scribit archiepiscopum pisanum [2], cui suffragatur Diplovataccius [3], ne quid de Pancirolo aliisque recentioribus dicam. Itaque miror virum clarissimum Guidonem Grandium has Arisii ineptias probasse [4]. Potius igitur valebit ad vindicandam Lotharii famam id quod tradidit Cavitellius in Annalibus cremonensibus, de ejus pietate et religione. Narrat enim ejus potissimum impensa constructam Cremonae ecclesiam, cum is adhuc in scholis doceret ac nondum sacris ministeriis initiatus esset [5].

IV. Sed antequam Lotharius cathedram pisanam ascenderit vercellensem episcopatum gesserat. Id est manifestum ex epistola Innocentii III, quae est CXXXIV inter editas a Bosqueto et data est kalendis Octobris anno XIII, idest anno MCCX, ad episcopum novariensem. Ex ea constat Lothario, qui tunc erat archiepiscopus pisanus, cum esset vercellensis episcopus commissam fuisse a Pontifice visitationem Ecclesiae albigaunensis una cum ipso episcopo novariensi, qui tunc erat abbas tilletanus, et cum patriarcha antiocheno, qui tunc erat episcopus eporediensis [6].

V. Cum annis aliquot episcopatum vercellensem gessisset, creatus est archiepiscopus pisanus. Ughellus anno MCCIX translatum scripserat ad cathedram pisanam. At in nupera Italiae Sacrae editione, ex Troncii fide in Annalibus pisanis, creatus dicitur archiepiscopus pisanus anno MCCVIII. Eum Pontifex ad Ottonem IV legavit ut efferatum ejus animum leniret et a divexanda Ecclesia Romana deterreret, quod in irritum cessit ob Imperatoris pervicaciam. Hanc autem pisani archiepiscopi legationem Muratorius recte confert in annum MCCIX, quo anno furere coepit princeps ille et Romanam Ecclesiam affligere [7].

VI. De patriarchatu hierosolymitano major est difficultas. Ughellus anno MCCXV patriarcham hierosolymitanum creatum scribit cum pridem accepta cruce ad sacrum bellum cum delecta Pisanorum manu profectus esset. Insequenti anno MCCXVI sedisse ait in concilio generali ad Lateranum celebrato, ac demum anno MCCXXVII extremum obiisse diem [8]. Si haberemus acta hujus concilii lateranensis cum patrum subscriptionibus aliquid lucis affulgeret ad Lotharii patriarchatum vel adstruendum vel rejiciendum. Sed cum ea desint, eadem semper difficultas manet.

VII. Accuratissimus Le Quien in Oriente Christiano diligenter in hanc rem inquirit [9], et quoniam ab Ughello aperte dissentire non audet, qui Lotharium et cum Crucesignatis in Asiam profectum et ibi patriarcham creatum scribit, ut utrumque sustineat, mire hariolatur et conjicit eumdem esse Lotharium nostrum et Gualterium illum qui ab episcopatu aconensi translatus est ad patriarchatum hierosolymitanum anno MCCXII ut tradit Albericus in chronico [10]. Sed hic etiam viro docto aqua haeret;

(1) Odofred., *loc. cit.*

(2) Alberic. in l. *Sancimus*, C. *De judiciis*.

(3) Diplovat. in *Lothario*.

(4) Guido Grandi in *Adnotat. ad monumenta pisana*, quae edidit ad calcem ep. *De pandectis*.

(5) Sicardus episcopus cremonensis fecit ecclesiam in vico Bonomerci aere proprio Lotharii leges Bononiae publice docentis et fratrum ejus et Brocardi equitis. Cavitell. *Histor. Cremon., an. MCLXXXX.*

(6) Innocentius etc. Novariensi electo. Ex literis venerabilis fratris nostri patriarchae antiocheni, nunc eporediensis episcopi et tui tunc de Tilleto abbatis meminimus recepisse quod cum dudum ad albigaunensem Ecclesiam una cum venerabili fratre nostro .... pisano archiepiscopo, tunc episcopo vercellensi accessissetis visitationis officium impleturi etc. *Epist. Innocent. III* lib. I, regest. XIII, p. 117, edit. Tolosae MDCXXXV.

(7) Murator. *Annal. Ital. an. MCCIX, ex Ceccani Chronico.*

(8) Ughel. in *Archiep. pisan.*

(9) Michael Le Quien. *Oriens Christianus*, t. III, col. 1255.

(10) Alberic. in *Chron.* apud Le Quien, *loc. cit.*

compertum enim habet ex Marino Sanuto Albertum patriarcham hierosolymitanum anno MCCXIV decessisse, cui successerit Rodulphus (1). In tanta rerum obscuritate, nisi quis certa monumenta afferat pro adstruendo patriarchatu Lotharii, verbum non addam iis quae de illo narrant Odofredus, Albericus de Rosate aliique auctores, qui ut Lotharii archiepiscopatum pisanum memorant, ita multo minus patriarchatum hierosolymitanum reticuissent.

VIII. Cum Lotharius cathedram pisanam obtineret ad eum scripsit Innocentius III reprehendens quod diceret posse clericos se abdicare privilegio fori quo gaudent, quod Pontifex doctissimus jurisque peritissimus demonstrat contrarium esse vel ipsis Justiniani legibus, quibus cavetur pacto privatorum juri publico minime derogari (2). De eo etiam conquestus est Innocentius Pontifex quod jura Ecclesiae Romanae in principatum calaritanum sibi usurparet, qua de re non semel frustra monitum memorat (3).

IX. Ex prima Innocentii querela in Lotharium clarissimus Grandius praesidium quaerit opinioni suae quam supra indicavimus. Erat, inquit, legum plane ignarus ille pisanus antistes, quem Innocentius redarguebat. Alius igitur esse debuit ab Lothario illo, qui jus civile in scholis bononiensibus professus fuerat (4). Sed haec conjectura nimis imbecilla est contra apertam Odofredi auctoritatem ab Alberico de Rosate aliisque miro consensu suffultam. Sed quid quod Pontifex ipse fatetur archiepiscopum pisanum, ad quem scribit, ab se reputari virum providum et discretum? Id ex more loquendi eorum temporum non vulgarem doctrinae laudem continet. Accedit quod Lotharii opinio quamvis falsa a juris canonici professoribus judicetur non tamen caret aliqua specie veritatis, ut apparet vel ex ipsa glossa communi in hanc decretalem epistolam Innocentii III, quae plures in utramque partem leges adducit (5). Potuerat igitur Lotharius absque inscitiae nota eam opinionem sustinere licet in foro ecclesiastico reprobatam, pro qua non levia legum et rationum momenta stare videbantur.

X. Sed dubium oriri potest num una eademque epistola duplicem querimoniae causam in Lotharium exposuerit Innocentius III, an bis ad eum literas dederit. Si glossam communem consulimus una atque eadem epistola esse videtur in duas partes secta, quarum altera in titulum *De foro competenti,* altera in titulum *De praescriptionibus* conjecta est. At in eleganti editione Decretalium, quam olim curavit Joannes Paulus Lancelottus et postmodum etiam emendatissima prodiit cura et studio Christophori Henrici Ferromontani, videntur esse epistolae duae, quarum quae habetur *De foro competenti,* scripta dicitur anno MCCX, altera autem, quae est ad titulum *De praescriptionibus,* anno MCCXII promulgata dicitur. Verum probabilius mihi videtur unam tantum epistolam ab Innocentio scriptam ad Lotharium, qua utramque querelam complexus est. Cur enim duas epistolas diverso tempore ad eumdem scriptas iisdem plane verbis inchoasset? Esset enim utriusque epistolae initium *Si diligenti.* Ac de Lothario hactenus (6).

(1) Marinus Sanutus, lib. III, p. XI, c. V ibid.

(2) Super eo autem admiramur plurimum et movemur, quod cum te reputemus virum providum et discretum, et juxta debitum pontificalis officii statuta Sanctorum Patrum ignorata tibi esse non debeant et jurisperitorum copiam habere noscaris, asseruisti te usque ad haec tempora tenuisse, quod licitum sit clerico renunciare, saltem in temporalibus causis, juri suo et sibi laicum judicem constituere, praesertim ubi adversarii voluntas accedit. Innocent. III in can. *Si diligenti. De foro competenti.*

(3) Can. *Si diligenti. De praescription.* Vide eamdem Decretal. in tertia compilat. antiqua sub eod. tit. edit. Ant. Augustin.

(4) Grandius, *loc. cit.*

(5) Ad id quod dicitur, jus publicum non tollitur pacto privatorum, glossa allegat XII jura pro concer. In contrarium allegat XI jura. Solve distinguendo etc. Glossa in can. *Si diligenti. De foro compet.*

(6) Savigny. *Op. cit.,* lib. IV, cap. XXXIV. (c. a.)

XXV.

CAROLUS DE TOCCO.

I. Ex vico sive oppidulo agri beneventani, cui Tocco nomen, Carolus appellatus est, quem aliqui etiam Carolum Beneventanum dicunt [1]. Sed Toppius in Bibliotheca Neapolitana ex gente de Tocco dicta, apud Teatinos apprime nobili, natum contendit, quae plures illustres viros dedit atque in primis Bartholomaeum de Tocco in jure peritissimum, qui fuit episcopus sulmonensis, et Marinum de Tocco episcopum teatinum [2]. Sed facile fieri potuit ut Caroli familia ex Tocco profecta Teate sedem fixerit, ibique successu temporis, obliterata antiquae originis memoria, inter patricias censita sit. Sed Carolum de Tocco Siculis etiam aliqui tribuunt et siculus reipsa dicitur in titulo qui praefixus est ejus commentariis in Legem Langobardam venetae editionis anno MDXXXVII. Floruit etiam paulo post Caroli nostri aetatem Guilielmus de Tocco, non incelebris scriptor Ordinis Praedicatorum patria neapolitanus et quidem nobili admodum ex gente natus [3], quae num ab eadem propagata sit ex qua Carolus noster natus est viderint neapolitani scriptores.

II. Petrus Jannonus Carolum non tenui laude extollit in Historia Civili regni neapolitani [4], aitque Bononiam venisse ut jurisprudentiam disceret, ubi doctores in ea facultate nactus sit Placentinum, Joannem Bassianum cremonensem, Ottonem Papiensem et Bagarottum. Ac de tribus quidem primis non dissentio; de Bagarotto autem temporis ratio obstare videtur. Floruit enim Bagarottus saeculo XIII et quidem admodum adulto, quo vix pervenisse Caroli aetatem existimo [5]; tres autem priores ante finem saeculi XII in vivis esse desierunt. Et sane Carolus ipse in suis commentariis in Legem Langobardam Placentinum et Joannem Cremonensem [6] et Ottonem quoque Papiensem [7] praeceptores suos appellat; Bagarottum vero nuspiam in ejus commentariis nominatum reperio. Narrat idem Jannonus Carolum de Tocco ad annum MCLXII creatum fuisse magnum, ut appellabant, regni justitiarium regnante Guilielmo I, idque ex fide Ciarlanti [8] in quo mirifice fallitur, atque hinc saltem, si quidem id verum putasset, intelligere poterat Carolum multo antiquiorem Bagarotto fuisse. Immo vero difficile admodum Placentini, Joannis Bassiani et Ottonis Papiensis discipulus esse potuisset, si jam inde ab anno MCLXII ad illud munus, quod adolescenti homini deferendum non videbatur, a Guilielmo Rege delectus fuisset. Sed quoniam fatente ipso Jannono Carolus patrem habuit jurisperitum non incelebrem, hinc fieri potuit ut quod de patre dicendum fuerat imperitus aliquis scriptor ei ipsi tribuerit, quod Jannonus bona fide exceperit.

(1) Carolus Beneventanus juris utriusque doctissimus, ac memoriae ingeniisque acutissimus etc. DIPLOVAT. in *Carolo Beneventano.*

(2) TOPPI. *Biblioth. Neapol.* Vide *Carolus de Tocco.*

(3) ECHARD. *Scriptor. Ord. Praedic.*, t. I, p. 522 *a.*

(4) GIANNONE. *Istoria civile del regno di Napoli,* t. II, lib. X.

(5) Bagarottus vivebat adhuc ad ann. MCCXXXXII, ut suo loco dicemus.

(6) Super quo audivi dominum Placentinum praeceptorem meum dicentem. CAROLUS DE TOCCO in l. *Si quis*, C. *De eo qui pecul.*, lib. I.

Concilium ut a Placentino audivi, est conventus hominum, quo voluntaria jurisdictio exercetur. *Id.* in l. 1 *De scandal.*

Joannis vero Bassiani meminit in l. *Si quis puellam. De injuria mulier*, lib. I « Joannes Crem. praeceptor meus respondet ».

(7) Otto Papiensis, cujus auditor extiti per multos annos, dixit in l. 4 *Si quis Longobardus*, tit. 4 *De his quae a viro,* lib. II.

(8) GIANNONE, *loc. cit.*

III. Cum in scholis nostris jurisprudentiam didicisset Carolus de Tocco in iisdem postea doctoris munere functus est (1). Docuit cum Azone magna nominis celebritate, eumque Odofredus, qui aliquanto post vixit, dominum Carolum appellat quasi unum scilicet ex nostris Bononiensibus, eo enim fere titulo honoris doctores nostros appellare solet. Sed cum multis locis Odofredus Carolum commemoret, tum maxime considerandum est quod de illo habet ad *l. Ut inter divinum. C. De sacros. eccles.* Ostendit ibi Odofredus ex pervulgata fama et publico rumore satis comprobari hominis alicujus interitum, qui in longinquis regionibus extremum diem obierit. *Alias*, inquit, *si cum quaeritur de longinquo loco non probaretur per famam et vulgi opinionem, quomodo probaremus Bul. et Joan. et Carolum esse mortuos?* Est autem aptissimus hic Odofredi locus ad ostendendum Carolum de Tocco adjungendum esse professoribus nostris. Quis enim non videt voluisse Odofredum tres ex clarissimis nostris professoribus in exemplum afferre, qui cum diu in scholis nostris versati essent ac nemini non essent notissimi veteri admodum memoria sive alibi gentium vivendi finem fecerint (2)?

IV. Porro audiendum non puto Diplovataccium, qui quoties Rofredus dominum R. Beneventanum praeceptorem suum appellat, Carolum Beneventanum legendum esse contendit. Cum enim Diplovataccio persuasum esset Rogerium glossatorem antiquum multo ante Rofredum vixisse, lectores monitos voluit ut caverent a librariorum sphalmate qui pro *C.* in Rofredi libris scripsissent *R.*, pro Carolo scilicet Rogerium (3). Sed Rogerius Beneventanus Rofredi magister adeo antiquus non est ut Rofredum erudire non potuerit, ut supra ostendimus. Cum autem nec uno loco Rofredus Rogerium in suis libris nominet nec solum in editis sed etiam in manu exaratis et perantiquis exemplaribus, quemadmodum est bononiense collegii Hispanorum, quod alio loco indicavimus, Rogerii nomen appareat, non est cur quidquam temere immutemus, nec satis certa ratione Diplovataccius ex Rofredi libris Rogerium Beneventanum expungit ut Carolum inferat.

V. Scribit idem Diplovataccius Carolum Bononiae et Placentiae docuisse (4). Et Bononiae quidem non dubito, ubi diu eximios nostrae academiae professores audivit quos supra nominavimus. Placentiae vero Rogerium quidem Beneventanum docuisse ex Rofredo constat; Carolum vero non item. Narrat enim Rofredus Rogerium magistrum suum, quo tempore Placentiae jus civile docebat, advocatum fuisse in quadam causa (5); atque id Diplovataccius Carolo Beneventano tribuit et Rofredi locum corrumpit Carolum pro Rogerio intrudens (6).

VI. Hunc ait Diplovataccius scripsisse Summas in jus civile et maxime in materia

(1) Diplovat. in *Carolo Beneventano.*

(2) De Bulgari morte, an propter longinquitatem temporis publica tantum fama probari posset, quaestionem vulgo in scholis, exempli scilicet causa, usurpatam indicavit clarissimus Montius ex Thoma Piperata in tract. *De fama* et Alberto Gandino tit. *Quae ad famae probat.* etc. Mendum itaque eo loci apud Odofredum irrepsisse arbitror, quem etiam longinqui temporis rationem habuisse verisimile est; de Bulgaro enim ne dubitari quidem posse videtur quin Bononiae obierit. Corruptissima vero esse Odofredi exemplaria typis edita notissimum est.

(3) Quoties (Rofredus) per literam *R.* allegat dominum suum, vult dicere de praedicto Carolo, licet aliqui crediderint velle dicere de Rogerio, quod non puto verum, quia longe per plures annos fuerit Rogerius ante Azonem. Diplovat., *loc. cit.*

(4) « Legit Bononiae tempore Azonis et Placentiae, ubi regebat cathedram magistralem secundum Rofredum Beneventanum in suo opere *De ord. judic.* in tit. *Si possessio alicujus rei mob.* in princ., et in v. *Sed quid in aliis,* ubi dicit quod dominus suus Carolus cum Placentiae legeret et duo ad invicem contenderent de possessione et omnes aequaliter probarent et dn. Carolus erat pro una parte advocatus ». Ita apud Diplovataccium; sed Rofredus ibi Rogerium non semel sed saepius nominat.

(5) Rofred. *De ordine judic.*, p. II, rub. *Si quis possess. alicujus rei mob.*

(6) Diplovat. *ut supra.*

actionum (1). Sed de his Caroli scriptis nulla uspiam mentio a me reperta est. Scripsisse tamen non dubito glossas in legum libros more antiquorum interpretum, qui publice docendi munere fungebantur. Memorat haec commentaria Caroli Beneventani Odofredus (2). Sed ejus industria maxime emicuit in legibus Langobardorum exponendis, quarum usus maxime in patria sua vigebat. Itaque ejus glossae passim receptae sunt et textui ipsi adnexae (3), quas postmodum Andreas de Barulo secundis curis ornavit et auxit. Est autem id academiae nostrae perhonorificum, quod haec etiam juris pars a nostris doctoribus lucem acceperit. Videtur Carolus haec commentaria scripsisse circa annum MCCVIII, quem annum praefert quidam libellus accusationis cujus ipse formulam exhibet (4).

VII. Ex eo autem quod viri docti, cujusmodi certe fuit Carolus de Tocco et post eum Andreas de Barulo qui Caroli vestigia secutus est, exponendae langobardae legi, quam vulgo Lombardam appellant, operam suam impenderint, nemo non intelligit eam legem a Lothario II minime abrogatam fuisse, ut plurimi nec certe plebeji scriptores tradiderunt. Nec dubium est quin admodum diu post Lotharii tempora ea lex in multis Italiae partibus servata sit. Hinc nostri interpretes saepe ejus auctoritatem usurpant, nec Gratianus ipse aliquid ex ea delibare dubitavit quod in suum Decretorum librum inferret. Itaque inter libros, qui publice prostabant apud stationarios academiae nostrae in studiosorum usum et commodum, *Textum Lombardae* reperio et *Apparatum super libro Lombardae* (5). Eratque hic apparatus ille ipse quem supra diximus a Carolo Beneventano scriptum, cui postmodum secundas curas adjecit Andreas de Barulo. Quare Ostiensis libros enumerans, in quibus universa jurisprudentia consistit, Langobardorum leges minime omittit (6).

XXVI.

BANDINUS FAMILIATUS.

I. Eruditus in scholis nostris Bandinus in iisdem professoris locum diu cum laude tenuit. Patria pisanus fuit ex gente Familiata, cui agnomen fecisse videtur aliquis qui Familiatus diceretur (7). Muratorius ergo Bandinum Familiarem non recte appellat (8). Familiatus enim dicitur in certissimis ejus aevi quo vixit monumentis (9). Vulgo tamen Bandinus Pisanus dicebatur.

II. Hic anno MCLXXXXVIII Bononiae docere coepit, aut certe eo anno solemni sacramento se obstrinxit, quod Bononienses per illud tempus a novis legum professoribus, vel invitis et repugnantibus, exigebant de quo in Pillio et alibi diximus. Non

(1) Composuit Summas in jure nostro et maxime in materia actionum. DIPLOVAT. in *Carolo Beneventano.*

(2) Et ista exempla dominus Carolus scripsit hic in commento suo, et dominus meus approbat exempla ista. ODOFRED. in l. *Per hanc differentiam,* C. *De temp. appellat.*

(3) Glossas etiam scripsit in leges Longobardorum, et suae glossae textui sunt annexae. DIPLOVAT., *ibid.*

(4) In lib. I *Leg. Langobard.,* tit. XXXIII, l. VIII *Si adulter.*

(5) *Vide Appendicem.*

(6) Ut breviter comprehendam in quinquaginta libris Pandectarum, quatuor Institutionum, duodecim Codicis, novem collationibus Authenticorum, Lombarda, et Constitutionibus Feudorum consistit legalis sapientia. OSTIEN. in C. *Firmiter. De Sum. Trin.*

[SAVIGNY. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXX]. (C. A.)

(7) Vivebat anno MCXXXIV Guilielmus Familiati, cujus mentio est in veteri charta in appendice ad t. III *Annal. Camald.* edita, col. 343.

(8) MURATOR. *Antiquit. medii aevi,* t. III, col. 902.

(9) *Vide Bandini juramentum in Appendice.*

igitur floruit medio circiter saeculo XII ut aliqui existimant (1). Docuit autem annis viginti scilicet usque ad annum MCCXVIII, quo humanis exemptus est. Itaque vixit in civitate nostra cum Azone, Bagarotto, Jacobo Balduino aliisque multis scholarum nostrarum professoribus. Habemus Innocentii III epistolam ad praepositum s. Prosperi datam, qua jubetur causam quamdam canonicorum s. Joannis in Monte cognoscere qui appellaverant a Bandini sententia, quam in Appendice damus (2). Anno MCCIX Bandinus interfuit deditioni Medicinae, Argelatae et comitatus Imolae cum aliis doctoribus (3). Interfuit etiam quibusdam actis Oberti Vicecomitis Bononiensium praetoris, qui arbiter delectus fuerat in causa finium inter Ariminenses et Caesenates (4). Anno MCCXVIII finem vivendi fecit et tumulatus est apud Canonicos Regulares s. Salvatoris hisce versiculis tumulo inscriptis:

Bandinus tuscus legum splendore coruscus,
In Pisa natus jacet hoc tumulo tumulatus.

Notatur ejus obitus in veteri necrologio s. Salvatoris pridie nonas Februarii et rursus pridie nonas Decembris et iidem illi versiculi utrobique perscripti sunt (5), incertum qua ex causa nisi oscitantia amanuensis id acciderit, qui necrologium illud ex vetustiori libro exscripsit. Ejus testamenti curatores fuere Henricus episcopus bononiensis et prior Camaldulensium bononiensis eremi (6), ex quo de hujus viri dignitate judicare licet, nam homo ignobilis et cui curta supellex fuisset non esset ausus ejusmodi curatores eligere.

III. Scripsit Bandinus glossas in libros legum quae ante Accursium ejus famam aluerunt. Post autem cum Accursius expilatis superiorum interpretum glossis unus omnium instar esse coepit, Bandini memoria propemodum extincta est. Valuit autem plurimum ad ejus memoriam obliterandam librariorum inscitia, qui Bandini nomen ex Accursii commentariis extruserunt ut in ejus locum Bulgarum inducerent, qua de re in Bulgaro diximus. Sed tamen in Summa Ostiensis Bandini nomen servatum est, ut dubitare non liceat quin etiam Ostiensis aetate, qui cum Accursio vixit aliquanto tamen junior, Bandini scripta a jurisprudentiae studiosis legerentur.

IV. Eum omnino ignoravit Diplovataccius, ceteroqui felicissimus in expiscandis antiquorum temporum jurisconsultis. Pancirolus vero non illum prorsus ignoravit, sed in paucis quae de illo habet multis se erroribus implicat. *Eadem aetate,* inquit (Jacobi nimirum de quo ante dixerat), *Bandinus Pisanus, quem alii Gandinum vocant, Codicem interpretatus esse videtur, etsi hunc Bartholus mendose Bulgarum nominet, ex quo Jacobus junior natus esse creditur. Alii eum Berguntionem esse volunt, qui graeca jura in latinum vertit* (7). Vides hic Pancirolum ubique nutabundum locum non habere ubi pedem figat. Sed ejus aberrationes ita sunt manifestae ut confutatione non egeant (8).

(1) MAZZUCCHELL., vol. II, p. I, pag. 228.

(2) In ea epistola dicitur *mag. Baldinus decretista.* Sed erravit scriba pontificius ita appellans Bandinum, qui erat doctor legum, non decretorum. Et sane in veteri charta archivi canonicorum s. Jo. in Monte, quo ejus causae acta continentur, non alio nomine appellatur, quam Bandinus Familiatus legum doctor.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) *Ext. in Codice Diplomat. mss. in biblioth. pub.*

(5) TROMBELLI. *Memorie istoriche di s. Salvatore.* Append., c. II.

(6) An. MCCXIX die XII intrant. mense Martii dn. Henricus ep. bonon. et prior camaldulen. bonon. commissarii dn. Bandini olim professoris legum etc. *In charta archivi s. Stephani, nunc Senatus bonon.*

(7) PANCIROL., lib. II, c. 16.

(8) SAVIGNY. *Op. cit.,* lib. IV, cap. XXXIV. (C. A.)

XXVII.

CACCIAVILLANUS.

GUILIELMUS ET RUFINUS DE PORTA. ODDO DE LANDRIANO BENINTENDI. PONTIUS CATELANUS.

I. Anno MCLXXXXIX V id. Octobris Cacciavillanus legum doctor ex usitata forma juravit seque nostris scholis ad docendum addixit. Alidosius hunc patria bononiensem fuisse scribit eumque ait a Cyno laudatum et aliqua Azonis Brocardis addidisse (1).

II. Eodem die et anno Guilielmus et Rufinus de Porta placentini eadem sacramenti religione se obstrinxerint. Sed Rufinus non perpetuo haesit in scholis, anno enim MCCVII Placentiae agebat publicis rebus intentus (2). Anno autem MCCX Bononiam rediit cum Oberto Vicecomite placentino, Bononiensium praetore, ut apud illum judicis sive assessoris officio fungeretur. Videtur igitur parum probatus academiae nostrae cito a scholis discessisse. Sed Ghirardaccius misere deceptus est cum scripsit alterum ex his doctoribus placentinis Summam Codicis et Institutionum edidisse ante Azonem, idque testari Azonem ipsum in suae Summae prooemio. Ignoravit scilicet Ghirardaccius Placentinum celebrem jurisconsultum Summae Institutionum et Codicis auctorem, quem in prooemio Summae suae laudavit Azo. Hinc factum est ut alterum ex his duobus placentinis doctoribus putaverit esse Placentinum Summae Institutionum et Codicis auctorem ab Azone laudatum. Sed ne illud quidem recte dictum est a Ghirardaccio duos illos professores placentinos cum Cacciavillano conductos publice ad docendum, neque enim solebant eo tempore professores publice ad docendum conduci, nec ullum professoribus stipendium decretum est ante annum circiter MCCLXXXX.

III. Oddo de Landriano, si cetera desint, saltem ex generis claritate laudandus erit. Ea enim familia, quae ex Landriano agnomen duxit, diu apud Mediolanenses floruit inter primas ac praecipuas nobilissimae civitatis. Ex ea editus est Oddo legum doctor, qui anno MCCXIII cum Guidone Boncambio et Jacobo Balduino usitato doctorum sacramento se ad docendum obstrinxit. Sed nullibi deinceps ejus memoria occurrit.

IV. Eodem anno ad docendum jurati accessere Benintendi et Pontius Catelanus, uterque bononiensis si Ghirardaccio et Alidosio fides (3). Sed Benintendi non diu postea vixit. Ejus enim obitus in necrologio s. Victoris XIII kalendas Aprilis his verbis notatur: *Ob. dn. Benintendi doctor legum canonicus fr. noster. MCCXIX.* Sed nisi extremo vitae suae tempore Canonicorum Regularium institutum susceperit hic legum professor, non video qui dici potuerit *canonicus et frater* (4).

(1) ALIDOS. *Append.*, p. 19. Idem quoque scribit BUMALDUS in sua *Bibliotheca bonon.*, p. 42, lit. C.

(2) UMBERT. LOCAT. *Histor. Placent.*, *an. MCCVII.*

(3) GHIRARDACCI, lib. IV, p. 117. — ALIDOSI, p. 187.

(4) Non nunc primum monemus audacissime interpolatum fuisse necrologium s. Victoris, cujus excerpta in Appendice damus.

[SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXVIII]. (C. A.)

XXVIII.

AZO.

I. Inter legum interpretes, qui post restituta jurisprudentiae studia in Italia floruerunt, nemo Azonem opinione doctrinae et nominis celebritate superavit. Illum Arisius in vico agri cremonensis Casali Majori natum scripsit, ex gente Portia sive de Portis (1). Diplovataccius in Gallia natum existimat apud Montempessulanum (2). Sed uterque fallitur; nec ulla est probabilis ratio cur Azo dicendus non sit bononiensis, ut eum dicit Pancirolus aliique plures. Id non ignoravit Diplovataccius; sed tamen contra eorum sententiam contendit Azonem ex Montepessulano fuisse, idque Azone ipso auctore qui id indicare videtur in prooemio Summae in tres postremos Codicis libros. Verum ea Summa non est Azonis sed Placentini, ut alibi demonstravimus. Nullo igitur fundamento nititur Diplovataccii opinio. Neque magis audiendus est Arisius. Hic etiam quae de se Placentinus initio Summae in tres postremos Codicis libros dicit, ea tribuit Azoni, et Arisio incaute adstipulantur auctores Ephemeridum literatorum Italiae, qui et Azonem patria cremonensem volunt (3). Sed Arisius magnopere irascitur scriptoribus nostris quod Azonem bononiensem dicant eosque quasi in aere piscarentur deridet, magis ipse ridendus quod absque ullo veteri monumento et ullo antiqui auctoris testimonio suis Cremonensibus adjungit Azonem vel repugnantem seque civem bononiensem esse inclamantem. Talem certe se dicit, Arisio ipso fatente, in sua Institutionum Summa. Neque est cur Arisius sibi animo fingat Azonem propterea se in eo libro civem bononiensem dicere, quod eum scripserit postquam civitate donatus a Bononiensibus fuerat. Hoc merum commentum est cui nulla adhibenda fides. Numquam Azoni aliisque ejus aetatis donatam civitatem a Bononiensibus constat ob excellentem doctrinam, neque illud fortasse ferebant ejus aetatis mores. Exteros scholares et doctores populi bononiensis beneficio veluti cives multis in rebus habitos video, sed non propterea cives bononienses in publicis actis aut in suis scriptis dicebantur. Sed pergit suam fabulam ornare Arisius aitque Azone ad Montempessulanum abeunte paene viduatam scholaribus academiam nostram. At scriptores non solum nostri sed etiam exteri numquam majorem scholarium frequentiam Bononiae fuisse ajunt quam Azonis tempore; hanc vero solitudinem academiae nostrae nemo praeter unum Arisium novit.

II. Non est igitur cur quispiam Azonem civitati nostrae subripiat, quem non solum recentiores plerique sed antiqui etiam scriptores bononiensem aperte confirmant. In his maxime audiendus Alexander de S. Aegidio ejus auditor qui Azonem praedicat *justinianeae sanctionis thesaurarium et jurisperitorum eximium, cui foecunda Bononia,* inquit, *originem contulit et vena ingenii facundiam magistrandi* (4).

(1) Arisius. *Cremon. literat.*, part. I, p. 89.

(2) Hic Azo, secundum aliquos, fuit bononiensis, sed certe credo quod fuit ultramontanus de Monte Pessulano, ut percipi potest ex dictis per ipsum in prooemio suae Summae super tribus libris C circa medium, ubi dicit quod existens apud Montem Pessulanum sibi venit in mentem tironibus legum introductiones ad libros juris majores componere etc. Diplovat. in *Azone.*

(3) *Giornale de' letterati d' Italia,* t. X, p. 281, 282.

(4) Alexand. de S. Aegidio in *Praefat. ad comment. Azonis,* lib. XII Cod.

III. Azonis genus non satis notum queritur Pancirolus, nec injuria. Verum non id obscuritati ejus et ignobilitati tribuendum sed veterum monumentorum inopiae. Patre Soldano natus est (1); atque id nominis ita vel usitatum vel celebre fuisse videtur in Azonis familia, ut quandoque de Soldanis sit dicta (2). Postmodum de Azzis ob memoriam Azonis appellata est. Sed pristinam de Soldanis appellationem non prorsus abjecerat etiam post Azonis obitum. Et anno MCCLXV adhuc Soldani vetus sive nomen sive agnomen in honore erat in ea familia (3). Qui Azonem Dominicum quoque dictum existimarunt minime audiendi sunt, nullibi enim in antiquis libris aut cujusvis generis monumentis ita appellatum constat. Sed fortasse imperitus aliquis cum in hunc modum veteri more Azonis nomen scriptum vidisset *Do. Azo,* vel *Dom. Azo,* subindicatum ibi Dominici nomen existimavit, cum *Dominus Azo* legendum esset. Videtur tamen a teneris annis, sive ob elegantiam morum sive ob quamdam venustatem oris aut corporis habitum et staturam fortasse modicam, Azolinus passim vocitatus; quod ei nomen diu haesit et non semel in antiquis tabulis occurrit *Dominus Azolinus doctor legum* (4).

IV. Audivit in jure civili Joannem Bassianum, quem propterea dominum suum appellat (5); hoc enim honoris titulo veteres illi doctores appellare solebant praeceptores suos ut omnes norunt (6). Dum autem in patria juri operam daret, in contubernio praeclari ingenii socium habuit quicum se exercere consueverat. Is longo post tempore, dum ad aulam Pontificis proficiscitur, Azonis auditorium peregrino habitu ingressus interrogandi veniam petiit, tunc enim mane docentes interpellandi jus non erat. Ei potestate dicendi facta, quae ab Azone relata fuerant confutando adeo erudite disseruit ut ipsum docentem superaverit. Qui cum e cathedra descendisset, agnitum hominem et pro meritis laudatum amplexus, secum domum ad prandium duxit saepiusque hospitis acumen commendavit. Ita ex Odofredo conceptis verbis narrat Pancirolus (7).

V. Quamvis in dialectica et aliis artibus non admodum versatus esset (8), tamen in ejus scriptis, ac praesertim in Summa Codicis, praeter eruditionem pro illis temporibus non vulgarem et acumen in explicandis legibus vel difficillimis nitor quidam et lucidus ordo ubique apparet quod ejus ingenii excellentiam demonstrat. Eum aliqui reprehendunt quod in jure canonico parum eruditus fuerit; quo factum esse ajunt, ut cum in foro causam contra Boatinum Mantuanum defenderet et canonem quemdam ab amico juris pontificii professore commonitus allegasset, adversarius prolato ad rem alio canone Azonis opinionem jugulavit, qui rubore suffusus insulso joco dolorem quem animo conceperat celare studuerit (9). Hoc autem minime mirandum esset, etenim per illud tempus vix quisquam erat qui utriusque juris studio magnopere teneretur, nec

(1) Id viderat etiam Alidosius, et congruunt reliqua monumenta, quae subinde indicamus.

(2) Ameus Azonis nostri filius de Soldanis dicitur in Petri Cantinelli chronico infra citando.

(3) An. MCCLXV die quinta Maji Garatonus quondam domini Rolandi Azonis Soldani venit et dixit etc. *Ex Mem. Com. Bon. ejus anni*, pag. 6, *ex Mem. Nascimpacis Rasorii.*

(4) *In tabulis archivi s. Salvatoris, an. MCLXXXX,* fasc. XXIII, *et s. Francisci, an. MCLXXXXIV.*

(5) Odofred. in l. *Et si post tres*, Dig. *Quis cautionib.*

(6) Diplovataccius Azonem fuisse dicit Joannis Bassiani condiscipulum; sed fortasse amanuensis mendum est, qui discipulum scribere debuerat. Iste Azo, inquit, fuit condiscipulus Joannis Bossiani, quem dominum suum nominat. Diplovat. in *Azone.*

(7) Panciról., *loc. cit.* — Odofred. in l. *Licet judice,* C. *De judiciis.*

(8) Odofred. in l. *Quaecumque specialiter,* Dig. *De offic. ejus cui mand. est jurisd.*

(9) Volebat Azo delegatam jurisdictionem cessare, ubi is, qui delegasset, ante litem contestatam obiisset, atque in eam sententiam attulerat can. *Relatum de off. deleg.* Sed objecit adversarius can. *Gratum* ibid. *De off. deleg.*, quo a sola citatione jurisdictionem perennare evincitur. Itaque Azo ad amicos conversus, dissimulato animi dolore, inquit: « Gratum et relatum fecit me vituperatum ». Joann. Andreae in can. *Relatum.*

parum videbatur posse aliquem in alterutro quantum satis esset proficere. Sed omnino commentitia est haec Azonis disceptatio cum Boatino Mantuano, qui multo post Azonem vixit, ac nondum, ut opinor, natus erat Boatinus cum Azo finem vivendi fecit (1). Sed enim vero in jure civili adeo excelluisse visus est Azo ut vulgo dictus sit *fons legum, vas electionis, lucerna juris, tuba veritatis* (2).

VI. Hinc habita summo in pretio ejus scripta; quibus accidit quod paucis omnino, ne dicam nullis, veterum jurisconsultorum libris ut etiam aetate nostra magni aestimentur ab iis qui juris civilis studia sequuntur (3). Tantum autem Azoni olim tribuebant ut is plane rudis in jure civili haberetur qui in Azonis libris diu multumque non insudasset, unde illud adagium sive praeceptum: *Chi non ha Azzo non vada a Palazzo.* Ferunt autem alicubi lege cautum fuisse ne quis in jurisconsultorum collegium cooptari posset, qui in sua libraria supellectile Azonem non haberet, quasi ille unus omnium instar esset. Id Veronae statutum tradit Pancirolus (4) et Patavii Diplovataccius. Mediolani vero in ordinem jurisconsultorum recipi neminem, qui Azonis Summam secum non tulerit ac suam esse juraverit, tradit idem Pancirolus (5).

VII. Docendo itaque et scribendo doctissimi jurisconsulti laudem adeptus est ut etiam superasse omnes, qui ante fuerant, a quibusdam creditus sit. Causas etiam in foro tractavit ac plerumque ab Hugolino Presbyteri, celebri ejusdem aetatis professore, dissentire solebat (6). Hugolinus tamen Azonis Summam adeo utilem existimavit ut aliqua ei additamenta fecerit, quae olim se vidisse narrat Diplovataccius (7). Sunt qui Azonem in Hispania docuisse crediderint, nec defuere plures qui ejus regni leges, quas *quinque Partitarum* appellant, scripto traditas ab Azone existimaverint; quem errorem solide confutavit Ludovicus Molina celebris jurisconsultus hispanus (8). Plures etiam Azonem Mutinae et apud Montempessulanum jus civile publice interpretatum volunt, sed ii magnopere falluntur. Scilicet prooemium illud Summae in tres postremos Codicis libros, ex falsa inscriptione Azoni tributae, illis fraudi fuit. Narrat equidem ejus prooemii non semel et apud Montempessulanum docuisse; sed qui Summam illam in tres postremos libros Codicis scribere aggressus est non Azo sed Placentinus fuit, qui vix inceptum opus moriens reliquit aliena manu perficiendum, a Pillio scilicet ut alibi dictum est. Et Pillius quidem a scholis Bononiensium elapsus Mutinae docuit; Azo autem numquam ex nostra academia discessit, in qua quoad vixit principatum quemdam honoris et dignitatis gessisse visus est et ejus quoque familia diu post illum Bononiae viguit. Merito igitur reprehendit Mazzucchellius Vedrianum et Paulum Merulam, qui Azonem male

(1) Floruit Azo sub initium et Boatinus sub finem saeculi XIII. Sed vidit egregie clarissimus Montius hujus erroris originem ut aliquis Azonem et Boatinum Mantuanum adeo aetate dispares conjunxerit. Narrat Ostiensis quid Azoni aliquando acciderit, cum causam in foro defenderet, his verbis: « Ex hoc accidit, quo Azo in quadam causa de facto a quodam canonista edoctus, induxit hanc decretalem *(Ex qua nimirum est,* can. *Relatum)* ad domini sui dicti Joannis comprobandam sententiam, quam fovebat; et statim fuit sibi per decretalem sequentem *(Ex qua est,* can. *Gratum)* replicatum, per quam succubuit et valde confusus exivit, qui tamen intraverat cum *boatu* ». Unde dicitur quod gratum et relatum interfecerunt Azonem. OSTIEN. ad can. *Relatum, De pot. jud. deleg.* Ex voce *boatu*, qua clamor et fastus Azonis ad causam accedentis demonstratur, Boatinus per summam alicujus hominis inscitiam et oscitantiam emersit.

(2) PANCIROL. in *Azone.*

(3) Summa Azonis, Gravina judice, talis est, tantique acuminis ac soliditatis, ut quamvis barbaris temporibus nata, ea tamen in hac eruditionis luce sine damno ac fraude nostra carere non possimus. GRAVINA. *De ortu et progress.*, cap. CLI.

(4) PANCIROL., *loc. cit.*

(5) *Ibid.*

(6) *Vide infra in* HUGOLINO.

(7) *Ibid.*

(8) MOLINA. *De Hispan. primogenit.*, lib. III, c. VII, n. XXIV.

a Bononiensibus habitum Mutinam concessisse tradunt ad docendum; id enim Pillio contigit, non Azoni. At Mazzucchellius ipse corrigendus dum scribit Azonem relictis nostris scholis ad montispessulanas migrasse ad declinandas adversariorum obtrectationes; quem errorem multis communem satis jam refutavimus.

VIII. Cum diu jus civile docuisset, sacrae militiae nomen dedisse et canonicum esse factum ac sacerdotio etiam initiatum Azonem scribit Pancirolus, ex quo tempore relicta civili jurisprudentia jus pontificium in scholis tradidisse dicitur. Sed hoc inane commentum est. Azonem alterum Ecclesiae bononiensis canonicum et juris pontificii professorem memorat Alidosius, quem vixisse ait ad annum MCLXXIII (1); sed hic etiam fictitius est ejusque nulla mentio occurrit in antiquis tabulis canonicorum bononiensium, qui XII saeculo vixerunt. Floruit annis multis post Azonem hunc juris civilis professorem eximium Azo Lambertaccius, Decretorum doctor et canonicus bononiensis de quo suo loco agemus. De hoc fortasse aliquid suboluit Pancirolo, aut si quis fuit ante Pancirolum qui Azonem illum, celebrem juris civilis interpretem, clericali militiae adscriptum tradiderit; atque hinc fabula illa orta est cui refutandae non vacat operam et tempus impendere.

IX. Tanta fuit ejus nominis celebritas ut ad eum audiendum incredibilis studiosorum concursus fieret. Ac ferunt cum scholae et auditoria multitudini non sufficerent debuisse illum docere in foro, quod est ad divi Stephani. Sed illi supra modum exaggerant hanc frequentiam auditorum in schola Azonis, qui eum quandoque narrant uno tempore habuisse decem scholarium millia (2). Imprudenter autem, ne quid pejus dicam, in hujus rei testimonium afferunt Odofredum qui nihil tale umquam somniavit. Scripserat enim Odofredus Azonis tempore Bononiae fuisse decem millia scholarium (3), ingentem sane numerum, sed qui non in unius Azonis, sed in aliorum quoque professorum auditoria distribuebatur. Illud etiam auctore Bagarotto dixerat Azonem aliquando rogatum ab auditoribus suis ut in platea s. Stephani lectiones haberet, non acquievisse permotum ea ratione sane frigida et insulsa quod locus ille erat ultra Aposam, atque adeo extra civitatem (4). Id unum igitur concedi potest Azoni prae ceteris majorem discipulorum numerum fuisse, qui propterea angustiis domesticae scholae parum contenti optaverint ut eorum magister ampliori loco in platea s. Stephani doceret. At Arisius, qui haec decem scholarium millia ex fide Odofredi, nil tale dicentis, Azoni tribuerat, hoc praeterea de suo addidit Azone ad Montempessulanum concedente paene viduatas auditoribus scholas bononienses, quae postea eo redeunte recaluerint (5). Ita ingenio suo indulget Arisius ut suam *Cremonam Literatam* novis et peregrinis mercibus augeat et ornet.

X. Prodiere ex Azonis disciplina plurimi viri doctissimi, Rofredus Beneventanus (6),

(1) ALIDOSI. *Dottori bolognesi di legge canonica e civile*, p. 1.

(2) ALIDOS., *loc. cit.* — DIPLOVAT. in *Azone*, aliique.

(3) Vide hoc in civitate ista tempore domini Azonis, quod scholares poterant declinare forum in causa criminali; et erant hic tunc temporis Bononiae X milia scholares. ODOFRED. in Auth. *Habita*, C. *Ne filius pro patre.*

(4) Doctores, qui docent ultra Aposam non debent habere impunitatem, de quo docebat dominus Bagerotus (lege Bagarottus) unde procedebat hoc; scholares voluerunt, quod dominus Azo legeret in platea s. Stephani. Dicebat ipse, Bononia est regia civitas, ut invenitur in legenda s. Ambrosii et s. Petronii; et Bononia est ab Aposa citra. ODOFRED. in l. *Si duas*, Dig. *De excusat. tutor.*

(5) ARISIUS. *Cremon. liter.* in *Azone.*

(6) JOANN. ANDREAE ad *Speculat.*, tit. *De confessionibus*, § *Nunc videndum.*

Pluribus locis Rofredus ipse laudat Azonem dominum ac praeceptorem suum, ut inutile sit locum ejus aliquem indicare.

Jacobus Balduinus (1), Accursius (2), Martinus de Fano (3), Goffredus Tranensis (4), Jacobus Arditionis (5), Bernardus Dorna (6), Alexander de S. Aegidio (7). Addunt Tancredum archidiaconum bononiensem, Sinibaldum Fliscum, qui pontifex maximus creatus est et Innocentii IV nomen gessit, Homobonum Cremonensem, Joannem de Blanosco, Albertum Galeottum et alios, de quibus operosius quaerere hoc loco non licet. Non tamen defuerunt qui cum praecipuos Azonis auditores enumerare vellent nonnullos gratis aut contra rationem intruderent (8).

XI. Narrant Azonem magnas sibi delicias in scholasticis exercitationibus et docendi labore fecisse, ut semper optime valuerit cum docebat diceretque numquam se aegrotare nisi cum vacaret; quo etiam factum est ut autumnalium vacationum tempore morbo correptus obierit (9). Eum laudat Odofredus quod minime mulierosus esset, quo vitio laborare dicebatur Lotharius Azonis aequalis (10), sed iracundus tamen fuisse dicitur et in aemulos acerbus et impotens; quare praeclarum virum Jacobum Balduinum, qui aetate illa magnopere in scholis nostris celebrabatur, se cohibere non potuit quin scriberet esse mentitum (11). Ajunt etiam invidentiae morbo laborasse ac praesertim in Placentinum (12), cujus non tam imitatione quam iniquiore aemulatione Codicis Summam scribere aggressus est, quod ante jam fecerat Placentinus.

XII. Quo studio suam dignitatem tueretur, intelligere ex eo licet quod de illo narrat Odofredus. Cum enim aliquando ab illustri scholari invitatus esset ad prandium, eo processit praeeunte apparitore (sive ut vocant bidello), et non minima amicorum caterva stipatus, quod negaret sibi licere in publicum prodire sine illo comitatu (13). Henrico VI Imperatori fuit admodum carus; a quo saepius de jure interrogatus, libere quod sentiebat absque ulla assentatione respondere consuevit. Quid ei aliquando contigerit ob hanc ejus libertatem respondendi, dignissimam certe viro sapienti et optimo jurisperito, narrat multis verbis Odofredus, atque ex ipso audire praestat barbare quidem

(1) Dom. Jacobus Balduinus, qui multum persequebatur doctorem suum Azonem, dicebat etc. ODOFRED. in l. *Filium*, C. *Familiae herciscundae.*

(2) De Accursio manifesta res est jus civile ab Azone didicisse; saepius enim Accursius Azonem vocat dominum et praeceptorem suum quemadmodum in Glos. ad l. ult., Dig. *De condit. causa data* etc.

(3) Quia in jure emphyteotico dubitatur et quaestiones plurimae oriuntur, ideo decet me ad mei et aliorum utilitatem super ista praescribere, quae et dominus meus in Summa non bene praenotavit. MARTIN DE FANO in tract. *De jure emphyteotico,* in princip.

(4) Goffredo non placet, quod non valuerit.... unde sequitur dominum suum Azonem. JOANN. ANDREAE in *Novella*, tit. *Ut lite pendente,* C. *Dilectus.*

(5) Cum Bononiae fere amore legalis scientiae discendae exulassem et personam ibidem exinanivissem, quod saepe scholares facere contingit, audiens jus civile a dn. Azone, legalis scientiae moribus et facundia undique perito etc. JACOB. ARDIT. in tract. *De usibus feudorum,* cap. 1.

(6) JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Speculat. v. De aliis,* in prooem.

(7) ALEXAND. DE S. AEGIDIO in *Praefat. ad comment. Azonis* in Cod. in princip.

(8) Joannem Andreae, qui centum amplius annis post Azonem floruit, omnino praeter rationem inducit Labbeus in sua dissert. *Hist. de script. eccl. ad ann. MCCCXXX,* teste clarissimo Mazzuchellio, vol. I, p. II, pag. 696, annot. 10.

Gabrielem quoque Osselettum, jurisconsultum longe recentiorem, inter Azonis discipulos numerat Alidosius.

(9) Audivi ab eo quod non infirmabatur nisi in diebus vacationis, et ita tempore vacationis mortuus est. Sed dicebat quod quando legebat semper erat bonae voluntatis. ODOFRED. in *Conclusione comment. in Codicem.*

(10) ODOFRED. in l. *Sancimus*, C. *De judiciis.*

(11) Usque ad diem illum dn. Azo non commentavit legem istam in Summa hujus tituli. Sed quando fuit dictum ei, quod dn. Jacobus dicebat quod intelligebat legem istam in contrariis scripturis, licet ipse intelligeret legem istam tantum in diversis scripturis; unde ipse commentavit legem istam, et usus est incurialibus verbis, dicendo sic: mentiuntur illi, qui dicunt me dixisse legem istam in diversis scripturis tantum debere intelligi, non in contrariis. ODOFRED. in l. *Scripturae*, C. *De fide instrum.*

(12) *Id.* in l. *Qua ratione*, Dig. *De acquir. rer. domin.*

(13) Cum dominus Azo esset invitatus ad prandium a quodam scholari archidiacono et misisset unum nuncium pro eo, ipse ivit cum bidello suo et cum pluribus sociis. Dominus archidiaconus vidit praedictos et dixit ei: Qui est hoc? Ipse se excusavit praedicto modo quod non decebat eum ire per civitatem nisi cum honesta comitiva, unde qui invitabat eum ad prandium invitabat eum cum suis praecedentibus et subsequentibus. ODOFRED. in l. *Edita actio*, C. *De edendo.*

sed non insulse prorsus dicente: *Dominus Imperator Henricus*, inquit, *pater domini Federici minoris, qui regnabat modo sunt sexaginta anni* (1). *Tunc temporis dominus Azo et dominus Lotharius docebant in civitate ista. Et Imperator vocavit ad eos se pro quodam negotio et dum una die equitaret cum eis fecit eis talem quaestionem: Signori, dicatis mihi cui competit merum imperium* (2). *Dixit Azo domino Lothario: dicatis mihi. Et licet dominus Lotharius esset melior miles, tamen dominus Azo fuit melior in jure nostro.* Hic aliqua ingerit Odofredus de Lothario, quae ad rem non faciunt, post autem pergit: *Et dixit dominus Lotharius: ex quo vult dominus Azo quod prius ego dicam, dico quod vobis soli competit merum imperium et non alii. Postea dicit Imperator domino Azo: vos quid dicetis? Dixit dominus Azo: in legibus nostris dicitur, quod alii judices habent gladii potestatem* (in qua scilicet maxime consistit merum imperium); *sed vos habetis per excellentiam .... Quando fuerunt reversi ad palatium dominus Imperator misit domino Lothario unum equum et domino Azo nihil* (3). Memorat id Azo ipse in Summa Codicis, ubi inquit: *Hoc merum imperium soli principi quidem competere dicunt.... sed merum imperium etiam aliis sublimioribus potestatibus competere dico, licet ob hoc amiserim equum, quod non fuit aequum.* Hic conflatum illud dicterium quod aliqui tribuunt Bulgaro in simili facto, quod ei cum Martino acciderit coram Friderico I Imperatore, *amisi equum, quia dixi aequum, quod non erat aequum.*

XIII. Quo tempore coeperit Azo jus civile in nostra academia exponere clam omnino est. Clarissimus Mazzucchellius cathedram jurisprudentiae Azoni adsignatam tradit circa finem saeculi XII. Sed nulla tunc publica auctoritas fuit vel principis vel magistratus urbani quae professores ad docendum destinaret iisque cathedras, ut nunc amamus dicere, decerneret. Id multo serius invectum ac turbata est vetus illa forma reipublicae literariae, quae in nostra civitate erat de qua alio loco disseruimus. Sed Azonem saeculo XII inclinante in nostra academia docuisse certum est. Anno MCLXXXX hoc munere fungebatur ut ex tabulis ad eum annum scriptis, quae sunt in archivo Canonicorum Regularium ad divi Salvatoris (4). Ex eo anno ad annum usque MCCXX Azonis mentio fit in monumentis bononiensibus, ex quibus etiam constat rerum publicarum curam non raro ab eo susceptam fuisse. Anno MCLXXXXVIII interfuit deditioni Montisbelli cum Hugolino legum doctore, de quo postea dicemus (5). Anno etiam MCCIV, cum eodem Hugolino primus sententiam dicit, cum de foedere cum Mutinensibus ineundo ageretur (6). Rursum anno MCCXI legatus Bononiensium cum aliis sapientibus et magnatibus Mutinam profectus est ad cardinalem Gerardum Albanensem, electum Apostolicae Sedis legatum, oraturus ne ad civitatem nostram tunc temporis accederet quod periculosum videbatur; vix enim fieri poterat ut ejus adventus causam non afferret magnis motibus et turbis, quae civitatis tranquillitatem et pacem jam nutantem penitus concussissent (7).

(1) Aliquid hic deesse videtur omissum typographorum incuria, qui inemendatissimos ediderunt Odofredi libros.

(2) Scilicet ut olim Fridericus I ad Roncallias auctoritate nostrorum sapientium imperium omnium rerum sibi uni adstrui volebat, sic Henricus optabat ut celeberrimi qui tunc erat nostrae academiae jurisconsulti decernerent sibi uni merum imperium competere.

(3) ODOFRED. in l. *Imperium*, Dig. *De jurisd. omn. judic.*

(4) Anno MCLXXXX, IX kal. Decembris. Ego quidem domnus Ugo Dei gratia canonicus et prior ecclesie s. Marie de Reno una cum domno Lanfranco.... do et concedo vobis dn. Azolino legum doctori et Rolandino suo fratri domum quamdam in Porta nova quae fuit Joannis de Sala etc. *Ex archiv. canonic. regul. d. Salvat.*, fascic. XXIII, n. XX. Vidit clarissimus Montius.

(5) *Vide ejus deditionis acta in Appendice.*

(6) Anno MCCIV. Actum Bonon. in plena concione Bonon. in curia palatii communis ad campanam coadunata die dominico nono mensis Madii. *Ex act. pub. civit.*

(7) *Vide Appendicem.*

XIV. De anno quo decessit Azo minime consentiunt auctores (1). Pancirolus (quem plures incaute sequuntur) ex fide inscriptionis recentiori aevo instauratae obiisse tradit anno MCC, nec desunt qui ad annum usque MCCLXXXX vitam produxisse autument. Sed ergo ceteris praeferendum censeo Albericum monachum Trium Fontium, auctorem fere aequalem Azoni, qui ejus obitum contigisse narrat ad annum MCCXX (2). Anno certe MCCXVII ad finem properante adhuc erat in vivis, ut patet ex tabulis archivi s. Joannis in Monte (3). Vivebat etiam anno ipso MCCXX. Eo enim anno XVIII kalendas Augusti cum ceteris fere legum doctoribus, qui tunc erant in scholis nostris, interfuit Consilio populi bononiensis, in quo de procuratore Communis eligendo agebatur, ut ex tabulis publicis quas indicavit clarissimus Montius (4). Ex eo tempore nuspiam occurrit mentio Azonis viventis in monumentis bononiensibus, quare admodum verisimile est, non multo post eum diem extremo morbo correptum autumnalibus feriis, quae consecutae sunt, decessisse, nam Azonem eo anni tempore humanis exemptum constans est scriptorum opinio. Ejus tumulus prope turrim campanariam ss. Gervasii et Protasii (5) vetustate corruptus, vel potius ejus memoria, anno MCCCCLXXXXVI restituta est ut ex apposita inscriptione quae adhuc extat quaeque et ipsa vim temporis sensit. Ea est hujusmodi:

TRINITATI
AZONI · IVRECONSVLTORVM
NVMINI
ANNO · GRATIAE · MCC · HIC · TVMVLATO
IN · SEPVLCHRO · VETVSTATE
COLLAPSO
AC · INTER · RVDERA · VIX · AGNITO
IO. · FRANC. · ALDROVANDVS
DICTATOR
ET · CONSVLES · BONON.
P. · IMPENSA
CONCIVI · SVO · B. · M. · MEMORIAM
PO.
ANNO · SALVTIS · MCCCCLXXXXVI
V · IDVS · OCTOBR.

Hac inscriptione decepti putarunt aliqui Azonem anno MCC ex hac luce sublatum. Sed procul dubio errant, fuit enim in vivis ad annum usque MCCXX, ut supra demonstravimus.

XV. Sed multo etiam magis errant qui Azonem capite damnatum tradunt et summo supplicio affectum ob illatam Martino necem, alii ob interfectum Bulgarum (6).

(1) MAZZUCCHELL., *loc. cit.*

(2) Anno MCCXX. Apud Bononiam civitatem Angliae (vide amanuensis oscitantiam; quis enim tam immane erratum Alberico tribuet?) Azo legum interpres optimus et renovator, cum esset apud legistas opinione celeberrimus hoc anno decessit, non magister appellatus sed dominus legum. ALBERIC. *Monach. Trium Fontium*, pag. 507, edit. Leibnit.

(3) Actum in claustro s. Victoris. Interfuerunt dn. Azo doct. leg., dn. Benintendi doct. leg., dn. Guido domine Ostie, Ugolinus scholaris de Valentia etc. *Ext. in arch. s. Jo. in Monte*, lib. XII.

(4) *Ext. in arch. pub. in Reg. Gros.*

(5) « Prope turrim s. Servatii » legimus apud Pancirolum amanuensium, opinor, inscitia.

(6) MAZZUCCHELL., *loc. cit.*

Sed isti mire falluntur ignoratione temporum. Bulgarus certe et Martinus multo ante Azonem floruerunt. Sunt alii qui de Azone supplicium captum dicunt ob occisum Hugolinum (1). Qui porro hanc fabulam de Azonis supplicio narrant, addunt Azonem cum in vincula conjectus esset saepius hanc vocem ingeminasse *ad bestias,* quod ejus legis initium est quae vetat excellentissimum virum boni publici cáusa vel nocentem occidi, qua voce irritati judices quod se tamquam belluas insimulari crederent, nullum veniae locum reliquerunt (2). Sed qui haec scripserunt nimis ab aetate Azonis distant, ideo minime audiendi sunt. Odofredo autem fides habenda est qui Azonem scribit maximo omnium luctu elatum fuisse, quo tantopere universa civitas commota est ut vel ipsi academiae nostrae professores ob eam causam serius quam solebant scholasticas exercitationes inchoaverint (3). Cum enim circa festum s. Lucae Octobri mense studiorum inauguratio haberi soleret, eo anno ob justitium Azonis professores nostri usque ad kalendas Novembris clausis scholis siluerunt. Narrant hoc idem historici bononienses, qui putidam illam de Azonis supplicio fabellam solide refutant (4).

XVI. Plures post se filios reliquit Azo, Rolandinum scilicet, Albertum, Ameum, Landulphum et Jacobinum, quorum acta nonnulla haud magni momenti extant in tabulis archivi Fratrum Minorum (5). Ex his Ameus capitis poenam subiit ob caedem Bononiae patratam anno MCCXXXXIII ex sententia Azonis de Pirovalo Bononiensium praetoris ut narrat Petrus Cantinellius in chronico (6). Dicitur ibi Ameus de Soldanis, atque hinc agnoscimus fuisse Azonis filium. Ex hac autem obscura fama supplicii de Ameo Azonis fillo publice sumpti error eorum ortus videtur, qui Azonem ipsum capitali sententia damnatum tradiderunt. Fuerat Ameus anno MCCXXXII *miles justitiae* Communis Bononiae, ut ex publicis tabulis quas indicavit clarissimus Montius (7).

XVII. Arisius Azonis filium unum agnoscit Dominicum nomine, quem artis notariae professorem in nostra academia fuisse tradit et vixisse ad annum MCCCXXVI, quod habuisse dicit ex Ghirardaccio. Sed non adeo stolidus fuit noster ille historicus ut Azonis filium scripserit annis CVI post patris mortem in nostris scholis docuisse. Anno MCCCVI electum narrat ad docendam artem notariae Dominicum quemdam Joannis Azonis filium (8). Sed nihil hic ad Azonem nostrum. Quod addit Arisius Azoni filiam quoque fuisse quae Accursio nupserit a vero quidem non abhorret, sed optandum erat ne celatos nos vellet unde id accepisset.

XVIII. Anno MCCLXXIV Garatonus Rolandini filius Azonis nepos, expulsa

(1) Diplovat. *supra cit.*

(2) Alciat. *Parerg. jur.*, lib. IX, c. XXV. — Pancirol., *loc. cit.*, aliique.

(3) Or signori debemus regratiari Deo et beatae Virgini matri ejus quod hunc librum complevimus; et si tarde incepimus tarde finivimus propter interdictum huius civitatis.... Unde incepimus in vigilia omnium sanctorum istum librum, quod non vidi fieri alias, nisi in eo anno in quo decessit dominus Azo, quia amore sui fuit tardatum studium usque in festum omnium sanctorum. Odofred. in *Concl. comment. in Cod.*

(4) Ghirardacci. *Historia di Bologna*, lib. IV. — Alidosius, *loc. cit.*


(5) Dn. Rolandinus et dn. Albertus fratres et filii qu. dn. Azonis legum doctoris consenserunt venditioni facte Marie uxori Zani et Jacobino eorum fratri.... Dn. Ameus frater Jacobini filii qu. dn. Azonis consensit venditioni facte a Jacobino fratri suo.... Et dn. Landulfus frater dicti venditoris dicte venditioni consensit etc. *Pertinent haec acta ad an. MCCXXXIII, lib. C archiv. Fratrum Minorum.*

(6) Postea vero captus fuit dn. Ameus de Soldanis, eo quod ipse fecerat occidi dn. Guiduccium Guiduccinum de Lambertaciis, et fuit decapitatus in platea communis Bononiae. Petrus Cantinel. in *Chron. penes me mss. ad annum MCCXXXXIII.*

(7) Anno MCCXXXII, die VIII Aprilis inter Massarios Communis Bononiae postulantibus Dalmaxio notar. et Albertone de Saragoza notar. receperunt Bonacursius Artinixocti et dn. Ameus Azonis Soldani milites justitiae Communis Bononiae caposoldos dn. Jacobini Lamberti Guidonis Lambertini pro libr. XVII. *Ex archiv. eccell. famil. Lambertinae.*

(8) Ghirardacci, *loc. cit.*

AZONIS STEMMA



(1) Anno MCCLXIX, penult. ex Martii. Dn. Prendiparte qu. dn. Alberti dn. Azi Soldani vendit in curia Saleti. *Ex Memor. Com. Bon.*

(2) Eodem anno dn. Yvanus / dn. Marcus fratres et filii qu. dn. Bualelli Alberti de Azzis cum auctoritate dn. Prendipartis filii q. dn. Alberti de Azzis ejus curator etc., proprio nomine et nomine Gilii et Soldani filiorum dicti Bualelli etc. *Ibid. ex Memor. Thomaxii Alberti Fabri ejusdem anni.*

(3) Anno MCCLXXXVI, XIX Decembris, Soldanus quondam dn. Bualelli de Azzis capellae s. Laurentii promisit dn. Joanni dn. Juliani de Calcina glossare totum decretum de *Apparatu* dn. Joannis. *Ibid. ex Memor. Alberti Vinciguerrae Rovixii*, pag. 177.

(4) Anno MCCCXXXXVI, XVI Octubris, dn. Ugolinus de Scanello Canon. Monast. s. Jo. in Monte etc. locavit peciam unam terrae etc. Albertutio quondam Prendipartis de Azzis miniatori Cap. s. Laurentii portae Sterii et Prendiparti ejus filio etc. Actum in statione dictorum conductorum in Cap. s. Jacobi de Carbonesibus. *Ibid. ex Memor. Jacobi Pacis.*

(5) Anno MCCCLXXXVII, XI Aprilis, Stephano qu. Alberti de Azzis etc. miniatori venditur quaedam domus in Cap. s. Proculi etc. *Ex lib. Provisor. ejus anno.*

Lambertacciorum factione, quam sequebatur, proscriptus est (1). Ceteri ex Azonis agnatione incolumes in patria perstitere de Azzis ex Azonis nomine appellati. Ac diu viguit ea gens non magnis tamen opibus; plures enim ex ea fuerunt pictores librarii, sive, ut dicebantur, miniatores, qui quaestum ex pingendis libris facerent ut ex subjecto Azziorum stemmate apparebit, quod ex clarissimi Montii schedis huc inductum est. Azoni servus scholasticus sive bidellus fuit Gallopressus nomine, patria tarentinus, qui cum deformi et atro vultu esset, statura pumilio, miros in eo ludos sibi faciebant scholares. Sed is non parum profecit ex hac lascivientis juventutis licentia; grandem enim pecuniam emunxit, ad bis mille libras bononinorum (2), quae summa per illud tempus totidem aureos, ut minimum, aequabat.

AZONIS SCRIPTA.

Summa Codicis. Prae ceteris Azonis scriptis celebratur Summa Codicis, priorum scilicet librorum novem, nam tres postremos minore opera et studio dignos reputabant veteres jurisconsulti, ac certe eorum doctrinam seorsim tradere solebant nec eos etiam plerumque cum novem prioribus scribi patiebantur; quare cum quatuor Institutionum libris et Usibus Feudorum et Novellis extremum in legum corpore locum tenebant. Antequam Azo hanc Summam produceret, Placentini Summae, quibus utilius nihil et commodius adhuc prodierat, forum et scholas occupaverant. Sed in iis multa notavit Azo, quibus offensus novam ipse Summam scribere instituit (3); in qua nemo improbare ausus est, quamdiu viguit vetus illa jurisprudentia, quam nostri doctores Irnerio duce invexerant et nostris etiam temporibus in pretio esse apud politiores jurisprudentiae cultores supra ostendimus. Eam supplevit Odofredus ut suo loco dicemus et alii doctores suis adnotationibus illustrarunt. Saepius edita est, neque operae pretium est varias ejus editiones recensere. Hanc Azonis Summam *cum omnibus extraordinariis* in antiquis tabulis memoratam video (4). Ejus titulus in aliqua editione vitiatus est. Talis est quae prodiit Lugduni anno MDLXXXXIII cum hoc titulo: *Azonis de Ramenghis Summa aucta cum notis Accursii Pratei etc.* Azo Ramengus Bononiae vixit annis plurimis post Azonem nostrum, nec ullo modo cum isto jurisconsultorum coryphaeo comparandus est.

Summa Institutionum. Post Summam Codicis promiserat Azo se editurum Institutionum Summam, Placentini exemplum in ea re secutus (5). Itaque suam fidem liberavit et promissum opus perfecit jurisprudentiae studiosis maxime proficuum; quorum hortatu et precibus utriusque Summae scribendae consilium se coepisse professus est. Atque haec etiam Institutionum Summa edita est cum scholiis clarissimorum juris interpretum, Bartholi in primis et Baldi, Pauli Castrensis, Alexandri et fortasse aliorum qui in illustranda quoque Codicis Summa insudarunt. Eorum adnotationes ad singulos quosque titulos, sive rubricas, adjecit Hieronymus Gigantes jurisconsultus illustris.

Apparatus in libros Digestorum. Hi numquam typis editi sunt. Scripsit autem prius *apparatus minores,* post autem *majores.* Prius nempe pauciores glossas in Digestorum libros edidit, quas secundis curis amplificavit et auxit; sic enim interpretor *majores* et *minores apparatus*

(1) *Ex tabulis proscriptorum in archivo pub.*

(2) PANCIROL. ex ODOFRED., *loc. cit.*

(3) Scio siquidem, quod dominus Placentinus praeclarus et famosus jurisperitus apud Montempessulanum super Codice et Institutionibus Summas laudabiles composuit, cujus dictis non proposui derogare. Nam licet in quibusdam minus plene, in quibusdam ordine irregulari et in quibusdam non observato tramite juris, confuse processisse videatur etc. Azo in *Prooem. Summae Cod.*

(4) Anno MCCLXIX. Benvenutus Jacobi de Perusio vendidit Summam Azonis cum omnibus extraordinariis Puccio Fabri provinciali scholari Bonon. pretio XXX lib. bonon. *Ex memor. Commun. Bonon. in archivo pub.*

(5) Nunc autem ego Azo residens Bononiae in jurisperitorum ordine, honorabilium sociorum precibus humiliter condescendi, qui vita commendabili, morum honestate, scientiae magnitudine, numero personarum, nobilitate prosapiae, multa liberalitate resplendent. Unde juxta ipsorum amicabiles supplicationes Codicis et Institutionum Summas lucide tractare studebo. Azo in *Prooemio cit.*

Azonis, saepius ab Odofredo laudatos (1). Eos expilavit Accursius, et Odofredo ipsi magno usui fuerunt in suis commentariis sive glossarum apparatibus concinnandis. Sed quia Joannis Bassiani praeceptoris sui sententiis et opinionibus Azo innutritus est nec ab eo dissentire consuevit, utrumque fere semper conjungit Odofredus et vix umquam Azonis auctoritatem praetermisso Joanne usurpat.

Extant Digestorum libri in pervetusto codice Vaticano cum glossis genuinis Azonis et Irnerii (2). Irnerianae interlineares sunt, perpaucis exceptis, quae, quia aliquanto longiores, latius spatium in libri margine requirebant quam quod est inter unam et alteram lineam. Azonis vero glossae omnes in libri margine scriptae sunt. Cum his paucissimae sunt aliorum doctorum, qui Azonem praecesserunt, Martini scilicet, Hugonis, Henrici de Baila et Joannis, his notis consignatae *M. H. Hr. Joh.* Et hae quidem in libri margine et quidem perpaucae admodum prae azonianis, quae multo plures sunt. At cum glossis interlinearibus Irnerii mixtae sunt interdum Martini glossae pariter interlineares, hoc semper servato discrimine quod Irnerii nomen hac nota *Y.* glossis praemittitur, Martini autem hac nota *M.* postponitur. Quae ut ad oculum pateant, damus in Appendice Vaticani codicis specimen. Omnibus adpictum est Azonis nomen hac nota *Az.*, exceptis irnerianis, quae hac nota *Yr.*, vel *Y.* consignantur. Sunt autem Azonis glossae non admodum spissae et frequentes. Quae paulo longiores sunt in ora libri sunt scriptae, breviores autem sunt interlineares. Omnes elegantissimis literulis scriptae sunt. Codex nihil habet quo Azonis aetatem non redoleat, ac fortasse est antiquior. Glossae alia manu additae vel ab Azone ipso vel a solerti aliquo ejus auditore, qui ab ejus autographo glossas exscripsit. Hic certe amanuensis illiterati et conductitii scriptoris operam mihi videre non videor. Nam neque una prorsus forma neque eodem atramento glossarum scriptura procedit. Id argumento est, non uno tempore sed alio atque alio glossas illi codici adjectas. Leges aliquot minus obscurae glossis omnino carent, quaedam paucissimas habent, ut libri margo saepiuscule glossis vacet. In eo apparet antiquiorum interpretum sobrietas.

Incipiunt istae Azonis glossae ab ea praefationis parte, cujus hoc est initium: *Omnem reipublicae nostrae sanctionem.* Ea omittitur quae incipit: *Deo auctore.* Omittitur etiam secunda praefatio quae incipit: *Tanta circa nos;* et tertia: *Dedit nobis.* Ac statim itur ad primum libri prioris titulum, *De justitia et jure.* Sic autem incipit Azonis praefatiuncula ad suas glossas: *Si omnes scirent quid justitia etc.*

Apparatus in Codicem. Habemus hunc typis editum, prout collectus fuerat ab Alexandro de S. Aegidio ejus auditore, qui ita suam fidem ac diligentiam lectoribus commendat in praefatione ad hunc Azonis apparatum: *Justinianeae sanctionis thesaurarium et jurisperitorum eximium Azonem, cui foecunda Bononia originem contulit et vena ingenii facundiam magistrandi, ego Alexander de S. Aegidio in legalibus disciplinis audivi et suum legendi modum expositiones et glossas super totum Codicem memoriae mandavi* (3). Haec commentaria ex docentis ore excepta videntur, ut saepius ab aliis factitatum novimus.

Quaestiones Azonis. In catalogo librorum, quos stationarii universitatis nostrae in promptu habere debebant scholarium usibus occurrunt *Azonis quaestiones* (4). Extant in codice Vaticano (5).

Definitiones Azonis. Hunc etiam librum habebant stationarii universitatis, nec cum alibi indicatum reperio quam in eodem catalogo.

Brocarda Azonis. Edita sunt post ejus Summam cum hoc titulo: *Generalia, quae vulgo Brocardica* (alias Brocarda) *dicuntur a dn. Azone composita et eorum discordantium concordantia.* Passim manu exarata reperiuntur in antiquis libris. Sunt autem generales quaedam regulae et veluti communes loci juris civilis.

(1) Dominus Azo primo fecit minores apparatus, postea Summam, tertio fecit magnos apparatus in libro isto, nimirum Digesto veteri et Codice. ODOFRED. in l. *Julianus,* Dig. *De condictione indebit.*

Et rursum: Scio quod dominus Azo subjecit aliud exemplum, licet in glossis vestris non habeatis. Tamen qui habent apparatum suum magnum hic scriptum, bene habent hoc scriptum. ODOFRED. in l. *Jus civile,* Dig. *De justitia et jure.*

(2) Codice Vaticano n. 1408.

(3) ALEXAND. DE S. AEGID. in *Praefat. ad apparat. Azi in Codicem.*

(4) *Vide Appendicem.*

(5) Codice Vaticano n. 2661.

Summa institutionum juris. Hanc editam habemus Lugduni anno MDLXXXXIII, in fol.

Summa de usuris. Laudatur haec Azonis Summa in glossa ad l. *Cunctos populos. C. De Summa Trinitate,* his verbis: *Unde dominus Azo in Summa de usuris concessit quo. 5 non possunt peti.* Hunc Azonis librum aliunde notum non habeo, quem nec Diplovataccius nec Pancirolus aut alius quisquam commemorat.

M. Azonis repetita juris. Hunc titulum habet codex manuscriptum bibliothecae Vallis clericorum, indicatus a Bernardo de Montefaucon in Bibliotheca bibliothecarum manuscriptarum (1). Divinabunt alii num hic magister Azo sit noster iste jurisperitorum princeps. Sunt autem *Repetita juris,* si quid video, fusiores commentarii in aliquas leges vel titulos, quos sequiori aevo repetitionum nomine appellatos novimus ab ineleganti jurisconsultorum familia; ex quo manavit celebris illa jurisconsultorum divisio in *repetentes* et *consulentes.*

Diligentissimus Diplovataccius Azonis scripta in hunc modum recenset: « Azo Summas C. a Ro- » gerio initiatas ad plenum consummavit. *Ex prooem. Sum. in III libr. C.*

» Fecit et minorem apparatum in Pandectas. Aliqui dicunt praedictas Summas esse Joannis » Bossiani. *Vid. Odofred. in l. Legem. C. De pactis.*

» Item Summam mirabilem super toto C. cui fecit additiones Odofredus Beneventanus, prout » in quibusdam Summis incorporatae habentur. Fecit et additiones dominus Hugolinus, » prout vidi in quibusdam Summis.

» Item super Institutiones pulchram Summam edidit, cujus principium: *Quasi modo geniti pueri.*

» Item et super Digestum vetus apparatum, de quo dicit Odofredus in l. *Julianus,* Dig. *De* » *condictione indeb.* — Ille apparatus super Digestum vetus fuit optimus.

» Fecit et Summam super librum Authenticorum, quam aliqui Joannis Bossiani esse affirmant.

» Composuit et Brocarda. Incipiunt: *De origine negotii probanda* ».

Summis laudibus vulgo Azonem cumulant veteres legum interpretes, ut etiam non *doctor* modo, sed *dominus legum* dictus sit. Sed tamen Odofredus Azonis et quem fere Azo sequitur, Joannis Bassiani glossas non raro improbat, eosque dormitasse atque in Parnasso somniasse dictitat (2). Eum etiam quandoque carpit et vellicat, quod in dialecticis vel non eruditus sit vel suam in iis eruditionem frustra ostentet (3), ut hinc appareat neminem ita secundo populo uti, quin aliquem obtrectatorem habeat (4).

XXIX.

LAMBERTINUS AZONIS GARDINI.

BENEDICTUS BENEVENTANUS.

I. Est adhuc Bononiae vicus qui Azogardinus dicitur. Ei nomen fecit Azo Gardinus, qui late patentem aream hortosque in ea vicinia possidebat, ubi postea domus extructae et pristini domini nomen permansit (5). Fuit Azonis Gardini filius Lambertinus legum doctor, qui anno MCCXX ex solita forma juravit se non alibi quam

(1) Pag. 1299.

(2) Dominus Jo. et dominus Azo videntur somniasse in Parnasso. ODOFRED. in l. *Jus civile,* Dig. *De justitia et jure.*

Jo. et Azonis glossas hirsute et intricate scriptas. *Id.* in l. *Quaecumque specialiter,* Dig. *De offic. ejus cui mand. est jurisd.*

Jo. et Azo.... si jurassent ad sancta Dei evangelia obscurare materiam istam, melius non fecissent. *Id.* in l. *Quoniam,* Dig. *De reb. cred.*

(3) De domino Azo non miror, quia non fuit extremus in artibus, licet in scientia nostra fuerit summus, sed de dn. Jo. miror, quia fuit extremus in artibus. ODOFRED. in l. *Quaecumque specialiter,* in l. *Omnibus magistratibus,* Dig. *Si qui jus dicenti non obtemp.* et in l. *Mora fieri intellig.,* Dig. *De usuris.*

(4) TIRABOSCHI. *Op. cit.,* lib. II, cap. IV. — FANTUZZI. *Op. cit.,* art. *Azzo.* — SAVIGNY. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXVII. (C. A.)

(5) Haec indicant acta civitatis, ex quibus etiam liquet Azonem Gardinum ejusque posteros alio urbis loco habitasse, nempe ad s. Michaelis in foro medio.

Bononiae jus civile interpretaturum (1). Anno MCCXXXIV interfuit deditioni Frinianensium, de qua Ghirardaccius historiarum bononiensium libro VI (2).

II. Anno MCCXXI scholis nostris juramento se addixit Benedictus Beneventanus legum professor (3). Diplovataccius post Goffredum Tranensem canonum professorem et Martinum de Fano doctorem legum, Benedictum quemdam recenset, quem scripsisse ait nonnulla in jure civili quae perierunt, praeter brevem tractatiunculam de primo et secundo Decreto, a Diplovataccio ipso visam. Ejus patriam ignorare se dicit, non ignobilem tamen doctorem fuisse jure existimat, cum ejus auctoritatem crebro usurpent Speculator et Joannes Andreae (4). Hunc porro ipsum esse arbitror Benedictum Beneventanum, qui anno MCCXXI scholis nostris se adjecit, cum et tempora conveniant nec alterum reperire contigerit qui eo nomine inter legum professores aetate illa floruerit. Prodiit ex Benedicti disciplina Joannes Fasolus celebris jurisconsultus pisanus, ut a Joanne Andreae accipimus.

XXX.

HUGOLINUS PRESBYTERI.

I. Alius ab Hugone Albericio Irnerii ut ferunt discipulo, sub initium saeculi XIII Bononiae floruit Hugo, sive, ut vulgo appellari consuevit, Hugolinus legum professor illustris. Hunc Diplovataccius patria florentinum scribit (5). Sed fallitur, et Accursium hujus opinionis auctorem frustra appellat ex glossa ad Authenticam *De incest. nupt. § Sancimus*, ubi Accursius, inquit, conceptis verbis vocat Hugolinum *concivem suum*, nempe florentinum. Sed neque in libris editis neque in manuscriptis, quos ego viderim, tale quidquam repertum est. In commentariis Accursii ad Authenticorum librum, cum Antonii Contii scholiis editum, ad Authenticam *De incest. nupt.* sic lego: *Reprobo hic opinionem Mar. qui dicit.... licet noster fuerit concivis, scilicet florentinus.* Consentiunt antiquiores aliquot editiones. At in codice manu exarato, et admodum antiquo, collegii majoris s. Clementis Hispanorum Bononiae sic habetur: *Reprobo hic opinionem cy.* Eadem omnino est lectio in pervetusto Authenticorum libro membranaceo cum glossis Accursii in bibliotheca Barberina (6). Sed Albericus de Rosate in lexico ad vocem *Florentini* ita scribit: *Florentini fuere Accursius et Ubertus;* et adnotat Accursii glossam ad Authenticam *De incest. nupt. § Sancimus.* Viderat hunc Alberici locum Diplovataccius, sed non tanti fuit ejus auctoritas ut propterea opinionem mutaverit (7). Facile igitur intelligi potest in hanc Accursii glossam mendum antiquitus irrepsisse; quod cum emendare nescierint amanuenses posteriorum temporum, alii alio modo nomen florentini illius doctoris, quem asserebat Accursius, reddiderunt. Itaque ut Albericus in libro,

(1) *Vide Appendicem.*

(2) *Extant ejus deditionis acta in Reg. gros. archivi pub. bonon.*

(3) Damus in Appendice ejus juramenti formulam, Muratorio ignotam, quia alia doctorum nostrorum sacramenta vulgavit.

(4) Benedictus legum doctor scripsit in jure civili, quorum copiam et patriam non habemus. Fuit praeceptor Joannis Fasoli per Joannis Andreae in *Addit. Specul.* etc. *De libel. conc.*, § *Nunc dicendum.* Ejus meminit *Specul.*, tit. *De primo et sec. decr.* Scripsit brevem tractatum *De primo et secundo Decreto.* Incipit: Primo videamus. DIPLOVAT. in *Benedicto legum doctore.*

(5) Hugolinus natione tuscus, patria florentinus, de quo in gloss. Accursii saepe. DIPLOVAT. in *Hugolino.*

(6) Cod. Barber. n. 481.

(7) *Vide adnotata infra ex* DIPLOVAT.

quo utebatur, Ubertum legerat, sic Diplovataccius Hugolinum legit in suo, et qui antiquas libri Authenticorum editiones curarunt *Mar.*, sive Martinum, legerunt.

II. Sed mihi certum est antiquum illum legum interpretem, cujus opinionem reprobat Accursius in Authenticam *De incest. et nef. nupt.* et cujus nomen hac nota *Cy.* tum in bononiensi codice collegii Hispanorum tum in romano bibliothecae Barberinae expressum est, Ciprianum fuisse. Nam Ciprianum glossatorem antiquum et florentinum fuisse constat et Accursio antiquiorem (1). Neque id mihi nunc primum in mentem venit, sed olim ita vulgo persuasum fuisse ostendit brevis adnotatiuncula, antiquis admodum literis scripta, in margine codicis Barberini ad eum locum, ubi Accursius priscum illum *Cy.* legum professorem nominat, his verbis: *No. ciprianum glo. fuisse Florentinum* (2). Verum cum Cipriani memoria cito admodum obsoleverit et altero post Accursium saeculo floruerit in scholis nostris Cinus Pistoriensis, cujus nomen in antiquis libris et in editis etiam hac eadem nota *Cy.* designari solet, eo factum est ut subsequentium temporum doctores et amanuenses cum in Accursii glossis Cinum ea nota indicatum admittere non possent, quem constabat Accursio posteriorem fuisse et Ciprianum illum veterem ignorarent, alii Ubertum, alii Martinum aut Hugolinum aut alium quemlibet in ejus locum induxerint.

III. Sed quisquis tandem fuerit florentinus ille doctor ab Accursio laudatus, Hugolinus certe non fuit, quem bononiensem fuisse certum est vel Presbyteri filium aut certe ex familia, quae ex Presbyteri agnomine diceretur. Ac bononiensem certe appellat Jason in prooemio commentarii ad Usus Feudorum, bononiensis quoque dicitur in monumentis a Diplovataccio visis, quae tamen contempsit nescio quo cacoethe stimulatus eripiendi civitati nostrae clarum hunc legum professorem (3). Bononiensem denique ostendunt publica civitatis negotia ab eo gesta, de quibus infra dicemus. Ea enim nonnisi civibus nostris demandari solebant.

IV. Florere coepit Bononiae Hugolinus exeunte saeculo XII, quo tempore principatum in legum scholis obtinebat Azo. Sed cum uterque non solum interpretandis legibus incumberet sed etiam tractandis causis in foro versaretur, animis atque sententiis perpetuo inter se dissentientes fuerunt Hugolinus et Azo. Atque haec fama diu post eorum aetatem superstes originem dedit fabulae de Hugolino ab Azone interfecto, quam narrat Diplovataccius, ex quo factum sit ut Azo ipse extremo supplicio tanti facinoris poenam luerit (4). Id aliter alii narrant, sed tamen aeque omnes decepti ut supra in Azone demonstratum est.

V. Dicitur etiam Hugolinus Accursio invisus fuisse, qui propterea ejus opiniones passim in suis commentariis rejecerit. Ita vero crevisse ajunt simultates inter Accursium et Hugolinum, ut Hugolino ob eam causam solum vertendum fuerit et in exilium eundum. Irritatum vero Accursium contra Hugolinum narrant non tam ob sententiarum et opinionum dissensionem quam ob Hugolini insanos amores in Accursii uxorem, quam etiam violasse dicebatur (5). Atque haec etiam posteriori aevo conficta existimo; quibus

(1) PHILIP. VILLAN. *quem vide in Appendice.*

(2) « Nota Ciprianum glossatorem fuisse florentinum ».

(3) Adde quod de isto Hugolino inveni infrascripta: Hugolinus glossator legum antiquus fuit bononiensis, et in ecclesia cathedrali s. Petri ipsius civitatis extra portam domus episcopalis inhumatus et sepultus est secundum Baldum in tract. *De commemor. famos. doctor.* DIPLOVAT. in *Hugolino.*

(4) Inveni quod Azo et Hugolinus regulariter in palatio discordabant intantum, quod istigante diabolo semel Azo Hugolinum, cum descenderet de palatio potestatis, interfecit et illa de causa Azo decapitatus fuit. DIPLOVAT., *loc. cit.* ex BALDI libello *De commemorat. famos. doctor.*

(5) Item habetur ibi (scilicet in Baldi libro *De commemorat. famos. doctor.*, et dicit se audivisse a domino suo, scilicet a Bartholo) quod Accursius glossator

fidem non addit Baldi auctoritas, qui ea narrat in libello *De commemoratione famosorum doctorum* barbare inscripto, quem vidit et expilavit Diplovataccius.

VI. Hugolinum certe magnae auctoritatis virum fuisse indubium est, quippe quem ceteri legum doctores bononienses delegerint ut constitutiones feudales in ordinem redactas post librum Novellarum sive Authenticorum corpori juris civilis adnecteret (1). Quare non solum Hugolino locus tribuendus est inter illustres juris interpretes sed etiam inter juris architectos, ut a Chifletio ingeniose appellantur Justinianus et Tribonianus quoad jus civile, Gratianus et s. Raymundus quoad jus canonicum. Sed de hac Hugolini cura alibi dictum est.

VII. Hugolini mentio non rara est in monumentis bononiensibus ab anno MCLXXXXVII ad MCCXXXII, ex quibus aliqua hic paucis indicabimus. Anno itaque MCLXXXXVII sententiam dixit in causa, quae erat inter canonicos Ecclesiae bononiensis et Azolinam comitissam, quondam uxorem viri nobilis Gerardi de Amula, de decimis fundi Casulae quas Hugolinus canonicis iisdem adjudicavit. Extant ejus causae acta in archivo Ecclesiae bononiensis (2). Idem anno MCLXXXXVIII XVII kalendas Septembris deditioni Montis Belli cum procuratoribus sive legatis communis Bononiensium interfuit (3), pro more eorum temporum, quo vix ullum alicujus momenti negotium publicum agebatur quin praesens adesset aliquis legum professor. Anno etiam MCCIII Bononiensium legatus Florentiam profectus est ut concordiam iniret inter utramque civitatem (4). Erat cum Hugolino Bagarottus legum professor de quo postea dicemus. Eodem anno legationem quoque apud Reginos suscepit ut de foedere sanciendo cum ea civitate ageret (5). Anno insequenti Bononiensium praetor arbiter electus ab utraque civitate sententiam dixit qua fines agri bononiensis et mutinensis constituit, qua de re acriter disceptatum fuerat. Praesens autem fuit huic judicio Hugolinus Presbyteri cum Azone, ut dubitare non liceat quin utriusque opera tam difficile negotium adeo feliciter confectum sit (6). Vix enim credibile videtur reipublicae mutinensis rectores et proceres praetori Bononiensium concessisse arbitrium in causa finium regundorum inter utramque civitatem, idque tribuendum judico eorum solertiae cui id negotii a Bononiensibus demandatum fuerat. Idem Hugolinus adfuit cum anno MCCIX Bononienses Medicinam, Argelatam et Imolae comitatum Imperatori cesserunt, in qua quidem cessione, quam diu facere recusaverant, quoad fieri poterat sua jura salva esse voluerunt; ita nimirum consulente Hugolino et item Bandino Familiato illustri juris professore, qui praesens adfuit, quemque formulam ejus deditionis cum Hugolino scripsisse crediderim (7).

VIII. Ipsum quoque arbitrum cum Bagarotto electum novimus ad annum MCCXVII ut dissidia componeret, quae erant inter Commune Bononiensium et episcopum Henricum de jure eligendi praetorem in castris agri bononiensis Persiceto, Duliolo, Enzola ac

ita reprehendit saepe in glossis Hugolinum tum quia ejus inimicus erat tum quia ejus uxorem supponebat. Tandem tantum scivit tractare quod fecit illum bandire de Bononia. Diplovat., *loc. cit.*

(1) Odofred. in Auth. *Cassa*, C. *De SS. Eccl.*

(2) Fasc. II, n. III.

(3) In praesentia testium ad hoc rogatorum et vocatorum videlicet dn. Guidonis de Lambertino.... Ugonis doctoris legum.... Actum in castro monte Velii. *Ext. in Reg. gros. A.* p. 73. Qui autem hic dicitur Hugo doctor idem in aliis tabulis ibidem existentibus, p. 72, dicitur Hugo juris professor, qui profecto alius non est ac noster Hugolinus.

(4) *Extant ejus legationis acta in codice diplomatico ms. civitatis in bibliotheca Instituti Scientiarum.*

(5) *Extant haec acta in Reg. gros. ad an. MCCIII.*

(6) *Ibid. in actis an. MCCIV.*

(7) *Ibid. in actis an. MCCIX.*

Olzano, quae ad Ecclesiam bononiensem pertinebant (1). Anno etiam MCCXX cum nova dissidia inter episcopum et Commune Bononiensium orta essent jamque de iis tollendis ageretur, idque negotium Guizzardino legum doctori datum esset ut cum episcopo tractaret, cum is ad Consilium referret quibus conditionibus pax iniri posset et conditiones Consilio placuissent, publico decreto statutum est standum esse iis conditionibus, de quibus Guizzardinus cum episcopo convenisset; atque acta sunt praesentibus quatuor legum doctoribus, Hugolino Presbyteri, Jacobo Balduini, Bagarotto et Guizzardino ipso (2); in quibus ideo Hugolinum primo loco nominatum existimo quod reliquis dignitate anteiret, doctoris nimirum insigniis ante alios ornatus.

IX. Illud denique Hugolino perhonorificum fuit quod cum Honorius III triennio jam Bononienses urgeret ut statuta quaedam contra scholarium libertatem edita abrogarentur, unus ille prae ceteris professoribus delectus est qui ad Pontificem pergeret ac tentaret Pontificis animum num qua ratione flecti posset et a sententia dimoveri, qua de re tota infra in Rofredo dicemus. Qui vero tam saepe publicis negotiis gerendis adhibitus est multo magis privatorum causis defendendis expeti debuit. Memorat Odofredus plures Hugolini cum aliis doctoribus forenses disceptationes (3) et aliquas etiam Guilielmus Durantes in Speculo (4), ut dubitari non possit quin aeque in schola clarus atque in foro fuerit. S. Dominicum Ordinis Praedicatorum fundatorem anno MCCXXI Bononiae suis Fratribus aedes parantem pecunia juvit non exigua (5). Ac biennio ante, nempe anno MCCXIX, cum fr. Reginaldus domum pro iisdem Fratribus emeret, praesens scribendis tabulis adfuit Hugolinus (6), quo declaratur ejus animi propensio in novum illum Ordinem tunc Bononiae nascentem.

X. Quo anno decesserit non liquet. Anno MCCXXXIII erat adhuc in vivis. Deinceps nullam ejus viventis memoriam reperire licuit (7). Tumulatus est ad divi Petri prope portam quam episcopalem dicebant, ut narrat ex Baldo Diplovataccius. Vivebat iisdem temporibus Hugolinus Presbyteri alter ab hoc nostro legum doctore. Sed is etiam legum studia sequebatur, doctoris tamen honore numquam insignitus. Anno MCCXXI judex erat Communis Bononiae (8); anno autem MCCXXIV Januam profectus est cum Andreolo Bononiensi Januensium praetore (9). Hunc esse puto, qui anno MCCXXXI sub fornicibus palatii Communis Bononiensium occisus est, si vera narrantur a Matthaeo de Griffonibus in annalibus bononiensibus ad eum annum (10). Utrumque Hugolinum praesentem habemus testamento Guidotti Baisii in tabulis archivi Fratrum Minorum anno MCCXIII scriptis. Ac primus in iis tabulis non aliter dicitur quam *Hugolinus doctor legum*. Alter appellatur *Hugolinus nepos presbyteri Sanctae Mariae Rotundae*. Celebris fuit presbyter hic, Huguccio appellatus; ejusque familia, quasi illo

(1) *Ibid. in actis an. MCCXVII.*

(2) *Vide in* GUIZZARDINO.

(3) ODOFRED. in l. *Momentaneae*, C. *Qui legit. person.*

(4) *Speculum*, tit. *De libel. concept.*, § *Utrum libellus* in fin.; et tit. *De sentent. et de his quae ipsam sequ.*, § *Qualiter v. lex debet.*

(5) Anno MCCXXI, die lunae VII intrante Jun. mag. Dominicus emit quamdam soli partem in eo loco ubi nunc est coenobium Fratrum Praedicatorum Bononiae computatis in pretio C libr. bonon. quas dederat dn. Hugolinus doctor legum. Praesens adfuit ipse dn. Hugolinus. *Ex charta archivi Fr. Praedic. Bonon.*, c. 1.

(6) *Annal. Ord. Praedic.*, t. I Append., p. 369, 371.

(7) Anno MCCXXXIII cum Bernardo Parmensi Decretalium glossatore praesens fuit transactioni initae inter canonicos Ecclesiae bononiensis et fratres Cruciferos. *Ex charta archivi canonicorum s. Petri*, fasc. III, num. 3.

(8) Anno MCCXXI, die .... Ego dn. Hugolinus Presbiteri judex Communis Bononiae ex delegatione dn. G. de Puster. potestatis Bon. sententiam dico pro canonicis s. Victoris etc. *Ex charta archivi s. Jo. in Monte.*

(9) CAFFARI. *Annal. Januen. ad an. MCCXXIV*, lib. VI apud MURATOR. *Rer. Ital. Script.*, t. VI.

(10) MATH. GRIF. *Memor. histor. bonon.* apud MURATOR., t. XVIII, pag. 110, 111.

auctore, de Presbyteris alias *del Prevede* deinceps est dicta, ex qua saeculo XIV plures doctores legum extiterunt (1).

XI. Hugolinum legum doctorem vidit audivitque Odofredus senem juvenis; plura enim habet quae se ab Hugolino accepisse et didicisse dicit (2). Numquam tamen dominum ac doctorem suum appellat. Glossas scripsit in legum libros quas excerpsit Accursius. Immo ex Odofredi sententia glossarum apparatus, quem Hugolinus dederat in Digestorum libros, optimus omnium qui ea aetate prodierant reputabatur (3). Cum autem in interpretandis Authenticis Codici insertis earum brevitas illi aliquando displiceret, ipse aliquas ex corpore Authenticorum latius et uberius extraxit quam fuerant ab Irnerio extractae, ut ab Odofredo intelligimus (4). Inter libros, quos anno MCCLXII Bonajunta Peponis doctor Decretorum donavit monachis s. Galgani volaterranae dioecesis, erat *Infortiatum cum apparatu dn. Hugolini* (5).

XII. Scripsit etiam *Distinctionum* librum, cujus id initium fuit: *Munera alia sordida, alia honesta* (6). Atque hic liber, ab antiquis magnopere laudatus, prostabat apud stationarios academiae nostrae, ut quisquis ex legum studiosis ejus exscribendi copiam habere posset (7). *Insolubilia* quoque *dn. Hugolini* indicat Bernardus Montfaucon ab se visa in codice s. Gatiani Turonensis (8). Hunc ait Diplovataccius jussu Friderici II aptasse Authenticorum librum et librum Feudorum post nonam collationem Authenticorum posuisse cum Constitutionibus ipsius Friderici II et Friderici I et aliquot etiam Conradi Imperatoris. Sed Odofredus, quo auctore haec scribit Diplovataccius, id aliter narrat. Fridericum II ait misisse doctoribus bononiensibus constitutionem ab se editam favore Romanae Ecclesiae anno MCCXX cum imperialem coronam a Romano Pontifice accepisset, ut eam constitutionem sub congruentibus titulis Codici justinianeo aptarent. Itaque cum doctores ea de causa ad divi Petri convenissent, ubi suos habere conventus solebant, ad titulum *De Sacrosanctis Ecclesiis* post l. *Privilegia* aptaverunt ejus constitutionis particulam, quae est Auth. *Cassa* (9). Similiter aliis locis, ut opportunum duxerunt, reliquas ejus constitutionis particulas Codici inseruerunt. Non igitur Hugolino id mandaverat Fridericus sed universis doctoribus nostris, quemadmodum narrat Odofredus, et manifestum est ex ipsius constitutionis inscriptione et prooemio prout in libris antiquis manu exaratis habentur (10).

(1) Haec indicavit clarissimus Montius.

(2) Or Signori, dominus Hugolinus reprobat istam rationem, non quod ipse scripserit in aliquibus scriptis, sed ego Odofredus audivi ab eo dum legeret Authenticam istam. ODOFRED. in Auth. *Ex causa*, C. *De liberis praeteritis vel exher.*

(3) ODOFRED. in l. *Dotis causa*, Dig. *Soluto matrimonio.*

(4) *Vide supra in* IRNERIO, § IX.

(5) *Vide Appendicem.*

(6) DIPLOVAT. in *Hugolino.*

(7) *Vide Appendicem.*

(8) MONTFAUC. *Bibliotheca bibliothecar.*, p. 1227.

(9) Quando venit imperator Federicus junior misit has constitutiones ad civitatem istam doctoribus legum, ut aptarent eas singulis legibus sub congruentibus titulis. Et ita fecerunt doctores, dum convenerunt in s. Petro, quoniam istam adaptaverunt ad legem istam. Postea quid fecerunt? Dominus Hugolino post nonam collationem posuit librum feudalem et omnes constitutiones Federici antiqui et junioris et aliquas Conradi imperatoris. ODOFRED. in Auth. *Cassa*, C. *De SS. Eccl.*

(10) « Fridericus Romanorum.... et semper Augustus. Universis legum doctoribus et scholaribus Bononiae commorantibus salutem et gratiam suam. Ad honorem omnipotentis Dei et Ecclesiae Sanctae suae, in die, quo de manu sacratissimi Patris nostri Honorii Summi Pontificis suscepimus Imperii diadema, edidimus quasdam leges, quas praesenti paginae fecimus annotari, per imperialia vobis scripta mandantes quatenus eas faciatis in vestris scribi codicibus et de cetero legatis solemniter tamquam perpetuis temporibus valituras. Sunt autem hae leges: Ad decus et decorem Imperii etc. ». Ita legitur in vetusto codice membranaceo regalis collegii Hispanorum n. 275. Ita etiam in codice pistoriensi, quem indicavit vir clarissimus fr. Antonius Zaccaria S. J. in *Bibliotheca pistoriensi*, pag. 15. In editis tamen ea constitutio inscripta legitur *marchionibus, comitibus, cunctisque populis Imperatori subjectis*, quibus necesse erat eas leges communicari ne quem laterent.

XIII. Sed gravius erratum est a Diplovataccio cum hunc doctorum conventum ad inserendas Friderici leges Codici justinianeo habitum narrat Ticini in ecclesia s. Petri, non autem Bononiae; quare et Hugolinum in ticinensi academia floruisse dicit (1). Decepit Diplovataccium Baldus, qui hunc doctorum conventum Ticini habitum scribit ad divi Petri in Caelo Aureo (2). Verum Baldus vel oscitanter legerat Odofredum, qui unus ex antiquis hoc factum narrat, vel non bona fide id gestum scripsit in ecclesia s. Petri in Caelo Aureo, quod eum minime latebat, in bononiensi ecclesia divi Petri actum fuisse. Neque ullam veri speciem habet Fridericum II ad doctores ticinenses suas leges misisse, quorum nulla tunc erat celebritas. Vetus schola papiensis, quam a Carolo Magno fundatam aliqui volunt, cum jamdiu deserta esset, florere iterum coepit sub finem saeculi XIV curante Galeatio Vicecomite, ac Baldus ipse ex primis fuit qui ei famam conciliavit. Falsi ergo manifeste convincitur, cum doctoribus papiensibus missam tradit Friderici junioris constitutionem Codici inserendam.

XIV. Quoad alias constitutiones Imperatorum ab Hugolino post Feudorum librum digestas, aliqua varietas est editorum librorum cum ineditis. In pervetusto codice Vaticano (3), inter Friderici I constitutiones, post Feudorum librum adjectas, unam reperio quam in libris editis videre non licuit. Ea est de sportulis judicum aliisque ad judicia pertinentibus, et data dicitur IV die Decembris anno MCLXXVII apud Auximum (4). Haec autem varietas, quae est in antiquis libris, comprobat esse verissimum id quod Odofredus scripserat, nimirum in paucis libris decimam collationem, quae constabat ex libro Feudorum et Friderici utriusque atque Conradi constitutionibus, ita reperiri ut ab Hugolino digesta fuerat (5).

XV. Pancirolus Hugolinum non recte secernit ab Hugone Irnerii discipulo, quem obiisse dicit anno MCLXVIII (6). Sed cum ex testimonio Odofredi narrat Fridericum Imperatorem Bononiam misisse constitutionem suam legibus romanis inserendam, quoniam Odofredus Fridericum hunc juniorem appellat, Pancirolus de Friderico II id interpretari debuit. Insano igitur anachronismo vivum facit Hugolinum regnante Friderico II, quem anno MCLXVIII temporibus Friderici I obiisse dixerat. Cum autem Hugolinum ab antiquo Hugone secernere nititur, cespiat magis: *Alii,* inquit, *duos Hugonem et Hugolinum faciunt, qui Hugolinus Fontana cognominabatur.* Quis homo fuerit Hugolinus Fontana hic quaerere non vacat; sed quisquis tandem fuerit, si quidem fuit umquam, nihil illi commune fuit cum Hugolino Presbyteri, de quo hactenus disseruimus. Inter Hugolini auditores unum apprime celebrem novimus Jacobum Arditionis veronensem, de quo postea dicemus (7).

(1) Jussu Friderici II adaptavit Authenticorum librum et librum feudorum et post nonam collationem posuit librum feudorum.... ex Odofredo in Auth. *Cassa,* et Baldo in *Praelud. feudorum.* Floruit Papiae secundum doctores in praelud. feudorum ubi dicunt quod Fridericus misit praedictas constitutiones ad civitatem Papiae, et aliqui dicunt quod misit ad civitatem Bononiae. Diplovat. in *Hugolino.*

(2) Bald. in *Praelud. feudorum.*

(3) Codice Vaticano n. 1435.

(4) *Vide Appendicem.*

(5) Post nonam collationem posuit librum feudalem.... Sed pauci sunt qui habeant ita ordinate in libris suis. Odofred., *loc. cit.*

(6) Pancirol., lib. II, cap. XVII.

(7) Tiraboschi. *Op. cit.,* lib. II, cap. IV, § XVI. — Fantuzzi. *Op. cit.,* art. *Preti Ugolino.* — Savigny. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXVIII. (C. A.)

XXXI.

BAGAROTTUS.

I. Miris modis dissentiunt recentiores bibliographi in hujus professoris nomine designando. Aliqui Vincentium Bagarottum appellant [1]; alii Dominicum Bagarottum [2]. Orlandius noster Bagarottum Gottifredi vocat [3]. Haeret, ut in aliis de hoc professore, ita et in nomine clarissimus Mazzucchellius [4]. Sed unicum et genuinum ejus nomen Bagarottus fuit, quod in multis libris impressis librariorum incuria in Bagerottum deflexit. In antiquis autem civitatis nostrae monumentis, quae de illo admodum multa supersunt, non alio umquam quam Bagarotti nomine appellatur.

II. Claruit is magis dum viveret sive ob doctrinae excellentiam sive ob prudentiam in rebus gerendis, quam post mortem ob ingenii monumenta quae reliquit; quae neque oppido magna sunt, neque ejusmodi ut illum summis jurisconsultis adjungant. Sed vivens tamen principem auctoritatis locum in patria obtinere debuit; neque enim alterum reperio ex doctoribus nostris, cui plura et graviora negotia expedienda publice mandata sint. Atque id etiam, ni fallor, argumento est Bagarottum patria bononiensem fuisse, contra quam aliquibus visum est qui alienigenam dixere [5]. Sed hic error ex eo ortus est, quod posteriori aevo Bagarotti familia e civitate nostra expulsa est cum factionibus et bellis civilibus agitaretur [6]. Atque ea quidem plures doctos viros Patavii protulit [7]. Quare pronum fuit celebrem jurisconsultum Bagarottum ei quoque civitati adscribere.

III. Alidosius eum dicit filium Sinenominis Gottifredi Gottifredii [8]. Sed unde id acceperit more suo non indicat, ut nescias quae ei fides habenda sit. Ego vix ullam hic arbitror; est enim aliunde notus Sinenomen legum doctor filius Sinenominis, alias *Senzanome,* qui post medium saeculum XIII erat in vivis, nec constat ad ejus gentem pertinuisse Bagarottum. Neque absurditas et insolentia ejus nominis patitur, ut frequentius usurpatum putemus. Sed vidit oculatissimus Montius unde hic error manaverit. Cum anno MCCXXXVIII doctores legum, qui tunc Bononiae agebant, consulti essent a reipublicae moderatoribus de minuendis proscriptionum terminis, responsum ex scripto dederunt, apposito singulorum nomine, ut ex tabulis in archivo publico asservatis manifestum est. In iis cum Alidosius vidisset Bagarottum, deinde Sinenomen Guittifredi, postremum hunc Bagarotti patrem crasso prorsus errore existimavit [9]. Florere coeperat Bononiae Bagarottus, Jo. Bassiani (teste Pancirolo) primum auditor [10], anno MCC,

(1) Fontana in *Biblioth. legal.*

(2) *Catalog. Biblioth. imperial.*

(3) Orlandi. *Scrittori bolognesi.* V. *Bagarotto.*

(4) Mazzucchelli. *Scrittori italiani.* V. *Bagarotto.*

(5) Pancirolus gallum fuisse scribit, l. II, c. XXIV.

(6) Bagarottos, cum ghibellinae factionis essent, Bononiae expulsos narrat Ghirardaccius anno MCCLXXIV. Patavii consedisse. Ghirardacci, lib. VII.

(7) Facciolati. *Op. cit.*

(8) Alidosi. *Dottori bolognesi* etc., pag. 39.

(9) Dn. Zacharias Gualingai, dn. Johannes Petri Michaelis, dn. Acursius, dn. Rolandus de Gisso, dn. Bagarotus, dn. Zenzanome, dn. Guitifredi, dn. Ugo de Atrio Dei, dn. Odofredus, dn. Jacobinus de Tebaldis, dn. Bonaventura de Savignano; predicti omnes Domini legum excepto dn. Bagaroto pronunciando consuluerunt et sententiaverunt in communi concordia ac voluntate quod terminus condemnationum possit abreviari occasione arbitrii Potestatis; ipse autem dn. Bagarotus consuluit quod terminus non possit abreviari nisi expresse fiat de termino statuti mensis. A. D. MCCXXXVII, indict. XI, die XIII ex Octo. *Ex tabul. archiv. pub. bonon. quas indicavit clarissimus Montius.*

(10) Pancirol., *loc. cit.*

quo primum ejus mentionem reperio in actis publicis civitatis. Ferrariam, Veronam et Tarvisium legatus est eo anno Bagarottus, ut emeret a Salinguerra et Petro de Remingarda ejus fratre domos, quas Bononiae habebant eo loci ubi publicum civitatis palatium construendum erat. Est hic Salinguerra vir ille praepotens et princeps factionis ghibellinae apud Ferrarienses, cujus pater Torellus sive Taurellus, ad quem pertinuerant domus illae quas Salinguerra et Petrus ejus frater Bononiensibus vendiderunt (1). Erat tunc Bagarottus judex Communis Bononiae, quemadmodum appellatur in tabulis ea de re confectis et in aliis etiam ad annum MCCII scriptis (2). Insequenti anno Ravennam profectus est a nostris missus cum Guidone Lambertino ut foedus inter utramque civitatem firmaretur, quod feliciter actum est; scribendisque conditionibus Bagarottus ipse interfuit Ravennae in aedibus Petri Traversariae (3). Ex eo anno ad annum MCCXVI in actis publicis civitatis Bagarotti memoriam non reperio. Privatorum tamen negotia curasse constat ac praesertim monachorum s. Stephani et canonicorum s. Joannis in Monte, ut ex tabulis quae in eorum tabulariis adservantur (4).

IV. Cum anno MCCXVI Bononiensium praetor Vicecomes monetam bononiensem locaret, interfuit ante omnes Bagarottus legum doctor, non ut unus quilibet ex Consilio civitatis sed ut peritus legum, ne quid rei publicae detrimenti accideret in ejusmodi contractu. Ac recte quidem tunc constitutam fuisse rem monetariam pro ratione eorum temporum non dubito; triennio enim post, anno scilicet MCCXIX, cum novi monetarii successissent, sacramento se obstrinxerunt ut monetam *bonam et legalem* conflarent ad eum modum, quo fieri consueverat Vicecomite praetore. Nondum tunc Bononiae aurum aut argentum purum cudi ac feriri coeperat. Unciis novem cum quadrante cupri optimi miscebantur unciae duae cum tribus quadrantibus argenti; atque ex hac massa solidi XXXXIX et VI denarii conflabantur, idest, denarii DLXXXXIV, solidus enim denariis XII constabat. Itaque ex ejus mixturae massa, quae esset unius librae pondo, moneta conflabatur, quae valebat libras bononienses duas, solidos novem, denarios sex. Semper enim haec fuit librae bononiensis ratio, ut constaret XX solidis, et solidi denariis XII. Sed haec obiter; non frustra tamen. Hinc enim lux aliqua affulget ad valorem librae bononiensis, qui olim erat, intelligendum (5).

V. Ad Bagarottum redeo, cui anno MCCXVII cum Hugolino Presbyteri arbitrium delatum est, ut gravissima dissidia componeret quae erant inter Commune et episcopum bononiensem ob jurisdictionem, quam episcopus in castris Persiceti, Dulioli, Enzolae et Olzani liberam sibi esse debere contendebat ut in iis locis praetorem ipse creare posset; Commune autem Bononiensium repugnabat (6). Haec autem fiducia utriusque

(1) *Ex tabulis pluribus in Reg. Nov.*, p. 96, 97.

(2) *Extant in archivo s. Jo. in Monte.*

(3) *Extant in Codice diplom. civit. Bonon. ms. in biblioth. pub. Instituti Scientiarum.*

(4) An. MCCII. Dn. Pascenspauperem et dn. Bagarotus judex praesentes cuidam instrumento canonicorum s. Jo. in Monte.

An. MCCVI. Dn. Bandinus doctor legum et dn. Bagarotus doctor legum praesentes item instrumento emphyteusis Azonis abbatis s. Stephani. *Extat utraque charta in archivo s. Jo. in Monte.*

Est alia charta mutila, sed quae tamen omnino scripta videtur circa initium saeculi XIII, qua continentur acta quaedam in causa monachorum s. Stephani coram dn. Jacobo abbate s. Proculi et mag. Johanne decretista et mag. Vernatio, a dn. Papa judicibus delegatis, presentibus dn. Bagaroto et dn. Guidone Boncambii. *Extat in archiv. s. Steph., nunc amplissimi Senatus bononiensis.*

(5) Monetam bonam et legalem faciam.... et tres uncias minus uno quarterio argenti mittam et IX uncias et unum quarterium de ramo et XXXXIX solid. et VI denar. de denariis modenatis per libram bonon. ponderatam faciam secundum consuetudinem monete facte tempore dn. Vicecomitis potestatis etc. *Ex actis pub. civit. ex Reg. gros. ad an. MCCXIX*, pag. 350.

(6) An. MCCXVII die octava exeunte Decembri congregato consilio.... major pars cujus consilii et dn. Guido de Canossa potestas Bononia constituerunt dominos Graidanum et Ugolinum Aldrevandi procuratores

partis in Bagarottum et Hugolinum satis ostendit quod hominum judicium esset de eorum aequitate et prudentia. Biennio post cum Guidone Alberici et Ranfredo legum doctore Pistorium legatus est a Bononiensibus, ut pacem inirent cum ea civitate et agrum Sambucanis ereptum a Pistoriensibus, propterea quod Bononiensibus se dediderant, restitui curarent, quod optimo successu actum est et pax inter utramque civitatem firmata et Sambucae incolis agri restituti ex sententia Hugolini ostiensis episcopi, quemadmodum cum Bagarotto aliisque legatis Bononiensium constitutum fuerat (1).

VI. Eum quoque interfuisse reperio anno MCCXX cum Conradus metensis et spirensis episcopus, Friderici II legatus, Bononienses absolvit a sententia episcopi taurinensis, qua grandi pecuniae summa multati fuerant ob occupatum imolensem comitatum (2); et anno item MCCXXVII praesens adfuit cum promulgaretur ejusdem Friderici constitutio, qua abrogabantur quae ab ipso in Bononienses, praesertim de abolendis scholis, decreta fuerant (3). Deinceps ad annum usque MCCXXXVIII nihil de Bagarotto occurrit in monumentis bononiensibus. Anno MCCXXXXII praesentem reperio transactioni cuidam inter Jacobum Guidonis Lambertini et Isnardum abbatem s. Stephani (4). Neque diutius multo post annum illum vixisse existimo; quem admodum senem jam fuisse oportet, siquidem jam inde ab anno MCC Bononiae florere coeperat.

VII. Filios Bagarotti novimus Conradinum (5) et Manentem (6) ex antiquis tabulis; ex quibus etiam constat Bagarotti posteros, quoad Bononiae fuerunt, de Conradis esse appellatos (7). Ubi autem cum Lambertacciis proscripti in patavinam civitatem recepti sunt, ex Bagarotti jurisconsulti nomine cognomentum sumpsisse videntur, vetere relicto quod Bononiae gesserunt; ut enim cum Bononiae essent vix umquam Bagarotti sunt dicti, sic numquam ubi Patavium concessere Conradorum agnomen usurparunt.

VIII. Scripta, quae Bagarottus reliquit quaeque ad nos pervenerunt, haud multa sunt ut supra diximus. Ostendunt illum maxime in judiciis et foro versatum fuisse. Scripsit enim tractatum *De reprobatione testium*, qui editus est in *Oceano Juris* (8). Scripsit etiam tractatum *De exceptionibus dilatoriis et declinatoriis*, qui ibidem editus

communis Bonon. ut nomine et vice ipsius communis promittant dn. Episcopo Bonon. sub pena C marcarum argenti et recipiant promissionem ab eodem Episcopo sub eadem pena de stando obediendo et ratum habendo laudo et arbitrio dn. Bagarotti et dn. Ugolini legum doctorum de discordia que erat inter ipsum commune super election. pot. faciendis vel non faciendis in terris in quibus dicitur ipsum Episcopum habere jurisdictionem.... *Reg. gross.*, pag. 332.

(1) An. dn. MCCXIX, kal.... indict. sept. In ecclesia s. Zenonis de Pistorio presentibus dn. Bagarotto legum doctore, dn. Guidone Alberici ambaxiatoribus communis Bonon. et dn. Ranfredo legum doctore.... Nomina illorum civitatis de Pistoria qui juraverunt ut in praedicto Brevi legitur.... Ad audiendam sententiam dn. Ugolini legati secundum tenorem et formam et tractatum habitum inter ipsum dn. Ugolinum et dn. Bagarottum et dn. Guidonem Albrici nomine communis Bonon....

Lata est sententia Hugolini Ostiensi Episcopi die XVI Aug. ejusdem anni, et anno sequenti die VII intrante Aprilis in palatio Episcopi Pistoriensis petitur, ut Pistorienses restituant possessiones hominibus de Sambuca qui propter guerram venerant ad partes Bononiensium secundum formam sententiae dn. Ugolini Episcopi Ostiensis. *Ex actis pub. in Reg. gross. ad an. MCCXIX et MCCXX.*

(2) An. MCCXX kal. Septembris. Conradus Metensis et Spirensis Episcopus, Friderici II legatus, Bononienses absolvit a banno in quo positi fuerant ab Episcopo Taurinensi praesentibus Bagarotto legum doctore, Guidone Boncambii, Gerardo de Butrio, Guizzardino doctore legum, Guidone Tantidenarii, aliisque. *Reg. gross.*, pag. 456 *t.*

(3) *Vide Appendicem.*

(4) Ex tabulis eo anno scriptis, quae sunt in archivo monachorum s. Stephani, nunc Senatus bononiensis.

(5) An. MCCXXXIV in consilio speciali populi bononiensis, quod credentiae dicebant, occurrit Conradinus dn. Bagarotti. *Ext. in Reg. nov.* Indicavit clarissimus Montius.

(6) An. MCCLXXII. Dn. Manente qu. dn. Bagarotti legum doctore infirmus fecit suum testamentum die XII ex Decemb. in capella s. Michaelis de Lebroxeto etc. *Ex Memorial. Com. Bon.* Indicavit idem vir clarissimus.

(7) An. MCCLXXIII. Dna. Jacobina filia Gerardi Abaisii et uxor qu. dn. Manentis qu. dn. Bagarotti de Coradis. *Ex Memor. Com. Bonon.*

In libris quoque expulsorum inter Lambertaccios recensentur Simon, Zoannes, Jacobus qu. Coradini de Coradis. Vidit clarissimus Montius.

(8) T. III, p. II, pag. 128 et t. IV, pag. 298.

est. Fatetur autem initio ejus libri, se illud opus suscepisse suadente nobilissimo socio Jacio Parisiensi et archidiacono et patre suo (1). Sed hic videtur mendum esse in libris editis, nec manu exaratos reperire licuit qui dubium tollerent. Constat autem socios appellari consuevisse a doctoribus auditores suos honoris causa, quare dubium non est quin Jacius iste Bagarotti discipulus fuerit. Sed num idem homo sit quem et archidiaconum et patrem suum vocat incertum reputo.

IX. Guilielmus Pastrengus in paucis quos commemorat legum professores qui ad aetatem suam floruerunt Bagarottum non omittit et tractatum ab eo scriptum recenset, qui appellatur *Cavillationes Bagarotti* (2); quem Bagarotti tractatum memorat etiam Diplovataccius (3) aliique. Edidit Ubertus de Bonacurso librum *De praeludiis causarum*, Bagarotti *Cavillationibus* quam simillimum. Uter eorum plagii crimine teneatur Deus novit, ut inquit Joannes Andreae (4). Scripsit etiam *De judicis recusatione* et tractatum, qui incipit: *Ab accusatore*, quem deperditum ait Pancirolus. Sed fortasse unus atque idem tractatus Bagarotti, diverso titulo designatus, pro diversis tractatibus habitus est.

X. Lipenius in Bibliotheca reali juridica Bagarotti glossas memorat Bononiae editas anno, ut ipse ait, MDLXXXVII; quem librum, si quis quaerat, facilius delphinum in silvis, aprum in fluctibus reperiet. Legerat nimirum apud Alidosium et Orlandium scriptas a Bagarotto glossas in legum libros, quod verissimum est. Atque has glossas, quarum vix tenuis memoria nunc restat, nescio quo mentis errore, Bononiae typis editas scripsit. Simile aliud Lipenio erratum excidit, cum Bononiae anno MDXIX typis editas scripsit glossas Irci Beccarii, qui numquam inter homines nedum inter professores nostros fuit, et Henrici de Baila, cujus glossae, nisi si quae forte accursianis permixtae sunt, multis ab hinc saeculis perierunt; ut alio loco diximus (5).

XXXII.

GUIZZARDINUS.

Floruit cum Bagarotto Guizzardinus legum professor, aetate sua celebris. Ejus mentio non infrequens est in actis publicis civitatis nostrae ac praesertim ad annum MCCXX, quo semel et iterum a Communi Bononiensium ad episcopum civitatis cum undecim sapientibus missus est, ut cum illo de pace ageret. Erat ille graviter offensus ob turbatam jurisdictionem et ecclesiasticam immunitatem violatam; qua de causa anathematis sententiam dixerat in praetorem et Consilium universum. Quam vero feliciter hoc negotium a Guizzardino confectum sit, narrant historici nostri (6). Damus in

(1) Precibus et instantia nobilissimi socii dn. Jacii Parisiensis et archidiaconi et patris mei, ego Bagarottus professor juris civilis paucis verbis expono.

(2) Bagarottus unus ex juris civilis professoribus, causis implicitus, libellum edidit, cujus titulus qualis in agendis litibus fuerit praestat indicium: cavillationes namque Bagarotti nuncupatur. Guiliel. de Pastrengo. *De origine rerum*, pag. 15.

(3) Diplovat. in *Bagarotto*.

(4) Bagarottus libellum composuit, et incipit: *Precibus et instantia;* et tractatum, qui incipit: *Ab accusatore;* composuit et secundum, cui *Cavillationum* nomen imposuit; et incipit: *Cum periculosum fit mihi;* et *De judicis recusatione* premittit. Scias tamen hoc quasi per omnia idem opus ad literam cum opere Uber. de Bonacur. de quo sequitur, quod aliquis horum fur fuerit. Quis autem fuerit, relinquamus illi cujus est furta punire alterius; igitur nomen quoad illud opus expressum pro utroque sufficiat. Joann. Andreae in *Addit. Specul. in prooemio*.

(5) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XVI. — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Bagarotto*. — Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXIX. (C. A.)

(6) Ghirardacci. *Historia di Bologna*, lib. V.

Appendice ejus rei monumentum ex actis publicis petitum (1). Eodem anno cum aliquot aliis legum professoribus et nobilissimis civibus praesens adfuit, cum a Friderici II legatis civitas nostra in gratiam ejus principis recepta est, condonatis poenis ad quas ex ejus sententia teneri dicebantur (2). Obstrinxerat Guizzardinus suam fidem academiae nostrae juramento ex solita forma concepto, anno MCCXVI (3). Post annos sex finem vivendi fecit idibus Septembris anno scilicet MCCXXII, ut ex necrologio s. Joannis in Monte intelligimus, ubi ad illum diem ejus obitus notatur: *Ob. dn. Guizardinus ll. doct. fr. nr. cujus anima vivat in Christo. Anno MCCXXII.* Aliqua scripsit Guizzardinus, quae jamdiu perierunt aut jacent in tenebris. Erant haec cum aliquot aliis libris, quos magister Guilielmus remensis, laudonensis et pontisarensis canonicus Bononiae habebat pignori obligatos apud argentarios (4).

XXXIII.

JACOBUS BALDUINUS.

I. Ex innumeris auditoribus qui in Azonis schola eruditi sunt haud scio an quisquam Jacobo Balduino praestiterit. Natus est Bononiae saeculo XII ad finem vergente ex familia quantum conjicere possumus clara et nobili. Ab Ostiensi, qui ejus discipulus fuit, Jacobus de Balduino appellatur (5); ex quo apparet Balduini filium fuisse, nec audiendus est Alidosius qui Joannis filium dicit (6). Appellatum quoque ait Alidosius Jacobum de S. Barbatiano, quod ejus domus esset prope s. Barbatiani ecclesiam. Sed hanc appellationem Jacobo tributam nullibi reperio. Clarissimus Montius, quem nihil latet ex antiqua historia bononiensi, et Baldinum Jacobi patrem et Joannem ejus fratrem, quem Alidosius pro patre dederat, et Januensem sororem ex antiquis tabulis perspectos habet (7). Cum jus civile cum Azone didicisset, eo adhuc superstite docere coepit magno scholarium plausu. Fecit autem id, quod novi doctores interdum solent, qui magnis ausibus ad famam nituntur ut prae suis magistris se efferant et eorum opiniones vel aperte improbent et rejiciant, vel non satis tuto sequi se posse existiment, nisi novis rationibus ab se excogitatis suffulciant et muniant. Fertur itaque Jacobus Balduinus Azoni magistro suo palam obtrectatus, ejus sententias multo liberius rejecisse quam tanti viri dignitas ferre potuisset, immo et falsae doctrinae notam eidem audacter injecisse (8). Quod

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Ghirardacci. *Op. cit.*

(3) *Vide Appendicem.*

(4) Unum librum scriptorum dn. Guizardini super Codice cum aliis libris redimit mag. Bernardus de Virgiliacho procurator mag. Guilielmi Remensis, Laudonensis et Pontifarensis canonici a Bonsignoribus argentariis anno MCCLXXXXIII.

[Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXVIII]. (c. a.)

(5) Ostiensis, tit. *De pactis*, § *Quae sunt divisiones.*

(6) Alidosi. *Dottori bolognesi etc.*, pag. 92.

(7) In Consilio populi bonon. quod credentiae appellabant, anno MCCXXXIV, occurrit « dn. Johannes frater dn. Jacobi Balduini ». *Extat in archiv. pub. in Reg. novo.*

Ita in memorialibus Communis Bononiae ad anno MCCLXXIII occurrit « dna Januensis filia qu. dn. Balduini, soror dn. Joannis Balduini, uxor qu. dn. Alberti de Gallutiis ». Indicavit clarissimus Montius.

(8) Dn. Jacobus Balduinus, qui multum persequebatur doctorem suum dominum Azonem. Odofred. in l. *Filium*, C. *Familiae herciscundae.*

Dixit dn. Azo.... Dominus tamen meus (nempe Jacobus Balduinus) contradicebat, et dominum Azonem lapidabat de hoc. *Id.* in l. *Idem Pomponius*, Dig. *De dolo malo.*

Or segnori, glossavit hic Azo unum, de quo dominus meus scandalizavit eum ab initio diei usque ad occasum, accusans eum etiam de haeresi, dicens quod falsum dicebat. *Id.* in l. *Bonorum possessio*, C. *Qui admitti ad bon. poss. non pos.*

adeo Azonem commoverit ut ira percitus impudentis mendacii illum accusaverit et ingratum discipulum mentiri publice proclamarit (1).

II. Quo tempore docere coeperit discimus ex formula juramenti quo se obstrinxit non habiturum se alibi scholas jurisprudentiae quam Bononiae. Id anno MCCXIII actum est septennio ante, quam Azo finem vivendi fecerit (2). Hinc palmaris error Catelliani Cottae et Marci Mantuae refutatur, qui Jacobum Balduinum annis aliquot post Accursium floruisse scripserunt (3). Adeo enim Jacobus Balduinus post Accursium non vixit ut eum potius praecesserit. Alidosius Jacobum Balduinum scribit a scholaribus ad docendum electum fuisse, quod saepe jam diximus alienum esse ab usu eorum temporum. Expetitum autem maximopere a scholaribus non dubito et eo temporis interstitio, quod fluxit inter obitum Azonis et Accursii celebritatem, aut reliquos professores ab eo superatos aut eum a nemine superatum existimo. Itaque principem jurisprudentiae scholam, quam post Irnerium nobilitavit Bulgarus, et post Bulgarum moderatus est Joannes Bassianus, post Joannem Bassianum Azo, eamdem Azonis successor tenuit Jacobus Balduinus. Atque hanc doctorum successionem in eadem schola saepe extollit Odofredus. Sic autem fuisse dicitur in docendo assiduus Jacobus Balduinus ut ne ruri quidem cessare consueverit. Sed Felinum et alios, qui id narrant, decepisse videtur locus quidam non recte intellectus ex Summa Ostiensis. Videntur enim, pro facto id accepisse, quod Ostiensis fieri potuisse finxerat (4).

III. Sed Jacobus etiam in foro et judiciis nedum in schola plurimum valuit nec minima ejus prudentiae opinio fuit. Eo factum est ut Januenses illum in potentissimae civitatis suae praetorem in annum MCCXXIX elegerint, qui saepe consueverunt ex nostris primariis civibus praestantes viros ad illud munus assumere, uti fuerunt Lambertinus Guidonis Bualelli (5), Andreolus (6), Brancaleo Andalonis (7), qui paulo ante Jacobum Balduinum januensem praeturam gesserunt et alii plures deinceps de quibus in Annalibus Januensium a Caffaro scriptis sit mentio. Atque ob eam electionem putavit jure ab scholis abesse posse, ut notat Odofredus (8). Sed tamen Jacobo Balduino praetura januensis minus prospere cessisse dicitur. Cum enim patricium quemdam virum ex primoribus civitatis ob atrox facinus suspendio necari jussisset contra municipales Januensium leges, quae in nobiles cives non laqueo sed gladio animadverti mandabant, exauctoratum dicunt praetorem, et nova lege cautum a Januensibus ne quis in posterum qui esset legum doctor civitatis praetor crearetur (9) Jacobum enim sciebant, utpote legum peritissimum, probe intelligere in atrocioribus criminibus fas esse leges ipsas transcendere quod illi aegre patiebantur (10). Itaque illum ajunt Bononiam reversum et scholae ac foro restitutum.

(1) ODOFRED. in l. *Scripturae, C. De fide instrum. Vide supra in* AZONE, § XI.

(2) *Vide Jacobi Balduini sacramentum in Appendice.*

(3) MARC. MANTUAE. *Epit. vir illustr.*, n. 145. — CATELL. COTTA. *Recensio jur interpret. V. Jac. Balduin.*

(4) Ita suspicatur clarissimus Montius. Est autem Ostiensis locus: « Tamen non facio vim in hoc, sed in studio. Qui enim si dn. Jacobus de Bald. hodie viveret, et transferret se ad aliquod castrum ex causa et ibi solum doceret, numquid relinquens studium Bononiae, quia magis crederet cum ipso proficere, quam cum aliis praebendam suam haberet? Credo quod sic ». OSTIENSIS ad can. *Tuae fraternitatis. De cler. non resid.*

(5) Hic praetor Januensium fuit anno MCCXVIII, MCCXIX, MCCXX. *Ex annalibus Caffari ad eos annos.*

(6) Anno MCCXXIV. *Ibid.*

(7) Anno MCCXXV. *Ibid.*

(8) Dominus meus Jacobus Balduinus dum fuisset electus in potestatem civitatis Januae, auctoritate hujus legis, recepit dictam potestariam et cessavit in studio per biennium. ODOFRED. in l. *Lecta*, Dig. *De rebus creditis.*

(9) PANCIROL. ex *Alberico.*

(10) INNOC. IV in can. 1 *De constit.* apud M. MANTUAE in op. n. 145.

IV. Haec ex Alberico Pancirolus, quae nullam meo judicio fidem merentur. In Januensium annalibus a Muratorio editis altum de his silentium reperio. Magnis vero laudibus effertur Jacobus Balduinus ob praeturam egregie administratam, nam civitatis tranquillitati et civium concordiae diligenter prospexit, foedera cum aliis civitatibus reipublicae utilissima sanxit, commercium maritimum sedulo curavit; adeo autem in publico Consilio assiduus fuit ut non solum interdiu, sed quandoque ad multam noctem absque cibo publicis negotiis pertractandis intentus vigilaverit. Quam autem grata fuerint civitati universae haec optimi praetoris officia, tunc manifeste apparuit cum ei uni potestas facta est reformandi et in novam formam redigendi populi januensis leges et statuta, quod ab ipso diutina et solerti opera perfectum est. Verum hoc Januensium favore animatus, cum non diffideret posse sibi in posterum annum praeturam prorogari, jamque illum constaret totis viribus in eam rem niti et electores de eo retinendo deliberarent, excitato populari tumultu, quod ea res contra jus fasque esse videretur, successorem dari oportuit. Haec uti gesta sunt in Annalibus Januensium a Caffaro narrantur (1); quorum auctor accuratus et diligens, quamquam Jacobum Balduinum ob praeturam optime gestam non perfunctorie laudat, non dissimulat tamen nimiam quamdam ejus vel de minimis quibusque rebus sollicitudinem et anxietatem, quae gravis et incommoda erat populi primoribus ceterisque delectis viris cum quibus de Republica agi oportebat (2); neque etiam libenter auditum esse narrat, quod illi emendandorum statutorum provincia delata est, de qua re maximum fuisse tumultum dicit (3). Sed nihil hic de viri nobilis supplicio, nihil de lege populi januensis, qua vetaretur, ne quis deinceps legum doctor ad praeturam accerseretur. Quam quidem legem Januae latam non existimo ea etiam ratione, quod post Jacobum Balduinum praeturam aliquando tributam Martino Fanensi illustri legum doctori compertum est.

V. Pancirolus Jacobum Balduinum traducit etiam tamquam malum civem, qui Bononiae cum esset ingenti civium studio creatus decurio, accepta pecunia, adversus Commune Bononiensium causam privati cujusdam defenderit. Cum autem a Guilielmo de Posterla, qui tunc praeturam bononiensem gerebat, inofficiosae actionis argueretur, respondisse fertur id se pro consuetudine civitatis fecisse. Sed Odofredus (4), a quo haec Pancirolus accepit, non probat quidem eam consuetudinem quae Bononiae inoleverat ut legum doctores et advocati qui essent in Consilio civitatis, adversus civitatem ipsam patrocinia causarum susciperent; sed id Jacobo Balduino nominatim vitio non vertit nec eum dicit ingenti studio civitatis electum decurionem. Non egebant doctores Odofredi aetate populi suffragio ut in Consilium cooptarentur; semper enim eorum ratio habita est et doctores omnes cum legum tum decretorum tamquam praecipui cives reliquis sapientia praestantes, locum ante omnes et quidem supra numerum obtinebant

(1) Caffari. *Annal. Januen.* — Murator. *Rer. Ital. Script.*, t. VI, pag. 456, 457.

(2) « Officiales et consiliatores, et vocatos ad Consilia.... tam pro minimis, quam pro magnis contra voluntatem ipsorum, non distinguendo inter diem et diem, nec inter horam et horam, fecit pluries jejunare ». *Ibid.*

(3) « Tamen ex eo, quod fuit constitutus emendatur, maximus rumor fuit ». *Ibid.*

(4) « Dum Commune Bononiae haberet causam cum aliqua privata persona de aliqua re, et statuisset ei terminum ad ostendendum quomodo esset sua, illa privata persona ivit ad dominum Jacobum Balduinum et duxit eum ad dominum Guilielmum de Postilla (lege Posterla) et dominus Jacobus dixit: veniamus coram eo. Unde dominus Guilielmus interrogavit dominum Jacobum Balduinum si erat de Consilio. Qui respondit, quod sic. Et ipse dixit ei: quomodo venistis advocandum contra Commune Bononiae? Dixit dominus Jacobus Balduinus quia consuetudo admittit. Sed non bene excusavit se ». Odofred. in l. *Hi qui fisci*, Dig. *De postulando*.

in Consilio civitatis (1). Ob hanc causam tolerari posse videbatur ea consuetudo ut aliqui doctores pro re nata causas privatorum contra Rempublicam quandoque defenderent. Quoniam autem gratuitum patrocinium nemini praestare tenebantur, non propterea culpandi erant quod a suis clientibus pecuniam acciperent. In re igitur non satis sibi perspecta cespitavit Pancirolus.

VI. Sed Jacobum Balduinum bonum civem fuisse reputatum et patriae cum primis studiosum facile intelligi potest ex paucis quae supersunt eorum temporum monumentis et actis publicis civitatis. Constat enim rebus publicis administrandis assiduam operam ab eo impensam annis multis ab anno scilicet MCCXIII ad MCCXXXIII (2). Post annum MCCXXXIII nullibi ejus memoriam in nostris monumentis reperio. Vixit tamen ad annum usque MCCXXXV, quo anno ejus obitus in necrologio s. Salvatoris adnotatur ad diem XII kalendas Maji. Non igitur aetatem produxit usque ad annum MCCXXXX, ut aliqui scripserunt (3). Alidosius sepultum ait e regione ecclesiae s. Barbatiani secus viam, indeque amotum tumulum post annos multos, quod ejus moles coangustata via iter publicum minus commodum efficiebat (4).

VII. Num quos filios reliquerit Jacobus Balduinus mihi incompertum est. Alterum Jacobum Balduinum reperio qui aliquanto serius vixit. Is etiam legum studia secutus est non tamen doctor creatus, ac judex tantum fuit. Ex eadem familia cum Jacobo legum doctore editum existimo, ejus fortasse nepotem. Is anno MCCLXXVII a praetore Bononiensium ex consilii sententia cum Nicolao Avenzonio item judice delectus est, ut de pace tractaret inter Opizonem Estensem marchionem et Bonifacium archiepiscopum ravennatem (5). Atque ejus non semel mentio est in libris historiarum bononiensium (6). Sed haec obiter. Jacobi legum doctoris mortem deflevit Petrus de Vineis in epistola, quam ad universos juris professores ob eam causam dedit. Edita est cum hoc titulo: *De morte Jacobi Baldewini* (7). Dicitur autem Jacobus *unicus et singularis homo in terris, in quo velut in proprio sinu leges convenerant et vivebant, eloquentiae jubar et consilii plenitudo sedebat.* Haud scio an quidquam honorificentius de Jacobo Balduino dici potuerit. Tribuitur haec epistola Petro Blesensi, et revera cum aliis hujus auctoris epistolis edita est in Bibliotheca Patrum et a Cussanvilleo seorsim cum reliquis operibus Petri Blesensis (8). Sed non recte omnino; neque enim lugere poterat obitum Jacobi Balduini Petrus Blesensis, qui annis pluribus ante illum obierat.

VIII. Jacobus plurimos habuit discipulos, quorum celeberrimi fuerunt Odofredus et Ostiensis, qui magistrum saepe laudant ejusque opiniones sequuntur. Baldus excellentissimum doctorem vocat (9), eique assentitur Bartholus (10) aliique veteres legum

(1) Civitas Bononiae habet duo millia consiliariorum, exceptis doctoribus. ODOFRED. in l. *Jus autem*, Dig. *De justitia et jure.*

(2) An. MCCXIII interfuit locationi quorumdam bonorum Communis Bononiae cum Guidone Boncambii legum doctore. *Ex Reg. gross.*, pag. 318.

An. MCCXX praesens fuit cum a legato Friderici Imperatoris civitas in gratiam recepta est. *Ex* GHIRARDAC. *Histor. Bonon.*, lib. V.

Eodem anno Jacobus cum aliis sapientibus viris delectus ad pacem cum episcopo firmandam. Alia de genere hoc occurrunt in actis publicis civitatis usque ad annum MCCXXX, quae brevitatis causa omittuntur.

(3) GHIRARDACCI. *Op. cit.*, lib. V.

(4) ALIDOSI. *Dottori bolognesi*, pag. 92.

(5) An. MCCLXXVII indict. quinta die septima intrante Madio dn. Aldigerius de la Senaza potestas Bonon.... de voluntate Communis Bonon.... constituerunt discretos viros dn. Nicolam de Avenzonibus et dn. Jacobum Balduinum judices et ambaxatores Communis Bonon. absentes procuratores ad tractandum de pace inter dn. Bonifacium Archiep. Ravenn. et suos sequaces et dn. Opizonem Estensem et Commune Ferrariae etc. *Ex charta archivi Ecclesiae Metropolit. Ravenn.*, n. 6434.

(6) GHIRARDACCI. *Op. cit.*

(7) PETRI DE VINEIS. *Epist.*, lib. IV, ep. IX.

(8) *Est inter epistolas Petri Blesensis*, ep. CLXXVI.

(9) BALD. in l. *Vacuatis*, C. *De decurion.*

(10) BART. *Ad SC. Turpilianum*, § *Suspectis.*

interpretes (1). Illud autem singulare quod de illo narrat Diplovataccius ex Petro de Bellapertica; eum nempe noctem unam egisse insomnem ante aram Deiparae Virginis ut Deus sibi solutionem ostenderet antilogiae quam in lege quadam deprehenderat, in qua lege interpretanda vel ipsi Accursio aqua haerebat (2). Sed Diplovataccium deceptum arbitror nec bene assecutum esse sententiam Petri de Bellapertica. En Diplovataccii verba in Jacobo Balduino: « De isto dicit Petrus Bellapertica in l. *Julianus,* Dig. *Qui satisdare cogantur*, quod glossa (lege glossator) quando glossabat illam legem, non habebat notitiam illius legis. Sed Jacobus Balduinus doctor suus vigilavit una nocte coram altare b. Mariae ut Deus daret solutionem illius contrarii et non vidit postea in allegata lege. Sed si ante glossavit, dico quod glossa bene dicit, sed nescit quia verum dicit sicut qui cantavit per naturam ». Haec Diplovataccius; qui Jacobo Balduino tribuit id quod Jacobo de Ravanis tribuendum fuerat. Hunc enim praeceptorem habuit Petrus de Bellapertica non autem Jacobum Balduinum, qui extremum diem obiit cum nondum, ut opinor, Petrus de Bellapertica natus esset. Sic itaque scripsisse arbitror Petrum de Bellapertica *Jacobus doctor meus,* quod cum referret Diplovataccius existimans illum esse Jacobum Balduinum, imprudenter scripsit *Jacobus Balduinus doctor suus.* Si typis edita essent integra Petri de Bellapertica in Digestorum libros commentaria, conjecturis opus non esset ad hanc quaestionem dirimendam. Sed neque typis edita neque manu exarata reperire licuit, quae ab eo scripta sunt in l. *Julianus,* Dig. *Qui satisdare cogantur.*

IX. Vixit Jacobus Balduinus cum Azone magistro suo cum Hugolino Presbyteri, Bagarotto, Accursio, Bandino, Guizzardino aliisque legum professoribus, qui aetate illa in academia nostra excelluerunt, ut nihil dicam de Tancredo, Joanne Teutonico, Vincentio Hispano, Bartholomaeo Brixiensi aliisque plurimis professoribus canonum; numquam enim major fuit quam aetate illa studiosorum frequentia et professorum celebritas. Scripsit Jacobus Balduinus egregia commentaria in Pandectas et Codicem, quibus magnopere usi sunt posteriorum temporum interpretes. Odofredus in primis et Accursius plurima ab eo mutuati sunt. Scripsit etiam tractatiunculam de primo et secundo Decreto, quam primo brevem admodum edidit mox autem multo locupletiorem, ut monet Joannes Andreae in additionibus ad *Speculum juris* (3).

XXXIV.

GUIDO BONCAMBIUS.

Guidoni Boncambio praeclarum genus fuit ejusque familia diu in civitate nostra floruit. Is anno MCCXIII usitato sacramento se addixit scholis nostris in quibus jus civile longo annorum cursu professus est (4). Ejus memoria saepius occurrit in actis publicis ab anno praesertim quem diximus ad annum MCCXXXIII. Nulla ejus scripta supersunt ac nihil fortasse literis mandavit. Judex appellationum pro Imperatore fuit

(1) Petr. Boaterius in *Lect. artis notar.*, rubr. 141, 142. — Alberic. in l. *Lecta,* Dig. *Si cert. pet.*

(2) Diplovat. in *Jacopo Balduino.*

(3) Joann. Andreae in *Addit. ad Spec.*, rubr. *De primo et sec. Decret.*

[Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV. — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Giacopo Balduini.* — Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXIX]. (c. a.)

(4) *Vide Appendicem.*

in civitate nostra pro causis quibusdam civilibus ex jurisdictione quam sibi servaverat Fridericus Aenobarbus in civitatibus italicis. Atque id munus gerebat ad annum MCCXXV (1). Cum anno MCCXX Conradus metensis et spirensis antistes Friderici II legatus Bononienses absolvisset a noxa, qua tenebantur ob spreta ejus principis jussa, Guido cum aliquot aliis legum doctoribus et primariis civibus scribendo Conradi decreto interfuit (2). Anno autem MCCXXVI exeunte Novembri in conventu, quem rectores societatis, ut appellabant, Lombardae, Bononiae in palatio episcopi habuerunt cum legati delecti essent qui cum Friderico II de pace tractarent, ex eorum numero fuit Guido Boncambius; cui rursus in eodem conventu negotium datum est, ut idem cum Pontifice et cardinalibus ea de re ageret. Testes adfuerunt Bagarottus et Semprebonus doctores legum (3). Anno MCCXXXI conventui mantuano interfuit cum Bonifacio Bonconsilio legum doctore, in quo conventu Mantuani et Ferrarienses se adjunxerunt societati Lombardae (4). Rursus quum anno MCCXXXIII arbitrio Joannis Vicetini Ordinis Praedicatorum professoris, viri sanctissimi, cui id in primis divinitus datum videbatur ut dissidentium animos ad concordiam perduceret, episcopus et populus bononiensis finiendam permisissent veterem et acerbissimam controversiam, quae inter eos erat ob castra quaedam et pagos agri bononiensis, quae populus bononiensis aegre patiebatur episcopo subjecta esse, promulgandis concordiae legibus Guidonem interfuisse comperimus (5). Praesens adfuit eidem concordiae sanciendae Jacobus Boncambius, quem scriptores nostri Guidonis filium fuisse tradunt (6), sed fratrem fuisse constat (7). Is autem eo ipso anno cum Joannem Vicetinum e superiore loco dicentem et vitia acriter, ut solebat, increpantem audivisset, subito compunctus e laxiori vita conversus fuerat, et ut Deo liberius servire posset ad Ordinem Praedicatorum convolaverat, in quo annis aliquot religiose admodum vixit. Sed Innocentius IV ejus virtute cognita Jacobum ad se accivit et vicecancellarii pontificii munere fungi voluit. Demum bononiensem episcopum creavit, qua in dignitate ita vixit ut eximiae sanctitatis et prudentiae laudem sit assecutus, dignus propterea qui post mortem beati nuncupationem obtinuerit (8).

XXXV.

LAMBERTINUS MALATACCHIUS.

SEMPREBONUS.

I. Vivebat his temporibus Lambertinus Malatacchius legum professor, ex familia olim in nostra civitate non obscura editus. Hic anno MCCXXIV sententiam dixit in quadam causa appellationis, quam ei definiendam commiserat Jacobus Peluchius judex Guilielmi Burrii Bononiensium praetoris (9). Quadriennio ante erat in Consilio civitatis,

(1) « An. MCCXXV, XI intrante Junio. Ego Guido Boncambii legum doctor et imperialis curiae judex et cognitor causarum appellationis, quae excedunt quantitatem XXV libr. imperialium in civitate Bononiae, nunc cognitor causae appellationis a sententia dn. Prendipartis etc. ». *Ex charta archivi monachorum s. Stephani, nunc Senatus bonon.*

(2) *Ex actis publicis ejus anni.*

(3) *Vide Appendicem.*

(4) MURATOR. *Antiq. med. aevi*, dissert. XXXXVII.

(5) *Ex actis publicis ejus anni.*

(6) GHIRARDACCI. *Historia di Bologna*, lib. VI.

(7) Fr. Jacobus quondam domini Boncambii. Ita appellatur in laudo Fr. Joannis, de quo supra. *Vide Appendicem.*

(8) FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Boncambi Jacopo.* (C. A.)

(9) Ego Lambertinus Maletacnorum legum doctor ex delegatione dn. Jacobi Peluchi judicis dn. G. Burri

quod Credentiae appellabant; sed nondum doctoris insignia per id tempus accepisse videtur (1). Deinceps altum de illo silentium in monumentis bononiensibus.

II. Floruit etiam iisdem temporibus Semprebonus alias Semprebene, legum doctor non ignobilis nec minimae auctoritatis in civitate nostra. Ejus mentionem primum reperio in tabulis anno MCCXXV scriptis, quo anno interfuit divisioni bonorum familiae Maccagnanae antiquae et illustris (2); et anno insequenti, cum Henricus episcopus concessit praetori Bononiensium ut in palatio Communis, in quo ille habitare consueverat, sacellum habere posset, in quo sacrum perageretur et divina officia celebrarentur, praesens adfuit Semprebonus legum doctor cum Jacobo Balduino et Accursio, praecipuis scholarum nostrarum professoribus (3). Rursus eodem anno MCCXXVI procurator populi bononiensis electus disceptavit coram Honorio III in quadam causa, quam Bononienses cum Alberto comite Mangonis habebant, ut ex Honorii ipsius literis ad Alatrinum subdiaconum suum datis intelligimus, quas in Appendicem contulimus. Post eum annum nullam hujus doctoris mentionem reperio. Inter primos, qui italicam poesim coluerunt, habemus Semprebene bononiensem, quem doctoris titulo donat Crescimbenius. Si hic idem sit legum doctor, de quo hactenus diximus, multo ante floruisset poesis italica in nostra civitate quam vulgo existimant. Sed hac de re alibi dicemus (4).

XXXVI.

ALBERTUS GALEOTTUS PARMENSIS.

ALBERTUS PAPIENSIS.

I. Albertum Galeottum parisiensem recenset Bulaeus inter academicos illustres, qui ex schola parisiensi prodierunt. Ait Bononiae floruisse ibique jus civile professum, in quo etiam praeclara scripta reliquerit a Trithemio laudata (5). De eodem alio loco dixerat nempe ad annum MCCXXXV; ubi post narratam Gregorii IX compilationem Decretalium, bononiensis scholae professoribus missam, tunc Bononiae floruisse ait Albertum Galeotti parisiensem, canonum et legum civilium professorem nobilissimum (6), qui *Margaritam quaestionum* edidit et *Declarationes judiciorum*. Sed cur Bulaeus Albertum Galeottum Parisiensibus suis adscripserit non video. Hic procul dubio parmensis fuit, ut a Pancirolo et Diplovataccio, et, quod multo pluris facio, a Joanne Andreae appellatur (7). Fuit alius legum professor Albertus nomine, patria papiensis. Quoniam autem Albertum Galeottum, qui *Margaritam quaestionum* scripsit, Mutinae diu floruisse

potest. Bonon. etc. *Extat in charta archivi olim s. Stephani, nunc amplissimi Senatus bonon.* Vidit et indicavit clarissimus Montius. Cum autem Guilielmus Burrius mediolanensis anno MCCXXIV praeturam bononiensem gesserit, ut ex Ghirardaccio intelligimus, eo anno latam constat Lambertini sententiam, quae nullas chronicas notas in ea charta adscriptas habet.

(1) Dn. Lambertinus de Malatacchis. Ita ejus nomen sine doctoris appellatione descriptum legitur cum aliis, qui anno MCCXX erant in Consilio, quod Credentiae appellabant. *Extat eorum elenchus in Reg. gros.* Indicavit clarissimus Montius.

(2) *Ex charta arch. s. Salvatoris*, fasc. XXXVI, n. 37.

(3) *Ex actis publ. in Reg. gros.*

(4) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. III, cap. III, § XX. — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Semprebene.* (c. a.)

(5) Bulaeus. *Histor. Universit.*, Paris, t. III, p. 673.

(6) *Ibid.*, pag. 154.

(7) Panciról. lib. II, c. XXXIX. — Diplovat. in *Alberto Galeotto.* — Joann. Andreae in *Prooem. addit. ad Spec. juris.*

Pancirolo et Diplovataccio auctoribus didiceram; cum Albertum quoque papiensem doctorem legum paulo post initium saeculi XIII Mutinae degentem reperissem, dubitabam num unus idemque esset Albertus Galeottus et Albertus Papiensis. Sed omne dubium sustulit Joannes Andreae, qui in prooemio additionum ad *Speculum juris* aperte scribit Albertum Galeottum patria parmensem fuisse ut ante dictum est. Diplovataccius etiam alterum ab altero egregie secernit et utriusque scripta recenset, cum Pancirolus praetermisso Alberto Papiensi unum Albertum Galeottum commemoret. Ait itaque Diplovataccius Albertum Papiensem floruisse temporibus Jacobi Balduini, cum quo in quadam juris opinione dissensionem habuit [1]. Deinde ejus scripta recensens scripsisse ait lecturas in Codicem et Pandectarum libros, quae saepissime laudantur ab Uberto de Bobio et ab Homobono Cremonensi, qui ait Ubertum de Bobio aptasse scripta Alberti Papiensis. Et revera fatetur Diplovataccius se habere Alberti Papiensis lecturam in Codicem Uberti opera aptatam.

II. Anno MCCXI Albertus Papiensis cum duobus aliis legum doctoribus Mutinae degebat eratque adscriptus Consilio civitatis; qua in re Mutinenses morem civitatis nostrae sequebantur in qua doctores legum et decretorum, quotquot erant, in Consilium adsciscebantur. Rursum anno MCCXXXI cum Uberto de Bonacursio legum doctore arbiter electus est ab episcopo mutinensi in quadam causa, quam habebat cum canonicis ecclesiae mutinensis, ut ex veteri charta apud Ughellum [2]; quam si vidisset Muratorius non omisisset Ubertum de Bonacursio recensere in paucis legum professoribus, qui mutinensem scholam aemulatione bononiensis haud magno successu excitatam saeculo XIII illustrarunt [3].

III. At Albertus Galeottus aliquanto serius vixisse videtur. Bulaeus anno MCCXXXV eum Bononiae docuisse existimat. De illo Diplovataccius, *rogatus,* inquit, *a sociis* (a suis nempe auditoribus) *composuit Summam super jure canonico et civili, qua instruit advocatos. Ejus tale est initium: « Idcirco ego Albertus Galeottus »; cui fecit additiones Rolandinus Bononiensis et incipit: Qualiter contrahatur pignore obligatio. Tractatum quoque « De consiliis habendis ». Incipit: « Circa peritiam consiliorum ». Denique Reportationes super Codicem, quas allegat Jo. Andreae in addit. ad Speculum juris.* Legisse ait Mutinae et Patavii; ejusque *Summulam quaestionum* vulgo *Margaritam* appellari [4].

IV. Addit Diplovataccius Albertum Gallicum, quem ait *Practicam in jure canonico* scripsisse, a Joanne Andreae citatam [5]. Sed fallitur Diplovataccius. Joannes Andreae, praeter utrumque Albertum, Parmensem et Papiensem, Gallicum quemdam indicat, qui aliquanto serius vixit nimirum post Innocentii IV aetatem. Hunc canonum professorem fuisse ait, et, quantum conjicere licet, auctorem cujusdam tractatus cujus hoc erat initium: *Ut nos minores* [6]. Ex Gallico hoc apud Joannem Andreae non recte cognito enatus est Albertus Gallicus, quem libenter admisit post Diplovataccium et Pancirolum Bulaeus; cui pronum fuit ut illum parisiensem faceret [7].

(1) Diplovat. in *Alberto Pap.* ex Joann. Andreae in *Addit. Spec.*, tit. *De cess. acti*, § 1, v. *Sed numquid minor.*

(2) Ughell. *Ital. Sac.* t. II, col. 122.

(3) Murator. *Antiq. med. aevi,* dissert. XXXXIV.

(4) Diplovat. in *Alberto Galeotto.*

(5) *Id.* in *Alberto Gallico.*

(6) Joann. Andreae in *Prooemio additionum ad Speculum juris,* post enumeratos auctores, qui de ordine judiciario egerunt, quatuor memorat tractatus, quorum ignorabantur auctores. Horum unus hoc habebat initium: *Ut nos minores.* De quo ait: « In quantum ex contextu percipere potui, Gallicus fuit auctor ejus et post tempora Innocentii IV fuit et juris utriusque peritus ».

(7) Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXXV. (c. a.)

XXXVII.

ROFREDUS BENEVENTANUS.

I. Rofredum, auctorem librorum de ordine judiciario sive de libellis conficiendis, non bene aliqui secernunt ab Odofredo, illustri legum interprete cujus ampla commentaria habemus in legum libros, atque hic non solum exteri sed nostri etiam scriptores cespitarunt (1). Sed Rofredus patria beneventanus fuit (2); nec post exactam Bononiae juventutem perdiscendis et docendis legibus diuturniores moras in scholis nostris egit, Odofredus autem patria bononiensis Bononiae perpetuo vixit et magna nominis celebritate in academia nostra docuit usque ad annum MCCLXV, quo migravit e vita. Neque etiam utriusque aetas omnino congruit, Rofredus enim annis non paucis ante Odofredum florere coepit. Et quamquam nihil certi constitui possit de anno quo Rofredus in lucem editus est, ex praeceptoribus tamen, quos in scholis nostris audivit, conjicere licet natum esse circa annum MCLXX, eos enim praeceptores habuit qui sub finem XII saeculi et initio XIII in scholis nostris docuerunt, Rogerium scilicet Beneventanum, Ottonem Papiensem, Joannem Bassianum, Ciprianum et Azonem. Constat igitur nihil commune fuisse Rofredo Beneventano cum Odofredo Bononiensi.

II. Sed Rofredum aliqui narrant ex Epiphania gente apud Beneventanos nobilissima prodiisse, qua ex langobardis principibus olim Beneventi dominantibus originem duxerit. Et quantum ad familiam Epiphaniam hariolantur ex titulo, quem Rofredus ipse posuit ad sacellum a se constructum Beneventi in ecclesia Fratrum Praedicatorum, in quo appellatur: *doctor epiphanides* (3). Verum nisi quis saltem demonstret fuisse olim Beneventi gentem Epiphanidem sive ut ajunt Epiphaniam, numquam Rofredi familiam in iis verbis agnoscam. Mihi certe vero similius videtur Rofredum Epiphanidem in eo titulo appellari ad ejus claritatem et celebritatem nominis, non ad genus et familiam demonstrandam, ut idem sit *doctor epiphanides,* ac clarus, illustris, conspicuus; voce nimirum ex graeco ducta, quaeque non admodum peregrina videri poterat Beneventi; qua in civitate, uti et in plerisque regni neapolitani, clara admodum ejus sermonis vestigia post graecorum principum dominatum diu superfuerunt. Pancirolus Rofredum Butiensem dicit, quasi id esset ejus familiae agnomen. Atque id porro ex fide Joannis Andreae, cujus auctoris testimonium, si quidem id ab eo scriptum est nec aliquo exemplari mendoso usus sit Pancirolus, haud plane inconcussum reputo quippe qui multo post Rofredi aetatem vixit (4).

III. Laudat saepissime Rofredus praeceptores suos atque in his praecipue Rogerium Beneventanum et Azonem dein Ottonem Papiensem, Joannem Cremonensem et Ciprianum. Ac de Rogerio quidem quid commentus sit Diplovataccius, ut ejus loco Carolum de Tocco intruderet supra ostendimus; nec dubitari potest quin Rofredus in

(1) Alidosius, Orlandius, Ghirardaccius dum Odofredum Beneventanum dicunt, alterum ab altero se non distinguere ostendunt.

(2) Beneventanum se aperte dicit Rofredus in prooemio ad Quaestiones sabbatinas, et lib. I *De ord. judic.*, tit. *Qualiter concip. libell.* et alibi saepe.

(3) Jo. Bernardinus Tafurius in *Scriptor. Neapolit.*, t. XXIV, *Opusc. Cat.*, pag. 293.

(4) Joann. Andreae in *Addit. ad Spec.*, tit. *De success. ab intest.* apud Panciroл. in *Rofredo.*

Rogerii conterranei sui disciplina fuerit [1]. De Azone etiam certum est Rofredi magistrum fuisse. Illum enim saepissime in suis scriptis laudat ac dominum sive praeceptorem suum appellat. De Joanne Cremonensi [2] et Ottone Papiensi [3] non perinde est, quamvis enim non raro utrumque in suis scriptis memoret, semel tantum quod quidem noverim utrumque appellat dominum suum. Facile igitur conjici poterit aut Rofredum brevi omnino tempore in Joannis Cremonensis et Ottonis Papiensis disciplina versatum aut librariorum incuria factum ut uterque Rofredi dominus sive magister sit dictus. Neque aliter de Cipriano judicandum censeo [4] quem semel alicubi Rofredus dominum suum appellat, pro quo Fichardus Cilianum induxit et ex Ciliano Dempsterus Kilianum effinxit, ac novam fabulam ignoti legum professoris ornavit; qua de re supra diximus.

IV. Sed quoniam Rofredus non solum in jure civili sed etiam in canonico cum laude versatus est, ut ejus scripta demonstrant, non dubito quin aliquem etiam ex multis canonum interpretibus qui sub finem XII et initium XIII saeculi in academia nostra docuerunt, audierit. Ex his unum novimus Rodoicum, cognomento Modicipassus, quem Joannes Andreae Rofredi praeceptorem fuisse dicit [5]. His doctoribus in utraque juris facultate multum profecit et diu etiam Bononiae jus civile docuit. Sed tamen non arbitror legum doctorem adhuc creatum fuisse, nec illum constat cum aliis doctoribus sacramento se adstrinxisse ad praestandam academiae nostrae operam. Quamquam autem solis legum doctoribus liceret lectiones juris civilis ordinarias habere, non erat tamen vetitum, si quis esset ex legum studiosis qui id auderet et ingenio suo confideret, lectiones habere extra ordinem [6]. Immo nemini qui ante per aliquod tempus non docuisset aditus esse poterat ad doctoris gradum assequendum. Ex horum numero fuisse censeo Rofredum, quem diu constat in academia nostra versatum [7], in eaque non minimam librorum suorum partem scripsisse [8] et fori etiam actionibus vacasse [9].

V. Sed anno MCCXV relictis scholis nostris Arretium venit, ibique apud frequentes auditores jus civile professus est [10]. Cur autem scholas nostras deseruerit causam afferunt factiones intestinas quae civitatem agitabant et externa bella propter quae ajunt intermissa Bononiae studia et professores alio transductos [11]. Verum nec motus civiles circa annum MCCXV Bononiae fuerunt nec bellum externum, quantum ex antiqua historia civitatis intelligimus, quod scholis nostris tantam perniciem afferre potuerit ut professoribus abire coactis studia literarum jacuerint. Florebat ut cum maxime academia bononiensis et celebritate professorum et auditorum frequentia, qui per illud ipsum

(1) « Hanc sententiam sequitur dominus et praeceptor meus R. ». ROFRED. *De ord. judic.*, lib. I, rubr. *Utrum regulariter ordinarius*, et lib. I *De interdict. ne vis fiat*, et alibi passim.

(2) « Sed respondet dominus meus Joannes. » ROFRED. *De ord. judic.*, rubr. *De acti. ex stipulat.*

(3) « Dominus tamen Otto aliter voluit respondere.... et hoc dicit dominus meus Otto ». *Ibid.*, rubr. *De interdict. et tab.*

(4) *Vide supra in* CIPRIANO.

(5) JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Spec.*, rubr. *De primo et secundo Decreto*, § *Nam de effectu.*

(6) De lectionibus ordinariis et extra ordinem dicemus in DINO MUGELLANO, qui floruit exeunte saeculo XIII.

(7) De Bononiensum rebus, tamquam sibi notissimis, passim loquitur Rofredus in suis libris, ac praecipue causam memorat inter canonicos Ecclesiae bononiensis et monachos s. Stephani agitatam, quam anno MCCIV exortam constat ex tabulis in archivo canonicorum asservatis, quas indicavit clarissimus Montius.

(8) ROFRED. *De ord. judiciario*, tit. *De interdictis*, recenset tractatus legales, quos se ait scripsisse, cum Bononiae degeret.

(9) « In civitate Bononiae, ut vidi et composui de facto libellos in causis ». ROFRED. *De ord. jud.*, rubr. *De acti publici.*

(10) Cum essem Arretii, ibique in cathedra residerem, post transmigrationem Bononiae, ego Rofredus Beneventanus juris civilis professor an. Dn. MCCXV mense Octobrio, et cogitare quid utile et fructuosum possem sociis de legum scientia ministrare etc. ROFRED. in *prooem. ad Quaestiones sabbat.*

(11) PANCIROL., *loc. cit.*

tempus docente Azone ad decem millia fuisse dicuntur. Verum tam ingens numerus calamitati fuit, in tanta enim nationum et ingeniorum varietate consensio animorum servari non potuit. Itaque gravia exorta sunt dissidia inter scholares et maximum bellum ut ab Odofredo appellatur; quo factum est ut non solum tota academia sed etiam civitas in periculo esset. Cum autem parum valeret doctorum auctoritas ad has turbas comprimendas et restituendam academiae tranquillitatem, hoc negotium a praetore civitatis susceptum est et quaestiones habitae et sontes puniti ad tollendam in posterum peccandi impunitatem. Atque hanc unam causam fuisse existimo cur Rofredus et alii fortasse professores cum scholaribus non paucis, thuscis ut opinor, romanis et campanis conspiratione facta Arretium migrarint [1].

VI. Quae consecuta sint hanc transmigrationem, ut eam Rofredus appellat [2], quamquam ad Rofredum non omnino pertineant, quia nec ab instituto meo prorsus aliena sunt nec scriptoribus nostris cognita fas erit mihi hoc loco paucis exponere. Itaque populus bononiensis veritus ne academia nostra novis scholarium defectionibus deinceps dissolveretur, leges tulit scholaribus maxime invisas quarum haec duo capita fuerunt. Primo scholaribus edictum est ne in corpus coirent et rectores crearent qui universum corpus moderarentur. Quod si rectoribus carere nollent et jamdiu institutam societatem scholasticam aboleri, decretum est ut rectores cum primum magistratum inirent jurare deberent se numquam daturos operam ut studium legum alio transferretur. Deinde interdictum est scholaribus, quibus ante illud tempus licuerat jus civile extra ordinem interpretari uti cuique libuisset, ne quis lectiones extra ordinem haberet, nisi itidem jurasset se non alibi quam in scholis nostris lectiones habiturum. Primum caput hujus legis eo spectabat ut dissoluta scholarium societate et sublatis rectoribus vel sacramento obstrictis duces defectionis scholaribus in posterum deessent. Alterum, ut nullus legum professor postquam in academia nostra famam sibi docendo comparasset aliorsum commigrans scholares secum abduceret et novam jurisprudentiae scholam institueret, ut Rofredus et alii fortasse apud Arretinos fecerant. Itaque ut olim qui doctores essent sic tandem quicumque leges explicare vellent sacramenti religione retinendos populus bononiensis ea lege curavit.

VII. Sed ea lex novarum turbarum causa fuit; parere enim detrectarunt scholares et Honorii III Romani Pontificis patrocinium imploraverunt ut ejus auctoritate pristina academiae bononiensis libertas sustineretur. Itaque Honorius negotium libenter suscepit et non ipse quidem latam a populo bononiensi legem sustulit, ut scribit Odoricus Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis [3], sed magno studio egit ut Bononienses ipsi legem illam abrogarent, quam parum aequam et scholaribus injuriosam putabat. Habemus ea de re plures Honorii literas primum ad praetorem et populum bononiensem datas, quibus benigne hortatur ut eam legem rescinderent; deinde ad episcopum, archidiaconum et archipresbyterum reginum, quibus jubet ut Bononienses auctoritate apostolica cogant ad eam legem abrogandam. Sed restitere diu obfirmatis animis Bononienses, qui etiam ad Pontificem miserant oratores duos, Hugolinum Presbyteri et Fridericum quemdam

(1) Inter Thuscos et Lombardos praecipae dissidium exarsisse, narrat ODOFREDUS ad Auth. *Habita*, C. *Ne filius pro patre*. Habemus autem epistolam Honorii III datam VI kal. Junii anno I « ad universos scholares de Urbe, de Campania et de Thuscia », quos monet « exire potius de civitate, quam perjurii reatum incurrere, si ad alterum praedictorum eos contigerit per Potestatem arctari ». Hinc apparet, irritatos prae ceteris suisse earum nationum scholares. Eam epistolam cum aliis aliquot Honorii III ad eam rem spectantibus in Appendice damus.

(2) ROFRED., *loc. cit.*

(3) RAYNALD. *Annal. Eccles. ad an. MCCXX*, n. 26.

prudentem et sagacem virum, ut eum a suscepto scholarium patrocinio dimoverent. Sed ii frustra egerunt scholaribus suam libertatem magnis studiis apud Pontificem tuentibus; ad quem ipsi quoque duos legatos miserant, Rufinum Decretorum doctorem et O. de Tovengo, virum apprime doctum et prudentem. Haec annis multis agitata, nec ante annum MCCXXIV ad exitum properantem constat eam legem a populo bononiensi sublatam. Damus in Appendice has Honorii III literas, ex quibus totum hoc negotium cognoscitur. In iis praeclara est laus civitatis et academiae nostrae his verbis perscripta, quae hic nefas esset omittere. *Cum ex studio literarum praeter infinita commoda quae sentitis,* ita enim ad Bononienses scribit, *ex eo vestra civitas inter alias sit famosa et in universo mundo nomen annuntietur ipsius, factaque sit altera Bethleem, domus videlicet panis qui parvulis frangitur in eadem, ex qua exeunt duces qui regunt populum Domini, quoniam in studio eruditi assumuntur ad regimen animarum; non solum debetis a scholarium gravaminibus conquiescere, verum etiam illos honoribus praevenire, attendentes quod ipsi gratuito ad studendum vestram praelegerint civitatem, quae cum prius esset humilis, per eos ibidem congregatis divitiis, fere supergressa est civitates provinciae universas.*

VIII. Hae sunt turbae, quae academiam bononiensem agitarunt paulo post initium XIII saeculi. Ob has anno MCCXV Rofredus scholas nostras deseruit et Arretium profectus est, ut supra diximus. Sed non diu placuit huic homini arretina schola, quam summa alacritate ingressus erat. Anno MCCXX erat in comitatu Friderici II, cum Romam venit ut coronam et imperialia insignia ab Honorio III acciperet [1], nec ab ejus latere deinceps annis multis discessisse videtur, apud quem primarii judicis officio functus est. Hoc tempore in publicum emisit libros *De ordine judiciario* et *Quaestiones sabbatinas,* quas Arretii inchoaverat. Itaque mirum non est hominem Friderico addictum minus interdum amice de rebus Bononiensium scribere in his libris; noverat enim Fridericum implacabili odio in Bononienses incitatum, quibus etiam publicas scholas adimere, licet incassum, conatus est.

IX. Anno MCCXXIV Rofredus Fridericum sequebatur; quo anno a Friderico ipso impetravit ne S. Germani moenia diruerentur, ut narrat Richardus Sangermanensis in chronico [2]. Anno etiam MCCXXVII erat cum eodem principe; narrat enim idem Richardus Sangermanensis Rofredum eo anno Romam ab Imperatore missum, ut ei defensionem aliquam pararet adversus Gregorium IX Pontificem qui semel et iterum anathematis sententiam in eum tulerat. Sacramento se obstrinxerat Fridericus ad bellum sacrum suscipiendum intra biennium, atque ea conditione Honorio III reconciliatus fuerat. Sed biennio elapso cum non solum promissis non staret sed etiam remorari videretur Crucesignatos qui in Orientem profecturi erant, Gregorius IX, Honorii successor, graviter commotus in eum veluti perjurii reum et christiani nominis hostem, sententiam dixit. Quamquam autem Fridericus per barensem et rheginum archiepiscopos aliosque viros principes, quos ob eam causam ad Gregorium Pontificem legaverat, purgare se niteretur, adeo non profecit ut Gregorius in illum, gravioris in diem perfidiae reum, iterum animadverterit et priorem sententiam confirmarit. Quam infamiam ut a se averteret

(1) « Qualiter vidi jurare principes domino Imperatori et episcopus Lombardiae et Tusciae et alios praelatos et milites, quando veni cum domino meo Imperatore ad coronandum ». ROFRED. *De ordine judic.*, p. IV, rubr. *Sacram. cujuslibet vassalli.*

(2) RICHARD. DE S. GERMAN. in *Chronic.* apud UGHELL. *Ital. Sac.*, t. III, col. 984, edit. Romae 1647.

Fridericus virulentum edidit scriptum, non tam sui tuendi causa quam ut Pontificem accusaret et carperet, ejusque Romae promulgandi negotium Rofredo dedit; qui illud, annuente Senatu et populi romani primoribus, in Capitolio promulgavit ut multitudinem conciliaret Imperatori et a Pontifice alienaret. Ita factum narrat Richardus Sangermanensis, mitius sane quam pro rei veritate (1); sed alii aliter narrant, neque id ad institutum nostrum pertinet.

X. At Rofredus sive quod conscientia ductus nefas esse tandem intellexerit principem sequi sacris interdictum et Ecclesiae hostem saepius declaratum, sive quod melioribus conditionibus a Gregorio Pontifice invitaretur, Fridericum deseruit ac Romanae Sedis servitio se addixit. Atque hoc tempore scripsit *De ordine judiciario,* sive de libellis ex usu fori ecclesiastici (2). Quam autem de eo opinionem haberet prudentissimus Pontifex Gregorius, satis ostendit cum illum ad Fridericum misit, ut cum eo de pace ageret et funestum illud dissidium tolleretur quod Ecclesiam omnem miserandum in modum lacerabat. Intelligimus id ex ipsius Gregorii literis ad christiani orbis episcopos, quibus edicit ut Fridericum excommunicatum denuncient (3). Erat tunc Rofredus Camerae Apostolicae, ut ajebant, clericus. Ex quo apparet amissam ab eo per illud tempus uxorem, quae anno MCCXXX vivebat (4) et ex qua filiam genuerat; neque enim eorum temporum mores ferebant ut quisquam matrimonio ligatus officium ullum in curia romana gerere posset. Magnas etiam causas ab se defensas coram eodem Pontifice ipse memorat in suis libris (5). Sed anno MCCXXXIX recrudüere dissidia inter Imperatorem et Pontificem, qui illum rursus fidelium communione interdixit. Is autem nullum deinceps modum tenuit in vexando Pontifice, totamque Italiam Pontifici magna ex parte amicam palam subjugare minabatur. Inter haec Beneventum pontificiam civitatem obsedit et cepit anno MCCXXXXI (6), atque ita sibi visus est recuperasse Rofredum Beneventanum, quem aegre ferebat tot annis Romano Pontifici addictum vixisse. Habemus ejus epistolam ad Rofredum scriptam, qua sibi mire plaudit et gratulatur ob tantum virum receptum, sic enim cum eo agit quasi subacta civitate Rofredum quoque ejus civem optimo jure receperit. Plena est autem ea epistola scommatibus indignissimis in Ecclesiam Romanam, quae vix sine stomacho legi possunt. Quis enim ferat quod ait Rofredum ex antris ferarum quasi ovem errabundam ad ovile dominicum reverti? Et item illud satis insulse dictum vereri se ne Rofredus, quod antea Pontificem secutus sit,

(1) « Tunc prudentem virum magistrum Roffridum de Benevento mittit ad urbem cum excusatoris suis, quas idem magister publice legi fecit in Capitolio, de voluntate Senatus, Populique Romani ». RICHARD DE S. GERMANO, *loc. cit.,* col. 991.

(2) « Ex quadam formula, quam Rofredus in prima parte ejus libri, ad tit. *De forma electionis,* quae adscriptum habet annum MCCXXXV, apparet hunc librum circa illum annum adscriptum fuisse postquam a Friderico discesserat; neque enim videtur potuisse in jure canonico tam libere versari cum judicis officio fungebatur apud eum Principem. Rursus anno MCCXXXII cum Fridericus judicaret de controversiis, quae erant inter Senenses et Florentinos, interfuere quidem Petrus de Vinea et Petrus de S. Germano, imperialis aulae judices; at nulla Rofredi mentio ». MURATOR. *Antiquit. med. aevi,* dissert. L. Videtur igitur jam tum Fridericus a Rofredo relictus.

(3) Cum enim piae recordationis Honorius praedecessor noster per bonae memoriae Tusculanum et Sabinensem Episcopos, et dilectos filios magistrum Dualdum notarium nostrum et Rofridum clericum camerae nostrae, et Abbatem s. Martini Viterbiensem Cisterciensis Ordinis, diversis temporibus, super diversis articulis diligenter commonere fecissemus etc. *Extat haec Gregorii IX epistola in codice membranaceo biblioth. Barberinae,* n. 1314.

(4) *Vide infra.*

(5) In causa primatus per inter Archiepiscopos Bituricensem et Burdigalensem patrocinium Bituricensi praebuit coram Gregorio IX et Compostellano etiam in simili causa, quam habebat cum Tolosano. Pisanum quoque Archiepiscopum coram eodem Pontifice defendit in causa primatus Sardiniae. ROFRED. *De ord. judic. in jure canon.,* p. II *De jur. qu. comp. praelat.*

(6) RICHARD. DE S. GERMANO., *loc. cit.,* col. 1035.

velut ex contactu mores et habitum sacerdotum redoleat (1)? Sed illud aequius de Rofredo metuendum fuit ne ex Friderici aliorumque Ecclesiae Romanae inimicorum consuetudine, quam diu retinuerat antequam Pontificis partes sequeretur, labem ipse contraxisset. Ac certe multa sunt in ejus scriptis temere et audacter in viros ecclesiasticos dicta, nec veritus est alicubi indignis modis Honorium III Pontificem optimum suggillare ob decretalem epistolam, qua clericis et monachis legum civilium et medicinae studia interdixit (2).

XI. Sed quamquam Fridericus in ea epistola triumphum agit quod capto Benevento Rofredum quoque, utpote beneventanum civem, sibi recepisse videbatur, tamen hunc triumphum inanem fuisse nec Rofredum a latere Pontificis discessisse existimo. Itaque rursus ad Rofredum scripsit Petrus de Vineis, qui primum gratiae et auctoritatis locum apud Fridericum tenebat, amicum rogans ut quantocius ad Imperatorem veniret, ne si quid morae fecisset aut omnino negasset is a quo tam amice invitatus fuerat, se contemptum crederet (3). Quid responderit Rofredus non liquet, sed non videtur tamen bonarum partium desertor fuisse. Certe aliquanto post occupatum Beneventum et inclinante jam Friderici fortuna Rofredus ab ejus amicitia alienus erat. Talem se prodidit in libro *De ordine judiciario secundum jus canonicum*, ubi docet clericos licet a publicis muneribus excusentur non tamen a vigiliis et castrorum custodia censendos esse immunes; atque ita factum ait *quando Imperator Fridericus opprimebat Beneventum, tunc etenim clerici custodiebant castrum* (4). Neque vero in hunc modum scribere ausus esset Rofredus Friderico amicus, nec patriam suam ab eo oppressam sine maxima ejus injuria dixisset. Accedit, quod ipse praesentem se fuisse dicit in romana curia cum Gregorius IX decessit et Caelestinus IV electus est, qui vix XV diebus Petri cathedram tenuit. Tum electionem Innocentii IV, quae consecuta est, ita describit ut manifeste ostendat se praesentem iis omnibus adfuisse (5). Ne quis autem dubitet haec aliena manu Rofredi scriptis adjecta, videre licet hanc ipsam Rofredi periocham a Joanne Andreae commemoratam et Rofredo tributam (6). Constat igitur Rofredum, licet ab Imperatore sollicitatum, in fide Romani Pontificis perstitisse et adhuc in romana curia versatum anno MCCXXXXIII, quo Innocentius IV ad Petri sedem evectus est.

XII. Post hunc annum diu vixisse Rofredum, non arbitror. Cum Innocentius Pontifex anno postero, abjecta spe omni conciliandae pacis cum Friderico, in Galliam se contulisset, credibile est Rofredum annis jam gravem ac prope octogenarium (7) honestam missionem a Pontifice obtinuisse seque in patriam recepisse, ubi paulo post vivendi

(1) Fridericus Rofrido Beneventano. In recuperatione tui, qui velut ovis ex gregibus ad ferarum antra digrediens, credebaris amissus, nostro noviter acquisita dominio civitas Beneventana providerat.... Ad caulam igitur propriam et ovile dominicum hilaris et securus accedas.... Timore compellimur, ne velut ex contactu redoleas mores et habitum Sacerdotum. *Extat apud* Martene. *Ampliss. Collect. vet. script. et monum.*, t. II, p. 1157.

(2) Si audeo dicere, tam lator canonis illius (Honorius), quam et duo consiliarii, qui fuerunt pure theologi, fecerunt sicut vulpes, quae cum non posset gustare de cerasis, coepit illa publice vituperare. Rofred. *De ord. judic. in jure canon.*, p. IV, rubr. 1.

(3) *Epist.* Petri de Vineis apud Martene, *loc. cit.*

(4) Rofred. *De ord. jud. in jure canon.*, p. I, rubr. *De forma electionis.*

(5) Rofred. in fine lib. *De ord. judic. secundum jus canonicum.*

(6) Joann. Andreae in *Addit. ad Spec. juris.*, tit. *De sede vacante aliquid innov.*

(7) Diplovataccius scribit Rofredum obiisse cum esset jam senex et decrepitae aetatis; quod recte congruit cum iis, quae dicta sunt de ejus praeceptoribus. Si enim audivit Rogerium Beneventanum, Bulgari discipulum, Ottonem Papiensem et si quem alium eorum temporum, oportet illum non multo post annum MCLXXX in scholis nostris versatum. Atque hinc totius ejus aetatis ratio initur.

finem fecerit. Nam Rofredum Beneventi obiisse ex ejus titulo sepulcrali intelligimus, qui in hunc modum scriptus est:

Qui mundum quondam famosa lege replevi
Rofredum tumulus me capit iste brevis.
Audivi judex, multavi crimine multos,
Nunc sub judicio judicis ore tremo.
Debita persolvi legis natura coactus,
Mors fuit exactrix, creditor ipse Deus.
Nil valere mihi legis exceptio nulla,
Nullum habet oppositum lex tua summe Deus.
Qui legitis legem, hanc summam legite legem
Quisque rogando Deum quod sibi parcat. Amen.

Ita Rofredi epitaphium affert diligentissimus Diplovataccius. Aliud a Toppio in Bibliotheca neapolitana affertur, quatuor tantum versiculis expressum; quorum duo primi levi mutatione apud Diplovataccium quoque leguntur, postremi duo plane diversi sunt [1].

XIII. Superest adhuc ejus pietatis monumentum in ecclesia olim s. Mariae Magdalenae nunc s. Dominici Fratrum Praedicatorum appellata, quam in patria sua extruendam curavit, ubi et sibi paravit sepulcrum. Hanc aedem Rofredus pari voto cum uxore Trusia excitavit anno MCCXXX, ut ex hac inscriptione ibidem in grandi marmore posita manifestum est: — « *Judex Roffridus in legum dogmata fidus doctor epiphanides auctor fuit istius aule. Christe, Maria, tibi Dominice, Magdala, Paule, Judex Roffredus eternum confero fedus. Fratribus hoc munus ut post miserabile funus nullus natorum possit transferre meorum jus patronatus. Est locus iste datus Christi nascentis terdenismille ducentis annis et ternis hec lector opuscula cernis* [2] ». — Ad hujus latus sunt haec verba: — « *De mense Augusti. Cum uxore Truccia* ». — Ex hac foemina, quam sibi matrimonio junxerat, filiam suscepit Sibiliam quae nupsit Francisco Morrae Gregorii VIII agnato [3]. An mares quoque susceperit non liquet. Videtur paulo post illum annum uxorem amisisse. Ita ei licuit Romanae Sedis servitio se addicere, quod facere non potuisset conjugio ligatus. Vir fuit Rofredus festivi ingenii, quod ejus scripta declarant, in quibus opportune suaviterque multis locis jocatur ut animadvertit Pancirolus. Sed saepe etiam ad ineptias saepe ad procaces jocos et amarulentos sarcasmos praesertim in ecclesiasticos viros deflectit, nec Bononiensibus nostris parcit, quod tamen mirandum non est; eos enim noverat Friderico II, quem ipse diu coluit, alienissimos semper fuisse. Alterum hujus discipulum hic intrudit Pancirolus, quem alii malunt Fridericum appellari, patria item beneventanum, auctorem praeclari tractatus *De pugna et duello.* Sed hunc omnino fictitium censeo et Diplovataccio assentior qui tractatum *De pugna et duello* Rofredo Beneventano, de quo hactenus diximus, attribuit. Dum autem Pancirolus ait Rofredum Bononiae defunctum ad divi Francisci tumulatum fuisse, ex eoque profluxisse Odofredos, claram civitatis nostrae familiam, nemo non videt haec Odofredo bononiensi detracta ad Rofredum Beneventanum ornandum.

(1) Ille ego, qui mundum famosus lege replevi
Rofredus, tumulus me capit iste brevis.
Discite legentes, quod nec sapientia legum
Resistit morti, summa potentia regum.
Toppi. *Bibliotheca Neapolit.* Vide *Rofredus.*

(2) Toppi, *ibid.*
[*Vide* Savigny]. (c. a.)

(3) Jo. Bernardin. Tafur. in *Scriptor. Neapolit. inter Opuscola Calogeriana*, t. XXIV, p. 29.

ROFREDI SCRIPTA.

Plura scripta reliquit Rofredus quae ejus memoriam posteritati commendarunt. Sed omnium maxime celebratus est ob prolixum et summae utilitatis librum *De ordine judiciario.* Est in octo partes distributus, in quibus omnia diligentissime exequitur quae ad ordinem judiciarium pertinent et quia formulas libellorum tradit, quorum usus esse potest in omni judiciali actione; hinc factum est ut passim istud Rofredi opus *De libellis* appelletur, aut etiam *Rofredi libellus* ab antiquis jurisconsultis dicatur. Hujus operis argumentum paucis verbis expressum est in codice manuscriptum bibliothecae collegii Hispanorum ad divi Clementis: *Incipit libellus de ordine judiciario compilatus a Ro. Beneventano juris civilis professore, in quo opere tractatur qualiter concipiatur libellus et fiant confessiones et de natura cujuslibet actionis poterunt studentes invenire* (1).

De eo opere sic Rofredus ipse praefatur: *Ideo ego Rofredus Beneventanus juris civilis professor ad preces et instantias sociorum meorum, nobilium de partibus Tusciae, cum essem in civitate scilicet civilissima arretina, ausus sum hoc opus componere.* Quos hic appellat *socios suos, nobiles de partibus Tusciae,* non alios esse constat quam Rofredi auditores; sic enim honoris ergo socios potius quam discipulos antiqui professores vocabant. Et recte quidem, plerumque enim non imberbes adolescentuli sed maturae aetatis homines et non raro etiam nobilitate opibusque et dignitatibus ecclesiasticis spectandi ad jus civile et canonicum perdiscendum in scholis nostris accedebant. Quia vero Rofredus Thuscos solum scholares nominat, conjici potest ex hac dumtaxat non autem ex aliis nationibus aliquos cum Rofredo ex nostris scholis Arretium migrasse ob turbas quas supra memoravimus. Sed quamquam Rofredus *De libellis* scriberet cum Arretii jurisprudentiam doceret, alibi tamen opus istud absolvit ut patet ex diversis formulis libellorum alias atque alias notas temporum praeferentibus. Tentaverant alii ejusmodi opus ad fori usum omnino necessarium, neque ipse diffitetur se ex antiquorum ac praesertim Joannis et Pillii commentariis profecisse (2).

Sed cum Rofredus non solum in civili sed etiam in ecclesiastico foro cum dignitate versatus sit, post editum librum *De ordine judiciario* pro foro civili simile opus aggressus est pro foro ecclesiastico, praesertim ex usu et consuetudine romanae curiae. Id autem se profitetur suscepisse propter legum professores qui jus canonicum plerumque ignorabant (3). Atque hi libri *De ordine judiciario* pro utroque foro saepius editi sunt et olim omnium manibus tenebantur.

Scripsit etiam *Quaestiones sabbatinas,* ita appellatas quia Sabbati diebus disputari ab eo solebant in scholis; qua in re morem imitatus est professorum bononiensium, qui Pillii quaestiones iisdem diebus in academia nostra agitabant. Sed Pillius causas ingenio suo confictas et quaestiones plerumque arbitrarias proposuisse putabatur, Rofredus autem ex factis quae in diem accidebant quaestiones tenebat (4). Scribere coepit has quaestiones in scholis arretinis, sed eas quoque alibi perfecit (5). Has porro quaestiones proponebant doctores in schola et a studiosis in utramque partem disputabantur, post autem majori doctrinae copia a doctoribus tractatae prodibant in publicum (6). Tot autem sunt Quae-

(1) *Cod. membran. in fol.*

(2) « Praesumo ergo praesens opus ex comentariis antiquorum et praecipue ex comentaris dn. Jo. et dn. Pylei, supplendo illa, quae ipsi in eorum libellis disputatoriis reliquerunt ». Rofred. *De ord. jud.,* rubr. *De actione publiciana.*

(3) « Videant hoc nostri aevi scriptores, qui vetera ex usu nostrae aetatis metientes cum de antiquis legum interpretibus loquuntur, eos utriusque juris doctores plerumque appellant ». Rofred. *De ord. judic. secundum jus canon. in prooemio.*

(4) Rofred. in *Prooem. ad Quaestiones Sabbatinas.*

(5) Ita inquit Rofredus in quaestione XXVII: « In hoc casu fuit lata sententia et eram doctor Arretii ego Rofredus Beneventanus J. C. professor, in qua fui advocatus ». Non erat igitur Arretii, quando haec scribebat.

(6) Id colligitur ex his Rofredi verbis in *Prooemio ad Quaesttonas Sabbatinas:* « Ideo quaestiones de facto emergentes utiles et fructuosas ad rogatum meorum sociorum in scriptis redegi, quas quaestiones sapientes et periti mei socii in singulis Sabbatis tractaverant ».

stiones sabbatinae Rofredi quot literae, quae hoc acrostichum constituunt: ROFREDVS BENEVENTANUS IVRIS CIVILIS PROFESSOR FACTOR OPERIS. Singularum enim quaestionum primae literae ea verba componunt (1). Editae sunt quaestiones Rofredi cum libris *De ordine judiciario.*

Scripsit et *In libros Institutionum*, ut observat Diplovataccius ex Joanne Andreae in additionibus ad Speculum juris, tit. *De raptor. et incendiar.*, ubi ait de Rofredo: *Remittit autem ad ea, quae scripsit Instit. de act. § ex maleficio.* Sed hae lucubrationes Rofredi publicam lucem, quod sciam, numquam viderunt.

Rofredi tractatum *De pugna et duello* supra indicavimus. Ejus meminit Albericus de Rosate in lexico (vide *Pugna fieri non debet*) ut monet Diplovataccius (2).

De bonorum possessionibus, tractatum quoque scripsisse dicitur. Sic enim de illo Joannes Andreae in additionibus ad Speculum juris, tit. *De testam. § 3 sequitur videre. De his* (bonorum possessionibus) *tractat Rofredus tit.* De bonorum possess. *cum XII rubricis. Habetur etiam parvus tractatus de his, quae dicit se composuisse Arretii, quem puto ejus opus libellorum praecessisse.* Hunc tractatum ignoravit Diplovataccius, ne quid dicam de Pancirolo et aliis.

Denique tractatum edidit *De positionibus*, cujus hoc est initium: *Quoniam frequens et quotidianus est usus positionum.* Ex Joanne Andreae ad Speculum juris, tit. *De positionibus*, sub initium. Atque haec Rofredi opuscula inedita existimo.

Liparulus ad commentaria in Usus Feudorum narrat, apud Bartholomaeum Camerarium, celebrem jurisconsultum, Rofredi scripta ingenti numero extare in XII voluminibus, quae etiam inedita credebantur. Joannes Bernardinus Tafurius Rofredi opera recenset in hunc modum, eaque dicit edita Argentinae anno MDLXXXXI.

IN JURE CIVILI.

I. *De praetoriis actionibus.*
II. *De interdictis.*
III. *De edictis.*
IV. *De actionibus civilibus.*
V. *De bonorum possessionibus.*
VI. *De senatusconsultis.*
VII. *De constitutionibus, quibus violentiae puniuntur.*

IN JURE CANONICO.

I. *De electionibus et postulationibus.*
II. *De juribus, quae competunt praelatis.*
III. *De sponsalibus et matrimonio.*
IV. *De decimis et primitiis.*
V. *De jure patronatus.*
VI. *De parochis et alienis parochianis.*
VII. *De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus.*
VIII. *De excommunicationibus, quando dicuntur nullae et injustae.*
IX. *De judicibus et arbitris eligendis.*
X. *De appellationibus.*
XI. *De executione rei judicatae.*
XII. *De gratia petenda.*

Sed pleraque ex his, ac fortasse omnia, non sunt peculiaria Rofredi scripta, sed partes librorum quos de ordine judiciario, sive de libellis, secundum jus civile et canonicum conscripsit (3).

(1) Id declarat Rofredus in prima quaestione, quae incipit: « Romana quidem Ecclesia ».

(2) Diplovat. in *Rofredo Beneventano.*

(3) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XVIII. — Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXX. (C. A.)

XXXVIII.

ALEXANDER DE S. AEGIDIO.

I. Hic etiam Azonem in scholis nostris audivit ac prae ceteris de magistro suo optime meritus est. Quae enim ab Azone audiebat dum Codicem justinianeum in schola interpretaretur diligenter memoriae commendans ea postmodum scripto tradebat atque ita nobis reliquit commentaria in Codicem, quae si doctrinam spectes ea quidem sunt Azonis at scriptio universa est Alexandri, qui haec narrat in prooemio ad commentaria Azonis in Codicem, quae typis edita habemus.

II. Diplovataccius, alias felicissimus in reperiendis veterum jurisconsultorum scriptis, haec Azonis commentaria ab Alexandro de S. Aegidio collecta et exposita non vidit. Non ignoravit tamen Alexandrum, quem saepius laudatum viderat ab Joanne Andreae. Illum ait scripsisse in Codicem et Pandectas (1). Pancirolus illum omnino praeteriit.

XXXIX.

BERNARDUS DORNA.

I. Nobilioribus Azonis discipulis adnumerandus est etiam Bernardus Dorna (2) natione Gallus, in Provincia natus, quem Trithemius floruisse dicit circa annum Christi MCCXXXX (3). Ejus meminit cum laude Diplovataccius (4), qui illum scripsisse ait librum perutilem *De libellorum conceptione.* Id habuit Diplovataccius ex Joanne Andreae, ac neuter aliud quidquam addit de hoc illustri doctore. Illum ego pro certo habeo Bononiae floruisse et docuisse in scholis nostris, idque constare arbitror ex eo ipso libro quem scripsit *De libellorum conceptione,* quem his verbis exorditur: *Quoniam nefanda subdolaque hominum calliditas adeo praevaluit, quod Dei penitus fides recta ab eorum mentibus transmigravit.... Ego Bernardus Dorna provincialis ad instantiam quorumdam amicorum et sociorum meorum valde proborum, summulam de libellis componere et de eorum compositione ausus sum attemptare.* Amicos et socios antiqui doctores appellare solebant honoris causa auditores suos, ut saepe diximus (5), atque hinc apparet Bernardum cum tractatum hunc de libellis scriberet, juris interpretem in scholis egisse.

(1) Alexander doctor in jure civili praecipuus praeclara quaedam scripsit in C. et Dig., de quo vide Joann. Andreae in tit. *De resti. spoli.*, § 1, v. *Quintum est remedium* in *Addit. Specul.*, et in tit. *De injur. et dam. dat.*, § 1, v. *Actio.* et tit. *De confess.* in princip. et § *Sequitur videre*, v. 7. Fuit discipulus Azonis per Joann. Andreae in *Addit. Spec.*, tit. *De libell. concept.* § *Nunc ostendemus.* Diployat. in *Alexand.*

(2) Bernardum Dorna Azonis auditorem fuisse, narrat Joann. Andreae in *Addit. ad Speculat.*, v. *Ceterum* in prooemio.

(3) Trithem. *De Script. Eccles.*, cap. 438.

(4) « Bernardus Dorna doctor legum singularis et eximius per hoc tempus cum suprascriptis *(Tancredo scilicet, Guilielmo Nasone, Alexandro etc.)* floruit. Hic secundum Joann. Andreae in *Addit. Spec.*, in v. *Ceterum*, fuit provincialis et scholaris Azonis, et librum de libellorum compositione composuit.... de jure canonico parum allegans ». Diplovat. in *Bernardo Dorna.*

(5) Ita Bagarottus, Azonis, Jo. de Deo aliique doctores alloquuntur auditores suos in libris, quos eorum gratia scripserunt.

Bononiae autem per illud tempus potius quam alibi fuisse ex eo constat quod libellorum formulas, quas proponit, semper exhibet prout Bononiae usurpantur. Sic autem alicubi ait: *In alia forma concipiuntur Romae libelli, in alia Bononiae. Romae sic: S. V. Pater sanctissime pro Clerico etc. Bononiae vero sic: Deo et vobis R. Potestati Bononiae conqueror ego B. Dorna etc.* (1) Pergit subinde libellorum formulas exponere pro varia actionum judicialium natura, sed ita semper ut Bononiae se versari ostendat nec ullas umquam libellorum formulas ex iis proferat, quae Romae aut alibi observentur (2). In quadam vero formula, quam exhibet ad libri finem, indicatur tempus Guilielmi de Posterla praetoris Bononiensium, qui anno MCCIII eo munere functus est, quo anno foedus initum seu potius restitutum cum Ferrariensibus, ut ex publicis tabulis quibus scribendis interfuere Guilielmus de Posterla Bononiensium et Salinguerra Ferrariensium praetores (3). Fuit iterum Guilielmus de Posterla Bononiensium praetor anno MCCXI et rursus anno MCCXX, ut ex chronicis liquet. Ex his autem aliquid lucis affulget ad aetatem, qua floruit Bernardus Dorna, agnoscendam; neque enim credibile est, hunc librum a Bernardo scriptum multis annis post Guilielmi praeturam, quam suae illi formulae adscribit. Ac multo verisimilius est eodem illo tempore scriptum, quo Guilielmus praeturam Bononiae gerebat, non serius nimirum anno MCCXX.

II. Laudat saepissime Bernardus in eo libro, praeter Azonem praeceptorem suum, Martinum, Pillium, atque in primis Joannem Cremonensem. Atque hunc etiam existimo Bernardi magistrum fuisse; initio enim libri sui profitetur se vel latum unguem discedere nolle ab institutis domini Joannis Cremonensis doctoris egregii quantum ad ordinem actionum judicialium, quarum ille syntagma quoddam ediderat (4). Atque alibi etiam Joannem ipsum inter ceteros praeceptores suos recenset (5). Itaque admodum verisimile est Bernardum Dorna floruisse multo ante annum MCCXXXX a Trithemio adnotatum, atque adeo attigisse finem saeculi XII et initium XIII. Videtur autem omnium primus de formandis libellis scripsisse; quam provinciam postea suscepit Rofredus Beneventanus a quo argumentum illud latius atque uberius tractatum est. Extat opus istud Bernardi Dorna in codice membranaceo bibliothecae Barberinae admodum antiquo, quique ad auctoris aetatem accedere videtur (6). Ex eo pauca haec de Bernardo excerpsimus, permittente viro clarissimo Simone Ballerino ejus bibliothecae praefecto, vetere mihi amicitia conjunctissimo, cujus humanitati me plurimum debere profiteor.

III. Sunt qui Bernardum dicant profanae vitae taedio Minorum Ordinem ingressum esse. Sed unde id acceptum sit non video; neque Pancirolus, qui hoc narrat, auctorem ullum indicat qui id memoriae tradiderit (7). Trithemius eum dicit plura scripsisse opuscula, sed nullum se vidisse fatetur praeter tractatum *De libellis concipiendis.* Ait etiam fuisse utriusque juris professorem quod aegre credam, cum enim Diplovataccius ex Joannis Andreae censura notat, quod raro jus canonicum in suis libellis allegare consueverit (8).

(1) Bernard. Dorna, tit. *Qualiter concip. libell. super qualibet acti.*

(2) « Primo videamus qualiter concipiatur libellus secundum sententiam Pi. Ita scilicet: Deo et vobis potestati Bonon. domino R. conqueror ego B. Dorna provincialis de T. qui detinet talem domum etc. ». Ita habet tit. *De public. acti* et alibi passim.

(3) *Ex. in archiv. pub. Bonon. in Reg. gros.*, p. 114 *t.*

(4) « Ideo nos volentes ordinationi dn. Jo. Cremonensis doctoris egregii super arbore actionum factae mente humili deservire, ab actione publiciana, quae prima est in arbore, sumam exordium ». *Ibid.*

(5) « Sed Jo. et ceteris praeceptoribus nostris visum et contrarium ». *Ibid.*

(6) *Cod 548 biblioth. Barber. in fol.*

(7) Panzirol. *De cl. leg. interpr.*, p. II, cap. XXXVI.

(8) Diplovat., *loc. cit.*

[Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXIX]. (c. a)

XXXX.

PETRUS DE VINEA.

I. Non est mihi animus longam hic commentationem instituere de vita et rebus gestis Petri de Vinea (1). Hospitem esse oportet in civili et ecclesiastica historia qui nesciat qui vir fuerit, quantum gratia et auctoritate valuerit apud Fridericum II et quantum opera et consilio principem illum juverit. Ex ultima plebis faece ad summos honores evectus est. Aditum sibi primum fecit ad principis gratiam eloquentia et dictatoria arte, sic enim appellabant ornate dicendi scribendique facultatem; quare Petrus de Vinea dictator sui temporis excellentissimus habebatur (2). Accessit legum et canonum scientia, qua etiam excelluit. Itaque primum imperialis notarius a Friderico creatus est (3), dein protonotarius ac tandem siculi regni cancellarius sive logotheta (4); in quibus obeundis muneribus ita fidem industriamque suam Friderico probavit, ut unus omnium hominum ferocissimi, ne dicam efferati principis animum moderari ex nutu suo, quo vellet, flectere potuerit (5). Tantas vero consecutus esse opes dicitur quantas privato homini sine temeritate sperare non liceat (6). Sed haec abunde persecuti sunt qui fridericiana tempora, Ecclesiae admodum luctuosa, descripserunt. Ac nuper doctissimi auctores Ephemeridis literatorum Florentiae, dum iselianam editionem epistolarum Petri de Vinea recensent (7), quae Basileae prodiit anno MDCCXXXX, plurima ex antiquis monumentis et probatissimis scriptoribus colligunt ad ejus viri memoriam illustrandam aptissima, quorum si partem aliquam saltem observasset Iselius, non adeo mancam et imperfectam dedisset ejus vitam, quam epistolarum editioni praefixit. Sed nemo tamen, quod sciam, ex multis qui de Petro de Vinea scripserunt memoriae prodidit illum in nostris scholis eruditum. Debemus id Guidoni Bonatto, qui eodem tempore vixit quo Petrus de Vinea et de astrologia, qua in arte vanissima grande sibi nomen et famam conciliavit, libros qui adhuc extant nugarum plenissimos conscripsit. Hic ait Petrum de Vinea ex vili progenie in regno Apuliae natum, sic tunc neapolitanum sive siculum regnum appellabant, ita pauperem fuisse ut cum Bononiae degeret inter scholares victum mendicaret. Postmodum ait creatum esse notarium dein protonotarium Friderici II. Post haec audivisse leges et creatum judicem majoris curiae apud eumdem Imperatorem (8). Videtur

(1) Petrum de Vineis vulgo appellant; at ipse se Petrum de Vinea dicit in epistola ad Henricum Angliae regem, apud MARTENE, t. II, *vet. monum.* Ita etiam dicitur a Guidone Bonatto aliisque antiquioris aevi scriptoribus.

(2) « Fuit magnus dictator stili cursorii, missivi, curialis ». BENVENUT. IMOLEN., ad cap. XIII *Inferni Dantis.*

(3) *Ex* GUID. BONAT., *de quo infra.*

(4) *Extat Friderici II diploma pro Eugubinis* « scriptum per manus Petri de Vinea imperialis aulae protonotarii et regni Siciliae logothetae an. Dominicae Incarnat. MCCXXXXVIII mense Majo ». *Editum est in Append. ad librum qui inscribitur:* « Lettera contenente la disamina delle Memorie Storiche di Pergola ».

(5) Io son colui, che tenni ambo le chiavi
Del cor di Federico, e che le volsi
Serrando e disserrando sì soavi,
Che dal secreto suo quasi ogn' uom tolsi etc.
Ita DANTES *Petrum de Vinea dicentem inducet.*

(6) *Vide* GUID. BONAT. *in infra adnotat.*

(7) *Giornale de' letterati,* t. I, p. I, pag. 60. In Firenze MDCCXXXXII.

(8) « Fuit similiter quidam de Regno Apuliae, natione vilis, nomine Petrus de Vinea, qui cum esset scholaris Bononiae mendicabat nec habebat quod comederet et postea effectus est notarius dein protonotarius Friderici II. Et postmodum audivit leges et effectus est judex majoris curiae Imperatoris et ascendit ad tantam dignitatem, quod beatus reputabatur qui poterat fim-

igitur Petrus de Vinea primum eloquentiae dedisse operam in academia nostra, indeque abductus notarii munere functus apud Fridericum Imperatorem, post autem, ut amico principi utiliorem operam praestare posset, legum studia secutus in quibus adeo profecisse dicitur, ut quemadmodum dictandi arte ita et legum peritia nulli fere aetate sua secundus haberetur [1]. Et quoniam in aliqua ex epistolis suis mortem deflet magistri Bene literarum humaniorum professoris in academia nostra, ut ea ferebant tempora admodum illustris, et in aliqua rursum mortem deplorat Jacobi Balduini legum professoris longe celeberrimi, credibile est ab altero artem dictaminis ab altero jurisprudentiam didicisse. Quamquam vero doctoris gradum consecutus non sit, ut conjicitur ex eo quod numquam eo titulo donatus legitur, vix tamen dubitare ausim quin aliquandiu in scholis nostris docuerit, ut facere solebant qui inter ceteros auditores magis ingenio et doctrina praestabant. Alia addit Bonattus de Petri summa auctoritate apud Fridericum, de immanibus divitiis ac demum de infelici ejus exitu [2], quae praetereunda non erunt ab iis, si qui erunt, qui diligentius et accuratius ejus viri acta colligere et literis mandare voluerint. Non eum praeterierat Diplovataccius; sed codex, quo utor, eo loco mutilus est ubi de illo agebatur. Sunt multa etiam de illo apud Dominicum Bandini arretinum in libro, quem scripsit de claris viris. Est hic liber trigesimus vastissimi operis quod inscripsit *Fontem universi* [3]. Sed eadem fere, quae apud hunc auctorem leguntur de Petro de Vinea, totidem verbis habemus in commentariis Benvenuti Imolensis ad Dantis Infernum. Unum tamen est, quod a Benvenuto ignoratum exposuit Dominicus Arretinus, Petrum nempe postquam Imperatoris jussu obcaecatus fuerat libellum ad se ipsum in sua calamitate consolandum scripsisse, cujus hoc fuit initium: *Aperi labia mea Deus* [4]. Addit Dominicus eum voluisse sepulcro suo hunc versiculum inscribi:

Hic redit in nihilum qui fuit ante nihil [5].

XXXXI.

JACOBUS ARDITIONIS.

I. Jacobus Arditionis de Brollo veronensis sub Azone primum, mox sub Hugolino Presbyteri, legum studia secutus est in quibus magnopere claruit [6]. Sed cum Hugolinus, ad quem post mortem Azonis accessit, maxime in feudali jure excelleret, quod ipse

briolam aliquam habere gratiae ipsius ». GUID. BONAT. *Astrolog.*, p. I, considerat. 141.

(1) « Tantum processu temporis imperiali favore, dictandi arte ac juris peritia effloruit, ut fere nulli sui temporis in eisdem facultatibus esset secundus ». FRANC. PIPIN. in *Chronic.*, l. II, cap. 39.

(2) « Quidquid ipse faciebat Imperator habebat ratum. Ipse autem multa retractabat, et infringebat de his, quae faciebat Imperator. Et fecit eum Imperator dominum, sive dominatorem totius Apuliae, et inventus est habuisse in bonis solum in auro decies mille libras Augustanensium sine aliis divitiis, quae dicebantur inaestimabiles ». GUID. BONAT., *loc. cit.*

(3) *Extat mss. in biblioth. Vatic.*, cod. 2029.

(4) Narrat Dominicus Arretinus Petrum de Vinea mortem sibi conscivisse, composito prius libello consolatorio, cujus sunt initia: « Aperi labia mea Deus ». *Ex cod. Vatic. cit.*

(5) TIRABOSCHI. *Op. cit.*, lib. I, cap. II, § V-XIV. — SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXX. (C. A.)

(6) Cum Bononiae fere amore legalis scientiae discendae exulassem et personam ibidem exinanivissem, quod saepe scholares facere contingit.... audiens jus civile a dn. Azone juris civilis professore, ac post ejus mortem a dn. Hugolino Presbitero, qui merito sacerdos appellatur.... visum fuit mihi Jacobo de Ardizone de Broilo, a quo originem sumpsi, ad cujus commemorationem et onorem signum Ar. glossulis meis et summulis adposui.... visum fuit mihi utile summulam quamdam super feudorem genera.... componere. JACOB. ARDIT. in *Prooemio Summae feud.*, edit. Colon. Agrippinae 1569.

aptaverat et in studiosorum commodum post librum Authenticorum adjecerat, Jacobus quoque hanc juris partem prae ceteris coluit et Summam perutilem *De usibus feudorum* scripsit, quam ceteri postea, qui in eodem argumento versati sunt, non vulgari laude dignam censuerunt. Eam commendat Baldus (1) et Alvarottus in primis, qui adeo absolute et subtiliter feudorum materiam a Jacobo Arditionis tractatam existimat, ut nihil desiderandum reliquerit (2). Baldus autem hunc principibus juris feudalis professoribus adnumerat (3). Daniel Scarameus jurisconsultus astensis hunc librum, adhuc cum tineis blattisque luctantem, ex vetustis bibliothecae suae cimeliis anno MDXVIII in lucem emisit (4). Sed praeter hanc *Summam feudorum,* glossas etiam scripsit in libros legum (5), ex quo intelligi potest professoris munere functum in scholis. Eas ipse glossas Arditionis patris sui nomine notatas voluit potius quam suo ut fatetur in prooemio *Summae feudorum.* Eum laudat Scipio Maffejus marchio, atque ob hoc praecipue commendandam existimat ejus *Summam feudorum,* quod ad ejus calcem quaedam fragmenta imperialium constitutionum reperiuntur, quae alibi frustra quaeri potuissent ut Cujacius observat (6). Haec autem Arditionis fragmenta a Cujacio ipso appellantur (7). Sed non recte sibi constat Maffejus dum Jacobum Arditionis Azonis nostri discipulum agnoscit, quem vel ipse fatetur anno MCCXX obiisse, eumdemque ex fide Alberici de Rosate tradit Avenionem vocatum, ibi aliquandiu in curia pontificia fuisse. Cum autem Pontifices Avenionem ante annum MCCCVI profecti non sint, nimis longaevum fuisse oporteret Jacobum Arditionis si cum initio XIII saeculi sub Azone in scholis bononiensibus versatus esset, idem initio saeculi XIV in aula Pontificis apud Avenionem fuisset.

II. Impulit in hunc eumdem errorem Albericus clarissimum Mazzucchellium (8). Sed is anachronismum veritus, quoniam Jacobus Arditionis se auditorem dicit Hugolini Presbyteri, Hugolinum hunc alium ab eo fuisse existimat qui ex Alidosio vivebat sub initium XIII saeculi. Itaque Hugolinum Presbyteri celebrem professorem nostrum circa annum MCCCLXXVIII vixisse suspicatur. Et sane Alidosius ad annum MCCCLXXVIII Hugolinum quemdam Presbyteri inter doctores bononienses recenset, quem non recte secernit a priori Hugolino viro celeberrimo qui initio saeculi XIII florebat. Sed quoniam Jacobus Arditionis etiam Azonis discipulum se fuisse dicit, id quod et Alidosius ipse fatetur, dum inter Azonis praecipuos auditores Jacobum Arditionis recenset, negat Mazzucchellius fuisse hunc Jacobi magistrum veterem illum Azonem jurisconsultorum sui temporis celeberrimum, sed Azonem Bonjoannis, quem anno MCCCXXXXVII obiisse narrat Alidosius. Ita ex uno errore plures nascuntur.

III. Sed plana est Jacobi Arditionis sententia dum se Azoni primum ad jus civile perdiscendum adhaesisse dicit, post autem Hugolino Presbyteri cum Azo ex humanis excessisset. Haec ita egregie congruunt cum iis quae idem Jacobus in *Summa feudorum* de se ipso tradit ut nulla ratione distrahi possint. Vixisse enim se dicit tempore Friderici II (9), qui ab anno MCCXX ad MCCL Imperio potitus est. Potius igitur Jacobo Arditionis de se ipso dicenti credendum est quam Alberico de Rosate, qui vel de alio

(1) Bald. Consil. CCCLXXXXVIII etc.

(2) Alvar. in *Prooem. feud.*

(3) Bald. in *Prooem. feud.,* ubi eum veronensem dicit.

(4) Panciroл., lib. II, cap. 32.

(5) Jac. Ardit. in *Prooem. Sum. feud.,* ut supra.

(6) Maffei. *Verona illustr.,* t. II, lib. II, pag. 85.

(7) Cujac. *De feud.,* lib. IV, tit. 73.

(8) Mazzucchell. in *Scritt. ital.,* vol. I, p. II.

(9) Jacobus de domino Ardizone de Broilo veronensis inter doctores excellentissimus, composuit Summam utilem super usibus Feudorum, quam laudat Bald. Cons. CCCLXXXXVIII etc. Floruit tempore Friderici II ut refert in rubricell. *De success. Imper.* et refert Bald. § *Haec quoad nos. De pace Constant.* Diplovat. in *Jacobus Arditionis.*

Jacobo Arditionis loquitur, vel non ea scripsit quae Maffejus et Mazzucchellius existimant, decepti fortasse a libris vitiatis et mendosis ut sunt plerique omnes veterum jurisconsultorum libri typis impressi (1).

XXXXII.

BONIFACIUS BONCONSILIUS.

Vixit iisdem temporibus Bonifacius Bonconsilius, sive de Bonoconsilio ut tunc ejus familia dicebatur, in civitate nostra non incelebris. Patrem habuit Odericum Bonconsilium legum doctorem de quo supra diximus. Sed ejus familia quandoque etiam de Malconsiliis sive de Malisconsiliis est appellata. Anno MCCXX Bonifacius academiae nostrae se addixit, sacramento ex solita forma concepto, quod in Appendice damus. Est Bonifacii hujus legum doctoris mentio in actis publicis civitatis cum Accursio ad annum MCCXXX (2). Vidimus etiam ejus testamentum anno MCCXXXIII scriptum (3), quod est in tabulario Fratrum Minorum ad divi Francisci. Ex eo constat Bonifacium non minus erudiendis auditoribus in schola quam patrocinandis causis in foro insudasse. Memorabile est quod ille in testamento cavit *ad summam animae suae securitatem*. Cum enim multis modis peccari intelligeret, ut ipse inquit, in habendis scholaribus, C. librarum Bonon. summam pauperibus erogandam reliquit ad redimendam noxam minus aequi lucri, quod in schola fecisset. Respiciebat fortasse ad ea pacta quae professores quandoque cum scholaribus inibant, ut suas scholas frequentarent, quibus etiam pecuniam foenori dabant, aut fictis tabulis se dedisse simulabant, ne elaberentur cum solvenda erat professoribus collecta quam stipendii loco exigebant, qua de re alibi diximus. Mandavit etiam haeredibus suis Bonifacius, ut si quid quaestus iniqui in causis defendendis fecisset, id ex asse restitueretur, vel compositione satisfieret iis quos quaestu non aequo laesisset. Atque haec omnia in suo testamento professus est se statuisse ex consilio Fratrum Praedicatorum et Minorum, qui nuper in Ecclesia exorti curandae animarum saluti, magno christianae reipublicae emolumento, se totos devoverant. Obiit insequenti anno MCCXXXIV, ut ex necrologio s. Salvatoris ad XIX Martii diem intelligimus (4).

XXXXIII.

MARTINUS FANENSIS.

I. Ex Fano Fortunae, quae ei patria fuit, cognomen duxit Martinus, non aliter appellatus quoad vixit et post mortem in suis scriptis quam Martinus de Fano. Est ejus nomen inter legum professores aetatis suae celeberrimum. Augebat famam doctrinae generis nobilitas. Ejus familia erat ex praecipuis suae civitatis. De Cassaro dicebatur,

(1) Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXVIII. (c. a.)

(2) « An. MCCXXX, die IX exeunte Aug. in palatio Communis Bonon. presentibus dn. Bonifacio legum doctore, dn. Accursio legum etc., dn. Castellanus Sturlitti post emancipationem etc. ». *Ext. in Reg. gros. A.*, pag. 606.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) « XIII kal. April. anno dn. millexîmo ducentesimo tricesimo quarto O. bone memorie dn. Bonifacius doctor legum, pro quo habuimus duos Baldachinos ». *Ex necrolog. s. Salvatoris ad eum diem.*

ejusque domus erat ad eam partem civitatis quae mari est proxima (1). In ea vicinia arcem fuisse puto quae sequiori aevo cassarum dicebatur, indeque opinor Martini familiae cognomen accessisse. Dirutis autem aliquando ejus familiae aedibus ob seditionem, id nominis diu loco haesit: *Il guasto di Martino da Fano* (2).

II. Floruit Bononiae tempore Jacobi Balduini et Accursii glossatoris, cum altero enim quaestionem quamdam disputasse (3) alterius autem consilio usum se narrat in alia quaestione solvenda (4). Audivit in jure civili Azonem quem dominum suum appellat (5), quemque in dubiis quaestionibus aliquando consuluit (6). Anno MCCXXXVIII Fani erat, cum ad eum divertit Salimbenus Adami parmensis, qui postea in Ordinem Minorum adscitus suorum temporum chronicon scripsit adhuc ineditum, ex quo non pauca habemus ad Martini memoriam illustrandam. Extat id chronicon manu exaratum in codice bibliothecae Comitum Romae; cujus excerpta aliqua in Appendice damus (7). Anno autem MCCLV jus civile profitebatur Arretii in Thuscia; quo anno instaurata videtur academia arretina novis conditis statutis, quae nuper vulgavit clarissimus eques Laurentius Guazzesius. Profitebantur eodem tempore Arretii Roisellus et Bonaguida celebres jurisconsulti sed primatum in scholis obtinebat Martinus, qui etiam omnium primus in ea academiae instauratione rector electus est (8). Docuit etiam aliquando Mutinae publice conductus (9), et in gravi negotio cum Bononiensibus pertractando suam operam feliciter impendit Reginis, qui eum procuratorem in eam rem elegerant (10). Cum autem anno MCCL, post diuturnum bellum quod maxime cum nostris Bononiensibus habuerant, Mutinensibus pax reddita fuerit, credibile est circa eum annum Martinum Fanensem instauratis scholis Mutinam accitum ad jus civile docendum. Et quoniam eodem anno inter Bononienses et Reginos aliquid armis turbatum fuerat (11), his motibus compescendis adhibitum arbitror Martinum Fanensem. Praeturam quoque januensem gessit ad annum MCCLX (12), quod ipsum argumentum est claro satis genere illum esse natum; non enim ferebant eorum temporum mores ut ulla civitas, nedum Januensium nobilissima, virum ignobilem in praetorem eligeret.

III. Ut a praetura excessit terrenis rebus valedixit Martinus, et Ordinem Praedicatorum jam senex ingressus est. Narrat Salimbenus illum cogitasse de capessendo instituto Fratrum Minorum, sed deterritum fuisse a quodam perverso ejus Ordinis Fratre, de quo multa illiberaliter dicit more suo; est enim hic auctor in scribendo liber ut saepius ad impudentiam vergat. Cum autem ad veterem famam, quam sibi cum docendo et scribendo tum publicis negotiis tractandis conciliaverat, magna accessio sit facta ob

(1) *Vide excerpta ex Chron. Fr. Salimbeni, in Appendice.*

(2) DIPLOVAT. in *Martino Fanensis.*

(3) Martinus de Fano in tract. *De jure emphyt.*, qu. 27, dicit se illam quaestionem tractasse cum Jacopo Balduino. DIPLOVAT. in *Martino de Fano.*

(4) *Ibid.*, qu. 24 in fin. *Ex eod.* DIPLOVAT.

(5) « In rubr. de testament. in scriptis his appellat Azonem dominum suum ». DIPLOVAT. in *Martinus Fanensis.* Vide etiam JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Speculum juris*, tit. *De jure emphy.*, § 57.

(6) « Sic respondit Azo a Martino de Fano consultus ». JOANN. ANDREAE, *ibid.*, § 69.

(7) *Vide Appendicem.*

(8) « In nomine Domini etc. An. MCCLV.... Haec sunt ordinamenta firmata et approbata ab omnibus magistris de Arretio, scilicet dn. Martino de Fano et dn. Roizzello et dn. Bonaguida, a magistro Teboldo Rolando, mag. Rossello et dn. Rainerio et mag. Benvenuto.

In primis Rectorem ipsorum elegerunt supradictum dn. Martinum a festo Omnium Sanctorum usque ad kal. Jan. etc. ». GUAZZESI. *Dell' antico dominio del vesc. di Arezzo*, pag. 107 seq.

(9) *Chron. Fr. Salimb. cit.*

(10) *Ibidem.*

(11) GHIRARDACCI. *Op. cit.*, lib. VI.

(12) « An. MCCLX. Potestas civitatis Januae fuit dn. Martinus de Fano legum doctor ». CAFFARI. *Annal. Januen.* apud MURATOR. *Rer. Ital. Script.*, t. VI, pag. 527.

sanctioris vitae professionem, non defuere qui illum expetierint atque elegerint in suae civitatis episcopum. Sed obstitere sui Ordinis Fratres, qui aegre nimis tulissent tanti viri jacturam facere (1). Neque id inusitatum ac novum fuit in eo Ordine, siquidem tunc etiam cum agebatur de trahendo Alberto Magno ad episcopatum, quem tamen postea nullo modo effugere potuit, Jordanus supremus Ordinis magister intercessit, et gravissimis ad eum datis literis, multis rationibus ab ea dignitate suspicienda dehortatus est (2).

IV. Nulfius Fanensium historicus ineditus, quem affert Amianus (3), scriptum reliquerat Martinum, post actam in multis civitatibus praeturam et postquam annis multis Bononiae docuisset, ibidem institutum Fratrum Praedicatorum amplexum anno MCCLXXXXV obiisse. Sed hoc postremum verum esse non potest nisi Martinus ad inauditam senectutem pervenerit. Quis enim ad annum usque MCCLXXXXV vitam egisse illum existimet, qui cum Azone vixerit quem obiisse constat anno MCCXX, ut alio loco ostendimus? Bononiae autem Martinum obiisse, quod tradit Nulfius, id verisimillimum judico. Fuerat quidem aliquando Arimini, ubi eum primum vidit Frater Salimbenus novi instituti professorem (4). Aliquando etiam Florentiae fuisse videtur, ubi a quodam advocato in quaestione difficillima consultum fuisse tradit Bartholus (5). Sed cum anno MCCLXX et MCCLXXII Bononiae degeret, credibile non est hominem ea aetate ac dignitate a moderatoribus Ordinis inde amotum atque alio transductum. Interfuit anno MCCLXX Martinus, cum Rolandinus Passagerius, artis notariae insignis professor, testamentum sua manu scriptum deposuit, ac primus ante omnes sui Ordinis Fratres, qui aderant, nominatur in hunc modum, *presentibus domino fratre Martino de Fano olim legum doctore*. Est autem memorabilis haec *domini* appellatio in homine qui multis ab inde annis religioso ordini nomen dederat (6). Biennio post adhuc in vivis erat (7). Eum Diplovataccius existimat, etiam post susceptum Praedicatorum institutum, jurisprudentiae studia adeo non abjecisse ut etiam tractatum de testamentis ediderit. Sed cum Martinus de testamentis scriberet anno MCCLVI, ut Diplovataccius ipse animadvertit, nec Ordini Praedicatorum se adjunxerit nisi post gestam Januensium praeturam, quam anno MCCLX obtinuerat, ignoratione temporum in manifestum errorem incidit Diplovataccius.

V. Existimavere aliqui Martinum Fani in patria sua obiisse ibique tumulatum esse apud Fratres Praedicatores cum insigni epitaphio, quod apud Diplovataccium reperio, sed ita mendosum ut vix ferri possit (8). Illud idem protulit nuper Amianus in Monu-

(1) Fr. Salimb., *loc. cit.*

(2) *Extant Jordani literae in Chron. Fr. Sebastiani de Olmeda, ubi de Jordano generali Magistro Ord. Praed.*

(3) Amiani. *Memor. stor. di Fano*, t. I, pag. 233.

(4) Cum eum primum vidit Fr. Salimbenus Praedicatorum veste indutum, fecisti, inquit, quod Patriarcham Jacob dixisse novimus: « Justum est, ut aliquando provideam domui meae », quam sententiam, sibi opportunissime a Fr. Salimbeno indicatam, diligenter adnotavit, ut narrat ipse Salimbenus, *loc. cit.*

(5) Bart. in l. *Fin.*, C. *De impub. et al. substi.*, ex Diplovat. in *Martinus de Fano*.

(6) *Ex Memorial. Commun. Bonon. die VIII exeunte Jul.* Indicavit clarissimus Montius.

(7) « An. MCCLXXII die III exeunte Martio .... Bartolus Armanini procurator dn. Palmerii potestatis Fani filii dn. Martini de Fano .... promisit dare et solvere dn. Benvenuto Canzi judici LXXV lib. Bonon. pro suo feudo et salario a kal. April. prox. ad unum annum .... Ex instrumento dn. Dinadani notar. facto hodie in capitulo ecclesie Fr. Predicat. present. Fr. Martino de Fano, Fr. Petrus de Pisis Ordin. Predicat. ». *Ex Memor. Communis Bonon.* Communicavit clarissimus Montius.

(8) Tandem moritur et sepultus est Fani in ecclesia s. Dominici, ubi secundum Fanenses tale epitaphium est: ITALIAE SIDUS etc. Sed quamvis dicatur per illos de Fano, quod sit epitaphium Martini de Fano, tamen ex quo dicitur, quod mortuus fuerit anno MCCCII quo tempore non poterat vivere .... propterea est epitaphium Jacobi .... qui fuit filius Martini de Fano et fuit potestas Bononiae. Diplovat. in *Martino Fanensis*.

mentis historicis Fanensium, majori quidem cura descriptum sed non tamen sine multis mendis. Extare adhuc dicit in ecclesia Fratrum Praedicatorum, et est hujusmodi:

Italiae sydus Martinus copia legum
Egreditur fidus doctor.... conscia legum,
Inclita cui proles de qua processit, amoenus
Flos, decus et sol es patriae, ros atque serenus.
Sol tenebras patitur, Proserpina luce dehiscit
Dum Jacobus moritur de Cassaro; tristia fixit
Atropos infausta, deplorant moenia Phani,
Probitas exausta testatur debita cani.
Aeolus o utinam perflasset carbasa retro,
Vectus Patavium caderet non limine retro.
Surgat Bononia, consurgat Mediolanum,
Perditur ah gloria nisi perdat crimina canum.
Annis sub mille duo de trecentis evenit
Miles dux ille strenuus quod misere venit,
Hic jacet. Infoditur ubi corde semper adhaesit
Theotocos igitur ut regnet minime desit.

Menda aliquot conjectura sustulimus; cetera dispungi vix poterunt non inspecto autographo. Est illud sepulcrum Jacobi de Cassaro, qui Bononiensium praetor fuit anno MCCLXXXXVI, quo tempore bellum atrox habebant cum Ferrariensium principe Azone Atestino. Hunc porro graviter in se irritavit Jacobus, non solum res Bononiensium bene gerendo, sed dicteriis etiam et amarulentis scommatibus, in quod vitium procliviorem fuisse hunc hominem ferunt. Itaque anno MCCLXXXXVIII cum Venetiis Patavium proficisceretur ut Mediolanum pergeret ad praeturam ejus civitatis capessendam, confossus est ab sicariis Azonis, qui ejus perdendi cogitationem numquam abjecerat. Eum inducit Dantes in Purgatorio de infelici exitu suo loquentem, atque ad eum locum plura de Jacobo habet Dantis interpres Benvenutus Imolensis (1); qui cum commentarios suos in Comoediam Dantis Nicolao Atestino dicasset, iniquior fuisse videtur in Jacobum.

VI. Hunc porro Amianus fuisse dicit filium Martini Fanensis doctoris legum, de quo hactenus disseruimus, ac reprehendit Ghirardaccium nostrum propterea quod ex Huguccione natum dicat. Et sane potior esse deberet Amiani auctoritas patriam historiam scribentis. Sed Ghirardaccius tamen non id temere scripsit, in publicis enim, quos vocant, Reformationum libris praeturam bononiensem anno MCCLXXXXVI gessisse legimus Jacobum Huguccionis fanensem. Addit Amianus Palmerium Martini filium eodem tempore in academia nostra jus civile docuisse, invitatum autem utrumque fratrem a Bononiensibus, alterum ad praeturam, alterum ad jurisprudentiae cathedram eo consilio, ut, captata in hunc modum Fanensium benevolentia, auxiliares copias, quibus in bello egebant, ab iis facilius obtinerent. Sed unde haec acceperit Amianus neque ipse indicat nec ego divinare ausim. Est autem aliunde ignotus omnino Palmerius iste fanensis inter scholarum nostrarum professores.

VII. Sed tamen Martino Fanensi filium fuisse, Palmerium nomine, qui anno MCCLXXII praeturam fanensem gessit indubium est (2). Huic fratrem fuisse oportet, Huguccionem appellatum, ex quo genitus sit Jacobus Bononiensium praetor, a sicariis Azonis Ferrariensium principis occisus, quem fuisse Martini nepotem ostendit versus

(1) Benven. de Imola, *ad cantum V Purgat.*

(2) *Ex tabulis supra indicatis.*

ille in ejus epitaphio scriptus: INCLITA CUI PROLES DE QUA PROCESSIT AMOENUS FLOS DECUS ET SOL etc. Scilicet, ex inclyta Martini prole, non ex Martino ipso ut Amianus existimat, processit Jacobus, flos, decus et sol patriae ibi appellatus (1).

MARTINI SCRIPTA.

Qui de antiquis legum interpretibus scripserunt, Pancirolus et ante illum Trithemius ceterique Martini scripta commemorant; sed plura ab iis omittuntur ac plerique etiam in aliis non leviter errant quae ad hunc professorem pertinent, ut Trithemius, qui eum dicit Joannis Andreae magistrum (2), quamvis necdum fortasse natus esset Joannes Andreae cum Martinus Fanensis decessit. Neque levius erratum est a Pancirolo, ubi scriptum reliquit obscuris natalibus hunc ortum videri quod ejus agnatio non legatur; vix enim alterum fuisse puto ex professoribus eorum temporum, qui patria nobilitatis stemmata proferre potuerit. Sed ejus scripta omnium accuratissime recensuit Diplovataccius in hunc modum.

» Martinus de Fano scripsit pulchrum opus in practica. Incipit: *Quoniam plerique.* Ubi distinguit » XI tempora causarum.

» Aliud opus, in quo in singulis actionibus ponit instrumenta brevissima, quibus conjungit brevissimos libellos, quod opus etiam brevibus verbis (*fortasse* versibus) ornavit. Incipit: » *Ego quidem Martinus.* De quo vide Jo. And. in addit. *Spec.* in prooem. v. *ceterum.*

» *Tractatum de Homagiis*, quem ponit Speculator in tit. *De feudis*, *§ 2*, de quo Jo. Andreae ubi » supra et Albericus de Rosate Dig. *De stat. hom.* in princ. » Vidi hunc tractatum in cod. Vatic. 2642, ejusque tale est initium: *Quoniam mihi Martino Fanensi saepe quaestiones in scholis et causis super homagiis proponuntur.* Subscribit ad finem libelli: *Martinus de Fano doctor legum.*

» *Tractatum de alimentis.* Incipit: *Quoniam de alimentis quaestio saepe ventilatur etc.*, quem ponit » Speculator, tit. *Qui sint fil. legit.*

» *Tractatum de positionibus.* Incipit: *Quoniam frequens et quotidianus est usus positionum.*

» *Tractatum de jure emphiteutico.* Incipit: *Quia de jure emphitheutico dubitatur.* Ubi per XXVIII quaestiones complectitur totam materiam. « Hic etiam tractatus adjumento fuit ad *Speculum juris* perficiendum ». Jo. Andreae in adjection. ad *Spec. juris*, tit. *De emphith.*, *§ Nunc aliqua.*

» *Tractatum de dotis restitutione.* Incipit: *Nota quod quando.*

» *Tractatum principalem de ordine judiciorum juris civilis et canonici* Incipit: *Nescientes officium* » *ejus scire non possunt.*

» *Tractatum de arbitris* secundum Johannem Andreae in addit. *Spec. De arbitr. et arbitrator. § 1* ». Hujus tractatus partem tantum se habuisse scripsit. Jo. And. l. cit. v. *Arbitrium*, et in cap. *Compromissum*, 1. X.

» *Tractatum de exceptionibus impedientibus litis ingressum.* Incipit: *Quoniam de exceptionibus.*

» *Tractatum de restitutione in integrum per modum summae.* Incipit: *Quaeri et dubitari consuevit.* » de quo Jo. And. in addit. *Spec.*, tit. *De rest. in int.*

» *Tractatum de conditione humani generis*, de quo Albericus de Rosate v. *Genus humanum.*

» *Tractatum, qualiter negativa probetur.* Incipit: *Qualiter probanda sit negativa.* Sed vere ille » tractatus non est Martini praedicti.

» *Tractatum de modo studendi*, per viam epistolae quam direxit Petro socio suo. Incipit: » *Dn. Petro dilecto socio Martinus de Fano salutem. Studendi modum inquiritis etc.* quam » epistolam de verbo ad verbum ponit Albericus de Rosate in prooem. Dig. » Socios autem honoris causa professores nostri appellabant auditores suos, ex quorum numero

(1) Ita nodum hunc solvit clarissimus Montius.

(2) « Martinus de Fano utriusque juris professor et interpres omnium suo tempore celeberrimus Johannis Andreae bononiensis praeceptor.... Claruit sub Alberto Imperatore anno Domini MCCC ». TRITHEM. *De Script. Eccles.*, n. DXXX.

esse debuit Petrus ille, cui Martinus studendi rationem praescripsit. Quid porro sibi velit Pancirolus, non intelligo, cum ait Martinum scripsisse duos libellos de modo studendi, qui postea evanuere. Inter codices regiae bibliothecae taurinensis habetur *Epistola Martini de Fano scholaribus suis in jure civili studentibus* (1), quam esse puto eum ipsum tractatum *De modo studendi*, quem indicavit Diplovataccius.

» Scripsit etiam super ordinariis juris civilis, maxime super centum pulchra commentaria et ma- » xime super Auth. *Contra propriam.* C. *De non numer. pec.* et super Auth. *Rogati.* » et l. *Humanitatis.* C. *De natur. liber.* »

His adde tractatum *De testamentis*, quem Diplovataccius narrat se vidisse satis antiquum in membranis scriptum apud Ludovicum Buzzacherinum civem pisaurensem, in cujus rubricae initio ita auctoris nomen adscriptum erat: *Incipit tractatus de testamentis editus a fr. Martino de Fano Ordinis Praedicatorum maximo jurista.* Animadvertit autem Diplovataccius, scriptum esse hunc tractatum anno MCCLV, ut auctor ipse notat semel et iterum ad rubricam *De testamento in scriptis.* Porro aequivocam esse hujus libri inscriptionem manifestum est; qui enim librum ex alio exemplari exscripsit, per quamdam prolepsim editum scripsit librum a Fr. Martino Fanensi; non quod talis dicendus esset cum ille est editus, nondum enim ad Ordinem Praedicatorum anno MCCLV transitum fecerat, sed quia cum liber, quem Diplovataccius vidit, exscriptus est, jam Martinus ad eum Ordinem commigraverat (2).

XXXXIV.

ACCURSIUS.

I. Accursius glossator appellatus est ob glossam, quam vocant ordinariam, in universum corpus juris civilis ab eo scriptam et omnium scholarum suffragiis saeculis multis probatam. Scriptores non pauci neque vulgares eum appellant Franciscum Accursium; quasi vero Accursii nomen paternum genus indicaret, sive familiae agnomen esset (3). Sed istis, utpote recentissimis et ab Accursii aetate remotissimis, nulla fides in eo habenda est. Nullus vero est auctor paulo antiquior ac nullum vetus monumentum, in quo alio quam Accursii nomine dicatur. Fuit Accursio filius Franciscus nomine, qui inter clariores aetatis suae jurisconsultos habitus est, quem cum non bene cognitum haberent scriptores, qui multo post illa tempora fuere, propterea Accursio ipsi Francisci nomen inditum putarunt.

II. Plurimum vero sibi placuit Accursius ipse in hoc nomine, cujus etymon sibi sane gloriosum sed putride tamen et non sine jactantiae nota confinxit hujusmodi. Cum enim legem interpretaretur, quae haeredi praescribit ut defuncti nomen assumat, si is ita velit et nomen honestum sit, hoc affert exemplum: *Instituo te haeredem si imponas tibi nomen meum scilicet Accursius, quod est honestum nomen, dictum quia accurrit et succurrit contra tenebras juris civilis* (4). Quasi vero id ei nomen divinitus a nativitate ipsa impositum fuerit, quo portenderetur quantus vir futurus esset et quam

(1) *Cod. mss. Bibliot. taur. n. 343 fol.*

(2) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XIX. — Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXXV. (c. a.)

(3) Accursio Francisci praenomen addunt Fabricius in *Bibliotech. lat. med. et infim. aet.*, vol. I, pag. 9, et vol. II, pag. 580, et ante Fabricium Barthius, Arturus Duk, et alii apud Mazzucchellium. Eodem impegit Julium Negri in *Scriptoribus florentinis*, qui gravius multo erravit, unum hunc celeberrimum auctorem in duos descerpens, deceptus, opinor, ex eo quod hunc modo Accursium, modo Franciscum Accursium appellatum compererat, ut accuratissimus Mazzucchellius observat.

(4) Glossa in l. *Facta*, § *Si in danda.*, Dig. *Ad SC. Trebell.*

excellens juris civilis interpres. Sed patiebatur illa aetas ejusmodi etymologica somnia [1], in quibus lusisse etiam videbimus Hugonem sive Huguccionem praeclarum juris canonici interpretem ac postea episcopum ferrariensem, qui paulo ante Accursium in nostra academia floruit [2]. Erat autem per illud tempus satis usitatum, praesertim apud Florentinos, Accursii nomen, nec deerat in civitate nostra eodem decurrente saeculo Accursius alter qui et filium habuit Accursium, cujus mentio est in Memorialibus Communis Bononiae [3]. Accursium quoque mercatorem florentinum iisdem temporibus viventem comperio [4]. Itaque quod aliqui existimant Accursium proprio nomine amisso hoc retinuisse quod ei conciliaverat ingenii celeritas [5], merum commentum censeo, magis inane et putidum quam ea ipsa etymologica ratio quam venditavit Accursius. Quod etiam ajunt Accursium ex Azonis nomine nuncupatum, quia nimirum Azonis auditor fuerat, id unde profluxerit ignoro [6], nullibi enim reperio hunc Accursium Azonem, aut Azonium ut alii appellant, apud auctorem fide aliqua dignum. Neque etiam intelligo cur Donatus Antonius Astensis vir doctissimus aliique cum eo glossatorem nostrum Bonum Accursium dicant [7].

III. De Accursii patria dubium non est quin florentinus fuerit, sed non perinde certum in civitate ne an in agro natus sit. Ipse se florentinum dicit [8], quod aeque verum est utrubi sit natus. Dominicus Bandini arretinus scriptor antiquus, cujus excerpta aliqua in Appendice vulgamus, Florentiae natum dicit [9]. Consentit Philippus Villanius in libro de origine Florentiae et ejus claris civibus, ut est in codice manu exarato bibliothecae Gaddianae, quem vidit vir clarissimus Laurentius Mehus [10]. At in codice Barberino, ex quo excerpta item damus in Appendice [11], natus dicitur Accursius *in villa Balneoli* ad V passuum millia supra civitatem ad australem plagam, ibique narrat Villanius aetate sua superfuisse aliquos ex Accursii agnatione, ignobiles homines, et domum etiam memorat, in qua natus est Accursius, per illud tempus in ruinis jacentem. Uter ex his codicibus genuinum Villanii librum exhibeat, is demum fortasse judicabit qui utrumque conferre possit. In italica epitome hujus libri, quam edidit clarissimus Mazzucchellius, legitur hoc idem quod in codice Barberino. Est autem codex ille omnino antiquus, nec videtur aetate inferior Villanio ipso, qui scribebat hunc libellum saeculo XIV ad finem properante.

IV. Accursii genus vile prorsus et obscurum aliqui tradiderunt. Sed ne id quidem certum judico. Neque id voluit Dominicus Arretinus, cum Florentiae natum scripsit origine populari [12]. Plures enim erant Florentiae, ut olim Romae, familiae populares et honestissimae et ditissimae, qua de re aliquid alio loco diximus [13]. Atque id etiam

(1) Poi Ostiense, e 'l Fiorentino Accorso
Che fè le chiose, e dichiarò 'l mio testo,
Et alle leggi diede gran soccorso.
FREZZI. *Quadrireg.*, l. IV, c. XIII.

(2) De Hugo vide inter juris canonici professores.

(3) « Anno MCCLXVIII Accursius Accursii filius mutuo dat. ». *Ex tabulis inter Memor. Com. Bonon., ejus anni.*

(4) *Memoratur in Bullar. Ord. Praedicat.*, t. I, pag. 79.

(5) Perduto il proprio nome, mantenne solo quello di Accorso, che al dire del Poccianti guadagnogli la celerità dell' ingegno. NEGRI. *Scrittori fiorentini*, pag. 1.

(6) Accorso detto Azone, perchè fu discepolo di Azone. *Idem.*

(7) DONAT. ANT. ASTEN. *Dell' uso e aut. della rag. civile*, l. II, cap. II, pag. 6.

(8) Glossa in l. *Sancimus si quis pro alio*, C. *De fidejussorib. et mandatorib.*, § *Reddere.*

(9) Accursius legum illuminator Florentiae natus est origine populari etc. DOM. BANDIN., *de quo vide in Appendice.*

(10) Accursius .... Florentiae natus est generosis parentibus sed plebeis, antiquissimis tamen et Romanae propaginis. VILLAN. apud MEHUS. *Ad epistolas Ambros. Camald.* t. I, pag. 161.

(11) *Vide Appendicem.*

(12) *Vide quae supra adnotata sunt ex* DOMINICO BANDINI.

(13) *Vide supra in* CIPRIANO FLORENTINO.

in civitate nostra diu servatum est, cum magnates a publicis muneribus et ab administratione reipublicae arcebantur. Neque etiam ex eo quod Philippus Villanius scripserit Accursium ruri natum, si quidem ea est Villanii sententia, jure aliquis inferet prorsus obscurae originis fuisse. Ego certe difficile mihi suaderi patiar talem fuisse Accursium, neque enim legum professio per illud tempus in nostra academia nisi ab honestissimis et fere etiam nobilitate spectandis hominibus colebatur, nec legum doctor creari quisquam poterat nisi bene nummatus et dives.

V. Eum putat clarissimus Mazzucchellius in lucem editum circa annum MCLI, quod verum esset si revera obiisset anno MCCXXIX, ut eidem viro eruditissimo ex multorum scriptorum sententia verisimile videtur. Verum id esse nullo modo potest. Cum autem aetatem duxerit ad annum usque MCCLX, ut infra demonstrabimus, et annos vixerit LXXVIII, ut fert probabilis multorum opinio, circa annum MCLXXXII natum esse oportet. A prima aetate literis se dedit et mira temporis brevitate artes liberales didicit. Mox ad jus civile se contulit in tenera adhuc aetate, a quo studio numquam deinceps discessit. Ita narrat Dominicus Arretinus, cui assentitur Villanius (1). Sunt autem hi duo scriptores aetate propemodum aequales, omnium autem antiquissimi, qui de Accursii vita paulo uberius scripserint. Horum igitur auctoritate moveor, ut credam, ad fabulas ablegandum id quod recentiores scriptores miro consensu tradiderunt, Accursium nempe jam grandem natu, agentem annos supra triginta, vel ut aliis placet quadraginta, ad scholas jurisprudentiae accessisse, ut ceteri auditores eum riderent ac nonnemo etiam ausus sit eum amarulentis dicteriis incessere, cui ipse non malus aestimator ingenii sui responderit, sero se ad scholas accessisse sed cito discessurum (2).

VI. Igitur Accursius, cum liberales artes, philosophiam ut opinor et eloquentiam, prout ea ferebant tempora sive in patria sua sive in scholis nostris didicisset, jurisprudentiae studia arripuit, seque Azoni qui initio XIII saeculi in academia nostra inter legum professores principem locum obtinebat informandum se tradidit (3). Sunt qui dicant ab Odofredo quoque eruditum (4), sed is serius omnino vixit quam ut Accursii praeceptor esse potuerit. Facilius ergo id concederem de Rofredo Beneventano, quem aliqui cum Odofredo confundunt quique in academia bononiensi jus civile tradidit non multo post saeculi XIII initium, quo tempore Accursius videtur Bononiae ei facultati studuisse. Odofredum vero non Accursii magistrum sed aemulum potius et ut dicere amabant, *concurrentem* in academia nostra fuisse tradunt antiqui scriptores, qua de re infra dicemus. Sed ante Azonis obitum clarere coeperat Accursius et inter optimos juris professores habebatur, constat enim aliquando in quadam causa simul cum Azone ipso et Hugolino Presbyteri consultum fuisse, ut ex Guilielmo Durante intelligimus (5). Cum ergo finem vivendi fecerit Azo circa annum MCCXX, ut in Azone ipso diximus, manifestum est ante illud tempus Accursium inter juris professores academiae nostrae non inglorium sedisse. Minime vero audiendi sunt qui circa annum MCLXXXVIII

(1) *Vide Appendicem*

(2) MAZZUCCHELL. in *Scritt. ital.* V. *Accorso.*

(3) Accursius ipse in glossa juris civilis saepius Azonem dominum, idest, doctorem suum appellat, ac praecipue in Auth. *De ecclesiast. titulis etc.*, et *Instit. de justitia et jure*, § *Duo sunt positiones*, in fin., ut observat Diplovat., aliique.

(4) VOLATERRANUS, lib. XXI, *Antropolog.* — TAISSAND. *Les vies des plus celebres jurisconsultes*, in *Accursio.*

(5) « Quod facit ad quaestionem illam, qua cum quidam nobilis quemdam interfecisset in platea Bononiae et Potestas de fenestris palatii hoc vidisset, tandem quia homicidium illud non probabatur, Potestas voluit illum ad quaestionem ponere ut sic ab ipso erueret veritatem. Sed Azo, Hugolinus et Accursius consulti responderunt, quod hoc facere non poterat ». *Specul.* tit. *De sentent. et his quae eam seq.*, § *Qualiter.*

Accursium in Azonis disciplinam se dedisse ajunt, quo anno adhuc infantulum fuisse oportet.

VII. Cum Accursius jus civile profiteri coepit, initio statim intellexit tam multas ac diversas atque inter se discrepantes superiorum interpretum glossas libris legum adjectas, adeo non utiles esse et commodas jurisprudentiae studiosis, ut iis potius incredibilem difficultatem parerent. Fuerant enim ante Accursium triginta, ut minimum, interpretes, qui legum libris glossas insperserant ut animadvertit Diplovataccius (1). Itaque id optimo consilio agere instituit ut collatis invicem aliorum glossis meliora quaeque secerneret, et partim ex iis partim ex ingenio suo novos ipse commentarios ad singulos legum libros concinnaret, quos qui versare voluissent non magnopere desiderare deberent superiorum interpretum apparatus et glossas. Atque hic perpetuus in omni vita ejus labor fuit, ex quo multo majorem laudem consecutus est quam si ut alii doctores Summis, quas vocant, aut tractatibus scribendis aut glossis usitato more libris legum inserendis animum adjecisset. Prima autem ejus cura videtur fuisse interpretandi Novellarum sive Authenticorum librum, quo in libro minori studio fortasse versati fuerant superiores jurisconsulti. Interpretabatur hunc librum Accursius anno MCCXX (2), aliosque subinde libros legum perpetuis et luculentis commentariis illustravit. Sed quoniam liber Authenticorum non legebatur ordinarie, quare etiam scholares qui nondum doctoris insignia consecuti erant illum interpretari poterant, propterea Accursii primas curas fuisse censeo in hoc libro in scholis interpretando et suis glossis ornando, ex quo subinde gradum sibi fecerit ad nobiliores legum libros. Et in Codicem quidem Bononiae scribebat anno MCCXXVII (3). Ex omnibus autem commentariis accursianis eos absolutissimos censet Diplovataccius, qui sunt in quatuor libros Institutionum scripti, utpote ab auctore recognitos et secundis curis quasi ad incudem post primam editionem revocatos; quod et de ceteris facturus videbatur nisi mors intercessisset (4).

VIII. Ut tantum opus perficeret, scholis relictis in quibus annos multos maxima auditorum frequentia versatus erat, solitudinem quaesivisse dicitur ubi vacuus negotiis et scholasticis occupationibus lateret (5). Sed alii aliter id narrant. Ajunt enim Accursium subodoratum esse simile consilium ab Odofredo captum perpetuis commentariis illustrandi libros legum. Itaque cum vereretur ne Odofredus sibi palmam praeriperet, valetudinem simulasse, ac tamdiu domi se continuisse quoad extremam manum suis glossis et apparatibus imposuisset, accito interim non semel medico et comportatis pharmacis quibus uti se fingeret ad vim morbi leniendam, atque hac arte victam Odofredi diligentiam; cujus commentarii serius prodierunt cum Accursius suis latebris relictis novisque commentariis prolatis in scholis et foro jam regnare coepisset (6). Ubi enim accursiani apparatus lucem aspexerunt nullo jam loco haberi visae sunt superiorum interpretum glossae, et unus Accursius deinceps quasi numen aliquod civilis jurisprudentiae palam est habitus (7).

(1) Diplovat. in *Accursio*.

(2) Ad Auth. *Ut praeponatur nomen imperatoris.* Indictionis exemplum profert Accursius annum MCCXX decurrentem designans.

(3) Mazzucchell., *loc. cit.*

(4) Diplovat. in *Accursio*.

(5) Pancirol., lib. II, cap. XXIX, aliqui plurimi.

(6) Benvenutus Imolensis in *Commentariis ad Dantem Aligerium* ad illud hemistichium.
« . . . . e Francesco d' Accorso anco ».
Infern. cant. XV, v. 110.

(7) Nota etiam multum illud, quod dicit Bartolus hic de auctoritate glossae, quod sit major quam aliorum doctorum .... Et Cynus in l. *Non moriturum*, C. *De*

IX. Auctor est Benvenutus Imolensis Odofredum fuisse Accursii antagonistam sive ut tunc dicebant concurrentem (1). Erant autem concurrentes professores quidam aliis professoribus quasi aemuli adjuncti, qui eadem hora docerent eademque jura interpretarentur et peractis lectionibus cum iis in certamen descenderent, quod ideo in pluribus academiis inductum fuerat ut professores hac aemulatione incitati diligentius muneri suo facerent satis. Ajunt autem id institutum in nostris scholis aetate Azonis. Sed ego indicium ejus moris nullum reperio per illa tempora. Ac magnopere vereor ne Benvenutus receptissimam sui temporis consuetudinem ex ingenio suo ad Accursii aetatem traduxerit, ut solent multi antiqua ex suorum temporum moribus metiri.

X. Erat ante Accursium duplex jurisconsultorum secta in academia nostra, alii enim Bulgari placita sequebantur, alii Martini Gosiae. Verum ubi prodiere Accursii apparatus omnis juris studiosorum familia Accursio se dedit et pristina illa dissensio sententiarum sublata est (2). Adeo autem Accursii glossae probatae sunt ut auctoritatem multo majorem obtinuerint quam pro merito privati interpretis, nec defuerint etiam doctores haud obscurae famae qui interpretandis ipsis Accursii glossis recte atque utiliter studium suum collocasse crediderint (3).

XI. Sed undenam tanta auctoritas accursianis apparatibus et glossis accessit? Num principis decreto commendatae hunc dignitatis gradum tenuerunt? Ita quidem existimare videtur Benvenutus Imolensis vetus auctor, Francisci Petrarchae aequalis et amicus (4). Sed cum Benvenutus videret summos honores deferri aetate sua glossis Accursii, propterea existimavit eas imperiali sanctione inductas esse in scholas. Sed nullum extat ejus sanctionis indicium qua de re non siluissent accursianae doctrinae adoratores nec omisissent ejusmodi sanctionem, si qua fuisset, prolixis ex eorum more commentariis infarcire. Ut igitur leges romanae magna ex parte olim intermortuae et novis Gothorum, Langobardorum, Burgundionum aliarumque gentium barbaris legibus obtritae, nullo principum decreto sed solo utentium consensu et nostrorum hominum industria qui Irnerium secuti jurisprudentiam romanam restituerunt, passim in occidente amissam auctoritatem recepere, ut nemo jam fere sit inter homines doctos et eruditos, qui non commentitium judicet Lotharii II edictum de revocando jure romano et abolendis legibus langobardis, ut alio loco diximus, ita Accursii glossas nulla principis confirmatione indiguisse censeo ut passim admitterentur in scholis. Tanta enim erat academiae nostrae celebritas, in qua leges romanae quasi quoddam regnum sibi constituerant, ut quod nostri legum doctores communi calculo probassent id ubivis gentium passim admitteretur. Itaque non alia commendatione egebant Accursii glossae ut ad illum auctoritatis gradum pertingerent quam ut a nostris doctoribus in scholas inducerentur, quod quidem haud difficulter consecutae sunt propter earum prae reliquis omnibus excellentiam.

contrah. et commit. stipul. appellat glossam idolum suum.... Et Bald. in l. *Precibus, C. De impub. et al. substit.* dicit: « Inhaereas glossae ordinariae, sicut Bononienses inhaerent carroccio, et sicut ducens navem temoni inhaeret ». Jason. in l. *Ut vim.,* Dig. *De justitia et jure.*

(1) Benvenut. Imolen., *loc. cit.*

(2) Villan. et Dom. Arret., *loc. cit.,* aliique passim.

(3) Hanc interpretandi libidinem et novas glossas antiquis agglomerandi jamdiu exosam habent viri docti et prudentes: « Scribunt nostri doctores moderni lecturas novas, in quibus non glossant glossas sed glossarum glossas. Et hodie in lecturis suis transponuntur jam dicta. Quod enim unus in una lege ponit, alius ponit in alia per eadem verba vel paulo distantia ». Ita hoc vitium notabat saeculo XV Cabrinus de Zamorcis parmensis in prooemio ad sermones quosdam de virtutibus, quos manuscriptos vidi in bibliotheca nobilissimi monasteri s. Michaelis in Busco monachorum Monti Oliveti prope Bononiam.

(4) Benvenut. Imolen., *loc. cit.*

XII. Fuit hic honor glossis accursianis per plures aetates ut haberentur quasi quaedam appendices et supplementa legum ipsarum, atque ubi verba legis cujuspiam deficerent glossae auctoritas succederet. Non defuere tamen post Accursii mortem, ac fortasse eo etiam vivo, qui aliquid in ejus glossis improbarent. Fuit ex eo numero Benincasa Arretinus, cujus cum ei non placeret tanta illa glossarum congeries haec aliquando vox in scholis audita est: *Ite, ite ad Accursium, qui imbrattavit* (idest, conspurcavit) *totum Corpus juris* (1). Etiam qui ex Odofredi schola prodierant minus aequi fuisse in Accursium videntur. Sed Franciscus Accursii filius ac ceteri accursiani patris ac magistri doctrinam egregie vindicarunt. Itaque annis circiter tercentis Accursius in civili jurisprudentia regnum obtinuit. At ubi Alciatus, graecis et latinis literis egregie instructus et in antiquorum temporum historia excellenter versatus, ad interpretandas leges accessit, nova jurisconsultorum secta excitata est, cui post Alciatum magnum attulere incrementum Antonius Augustinus, Cujacius, Duarenus, Ottomanus aliique subinde doctissimi et eruditissimi viri ad nostram usque aetatem, qui spreta sequioris aevi barbarie et neglecta veterum glossarum ingenti farragine nativum veluti colorem et amissam tot saeculorum decursu pristinam jurisprudentiae elegantiam conati sunt restituere. Fuit id Accursio exitiosum, de cujus auctoritate et dignitate tantum visum est detrahi quanto nova haec interpretandi ratio latius pervagata est et a cultissimis quibusque jurisprudentiae studiosis recepta. Hinc atrox bellum excitatum ab elegantioribus istis jurisprudentiae cultoribus contra Accursium ejusque sectatores, quos ut barbaros, vaniloquos, cavillosos, a penitiore legum cognitione ut plurimum alienos, traducere non verentur. Non est hujus loci disputationem instituere de Accursii doctrina, neque pluribus exponere quae ab ejus vel adversariis vel patronis producantur. Id unum dicam vel ex ipsis politioris jurisprudentiae instauratoribus et assertoribus non deesse, qui magnis laudibus Accursium extollant. Cujacius delirare ait Bartholum cum ab Accursio dissentit (2). Alciatus ejus diligentiam commendat in consulendis antiquis codicibus ubi lectionis dubietas esset (3). Antonius Augustinus multa Accursio ab aliis assuta existimat, atque id ejus judicium est ubi aliqua in ejus glossis occurrunt, quae tanto viro indigna videntur (4). Guido Pancirolus legum studiosis praescribit ut prima jurisprudentiae elementa ex solis Accursii glossis sibi comparent (5). Heineccius denique, ut innumeros alios praeteream, et supra omnes Janus Vincentius Gravina Accursium magnopere laudant, atque hic postremus ceteris omnibus interpretibus anteponendum existimat (6). Adeo autem non plane deserta est Accursii schola, ut sint etiam qui illam anteponant elegantiori huic disciplinae, quam eruditiores quique legum interpretes sequuntur (7).

XIII. Sed mihi certum est multas ex accusationibus, quae in Accursium afferuntur, casuras si accursianas glossas ab alienis secernere liceret. Alienas autem dico non solum, si quae sunt ab aliis assutae ut censet Antonius Augustinus, sed eas omnes quas Accursius ab aliis interpretibus accepit nec suas fecit. Si codices manu exaratos integerrimae fidei nancisci liceret, facile esset Accursii glossas ab aliis distinguere, singulis

(1) Benvenut. Imolen. *Purgat. Dantis,* c. VI, v. 13.

(2) Cujac. apud Gravinam. *De ortu et progress. jur. civil.*, c. CLV.

(3) Alciat., VI, *Paradox.* 2, apud Brencmann., l. 3, pag. 249.

(4) Ant. Augustin., l. 2, 4, emend. 5.

(5) Pancirol. *De claris. leg. interpr.* lib. II, cap. XI.

(6) Heinec. *Histor. jur. civ.* — Gravina. *De ortu et progress. jur. civ.*, loc. cit.

(7) Alberic. Gentil. *Dialog. de juris interpr.*

enim ex usitato suorum temporum more sui nominis notam per siglam unam aut alteram adscripsit, atque aliorum quoque glossas et interpretationes vel sine nota ulla reliquit vel proprio cujusque auctoris nomine designavit, ut in vetustis exemplaribus bene multis perspicere licet. Sed cum amanuensium indiligentia hanc glossarum indicationem perverterit, pronum fuit Accursio errores imponere non suos. Id jamdiu animadversum fuerat a Joanne Andreae, cum duas in Accursio glossas repugnantes perpenderet et contrarias, quarum alteram fuisse dicit *Hug.*, alteram *Azo.*, Hugolini scilicet et Azonis, quibus ea contradictio tribuenda erat non Accursio (1).

XIV. Docuit Accursius in academia nostra annis circiter XXXX, ut narrat cum Dominico Arretino Philippus Villanius. Atque id recte componitur cum rationibus nostris. Anno enim MCCXX jam inter professores erat adscriptus et librum Authenticorum interpretabatur. Vixit autem saltem ad annum usque MCCLIX ut mox constabit. Non dubitandum igitur, quin annis circiter XXXX in scholis docere potuerit, licet fortasse aliquandiu domi se continuerit et a scholasticis muneribus vacaverit ut prolixum glossarum opus perfectum et absolutum, quoad fieri poterat, emitteret in lucem. Non diffiteor equidem magnam esse scriptorum dissensionem in anno quo Accursius obiit definiendo. Sed alii serius multo quam oportuit alii citius decessisse narrant. Pancirolus cum Ciacconio, Popeblount, Gravina et aliis, anno MCCXXIX obiisse tradit. Ab his non dissentit clarissimus Mazzucchellius. At Volaterranus cum Ricciolio et aliis multis, anno MCCLXXIX (2). Mitto ceteros miris modis inter se dissentientes. Ac miror non magni habitam immo neglectam in ea re scriptorum Bononiensium auctoritatem, qui omnium primi audiendi fuerant. Hi Accursium decessisse tradunt anno MCCLX. Ita est non solum apud Ghirardaccium et Alidosium, qui nec admodum antiqui sunt nec semper omnino accurati (3), sed etiam in vetusto chronico bononiensi, quod vulgavit Muratorius inter Rerum Italicarum Scriptores (4). Ab iis parum dissentit Ricobaldus Ferrariensis Accursio synchronus qui in historia Imperatorum ad annum MCCLVIII ita de Accursio et Odofredo scriptum reliquit: *Per haec tempora moritur Accursius legum commentator bonus, natione Thuscus, urbe .... Cui paucis annis supervixit Odofredus natione bononiensis, jurisperitus Accursio non inferior. Hi ambo sepulti Bononiae apud Fratrum Minorum ecclesiam, quibus fabricatae sunt in sepulchra pyramides speciosae in operimentum mausolaei* (5). Sed anno MCCLIX adhuc Accursius erat in vivis (6). Post annum vero illum nullibi ejus viventis memoriam reperire licuit. Itaque nihil est cur longe ab anno MCCLX ejus obitum retrahamus. Et anno certe MCCLXIII Accursium fato jam cessisse indubium est ex publicis tabulis, in quibus ejus filii Franciscus, Cervottus, Guilielmus et Cursinus patre orbati commemorantur (7). Quod si quoto aetatis

(1) Ad excusationem Accursii et aliorum antiquorum glossantium hoc scias, quod semper quandocumque ponebant glossellam in puncto notabilem, ponebant signum illius cujus fuerat glossa praedicta, per quod breve signum insinuabant opinionem vel dictum fuisse signati sine protelatione sermonis. Sed sic est quod in libris modernis ista signa ante finem glossarum reservata sunt, sed in fine quasi abolita, quae si durassent sicut in libris primis habentur, cessaret reprehensio. Joann. Andreae. *Ad Spec. jur.* ad § 5 *Quinto de Accusatione.*

(2) Mazzucchell., *loc. cit.*

(3) Alidosi. *Dottori bolognesi,* in Append., pag. 2. — Ghirardacci, lib. VI.

(4) Murator. *Rer. Ital. Script.*, t. XVIII, pag. 271.

(5) Ricobald. apud Murator. *Rer. Ital. Script.*, t. IX, pag. 133.

(6) In matricula Societatis Thuscorum ab anno MCCXXXXVIII scripta et anno MCCLIX recognita et aucta, designati sunt dn. Accursius doctor legum, dn. Franciscus doctor legum et dn. Cervottus doctor legum. *Ext. in Archiv. publ. Bonon.*

(7) MCCLXIII indict. VI Bononiae ante ecclesiam, sive per plateam monasteri s. Stephani Bonon.... in presentia venerabilium patrum dominorum imolen. episc.... dn. Jacobi Tavernarii de Parma Bonon. potestatis, dn. Bonaventure de Savignano Arimundi, dn. Alberici de

anno decesserit aeque manifestum esset, ejus quoque natalis annus nullo negotio definiri posset. Pancirolus Accursium tradit vixisse annis LXXVIII, sed unde id habuerit non indicat [1]. Philippus Villanius, non equidem in Epitome Italica ejus libri, quem de origine Florentiae et viris illustribus florentinis scripsit, sed in libro ipso latine scripto Accursio eamdem aetatem tribuit [2]. Neque multum a Villanio dissentit Dominicus Bandini Arretinus, qui Accursium scribit vixisse annis LXXV [3]. Quare annus a Pancirolo notatus retinendus omnino videtur, quamvis non certa, sed tamen satis probabili auctoritate constitutus.

XV. Non perfunctorie agit de Accursio ejusque filio Francisco Laurentius Mehus in spisso volumine, quod prodromi instar praemisit epistolis Ambrosii Camaldulensis nuper editis [4]. Producit is etiam quae de utroque scripta sunt a Philippo Villanio et a Dominico Bandini, sed nescio qua fide scripti sint codices manu exarati quibus usus est, vel qua diligentia eos ipse exscripserit. Villanius in codice Barberino integerrimo, quique ab auctoris aetate non abludit, Accursium scribit obiisse *anno gratiae millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, aetatis septuagesimo octavo.* Dominicus vero Bandini in codice Vaticano, qui mihi ad manus fuit, obiisse dicit anno MCCLXXVII. At in Mehusii ecgraphis tam Villanius quam Dominicus Bandini scribunt Accursium obiisse anno MCCXXVIII. Suspectus mihi est horum consensus in re tam falsa, ac miror etiam Mehusium, qui ubique censoriam virgam in auctores exerit non solum viles et plebejos sed nobilissimos quoque qua vivos qua vita functos, non vidisse tam crassum errorem. Scribit Mehusius ipse, Franciscum Accursii filium obiisse anno MCCLXXXXVIII, idque ex Villanii fide vel anno MCCCIX ex fide Dominici Bandini [5]. Vixisse autem creditur Franciscus Accursii filius annos LXVIII, Mehusio ipso non diffitente. Oportet igitur Franciscum annis duobus in Villanii sententia et annis undecim in sententia Dominici Bandini natum esse post Accursii patris sui obitum, si quidem obiit anno aetatis LXVIII. In his monstrosis erroribus emendandis melius operam suam collocasset Mehusius quam viris doctis injuria lacessendis. Quae igitur a Mehusio magno apparatu congesta sunt adeo non explicant Accursiorum chronologiam ut eam potius novis ambagibus involvant. Quare nec Accursii obitus citra annum MCCLIX retrahendus est, nec minor quam annorum circiter LXXVIII aetas eidem videtur tribuenda. Ac certe dubitari non potest quin ad multam aetatem vixerit, quippe qui jam inde ab anno MCCXX legum libris intepretandis animum adjecerat, ut supra dictum est. Sed etiam aliquanto ante annum MCCXX Accursius non exiguam sibi famam comparaverat in academia nostra, quippe qui cum Azone, jurisconsultorum sui temporis principe et magistro suo, et cum Hugolino Presbyteri, qui proxime ad Azonis existimationem accedebat, in gravi quadam causa consultus est ut a *Speculatore* accepimus [6]. At Azonem alibi ostendimus haud ultra annum MCCXX vitam produxisse. Non ignobilem igitur locum in hominum aestimatione jam tum obtinebat Accursius. Itaque his fere terminis omnis Accursii vita concluditur, ut circa annum MCLXXXII in lucem editus, cum sedulam operam humanioribus literis

S. Petro, Francisci qu. dn. Accursii legum professoribus, dn. Castellano de Andalottis, Rodulfi de Graidano civium bononien. et cleri ac populi bonon. civitat. Pater venerabilis dn. Octavianus de mandato, dn. Philippi s. raven. eccles. archiepisc. present. ibidem dn. imolensi episcopo consecratus. RUBEUS. *Histor. Ravenn.*, lib. VI.

(1) PANCIROL., lib. II, c. XXIX.

(2) *Vide Appendicem.*

(3) *Ibidem.*

(4) AMBROS. CAMALD. *Epist.*, t. I, pag. 159 seq.

(5) *Ibidem*, pag. 161.

(6) *Spec. juris*, tit. *De sentent. et his q. eam sequ.*, § *Qualiter*, v. *Jam debet.* Ex DIPLOVAT.

et philosophiae impendisset, post initium XIII saeculi se Azoni in jure civili erudiendum tradiderit eoque adhuc vivente doctor creatus in legum professione florere coeperit, ac tandem anno circiter MCCLX laudatissimae vitae cursum confecerit.

XVI. Mira doctrinae opinio, in qua fuit Accursius quoad vixit, magno ei adjumento fuit ad maximas opes comparandas. Quare et in civitate magnificas aedes habuit loco urbis celeberrimo ubi nunc est palatium publicum civitatis, in quo Legatus Apostolicus et Magistratus urbani sedem habent ad eam partem ubi praecelsa turris cum horologio assurgit (1), et in agro bononiensi splendidam villam et ampla latifundia ad Ricardinam; qui locus, ut tunc Accursii secessu, ita post aliquod tempus ob praelium atrox inter Venetos et Galeatii Sfortiae copias ibi gestum celebris fuit (2). Meminit Accursius ipse hujusce domus quam, ut erat satis gloriosus, palatium vocat in eaque fuisse dicit rotam hydraulicam quod eo rudi saeculo pro miraculo haberi poterat (3). Ac villae etiam suae Ricardinae meminit (4). Nec dubium est quin eo loci se abdere consueverit cum vacaret a scholasticis muneribus et fori etiam occupationibus, in quo verisimile est illum non raro versatum esse (5), ibique suis commentariis in juris caesarei libros scribendis ac poliendis incubuisse. Has Accursii aedes ad Ricardinam descriptas habemus in tabulis anno MCCCXVIII scriptis, cum Anna Lambertina Francisci Accursii nurus tutelam suscepit Castellani sui nepotis. Sunt autem in eis descripta etiam praedia, quae in iis locis ad Castellanum pupillum ex patris haereditate pertinebant, erantque non minus quam MCXXX jugera (sive tornaturae), ut vocant agri optimi. Guilielmi et Cursini haeredes sua item praedia in iisdem locis possidebant, et Cervotto item sua pars ex paternis fundis in ea vicinia obtigerat (6). Atque hinc facile conjicere licet, quam ampla sibi latifundia comparasset Accursius. Falluntur ergo qui tradunt Accursium hanc villam ea pecunia sibi comparasse, quam a Richardo Anglorum Rege ob magnam ejus causam in foro defensam acceperat (7). Nullus enim Accursii aetate vixit Angliae rex Richardi nomine. Nec minus errant qui beneficentia Eduardi regis id factum dicunt, qui post Accursii mortem regnare coepit. Erat autem haec Accursii villa ad Idicem amnem (Pancirolus non recte ad Sapinam scribit) prope eum pontem, qua transitus est via bononiensi ad Ricardinam. Ac videtur Accursius ipse eum pontem exstruendum curasse, nulla enim ejus loci celebritas ante conditam Accursii villam. Postmodum Accursii filii vel ex ligneo lapideum, uti nunc est, fecerunt, vel collapsum aut perruptum restituerunt post Accursii mortem (8).

XVII. Habuit Accursius ad divi Francisci sepulcrum in marmoreo sarcophago supra quem pyramis columnis suffulta tollebatur, non quidem in ecclesia ipsa sed in adjacenti area, uti tunc mos erat ejusmodi sepulcra construere. Nunc autem nova

(1) *Ex pluribus contract. tab. in Memor. Commun. Bonon.*

(2) Panciról., *loc. cit.*

(3) Ut in palatio dn. Accursii, ubi rota est, per quam trahitur aqua. Gloss. in l. *Qui fundum*, Dig. *De contrah. empt.*

(4) *Hierophylaco,* nomen est capellae, vel loci ubi est capella; ut sacerdos Ricardinae delectabilis nostrae villae. Gloss. in l. *Annua,* § *Attia,* Dig. *De annuis legat.*

(5) Panciról., *loc. cit.*

(6) An. MCCLXVIII Cervottus Accursii filius agros vendit in curia Ricardinae et Butrii pretio lib. DCCCLXX. *Ex Memor. Comm. Bonon.*


(7) Incidit nuper in hunc errorem Antonius M. Salvinus in *Adnot. ad comment. Boccacci in Dantem,* vol. II, pag. 384.

(8) Anno MCCLXX die XV Dec. Montanarius de Baragaza cedit dn. Accursino dn. Accursii omne jus, quod habebat contra quosdam magistros, occasione operae pontis Idicis in loco, qui dicitur Ricardina. Et dn. Franciscus dn. Accursii promittit servare indemnem dictum Montanarium. *Ex Mem. Com. Bonon.*

aedificiorum molitione Accursii sepulcrum obseptum est et una tantum ex parte conspici potest. Affertur a Diplovataccio Epitaphium Accursio positum, quod est hujusmodi:

Hic jacet Accursus, qui legum dogmate cursus
Detexit cunctis studiorum....
Ipsi non poterant concludere nulla sophistae,
Aspice quam parvo loculo concluditur ipse.
Spiritus alma petit, caro vermibus esca paratur,
Deperit heu corpus sed spiritus almificatur;
Cui Deus aeternam requiem lucemque supernam
Donet in arce poli sprevit ut atra soli.

Num haec carmina Accursii tumulo insculpta fuerint ex Diplovataccio non liquet. Nunc certe non apparent, potuere tamen ex ea parte sculpta esse quae nunc novis aedificiis obtegitur. Ex ea vero parte, qua Accursii tumulus conspicuus est, hic perbrevis titulus legitur.



Alidosius in hunc modum affert inscriptionem Accursii sepulcro appositam: *Sepulc. Accursii Glosat. leg. et Franc. filii MCCLX.* Sed nulla ibi est anni nota. Erat fortasse in alia sepulcri facie nunc minime conspicua.

XVIII. Accursius filios reliquit, Franciscum hunc qui cum eo tumulatus est, Cervottum et Guilielmum, non tam paternarum opum quam doctrinae et gloriae haeredes, Cursinum quoque sive Accursinum. Hos senex ex secunda uxore suscepit. Nam duas habuisse uxores indubium est ex quarum prima natus est Franciscus, ex altera Cervottus, Guilielmus et Cursinus. Et Franciscus quidem cum in lucem editus sit circa annum MCCXXV, ut suo loco ostendam, vel ex hoc minus credibile est ex eadem matre nasci potuisse Cursinum, qui in tenera aetate erat cum decessit Accursius (1). Filiam quoque Accursio aliqui tribuunt quae jus civile aliquando Bononiae docuerit, cujus ego nullum indicium reperio in antiquis Accursiorum monumentis, quae plurima vidi et diligenter investigavi (2). Itaque id aeque incertum existimo ac quod aliqui tradunt de Azonis filia, Accursio in matrimonium collocata (3).

XIX. Alii duas, nedum unam, Accursio filias tribuunt quae publice jus civile docuerint, easque nuper inter foeminas jurisconsultas recensuit Carolus Ferdinandus Hommelius professor lipsiensis (4), auctorem secutus Albericum de Rosate ad l. *Qui filium.* Dig. *Ubi pupill. educ. deb.* Ego ne unam quidem existimo. Nam Albericus, qui non

(1) « Anno MCCLXXVIII die XVI Octob. Accursinus fil. quondam domini Accursi curatorem postulat ad vendendum ex bonis paternis ». *Ex memor. Commun. Bonon.* Igitur annis XIX post patris obitum erat adhuc aetate minor.

(2) Panciroл., *loc. cit.*, aliosque plures.

(3) Arisius Cremon., *Liter.*, in *Azone.*

(4) Carol. Ferd. Hommelius professor lipsiensis in *Litteratura juris*, lib. I, cap. XX.

duas quidem sed unam tantum memorat, sic de illa loquitur ut dubio locum relinquat. Ait enim se audivisse Accursio filiam fuisse, quae Bononiae docuerit (1). Haec loquendi ratio Baelio dubium movit (2). A quo enim audivit? An deerant iis temporibus nugatores et boni etiam viri qui fabulas procuderent aut venditarent?

XX. Ab Accursii filiis ejus familia Bononiae propagata est, quae ab ipso veluti auctore Accursiorum agnomen tulit et inter praecipuas civitatis nostrae aliquandiu floruit (3). Ipse tamen Accursius extremis tantum vitae annis civitate donatus videtur; anno enim MCCLII assessoris munere functus est apud civitatis praetorem, quo munere fungi civis noster non potuisset in patria sua. Id intelligimus ex historiarum Ravennatium scriptore Hieronymo Rubeo, qui Accursio praetoris assessore consulente quasdam populi bononiensis leges de exulibus et de sacramento praetoris paulo duriores eo anno abrogatas narrat (4), qua de re, non bene sibi cognita, nescio quid subobscure indicat Ghirardaccius (5).

XXI. Christophorus Landinus Forensem memorat Accursii jurisconsulti fratrem et sororem Picardam (6), de quibus est aliquid apud Dantem Aligherium. Landinum refellunt Benvenutus Imolensis (7) et ex Joannis Bocaccii commentariis in Dantem Diplovataccius (8), scilicet Forensem illum fratrem fuisse docent Cursii Donati inter Florentinos proceres ineunte saeculo XIV clari ac praepotentis viri, qui praeturam bononiensem gessit anno MCCLXXXIII et rursum anno MCCLXXXVIII (9). Cum Accursio autem nostro praeter patriam ac nomen haud multum dissimile, nihil commune habuit.

XXII. Potius igitur Alidosio credam qui Accursii fratrem memorat Bonum scribam publicum sive notarium (10). Fuit autem notariorum collegium semper in civitate nostra honestissimum, praesertim iis temporibus ob merita Rolandini Passagerii artis notariae instauratoris. Sed Bonum typographi incuria dictum arbitror hunc Accursii fratrem, qui Donus revera dicebatur (11). Bonajutum quoque alterum Accursii fratrem antiquae tabulae recensent.

XXIII. Alia plura traduntur de Accursio a scriptoribus haud sane vulgaribus vel admodum incerta vel plane falsa. Ejusmodi est quod narrat Joannes Clericus, fuisse Accursium Eduardo Angliae regi a consiliis, qui ejus opera saepe usus sit in difficillimis regni negotiis explicandis (12). Est id omnino falsum, qui enim Angliae regi se adjunxit non is fuit Accursius glossator sed ejus filius Franciscus, idque annis multis post Accursii mortem. Miror autem Joannem Clericum in recensendis actis publicis priscorum Angliae regum, a Thoma Rymer collectis et vulgatis, huc impegisse; ea enim ipsa acta inter Rymer collectanea, quae ac de re agunt, ad Franciscum Accursii non ad Accursium ipsum pertinent, et eo tempore scripta sunt quo Accursius glossator in vivis esse non poterat (13).

(1) Audivi, quod Accursius unam filiam habuit, quae actu legebat Bononiae. ALBERIC. in l. *Qui filium*, Dig. *Ubi pupill. educ. deb.*

(2) BAELIUS. *Dict. critic.*

(3) Accursii stemma vide infra in GUILIELMO ACCURSIO.

(4) RUBEUS. *Histor. Raven.*, lib. VI.

(5) GHIRARDAC. *Hist. Bonon. ad an. MCCLII.*

(6) CRISOPH. LANDIN. in *Purg.*, c. XXIII et *Paradis.*, c. III.

(7) BENVENUT. IMOL. *Comment. in Dantis comoed. ad cant. XXIII Purgat.*, v. 37.

(8) DIPLOVAT. in *Accursio*.

(9) *Ex actis civit.*

(10) ALIDOS. in Appendice ad librum *De Doctor bonon.*

(11) Ex tabulis transactionis anno MCCXXI inter canonicos Ecclesiae bonon. et canon. regul. s. Barbatiani initae, quibus cum aliis multis interfuit Donus frater domini Accursii doctoris legum. *Ext. in archivo canonic. s. Petri Bonon.*

(12) JOANN. CLERIC. *Biblioth. chois.*, t. XX, p. I, pag. 1129.

(13) *Vide in* FRANCISCO ACCURSIO.

XXIV. Jacobus Facciolatus, vir clarissimus, inter professores patavinos qui saeculo XIII floruerunt, *magnum jurisconsultum Accursium regiensem* recenset (1). Accursium, qui magnus dici potuerit, unum novi, nostrum hunc glossatorem legum; praeterea neminem. Sed his neque regiensis est, nec Patavii docuit. Itaque dum regiensem illum doctorem magnum praedicat, neutrum illi satis cognitum fuisse censeo. Albertus quidem Gandinus, Jacobus de Arena aliique Accursium Regiensem, jurisconsultum non sane ignobilem, commemorant sed quis illum magnum Accursium appellare audeat? (2)

XXV. Infinitus essem si omnia vellem huc afferre, quae a scriptoribus de Accursio dicuntur, quorum aliqui velut hominem e caelo lapsum venerantur, aliqui minus etiam verecunde accusant. Is certe academiae nostrae magnam attulit lucem ejusque famam apud nationes omnes magis magisque propagavit. Tam religiose autem academia ipsa et universa civitas Accursii et ejus filii Francisci memoriam coluit, ut eorum quoque posteri non minimis beneficiis propterea sint affecti. Singulare est illud quod habemus in actis publicis civitatis ad annum MCCCVI; petente enim universitate scholarium juris civilis Bartholomaeus Castellani filius aliique ex Accursiorum familia, qui Bononiae degebant, ex Lambertacciorum libris populi bononiensis decreto deleti sunt, iisque concessum ut aequo jure essent cum reliquis civibus partis Jeremiensium in solvendis publicis vectigalibus aliisque oneribus comportandis. Vocantur illi *descendentes venerandae memoriae dn. Accursii et dn. Francisci de Accursiis patrum et dominorum omnium scholarium et studentium in jure civili per universum mundum, qui tantum honoris attulerunt civitati nostrae glossando et illuminando jus civile, et scholares ex omni mundi plaga ad eam convocando, ut ejus nomen per universum orbem celebretur* (3). Haec in actis civitatis ejus anni leguntur. Et rursum Accursii anno MCCCXXII cum fortasse ob novas Reipublicae turbas eo populi bononiensis beneficio uti libere non possent, petente scholarium universitate, inter Jeremienses censiti (4).

XXVI. Scripsit Accursius, ut dictum est, commentaria in totum corpus juris civilis herculeo prorsus labore in quo aetatem consumpsit. Haec edita sunt cum ipsis legum libris, et glossae ordinariae nomine celebrantur. Observat Diplovataccius, Accursium, praeter glossas quae cum Authenticorum libro editae sunt, alium apparatum scripsisse in Novellas, qui ita incipit: *Imperatoris cognitio.* Addit idem Diplovataccius Accursii commentaria in Institutiones absolutissima esse et pluris facienda, quam quae edidit in alios legum libros, quippe quae magis castigata et ab auctore post primam editionem diligenter recognita, nam ceteros apparatus glossarum non perinde sub incudem revocare potuit uti prudenter destinaverat. Edidit etiam tractatum *De arbitris,* cujus meminit idem Diplovataccius. Incipit: *De arbitris tractaturi.* Ejus quoque disputationes et quaestiones memorat Jo. Andreae in additionibus ad *Speculum* Guilielmi Durantis (5), qui etiam scribit se habuisse quaestionem ab Accursio disputatam in codice ipsius auctoris manu obsignato; cujus quaestionis meminit etiam Cinus (6).

XXVII. Scripserat Joannes, antiquus doctor Azonis praeceptor de quo supra diximus, *Summam Authenticorum.* Huic additamenta fecit Accursius (7). Quod autem aliquis

(1) Jac. Faciol. in *Fastis Gymnas. Patav.*, t. I, part. X.

(2) Albert. Gandin. *De Bannitis pro maleficio.* — Jac. de Aren. *De cess. act. Ext. in Tract. univers. juris*, t. 3.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) *Ex lib. Reformat. ejus anni.*

(5) Joann. Andreae in *Addit. ad Specul.*, tit. *De restit. in integ.*, § *Quis autem.*

(6) Cinus in l. *Reipub.*, Dig. *Ex quib. caus. major.*

(7) Extat cum Summa Azonis cum hoc titulo: « Summa secundum Joann. cum additionibus Dom. Ac-

existimat Accursium ex graecis latinas fecisse Justiniani Novellas, adeo absurdum est, ut vix cuiquam in mentem cadere potuerit. Jam inde enim ab aetate Magni Gregorii Justiniani Novellae latinae habebantur. Nec vero Accursius literarum graecarum ita erat peritus, nisi imperitissimus erat, quod multi non temere existimant, ut posset tale opus aggredi si quidem antea perfectum non esset. Itaque mirificus mihi videtur Samuel Coccejus cum negat editionem latinam Novellarum, qua utimur, esse authenticam, *quia tantum versio est*, inquit, *et quidem privata cujusdam jurisconsulti Accursii* (1). Accursius sesqui saeculo fere post Irnerium floruit. Assutas autem ab Irnerio Codici justinianeo Novellarum epitomas ex ineleganti illa versione, quae jamdiu extabat, notissima res est. Bulgarus et Martinus et Joannes et Azo et quotquot ante Accursium vixere clari legum interpretes Irnerii consilium probarunt; nec etiam Accursio laudi aut vitio tribui potest quod ipse inelegantem hanc Novellarum versionem praetulerit eleganti illi quam Julianus antecessor emiserat, eamque Authenticam primus omnium appellaverit, ut auctor in Encyclopaedia laudatus affirmat (2).

XXVIII. Extat Accursii epistola ad Petrum de Vinea. Eam edidit Edmundus Martene in amplissima collectione *Veterum Monumentorum* (3); ac plena est officii erga hominem illum aetate sua admodum celebrem et summa gratia et auctoritate valentem apud Fridericum imperatorem II. Ei se addictissimum profitetur Accursius. *Non vivit*, inquit, *in orbe terrarum, qui honorem vestrum magis me sitiat et serviendi voluntatem habeat promptiorem. Et hoc malo, quod veridica venientium de curia relatio afferat et operum affirmet effectu* (fortasse legendum *effectus*) *quam benevolentiae referat continuata series literarum*. Cum autem omnis Accursii familia ghibellinae factionis semper fuerit, non est mirandum Accursium ipsum et Petri de Vinea amicissimum fuisse et Friderici II imperatoris studiosum.

XXIX. Chemicae artis peritum fuisse Accursium aliqui tradidere et tractatum ab eo scriptum in *Rosarium* Arnoldi. Sed si tractatus ejusmodi, qui Accursii nomen praeseferat, in rerum natura umquam fuit, alium ab Accursio nostro auctorem fuisse censeo. Nimis enim distant a chemicorum experimentis vel tentaminibus legum studia, in quibus aetatem contrivit Accursius. Itaque Mazzucchellius pensata Orlandii auctoritate (4) et aliorum, si qui sunt, qui tractatum illum Accursio tribuunt, nihil ea de re pronunciare audet et poterat etiam non temere, meo quidem judicio, totum id ad fabulas amandare (5).

XXXXV.

ODOFREDUS.

I. Bononiae natus est Odofredus circa initium saeculi XIII ex gente Denaria, neque recenti neque ignobili quaeque ab opulento et bene nummato homine agnomen duxisse videtur. Odofredi pater fuit Bonacursus Richardi Denarii filius. Hic alios etiam

cursii in librum Novellarum, seu Authenticorum ». Eam vidi nuper Venetiis in codice manuscripto apud virum clarissimum Joannem Benedictum Mittarellium muranensis monasterii s. Michaelis abbatem; qui locus cum ob monasticam disciplinam maxime floret, tum ob cultum bonarum artium Athenaeum Camaldulense appellari mihi posse videtur.

(1) Coccejus in *Praefat. ad jus civile controv.*, q. V.
(2) *Enciclopedie*, t. I, v. *Authentiques*.
(3) Martene. *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1173.
(4) Orlandi. *Scrittori bolognesi*, vide *Accursio*.
(5) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XX. — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Accursio*. — Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXXII. (c. a.)

liberos reliquit Odofredi fratres, Honestum (1) et Caravitam (2). Erat autem usitatum et antiquum in ea familia Caravitae nomen. Constat enim de Caravita seniore, qui anno MCLXXVII testamentum condidit, et, cum esset sine liberis masculis, Remberginam filiam haeredem instituit et Caravitae juniori nepoti suo legatum dedit. Extat ejus testamentum penes nobilem civem Augustinum Gandulphum Odofredum, in cujus familiam superiori saeculo Odofredi transierunt.

II. Errant igitur qui Odofredum patria beneventanum dicunt; quo in errore versatur Trithemius, aliique non pauci (3). Cespitat autem Trithemii adnotator dum Rofredum Beneventanum appellat Odofredum seniorem (4). Ac multo etiam magis cespitat Diplovataccius in patria et familia Odofredi indicanda, cum eum dicit beneventanum simul et civem bononiensem ex gente qua de Odofredis dicebatur (5). Et gentem quidem odofredam noverat Diplovataccius adhuc aetate sua florentem Bononiae inter patricias et nobiles, ex qua constabat Odofredum prodiisse; propterea existimavit jam inde ab ipsius Odofredi temporibus eo agnomine appellatam. Atque in eodem errore fuit multo ante Diplovataccium Benvenutus Imolensis, Dantis interpres, quem Diplovataccius secutus videtur (6). Sed quod esset ejus gentis agnomen cum natus est Odofredus supra dictum est. Cum autem Odofredi filii ex patris Odofredi potius quam ex avito Denariorum nomine amarent appellari, hinc qui Denarii ante dicebantur Odofredi postea sunt dicti (7); indeque obtinuit gens Odofreda non infimum honoris locum in civitate nostra quoad saeculo superiore in aliam gentem nomenque transiit, ut ante dictum est.

III. Cum prima humaniorum literarum studia, philosophiae etiam aut saltem dialecticae (8), in qua satis eruditus in suis scriptis videri vult Odofredus (9) ut ea ferebant tempora, explesset, ad jurisprudentiam se contulit, quae numquam majore hominum studio exculta est in scholis nostris, quam per illud tempus quo ei addiscendae se dedit Odofredus. Audivit Jacobum Balduinum quem propterea appellare solet dominum suum (10), sed ejus opiniones passim refutare consuevit; idque palam profitebatur non quod invidus in eum esset aut malevolus, sed potius libertate quadam judicii, quae in ejus scriptis ubique apparet (11). Audivit etiam Hugolinum Presbyteri ut ipse non uno loco fatetur (12). Quod autem Baldus in eo libro, quem inscripsit *De commemoratione famosorum doctorum*,

(1) Honestus Odofredi frater interfuit emancipationi Alberti Odofredi filii anno MCCLV, de qua infra, ubi de Alberto.

(2) « Anno MCCXXXXV die ultima Sept. Facto in discordia cum Romana Camera permanente Remburga fil. Guilielmi Anglici cultellarii jure proprio vendidit et tradidit dn. Odofredo doctori legum filio quondam Bonacursii Richardi de Denariis et Caravite fratribus dimidiam partem unius domus pro indiviso posit. in quarterio porte s. Proculi in contrata seu vico vallis Apose ». *Extat penes nobilem civem Augustinum Gandulphum Odofredum.* Communicavit Joseph Zanettus Falloppius medicin. doctor.

(3) Trithem. *De Script. eccles.*, n. 444.

(4) *Vide adnotat. ad Trithem.*, cap. 425 *De Script. eccles.*

(5) Odofredus Beneventanus civis bononiensis et de Odofredis, celeberrimus legum commentator. Diplovat. in *Odofredo.*

(6) Concurrit autem (Accursius) cum Odofredo de Odofredis, nobili de Bononia, excellentissimo doctore. Benvenut. Imol. in c. XV *Infern.*

(7) Pancirol., l. II, c. XXVIII *ubi de Rodofr. Bener.*

(8) *Dialecticum se prodit* Odofredus in l. *Ea est natura*, Dig. *De reg. jur.*

(9) Odofred. in l. *Quaecumque specialiter*, Dig. *De officio ejus cui mandata est jurisd.*

(10) Odofred. in l. *Idem Pomponius*, Dig. *De dolo malo*, et alibi.

(11) « Ego tamen opinionem domini mei non approbo in hac parte, imo eam reprobo, ut consuetus sum ». Odofred. in l. *In bonae fidei*, C. *De pactis.*

(12) « Est secunda opinio domini Hugolini, et ita audivi ab eo ». Odofred. in l. *Cum pro eo*, C. *De sent. quae pro eo quod interest profer.*

« Or Segnori, dominus Hugolinus reprobat istam rationem, non quod ipse scripserit in aliquibus scriptis, sed ego Odofredus audivi ab eo, dum legeret authenticam istam ». *Ibid.* in Auth. *Ex causa exhaeredationis, vel praeteritionis*, ad tit. *De liberis praeteritis.*

Odofredum Accursii discipulum fuisse narrat (1), id aeque falsum judico ac illud quod alii dixere fuisse Accursium Odofredi discipulum. Quamvis enim si utriusque aetatem spectemus haud plane repugnet Odofredum in Accursii schola fuisse, quandoquidem tam Accursius ipse quam Jacobus Balduinus Azonem audiverunt, quare ut Jacobum Balduinum praeceptorem habuit ita et Accursium habere potuisset, tamen cum Odofredus ipse perpetuo et infinitis propemodum locis Jacobum Balduinum dominum suum appellet, Accursium semel fortasse aut iterum nominet, credibile non est ab eo eruditum fuisse. Baldus autem serius vixit quam ut de ea re certam fidem facere potuerit. Non igitur Accursii auditorem fuisse censeo Odofredum sed aemulum, atque, ut ait Benvenutus Imolensis, *concurrentem*, non quidem ex instituto academiae nostrae datum, nondum enim puto per illud tempus invectum ut professoribus nostris *concurrentes*, idest, aemuli et antagonistae darentur, sed sponte oblatum ex eodem illo laudis desiderio quo tenebatur Accursius. Qua de re in Accursio satis dictum.

IV. Odofredus anno MCCXXVIII nondum doctoris insignia acceperat, uxorem tamen duxerat jamque filium susceperat Richardum, sive Richardinum (2), qui postea Ordini Minorum nomen dedit (3). Biennio ante Bonacursum ejus patrem novimus legum libris emendis intentum, pro filio nimirum Odofredo, qui jurisprudentiae studia colebat (4). Eodem anno Odofredus ipse nescio quid librorum ejus facultatis coemit, ut ex antiquis tabulis intelligimus. Audiebat iis temporibus procul dubio Jacobum Balduinum, qui ad annum usque MCCXXXV aetatem egit et magna celebritate in academia nostra floruit. Sed paulo post annum MCCXXVIII inter professores adlectum censeo et doctorem creatum. Juvenis adhuc et infra eam celebritatem quam postea consecutus est, in Piceno et Apulia immo et aliquando etiam in Gallia moras egit, judicis opinor officio perfunctus, nisi quis velit docendis legibus occupatum. Fuisse autem in Apulia videtur circa annum MCCXXXII (5), in Gallia vero circa annum MCCXXX (6). In Thuscia etiam judicia exercuisse dicitur et insontem hominem Florentiae summo supplicio inconsulte damnasse (7). Sed postmodum in patriam reversus et academiae redditus, in ea usque ad vitae exitum maxime emicuit et plane regnavit, seu potius cum Accursio divisum habuit jurisprudentiae imperium. Quamquam enim Accursius Odofredum scribendo vicerit, in schola tamen et in palaestra vel aequales fuerunt vel, quod optavit maxime, Accursium superavit Odofredus. Augebat autem hujus professoris famam civicus quidam splendor et summa auctoritas, qua in civitate nostra pollebat, quaeque in Accursio ut in homine extero et cive adscititio multo minora erant.

(1) Odofredus bononiensis fuit origine et nobilis homo et sepultus est in ecclesia s. Francisci extra portam ipsius monasterii in quodam sepulchro alto et fuit discipulus Accursii. Bald. in tract. *De commemor. famos. doct.* apud Diplovat. in *Odofredo*.

(2) « Anno MCCXXVIII dn. Caravita fil. olim Richardi de Denariis testamentum condidit, quo prae ceteris legavit domine Zuliane uxori dn. Odofredi vestimenta de viridi nova facta pro domina Bichilina uxore sua. Item Ricardino fil. domine Zuliane domum suam totam in qua habitat ». *Item in codicillo, non multo post facto,* Ricardino fil. dn. Odofredi nepoti suo *legat C Libras. Extat in archivo Fr. Minor. Conventualium ad divi Francisci*, fasc. A, n. 5.

(3) *Ex tabulis plurimis in archivo Fr. Min.*

(4) *Ibid.*, lib. IV.

(5) Grylli, qui tantam habent voluntatem comedendi, quod devorant omnes segetes, ut jam vidi in Marchia Anconitana et in Apulia .... et possunt forte esse triginta anni. Odofred. in l. *Excepto temp.*, C. *De locato et conducto.*

(6) « Istam divisionem probat decretalis *Conquestus es.* Tamen eo tempore, quo eram in Gallia, non erat facta illa decretalis, quia omnes magnae causae diebus feriatis trutinabantur, et istud erat mihi saepe utile; quia diebus non feriatis non poteram ita intendere ». Odofred. in l. *A nullo jud.*, C. *De feriis.* Edita est haec decretalis ex Pithoei calculis anno MCCXXXII.

(7) Alberic. Gentil., dialog. I, rei tantae solus auctor, sine ulla veterum monumentorum fide.

V. Floruit etiam in foro in quo adversarium quandoque habuit Franciscum Accursium ut a Joanne Andreae accipimus (1). Scholas habuit peramplas in suis aedibus, quarum aliquando mentionem ingerit in commentariis ad Pandectas. Ne quid autem commodi suis auditoribus deesset, in ipsis suis aedibus compactori librorum officinam locavit (2). Libros quoque scholaribus commodari curabat quibus in schola egebant, ut ex antiquis tabulis intelligimus. Itaque licet ab iis artibus abhorreret, quibus professores multi uti solebant ad aucupandos auditores (3), haud scio, an quisquam majori concursu docuerit et majores opes docendo comparaverit (4). Nondum enim constitutis professorum stipendiis, ut non semel dictum est, tanto quisque majorem quaestum docendo faciebat quanto plures ad eum audiendum confluebant; a singulis enim auditoribus certam pecuniam ex pacto exigebant, quae usitato nomine collecta dicebatur. Quam ingentem vero quaestum facerent ex his scholarium collationibus doctores, qui majori plausu et concursu docebant, vel ipsius Odofredi exemplo intelligi potest, cui quo tempore ex hac vita migravit scholares aliquot quadringentas libras, ingentem sane summam, collectae nomine debebant (5). Sed Odofredus ut auditorum desiderio faceret satis consuevit aliquando, praeter ordinariam lectionem, quae propria erat doctorum, extraordinariam quoque habere quae minus nobilis reputabatur. Sed postremam hanc se omissurum aliquando denunciavit, non tam laboris pertaesus, quam quod auditores minus promptos in conferenda stipe compererat. Id narrat ipse ad calcem commentariorum in Digestum vetus, cujus verba infra damus, quae libenter legentur ab antiquitatum scholasticarum amatoribus (6).

VI. Habemus ampla Odofredi commentaria in legum libros, quae, nisi accursianae glossae extitissent, primum locum tenere poterant in foro et in scholis. Elucet enim ubique mira facilitas in conciliandis legibus in speciem diversis, mira perspicuitas in iis explicandis, optimum judicium in opinionum delectu (7). Illam vero ipsam exuberantiam rerum saepius aliunde petitarum et copiam verborum absque ulla concinnitate et elegantia, quae illi nunc vitio vertitur, magis fuisse opinor ad ejus saeculi gustum quam essent parca et limatula scripta recentiorum interpretum. Ac fuit Panciroli opinio ex omnibus interpretibus alium eo clariorem non fuisse et tironibus utiliorem.

(1) Joann. Andreae in *Addit. ad Spec.*, tit. *De restit. in integ.*, § *Quis autem.*, in fin.

(2) *Ex tabulis quae sunt in archivo Fr. Minor. Conventual.*

(3) Unde colligitur argumentum contra doctores, qui mutuant pecuniam scholaribus ut audiant eos; nam eo ipso sunt suspecti, quod ingerant operas suas. Odofred. in l. *Omnia omnino crimina*, Dig. *De officio praefecti urbis.*

(4) *Extant in Memorial. Com. Bon.* plures emptionum tabulae, quae Odofredum ostendunt bene nummatum fuisse. *Sunt aliae etiam in archivo Fr. Minor. praesertim. ad annum MCCLXI.*

(5) Anno MCCLXIX die Jovis XIII exeunt. April. Albertus qu. dn. Odofredi doct. leg. fuit confessus recepisse a dn. Viviano.... scholare bonon. quinquaginta libras bonon. quas in solidum cum mag. Gorlano suo fratre ei dare tenebatur ex instrumento manu Ugolini qu. Ugolini Presbiteri notar. Item XXXVI libr. bonon. pro parte sua et dicto suo fratri contingente de debito quadringentarum libr. bonon. quas in solidum cum pluribus scholaribus dicto dn. Odofredo dare tenebantur ratione collectae ex instrum. Mich. Vinciguerrae notar. *Ex Memor. Com. Bonon.*

(6) Signori: nos incepimus, et finivimus, et mediavimus librum istum, sicut scitis vos, qui fuistis de auditorio isto; de quo agimus gratias Deo et beatae Mariae Virgini matri ipsius et omnibus Sanctis ejus. Et est consuetudo diutius obtenta in civitate ista, quod cantatur Missa, quando liber finitur et ad honorem Sancti Spiritus; et est bona consuetudo et ideo est tenenda. Sed quod moris est quod doctores in fine libri dicant aliqua de suo proposito, dicam vobis aliqua; pauca tamen. Et dico vobis quod in anno sequenti intendo docere ordinarie bene et legaliter, sicut umquam feci; extraordinarie non credo legere; quia scholares non sunt boni pagatores; quia volunt scire, sed nolunt solvere, juxta illud: « Scire volunt omnes: mercedem solvere nemo ». Non habeo vobis plura dicere: eatis cum benedictione Domini. Odofred., in fin. Dig. *Vetus.*

(7) Panciroli., l. II, c. XXXV.

VII. Sunt autem ejus commentaria universa ad usum scholae accommodata, ut ex eo apparet quod perpetuo auditores suos in iis alloquitur; atque, ut omittam quantum ea praestent ceteris quae ante illud tempus prodierant, illud magnopere placet in illis quod plurima interserit aliena fere ab instituto suo, sed ad sui temporis historiam et mores cognoscendos opportunissima. Nullus est ex professoribus legum qui ad aetatem illam vixerit, si fortasse Accursium excipias aemulum scilicet suum, cujus honoribus et gloriae minime favebat (1), quem non saepius nominet deque ejus patria, doctrina, scriptis, moribus aliqua commemoret. Itaque nisi ejus libros haberemus, vix nomine noti essent nobis Irnerius in primis atque ejus discipuli, aliique plures qui consecuti sunt quosque identidem vel laudat vel notat Odofredus. Ut autem vir erat festivissimi ingenii nec sane indisertus, licet dicendo impolitus, mirum quot historiolas, commenta, fabellas narret, quam multa ex trivio et ex quotidiano usu petita exempla proferat, quae ut auditores in scholis magnopere oblectabant, ita nunc libenter leguntur ab iis qui eorum temporum mores cognoscere amant. Vix ulla pagella est in ejus scriptis quae his nugis, haud inficetis, vacet. Exemplo sint paucula haec quae infra adnotamus. Alia alibi ex occasione dedimus (2).

VIII. Cum Bononiae summo hominum plausu jus civile doceret et in foro etiam celebraretur, multae gravis momenti controversiae ejus consilio diremptae sunt (3). Ejus

(1) Hunc tamen aliquando citat et laudat, vel semel in l. *Cato,* Dig. *De verb. oblig.*

(2) Nota hic secundo quoddam pulchrum, notabile secundum jus nostrum, contra scholares; quod quando scholaris est in terra sua, et vult scribere doctori suo aliquid, in salutatione sua scribit *reverendo viro.* Licet bene dicat, tamen non honorat doctorem suum sicut deberet; quod si est doctor, deberet dicere *illustri viro Bononiae docenti.* Quia hic Imperator ipsos doctores illustres vocat. ODOFRED. in *Prooem. Digest. vet., idest, De confirmatione Digest.*

Quando moritur aliquis in sero habentur clerici, et dicunt officium mortuorum tota nocte: isti non debent vocari in jus. *Id.* in l. *In jus vocari,* Dig. *De in jus vocan.*

Sed nos vocamus stadium milliare. Unde in Lombardia videbitis lapides stantes, et de uno lapide ad alium est unum milliare et est milliare mille passus. *Id.* in l. *Universit. sunt.,* Dig. *De rer. divis.*

Or Signori: hic colligimus argumentum, quod aliquis, quando venit coram magistratu debet ei revereri: quod est contra Ferrarienses, qui si essent coram Deo, non extraherent sibi capellum vel birretum de capite, nec flexis genibus postularent; sed hoc .... in civitate ista et alibi bene servatur. *Id.* in l. *Secundo loco,* Dig. *De postulando.*

Mulieres quando nubunt, volunt lectum de lignis siccis sed de arbore vivente. Sed in omnibus opinionibus suis fatuae sunt. *Id.* in l. *Legata,* Dig. *De supellectili legata.*

Unde domini orbi, qui vadunt in curiam Communis Bononiae et cantant de dn. Rolando et Oliverio, si pro pretio faciunt, sunt infames. *Id.* in l. *Quod ait praetor.,* Dig. *De his qui not. infam.*

Dixit pater filio .... vade Parisius, vel Bonon. et mittam tibi annuatim centum libras. Iste quid fecit? ivit Parisius: et fecit libros suos babuinare de literis aureis .... ibat ad cerdonem, et faciebat se calceari omni die Sabbati. *Id.* in l. *Macedoniani,* C. *Ad SC. Macedonianum.*

Unde homines in festivitatibus Apostolorum non debent ire ad spectacula, quod est contra homines Lombardiae, qui faciunt ludum de gradicolis in praedictis diebus, et maximus ludus fit in civitate Pisana. *Id.* in l. *Omnes dies,* C. *De feriis.*

Antiqui nimis diligebant dominas suas, ut faciunt domini Tusci et maxime Pisani. Sed Lombardi et Francigenae multum sunt curiales de suis dominabus. Unde quid faciebant olim domini veteres? Ipsi castrabant homines, ut custodirent dominas suas. *Id.* in l. *Romanae gentis,* C. *De eunuchis.*

Or ponamus, mulier non dat mihi fundum in dotem, ex quo percipiantur messes vel vineam, ex qua percipiatur vindemia, quia non est Italica; nec dat mihi silvam caeduam, quia non est Francigena: sed quia est Anglica, dat mihi oves in dotem. *Id.* in l. *Ob donationes,* § *Quod in anno,* Dig. *Soluto matrimonio.*

Sed in Gallia non fiunt istae designationes locorum *(in conviviis);* imo quicumque potest ire citius ad tabulam, vadit, et ita servant etiam Gallici scholares in civitate ista, dum faciunt aliquem choredum, sed non servant bene ordinem juris. *Id.* in l. *Quod ait praetor.,* Dig. *De his qui not. infam.*

Promittis dare decem libras bonon. ex causa donationis. Tu dixisti: Promitto decem aureos .... tamen quod eadem est aestimatio, valet stipulatio. *Id.* in l. *Quae extrinsecus,* Dig. *De verb. obligat.*

Bene scitis quod cum doctores faciunt collectam, doctor non quaerit a scholaribus, sed eligid duos scholares, ut scrutentur voluntates scholarium; promittunt scholares per illos. Mali scholares nolunt solvere, quia dicunt, quod per procuratorem non quaeritur actio domino. *Id.* in l. *Si procuratori,* Dig. *De verb. obligat.*

(3) *Vide infra, ubi de Odofredi scriptis.*

etiam consilio stetit Gregorius de Monte Longo Pontificis legatus in difficili deliberatione [1]; ac saepissime adhibitus est a Communi Bononiensium rebus publicis tractandis, quae graviori consilio et diligenti opera indigerent. Itaque anno MCCXXXXIV, ut alibi dicemus, cum Rolando de Gisso et Sinenomine legum doctoribus delectus est ad cognoscenda Oliveti, aliorumque castrorum et vicorum agri bononiensis antiqua jura, quae eorum incolae obtendebant, quo se a muneribus publicis et vectigalibus eximerent. Quinquennio post gravior ei procuratio decreta est cum Pascipovero, celebri item academiae nostrae professore. Hi enim una cum Octaviano episcopo pacis conditiones cum Mutinensibus statuere, postquam bello victi fuerant a nostris et rex Hentius in praelio captus [2]. Eodem anno, qui fuit MCCXXXXIX, ex IIII viris fuit qui a Communi Bononiensium delecti sunt ad censum fumantium, quos vocant, conficiendum. Et extant adhuc ejus census tabulae *extimum fumantium* vulgo appellatae, suntque ex antiquissimis quas a bononiensi republica factas fuisse constet. Anno etiam MCCLIII cum Alberico Scannabicchio et tribus aliis ex primoribus civitatis Ravennam legatus est ad foedus cum Ravennatibus feriundum [3]. Et anno MCCLIV cum eodem Alberico Mutinam profectus est ut dissidia componeret, quae in interpretandis legibus foederis nuper cum ea civitate percussi suborta erant [4].

IX. Vixit Odofredus ad annum usque MCCLXV. Obiit autem III nonas Decembris, ut ex titulo ad ejus sepulcrum posito, quem ita nobis servavit Alidosius.

Clauditur hic mundi sensus jurisque profundi
Lux foedus pacis doctorum flos Odofredus.
Si semel mille centum bis sexagintaquinque mente tenebis
Hinc sine Novembris in terna nocte Decembris [5].

Postremus hic versus Oedipum requirit. Sed eo tamen indicatur Odofredum obiisse tertia nocte Decembris. Forte prima ejus versus verba mendo non carent. Ne quis autem dubitet Odofredum anno MCCLXV obiisse, sunt alia monumenta quae id demonstrant. Eo certe anno ad diem XVII kalendas Septembris adhuc in vivis erat, quo die magister Aegidius de Pruino per sponsores suos se subjecit judicio ipsius Odofredi et Henrici Angli rectoris scholarium ultramontanorum in controversia quam habebat cum Philippono Pepolo [6]. Ad XVII kalendas Januarii ejusdem anni jam humanis excesserat ut manifestum est ex tabulis eo die confectis [7]. Errant igitur tota via qui Odofredum scribunt vixisse usque ad tempora Joannis Andreae, qui Bononiae florere coepit initio XIV saeculi et anno MCCCXXXXVIII ex peste obiit annos nimirum fere LXXX post Odofredum [8].

(1) Dn. Papa Gregorius (IX) misit quemdam legatum in Lombardiam nomine dn. Gregorium de Monte Longo; et ipso extante in legatione decessit Papa Gregorius. Ipse dubitabat utrum esset revocata jurisdictio sua. Quaesivit ipse tunc temporis de ista quaestione, et quidam peritissimi dixerunt quod erat finita jurisdicto, et ego dixi ei quod non.... et ipse acquievit meo consilio. ODOFRED. in l. *More majorum*, Dig. *De jurisd. omn. judic.*

(2) *Extat foedus Bononiensium cum Mutinensibus percussum anno MCCXXXXIX in Reg. novo*, pag. 34.

(3) *Ex act. pub. in Reg. nov.*, pag. 118.

(4) *Ex libro Provis. antiquis. in archivo Communis Bonon.* Indicavit clarissimus Montius.

(5) ALIDOS. in l. *Addit. ad doctores Bonon.*, p. 244. Vide etiam *Doctores*, pag. 183, ubi paulo aliter sepulcri epigraphen describit, ex quo apparet jam tum sic fuisse vetustate obtritam, ut vix legi posset.

(6) *Ex Memor. Commun. Bonon. ejus anni.*

(7) Anno MCCLXV die XV intrante Dec. dn. Caravita frater qu. dn. Odofredi exigit quamdam pensionem. *Ibid.*

(8) Jo. BAPT. GAZALUPUS id colligi dicit ex his, quae habet JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Spec. juris*, in rubr. *De locat.* Sed id merum est commentum.

X. Extat Odofredi sepulcrum in area, quae est circa ecclesiam Fratrum Minorum Bononiae, paulo infra Accursii sepulcrum, ut visus sit etiam post mortem voluisse cum illo certare cum quo perpetua ei fuit aemulatio dum viveret. Sepulcro pyramis imminet columnis marmoreis fulta, haeretque porticibus, quae infra supraque eam ecclesiam postea exstructae sunt. Sed inscriptio vetus amplius legi non potest obtecta parietibus, quibus fulciri oportuit fatiscentem sepulcri molem. Haec autem inscriptio ibidem posita est cum sepulcrum reparari contigit.

DEO · TRINO · ET · VNI
PYRAMIDEM · ET · SEPVLCHRVM · VETVSTATE
CORRVPTA
QVAE · ALBERTVS · GENITORI · SVO · ODOFREDO
LEGVM · PARENTI
ANNO · SALVT · M · CC · LXV · III · NON · DECEMBR
DEFVNCTO · POSVERAT
LAVRENTIVS · ODOFREDVS · DOMINICI · F.
ODOFREDI · POSTERIOR · ALBERTIQ · TRINEPOS
SVA · IMPENSA · IN · MELIOREM · FACIEM
OPERE · ET · CVLTV · SPLENDIDIORE
RESTITVIT
ANNO · GRATIAE · M · CCCC · LXXXX · VII · KAL · SEPTEMB

Sed reparato rursum monumento haec insuper inscriptio posita est.

HIERONYMUS · QVON · LAVRENTII
DE · ODOFREDIS · REPARAVIT
DIE · PRIMO · MENSIS
DECEMBRIS · DE · ANNO
MD · XXXX · VIII

XI. Ghirardaccius (1) et Alidosius (2) mirifice luserunt cum de Odofredo scriberent. Primo enim Odofredum unum et alterum commenti sunt, quorum unum obiisse scribunt anno MCCXXXXIV. Hunc appellant Richardi Denarii filium, patria beneventanum, qui ob eximia merita et doctrinam singularem stipendio conductus fuerit ad legum scholam moderandam, post autem civitate donatus. Atque hunc auctorem putant librorum de ordine judiciario ac libellis deque arte notaria. Odofredum alterum hujus nepotem dicunt, Honesti Denarii filium, ex quo gens odofreda propagata est. Huic tribuunt commentaria in Pandectarum libros et Codicem aliaque scripta quae sunt veri Odofredi foetus, atque illum tradunt anno MCCLXV obiisse. Hunc itaque habent pro illo insigni professore academiae nostrae de quo hactenus diximus; superiorem vero cum Rofredo Beneventano misere miscuerunt. Puto autem in tam absurdas allucinationes delapsos duplici ex causa. Primo, quia in monumentis bononiensibus et actis publicis civitatis, quae studiose quidem scrutati sunt, sed non eo judicio instructi iisque praesidiis quae

(1) Ghirardacci, lib. VI et lib. VII.

(2) Alidos. in *Doct. bonon.*, pag. 183, et in *Addit.*, loc. cit.

in historiae literariae scriptore requiruntur, Odofredos viderunt duos, seniorem unum, juniorem alterum, prioris ex fratre nepotem. Fuit enim re ipsa Odofredus Honesti fratris Odofredi filius, sed qui neque doctoris titulo insignis reperitur nec alia re celebris, quam quod magni Odofredi agnatus ejusque fratris filius fuerit. Sed cum in Odofredi libris non semel citari viderent Odofredum, quasi auctorem alterum ab eo qui scriberet, pronum fuit hominibus minus cautis eo prolabi ut patruum et nepotem hic agnoscerent. Atque haec fuit altera causa tam immanium aberrationum Ghirardaccii et Alidosii.

XII. Verum, qui in Odofredi commentariis citatur Odofredus non alter est ab eo qui commentaria ipsa scribit, sed unus atque idem est. Ita vero se res habet. Odofredi commentaria in libros legum, quae nunc seorsim edita habemus et sejuncta ab ipsis legum libris, Pandectarum scilicet et Codicis, non ita initio scripta sunt ab auctore ipso, sed carptim adjecta sunt singulis legibus, immo singulis legum particulis aut verbis etiam, quae obscuriora viderentur. Atque hunc morem secuti sunt antiqui interpretes et glossographi, qui, ut alibi diximus, animadversiones et glossas quique suas proprio nomine notabant una vel altera litera expressum in hunc fere modum: *B. M. Pla. Ac.* Bulgarus, Martinus, Placentinus, Accursius. Id ipsum factitasse Odofredum identidem non dubito. Hinc ejus nomen vel compendio indicatum vel integre adscriptum aliquibus ejus glossis ex manuscriptis codicibus in libros editos inductum est et erroris causam Ghirardaccio et Alidosio praebuit, qui Odofredum unum ab altero diversum in ejus commentariis reperisse sibi visus est. Haesit in eodem luto Orlandius in scriptoribus bononiensibus, Ghirardaccium et Alidosium secutus.

XIII. Ex Juliana uxore (1) filios reliquit Odofredus Richardinum, Albertum et Lazarinam. Richardinus Ordinem Minorum professus est, in quo diu vixit (2). Atque hic natu major videtur Alberto eum enim anno MCCXXVIII natum constat; Albertum vero non item. Lazarina quoque in celeberrimo et eo maxime tempore ob sanctioris disciplinae famam florentissimo parthenone s. Francisci inter virgines Deo sacras nomen dedit (3), cui etiam ob perspectam virtutem aliquando praefuit (4). Albertus legum studiis inclaruit et odofredam gentem Bononiae propagavit. Atque in eo Odofredus Accursium vicit, quod ejus posteritas aucta opibus diutissime floruit, cum Accursii familia cito admodum extincta sit. Sed quantopere propagata sit Odofredi familia eo adhuc vivente, Odofredorum stemma demonstrat, quod in Alberto Odofredo damus.

XIV. Laudatur inter primos ac praecipuos italicae poeseos cultores a Dante Alighierio (5), aliisque deinceps, qui de italica poesi scripserunt, Honestus Bononiensis. Hunc Alidosius Odofredi nepotem fuisse existimat, Alberti filium; nec poetica solum facultate sed etiam legum professione clarum, quamobrem illum inter legum doctores bononienses recenset. Sed Orlandius Odofredi junioris patrem fuisse putat. Est autem Orlandio Odofredus junior idem ac noster Odofredus illustris legum professor, de quo hactenus disse-

(1) Nota est Juliana, sive Zuliana, Odofredi uxor ex testamento Caravitae junioris, condito ad annum MCCXXVIII, quod supra indicavimus.

(2) Ex eodem testamento Richardinum Odofredi et Julianae filium agnoscimus. Idem anno MCCLXVII vivebat inter Fratres Minores, quo anno Landulfus, qu. dn. Landulfi filius testamentum condidit in Capitulo Fratrum Minorum, praesentibus « Fratre Richardino domini Odofredi de Ordine Minorum », aliisque Fratribus. *Ext. in archiv. s. Francisci.*

(3) Anno MCCLXII. Domina Beatrixina fil. qu. dn. Bonifacii Guidonis Guizardi priorissa sive abbatissa monasterii sive loci s. Francisci de Bononia et sorores sive moniales dicti loci scilicet soror Lazarina filia dn. Odofredi et soror Maria qu. dn. Fabri etc. *Ext. in eod. archiv.*

(4) Ex aliquibus instrumentis in lib. *Memor. Com. Bonon.* in quibus Lazarina priorissa, sive abbatissa ejus monasterii nominatur.

(5) DANTES. *De vulgari eloquio,* lib. I, cap. XVI.

ruimus. Novissime etiam Quadrius Honestum poetam Alberti Odofredi filium fuisse scripsit et ipsum jurisconsultum, a Crescimbenio dissentiens qui medicum fuisse putaverat. Sed aeque omnes in manifestissimo errore versantur. Unus enim fuit in Odofredi agnatione, qui Honestus diceretur atque hic Odofredi frater fuit, ut ex certissimis eorum temporum monumentis constat (1). Si quis igitur fuisset ex Odofredi familia poetica laude clarus, hic unus esse posset. Sed id parum verisimile est ne dicam aperte falsum; tempora enim Honesti Odofredi fratris et Honesti poetae bononiensis non bene congruunt. Vixit Honestus poeta cum Cino Pistoriensi, celebri jurisconsulto, qui Dinum Mugellanum, inclinante saeculo XIII, in nostris scholis audivit; sunt enim utriusque carmina italica alterius ad alterum scripta, quaeque utriusque amores et juveniles jocos exprimunt. At eo tempore quo Cinus Bononiae legum studiis operam dare potuit, Honestus frater Odofredi vel jam decesserat vel provectissimae aetatis praestolabatur exitum ludis et amoribus impar. Nec poetam igitur fuisse censeo Honestum Odofredi fratrem nec legum doctorem, nam postremum hoc de Honesto tradit Orlandius praeter veterum monumentorum fidem in quibus numquam doctoris titulo insignitus apparet. Sed de Honesto poeta bononiensi erit alibi dicendi locus.

XV. Pertinere videtur ad haec tempora Betisia Gozadina non minus generis claritate quam eloquentia ac legum professione illustris, ita enim ferunt Odofredi sapientiam praestantemque doctrinam admirari solitam ut praecipuae felicitatis loco duceret quod tanto viro coaeva extitisset, cujus etiam praemature extinctae funus Odofredus ipse cum lacrymis prosecutus esse dicitur. Betisiam Ghirardaccius et nostri ab eo deinceps scriptores eximiis laudibus certatim extulerunt (2).

ODOFREDI SCRIPTA.

Praeclara, quae reliquit Odofredus opera, ita recenset Diplovataccius. « Scripsit Odofredus acu-
» tissimas lecturas quam maxime super Codicem. Incipit: *Or Signori est multiplex rubrica.*
» In qua lectura saepe utitur istis verbis: *Or Signori.*
» Item et super Dig. vetus et super ordinariis juris civilis.
» Item et super Usibus Feudorum utilissimam Summam secundum Baldum in praelud. Feudorum
» in 3 col. Commentavit capitula Pacis Constantiae, prout Baldus ipse facit mentionem
» et dicit Barthol. Veronensis, in Auth. *Sed novo jure* in 6ª col. C. *De serv. fugit.*, quod
» de voluntate Imperatorum Odofredus glossavit titulum *De pace Constantiae, qui dede-*
» *rant sibi potestatem ut glossaret* ». Haec typis edita sunt non semel, sed ita mendose ut vix legi possint. Decurrunt autem Odofredi commentaria non solum in Digestum vetus, ut habet Diplovataccius, sed in Digestum quoque novum et in Infortiatum in omnes nempe Pandectarum libros.
» Composuit etiam plures tractatus et praecipue tractatum *De percussionibus*. Incipit: *Super hoc*
» *frequenter propter duplicitatis ambiguum.*
» Item *De positionibus,* quem posuit Speculator in tit. *De position.*
» Item et *De confessione,* quem posuit Speculator in tit. *De confess.* Et vide Joannem Andreae
» in additionibus ad *Speculum* in tit. *De offi. omni. judi.* § 8, in fin.
» Item et Summam *De libellis* formandis super qualibet actione, quae incipit: *Postquam opus*
» *notariae.* In qua primo tractat quid sit libellus.
» Item *Ordinem judiciarium,* qui incipit: *Quemadmodum Christi favente clementia.* Et tractat primo
» de editione actionis.

(1) Anno MCCLV. Dn. Honestus frater dn. Odofredi legum doctoris emit quartam partem domus, ubi sunt scholae ipsius dn. Odofredi. *Ex tabula archivi Fr. Minor.*, c. n. 36. *Vide stemma Odofredi infra positum in* ALBERTO *ejus filio.*

(2) GHIRARDACCI, lib. VI.
[TIRABOSCHI. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XXVI. — FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Gozzadini Bittisia*]. (C. A.)

» Fecit etiam additiones Summae Azonis quas incorporatas vidi et ipsas allegat Joannes Andreae » in additionibus *Speculi* in prooem. v. *Ceterum.* in additione magna. Et Albericus de » Rosate in pluribus locis et maxime in suo opere *Statutorum* par. 2 q. 36.

» Item super tribus libris Cod. utiliter scripsit. Incipit: *Lex ista solet aliquantulum difficilis reputari* ». Hactenus Diplovataccius.

Summam in usus feudorum non vidit Diplovataccius, qui illam memorat tantum ex testimonio Baldi. Typis edita est a Francisco Liparulo neapolitano jurisconsulto, qui suis commentariis illustravit eamque suo auctori vindicavit, neque enim defuere qui negarint esse genuinum Odofredi partum. Incipit haec Odofredi Summa his verbis: *Cum natura.* At Andreas de Isernia Summam, quae ita incipit Odofredo tribuit (1); non igitur novitium opus est ea Summa, ut aliquibus visum erat, sed admodum antiquum nec Odofredo auctori per vim adimendum. Sed cum idem Liparulus de Odofredo ipso differit, adeo imperitum in veterum jurisconsultorum historia se prodit ut nihil esse possit ineptius. Nam neque antiquum Odofredum Summae auctorem, quem ipse beneventanum dicit, satis distinguit a Rofredo Beneventano et Goffredo Tranensi et diversum esse putat ab Odofredo illo, qui celebris est ob commentaria in jus civile. Hunc serius vixisse dicit, aetate nimirum Guidonis de Baisio et Crassiae Garsiae, scilicet hispani quos sub finem saeculi XIII floruisse constat. Sed haec ambagibus plena; quamquam se accepisse narrat ex ipsius Archidiaconi scriptis, nempe Guidonis de Baisio, quem vulgo Archidiaconum appellant.

Scripsit etiam tractatum *De curatore bonis dando.* Extat To. VIII, P. II, inter Tractatus juris.

De primo et secundo decreto. Ibid. To. III, P. I.

De restitutione dotis. Ibid. To. IX.

Plurima denique consilia et juris responsa pro re nata scripsit, quae numquam ab aliquo collecta sunt, quo factum est ut jamdiu perierint. Eorum unum et alterum vidi in tabulario canonicorum majoris ecclesiae bononiensis et Fratrum Minorum ad divi Francisci. Primum protulit anno MCC cum Bonrecupero de Porro, Jacobino Gratiadei legum doctoribus et Navarro canonico burgensi in causa Fratrum Eremitanorum et canonicorum Ecclesiae bononiensis, quod in Appendice damus (2). Alterum dedit anno MCCLV cum Guidone Boaterio jurisperito et Hugolino Gardini legum doctore (3). Extremis etiam suae vitae diebus consultus est a canonicis s. Joannis in Monte in gravi dissidio quod inter eos exortum erat ob prioris electionem, atque ex ejus sententia omne dissidium sublatum est (4).

XXXXVI.

PASCIPOVERUS.

I. A pascendis pauperibus nomen nostri hujus legum professoris profluxit. Non ipse tamen primus id nominis in gentem suam intulit, sed longa successione a majoribus acceptum ipse traduxit ad posteros. Vivebat centum amplius annis ante hunc nostrum Pascipoverus (5), qui primus fortasse id nomen ob charitatem in pauperes sibi quaesivit et proprium gentis suae fecit. Ex ea natus est Fridericus *Pascipovero* (6) et Pascipoverus item, sive, ut in antiquis tabulis appellatur, Pascenspauperem qui initio saeculi XIII

(1) Isern. in C. *Sancimus,* n. 8 *Quo tempore miles.*

(2) *Vide Appendicem.*

(3) *Ext. in archiv. s. Franc.,* lib. C.

(4) An. MCCLXV die VI exeunte Madio dn. Petrus Capretius canon. s. Petri et dn. Guido archipbresbyter s. Petri de Sambro laudant in priorem s. Joann. in Monte et s. Victoris inter dn. Bonacosam et dn. Gregorium pro dn. Bonacosa secundum formam consilii dn. Odofredi legum doctoris. *Ex Memor. Com. Bonon.*

[Tiraboschi. *Op. cit.,* lib. I, cap. IV, § XXII. — Fantuzzi. *Op. cit.,* art. *Odofredo.* — Savigny. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXXIV]. (c. a.)

(5) Constat me quidem Pascipoverum etc. Ita est in tabulis cujusdam contractus ad annum MCXXXXVII. *Extant in archiv. s. Joann. in Monte.*

(6) Recitata fuit haec sententia in praesentia dn. Alberti judicis Carbon. et dn. Federici Pascipovero etc. *Extant in archiv. s. Joann. in Monte lata an. MCCVI.*

vivebant (1), ac tandem Pascipoverus noster legum doctor illustris, qui medio saeculo XIII floruit aequalis Accursio, Odofredo aliisque, quos supra recensuimus. Est hic omnium primus quem noverim utriusque juris professione celebratum; erat enim ante illud tempus inauditum ut quispiam civile simul et pontificium jus profiteretur, ac multo magis ut in utroque jure doctor crearetur. Reputabatur enim tam late patens cum civilis tum canonicae jurisprudentiae provincia, ut qui in altera versari cum laude optaret, haud magnopere ambiret in alterius fines irrumpere. Ac diu etiam, qua nescio judiciorum perversitate, legum civilium professores quamdam imperatoriam majestatem in suis legibus admirati non admodum amico animo erant in jus canonicum, quod a clericis minus doctis, quam essent veteres illi civilis jurisprudentiae auctores et magistri, profectum causabantur. Sed aucta paulisper juris canonici dignitate utriusque scholae professores facile conciliati sunt, eoque tandem ventum est ut clariores jurisconsulti qui deinceps fuerunt utriusque juris professione gloriarentur. Itaque primis quos hanc laudem optasse constet Pascipoverum adnumero. Fuit autem non minima ejus cura ut vetus illud dissidium inter jus caesareum et pontificium tolleretur editis libris quibus utriusque juris concordiam statuere aggressus est. Eos ego libros scriptoribus nostris ignotos reperi in codice membranaceo bibliothecae Vaticanae, qui auctoris aetatem redolet (2).

II. Vivebat Pascipoverus medio saeculo XIII, ejusque prudentiae monumentum insigne extitit in foedere, quod ipso et Octaviano Ubaldino cardinali Apostolicae Sedis legato, Odofredo legum doctore et aliquot aliis egregiis civibus adlaborantibus, initum est inter Bononienses et Mutinenses exeunte anno MCCXXXXIX (3), post atrox bellum, quo, devictis Mutinensibus eorumque foederatis, Hentius rex Friderici II filius quem pater nostris infensus subsidio miserat Mutinensibus, captus est et Bononiam perductus, ubi quoad vixit in custodia est habitus. Anno etiam MCCLII cum episcopo brixiensi et aliis multis interfuit confirmationi societatis Lombardae; ut constat ex actis a Muratorio editis (4).

III. Neque de Pascipovero aliud rescire datum fuit. Nam quod de illo tradit Orlandius, qui illum dicit Pascipoverum seniorem, nempe eum fuisse legatum populi bononiensis, sive, ut aliis placet, senatorem urbis Romae ad annum MCLX, ne ipsi quidem Orlandio tandem placet, qui immanem hic anachronismum dissimulare non audet (5).

(1) An. MCCVII, XII exeunte Januar. in Dei nomine amen. Ego Bandinus Familiatus leg. doctor ex delegat. dn. Ger. ep. bonon. cognitor controversiae inter monaster. s. Stephani, et ecclesias s. Victoris et s. Jo. in Monte etc. Testes fuerunt dn. Pascenspauperem, et dn. Girardus de Gena. *Extat in eodem archiv. ad eum annum.*

(2) Est codex Vaticanus n. 2689 ex quo pauca hic damus ad totius operis specimen: « Incipit prooemium ad concordiam utriusque juris secundum Pas. ».

« Expedit, ut vera fiat concordia ex diversitate connexio, et ut praesertim concordantiae juris fiant ut LXXXIX di. c. fi. in aut. de exar. tc. ad finem coll. V. Item sacerdotium et imperium a superna collata clementia humanam exornant vitam, et alter alterius podio semper eget etc. Ideo ego Pascipoverus utriusque juris professor, et in eorum practica jam expertus, ad communem omnium utilitatem potissime legistarum, volens eos juris canonici reddere circumspectos, opus floridum, quod nemo alius ad effectum perducere ausus est, Dei omnipotentis auxilio sum aggressus. Est opus valde prolixum in plures libros, sive partes tributum. Prima pars ita definit: *Explicit concordia juris canonici cum civili.... super Institutionibus secundum Pas.* Altera pars complectitur concordiam utriusque juris secundum Infortiatum; et ita deinceps ».

(3) Haec est concordia facta ad honorem Dei.... ad conservandum statum civitatis Bononiae et Mutinae.... tractata et ad effectum perducta per ven. patrem dn. Otavianum s. Mariae in Via Lata diac. card. et nobilem virum Philippum de Ugonibus potest. Bonon. et per dn. Pascipoverum doctorem utriusque juris canonici et civilis, et Odofredum doctorem legum, et Rambertinum judicem de Tebaldis, et per mag. Salathielem doctorem artis notariae etc. *Extant haec acta in Reg. nov.*, p. 34.

(4) Actum apud Brixiam in sala plana domus magnae episcopatus Brixiae praesentibus ven. patribus dn. episcopo brixiensi, dn. Passipovero legum doctore de Bononia etc. MURATOR. *Antiquit. med. aevi*, dissert. L.

(5) ORLANDI. *Notizie degli scrittori bolognesi*, vedi *Pascipovero*.

Quod autem scriptas ab eo dicit quaestiones, quas allegat Albericus, id mihi plane incertum videtur. Si quae enim umquam fuerunt ejusmodi quaestiones Pascipoveri, quas commemoret Albericus, eas tribuendas censeo Vianesio Pascipoveri Bajoli filio, qui saeculi XIV initio vixit, quo tempore solebant doctores ejusmodi quaestionibus et disputationibus scholasticis sua exercere ingenia; quod aetate Pascipoveri nostri nondum erat invectum. Et sane Orlandius ipse Vianesium Pascipoveri inter scriptores bononienses recenset, quem scripsisse ait quaestiones plures ab Alberico et Joanne Andreae laudatas aliorumque calculo scriptorum probatas. Erat quidem Vianesius ille Pascipoveri filius sed alterius a nostro legum doctore, neque ex Pascipovera sed ex Bajola gente. Ac de Vianesio nobis suo loco agendum erit (1).

XXXXVII.

ZACHARIAS GUALENGUS.

JOANNES PETRI MICHAELIS. JACOBINUS TEBALDUS.

HUGO DE ATRIO DEI.

I. Ex decem doctoribus legum, quos anno MCCXXXVIII consultos diximus a populo bononiensi de moderanda proscriptionum severitate, quatuor sunt nostris scriptoribus nomine vix noti. Primus est Zacharias Gualengus. Is inter doctores merebatur saltem quadriennio ante latum illud consilium. Anno siquidem MCCXXXIII cum Bolognino de Ignano Zacharias Gualengus legum doctor a Communi Bononiensium delectus est ut a Benedicto abbate s. Petri nobilissimi Mutinensium monasterii agrum emeret ad amplificandas munitiones, quae erant circa Castrum Francum (2). Anno autem MCCXXXXVIII jam desierat esse in vivis (3).

II. Anno MCCXXXXIX Joannes Petri Michaelis cum Odofredo et Alberico Scannabicchio, legum doctoribus, conficiendis tabulis census totius agri bononiensis praefectus est (4). Ejus pater fuit Petrus Michaelis, qui et ipse jurisprudentiam coluit (5). Filium habuit Cajum nomine, qui in antiquis tabulis dicitur filius Joannis Petri Michaelis legum et decretorum doctoris. Ita in tabulis anno MCCLXXIV scriptis (6). Hinc apparet Joannem inter primos numerandum qui civilis et canonici juris doctor sit creatus, quamquam vulgo dumtaxat juris civilis doctor haberetur.

III. Jacobini Tebaldi mentionem reperire non licuit praeterquam in tabulis illis, quibus cum aliis novem doctoribus subscripsit. Ex eadem familia fuisse videtur qua Joanninus Tebaldus, qui iisdem temporibus vivebat et prioratum s. Joannis in Monte

(1) Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Passipoveri Federico e Vianesio.* — Savigny. *Op. cit.*, lib. V, c. XXXXIV. (c. a.)

(2) Anno MCCXXXIII die VIII intr. Madio: dn. Zacharias de Gualenghis legum doctor et dn. Bologninus de Ygnano syndaci et procuratores ad emendum ab ecclesia et monasterio s. Petri de Mutina et a dn. Benedicto abbate XXXX bubulcas.... ad tenendum pro quingentis annis etc. *Ex Reg. novo in archiv. Com. Bonon.*

(3) An. MCCXXXXVIII fr. Gerardus qu. dn. Zachariae de Gualenghis Ordinis Minor. *Ex tabulis in archiv. Fratrum Minorum.*

(4) *Ex tabulis extimi, ut vocant, in archiv. pub. Commun. Bonon.*

(5) Anno MCCXXV. Petrus qu. Joannis Petri Michaelis delectus est ad creandos et probandos notarios publicos; quod munus deferri non solebat aliis, quam jurisperitis, ut observat clarissimus Montius.

(6) Anno MCCLXXIV. Cajus qu. dn. Joannis Petri Michaelis legum ac decretorum doctoris. *Ex Memor. Commun. Bonon.*

gessit. In codice diplomatico Ecclesiae bononiensis literas habemus Innocentii IV ad Octavianum Ubaldinum Sedis Apostolicae legatum, quibus mandat, ut priori s. Joannis in Monte, qui frater erat Rambertini Tebaldi, episcopatum aliquem in Aemilia primo vacaturum deferat (1).

IV. Alidosius doctorem quemdam anno MCLXXXX viventem producit, quem vocat Hugonem Adrii. Non recte quidem, si hic ipse est Hugo de Atrio Dei, quem cum aliis doctoribus scriptum viderat, ut supra dictum est. Ejus cognomen, ita latine redditum, hominem indicare videtur ultra montes natum ac minime certe italum. Atque hactenus de his quatuor doctoribus ex clarissimo Montio.

XXXXVIII.

GUILIELMUS PANZONUS.

I. Omissus a Pancirolo Guilielmus Panzonus Diplovataccii diligentiam non fugit (2). Sed is tamen ejus aetatem non bene perspectam habuit (3). Patria bononiensis fuit Alberti Panzoni filius (4). Claruit in foro celebris advocatus non tamen inter doctores adlectus. Odofredus, qui ejus memoriam aliquando usurpat, illustrem advocatum dicit, doctorem legum non dicit (5), neque in veteri ullo monumento hic titulus ei tribuitur. Annis aliquot ante Odofredum decessit cui fere aequalis fuit; sic enim Odofredus ipse de illo loquitur quasi de homine cujus esset recens memoria. Anno MCCLII adhuc vivebat (6). Atque hinc abigendus est scrupulus, qui cuipiam suboriri posset, sit ne idem Guilielmus iste ac Guilielmus de Cabriano, cujus glossas commentariis suis intexuit Accursius. Ac dubitandi causam praestare posset quod uterque dicitur *Casus legum* scripsisse. Sed utrumque distinguit disertis verbis Odofredus, et primum doctorem legum perhibet, hunc dumtaxat advocatum. Neque temporis ratio patitur ut unus idemque fuerit.

II. Neque vero incredibile est utrumque *Casibus* legum scribendis dedisse operam. Sed *Casus* Guilielmi de Cabriano adnotationibus illustravit Joannes Bassianus, qui multo ante Guilielmum Panzonum aetatem egit. Erant in bibliotheca Cervotti Accursii *Casus dn. Guilielmi super Institutionibus*. Et rursum *Casus Guilielmi Panzonis in Authenticas*(7). Etiam inter libros, qui prostabant apud stationarios universitatis, erant *Casus Guilielmi Panzonis in Authenticam*(8). Diplovataccius tam *Casus Institutionum*, quam *Authenticarum* Guilielmo Panzono tribuit (9). Sed primus fortasse ex his libris ad Guilielmum de Cabriano, qui propterea dominus Guilielmus utpote legum doctor appellatur, alter ad Gui-

(1) *Extat in biblioth. publica Bonon.*

(2) Guilielmus Panzonus hoc tempore floruit secundum aliquos, doctor excellentissimus. DIPLOVAT. in *Guilielmus Panzonus.*

(3) Eum ponit circa finem saeculi XIII, cum multo ante vixerit.

(4) Anno MCCXXXXIV die secunda exeunte Julio. Actum Bononie in Pozali sub portico domus dn. Guilielmi filii qu. dn. Alberti Panzonis. *Ex charta archiv. Fr. Minor.*

(5) Quam fraudem excogitavit dominus Guilielmus Panthonus qui fuit valde nobilis advocatus in civitate ista, dum vendidisset domos suas, quas habebat in podiali etc. ODOFRED. in l. *Principales, C. De jurejurand. prop. cal.*

(6) Anno MCCLII sententiam dixit in causa Cirsacci Abbatis Nonantul., de qua infra.

(7) *Indiculum libror. Cervotti vide in Appendice.*

(8) *Ibid.*

(9) Scripsit copiose in librum Authenticorum. Incipit: *Imperator Justinianus* et ponit casum in quolibet § textus. Fertur etiam scripsisse in libros *Institutionum* DIPLOVAT. in *Guil. Panzonus.*

lielmum Panzonum pertinuit. Haec scripseram cum in supellectili libraria, quam moriens reliquerat magister Salathiel artis notariae doctor, de quo infra dicemus, fuisse comperio *librum Casuum domini Guilielmi de Cauriana super Codice* (1); ex quo conjicere licet, Guilielmum de Cabriano non in alios legum libros Casus scripsisse quam in Codicem.

III. Habemus ejus sententiam anno MCCLII latam in causa Cirsacci abbatis nonantulani cum Communi S. Joannis in Persiceto, cui testis interfuit Pascipoverus utriusque juris doctor cum aliis honestissimis viris, post quam sententiam pronunciatam utraque pars arbitros elegit Bonapartem Ghislerium et Sinenomen Sinenominis Pipini, legum doctores, fidejussore Odofredo cum aliquot aliis primariis civibus. Atque haec acta ob tot illustrium doctorum memoriam digna duximus quae in Appendice edantur (2). Anno MCCXXXXI Guilielmus electus fuerat a Januensibus *Consul Placitorum,* sic enim appellabant magistratum quemdam, quem exteris jurisperitis deferebant, praeter eum numerum quem praetores conducebant ut sibi in judiciis exercendis assiderent (3). Anno etiam MCCXXXXVIII Bononiae sedit inter judices delectos probandis et creandis notariis (4). Quo loco aut tempore obierit non liquet (5).

XXXXIX.

HOMOBONUS CREMONENSIS.

JOANNES DE BLANOSCO.

I. In pervetusto exemplari Codicis justinianei cum glossis clarissimorum academiae nostrae doctorum, qui primo et altero saeculo post restaurata jurisprudentiae studia floruerunt, glossas non paucas reperio Homoboni Cremonensis nomine notatas (6). Itaque hunc non vereor academiae nostrae professoribus ex conjectura adjungere. Ejus nomen apud veteres occurrit et maxime apud Ostiensem in Summa, ubi est singularis locus (7) quem Pancirolus ita interpretatur, ut claris jurisconsultis, qui ex Azonis schola prodierunt, Homobonum etiam adscribere non dubitet (8). Diplovataccius ejus glossas in Codicem memorat et quasdam praeterea *Distinctiones* ab eo scriptas, de quibus ait esse aliquid in Ostiensis Summa ad titulum *De probationibus* (9). Sed in mendosos Ostiensis codices inciderit Diplovataccius necesse est, si mentionem ullam Homoboni *Distinctionum* ibi factam vidit aut se vidisse putavit (10). Quo anno decesserit non liquet. Tantum constat vixisse post Albertum Papiensem et Ubertum de Bobio, quos laudat in l. 1 C. *De juris et facti ignor.*, ut animadvertit Diplovataccius.

(1) *Ex Memor. Com. Bonon. anno MCCLXXXIX, XXVI Jun.*

(2) *Vide Appendicem.*

(3) CAFFARI. *Annal. Jan. ad an. MCCXXXXI* apud MURATOR. *Rerum Ital. script.*, t. VI, pag. 484.

(4) *Ex matricula notar. ejus anni in archivo pub. Bonon.* Vidit clarissimus Montius.

(5) FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Panzoni Guglielmo.* — SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXXIII. (C. A.)

(6) *Ejus specimen in Appendice damus.*

(7) Tempus trium mensium non videtur restringi posse, quamvis Azo hoc dixerit, sicut audivi a domino Homine bono, qui de hoc dicebat se dubitare. OSTIENSIS in *Summ. de nov., De novi op. nunciat.*, § *Qualiter tollatur.*

(8) PANCIROLUS in *Azone*, ubi *Ostiensis* testimonio utitur. Sed qui posthuma Panciroli scripta evulgarunt, Homobono ipsi Ostiensis titulum oscitanter adjunxerunt.

(9) Homobonus Cremonensis.... in C. quorum copia rara.... Composuit et quasdam Distinctiones, ut per Ostien. in *Summa*, tit. *De probat.* DIPLOVAT. in *Homob. Cremonen.*

(10) Quidam dicunt quod non *indistincte* cum nec probari possit.... ego cum dn. Homine bono Cremonensi *indistincte* dico etc. OSTIEN. *Summ.*, tit. *De probationibus.*

II. Joannes de Blanosco, quem alii de Blanasco appellant, natione Burgundus, cum Accursio in scholis nostris non inglorius vixit. Auditor fuisse videtur Jacobi Balduini cujus opiniones in suis scriptis frequenter exponit. Habemus luculenta ejus commentaria *De actionibus,* quae typis edenda curavit Joannes Fichardus (1). In iis, praeter Jacobum Balduinum, Azonem quoque, Rofredum Beneventanum, Placentinum, Martinum et sibi aequalem Accursium quandoque appellat; ac plura a Rofredo Beneventano in formulis libellorum negligenter tradita vel omissa modeste supplet. Sunt autem Bononiae scripta haec commentaria circa annum MCCLVI, ut ex formulis libellorum quae in iis afferuntur quaeque illum annum adscriptum habent. Scripsit etiam *De ordine judiciorum* et variarum quaestionum librum unum *De feudis et homagiis* alterum, ex quibus multa in *Speculum juris* ingessit Guilielmus Durantis (2). Nobilis doctor dicitur a Baldo, nec sine laude nominatur a Jacobo Belvisio ad tit. *De actionibus* et a Guilielmo Durantis in prooemio *Speculi* (3). Ab academia nostra discessisse videtur, sed non liquet quamdiu in ea versatus sit et quo loco aut tempore decesserit. Ejus Summam, sive commentaria *De actionibus,* manu exarata vidi in codice membranaceo bibliothecae Chisianae ac desinunt his verbis *Actum Bononiae anno MCCLVI mense Januario* (4).

L.

VIVIANUS TUSCUS.

I. Non ignotus est in historia bononiensi XIII saeculi Josephus, vulgo Iseppus aut Oseppus Tuscus. Si Ghirardaccium audias, vilissimum caput fuit et furiosus homo, impotenti solum audacia et temeritate memorabilis (5). At Matthaeus Griffonius, qui sine fuco et calamistris antiquam civitatis nostrae historiam scripsit, haud talem exhibet (6). Popularis quidem fuit Oseppus, idest neque imaginibus clarus neque inter magnates adscriptus, sed ea tamen opinione virtutis et prudentiae, ut in magno civitatis discrimine populus bononiensis publicam ei salutem libertatemque commendaverit. Cum enim anno MCCXXVIII quidam ex magnatibus Plumaccio, agri bononiensis castro, praefectus castrum illud Mutinensibus per proditionem dedisset, ea res populum bononiensem graviter irritavit. Quare et proditionis auctor in populari tumultu interfectus et ejus aliorumque nobilium qui cum eo consenserant bona direpta. In hoc autem atroci dissidio quod inter patricios et plebem sive, ut dicere amabant, inter magnates et populum exarserat, Oseppus novo et inaudito nomine populi praefectus dictus est, ut eo quasi duce populus bononiensis se contra vim et potentiam magnatum defenderet. Haec aliter narrat Ghirardaccius (7); sed in hunc modum gesta fuisse intelligimus ex Matthaeo Griffonio (8) et Petro Cantinellio (9), auctore fere synchrono, qui haec in suis chronicis narrant.

(1) Jo. Fichard. *Vitae jurisconsultorum* in *Jo. de Blanosco.*

(2) Panciroл., lib. I, cap. XXXVIII.

(3) Diplovat. in *Jo. de Blanosco.*

(4) Savigny. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXXIV e XXXXV. (c. a.)

(5) Ghirardacci, lib. V.

(6) Anno MCCXXVIII magna discordia orta fuit inter magnates et populares, et hoc fuit propter proditionem castri Plumaccii.... Et tunc dominus Useppus de Tuschis fuit factus praefectus populi bononiensi etc. Matth. de Grif. *Memor. historic.* apud Murator. *Rer. Ital. script.,* t. XVIII, p. 110.

(7) Ghirardacci, *loc. cit.*

(8) Matth. de Grif., *loc. cit.*

(9) ....Rolandus dominae Caeciliae qui erat tunc capitaneus dicti castri per Commune Bononiae. In illa proditione fuerunt illi de s. Marco, et dn. Ciadinus de

II. Hujus igitur spectatissimi civis filius fuit Vivianus aeque clarus legum professor. Is anno MCCLIX una cum patre Oseppo erat in societate Thuscorum (1). Erat jam tum celebris Bononiae Thuscorum societas, in quam cooptabantur qui ex vicina Thusciae provincia Bononiam venerant, et restant adhuc aetate nostra aliqua ejus societatis indicia. Hinc autem apparet Oseppum ejusque familiam ex Thuscia originem duxisse, quod et ipsum ejus familiae agnomen ostendit. Floruit autem Vivianus Tuscus medio XIII saeculo et deinceps. Sed non diu tamen vixisse videtur post annum MCCLX (2). Ex Penavaria Cavalerii Imolensis filia quatuor filios suscepit, Accarisium, Thomasinum, Silvestrum et Cavalerium, qui in civilibus turbis Lambertaccios primum, sed haud magno studio, secuti sunt, quare anno MCCLXXVII civitatem quasi carceris loco habere jussi sunt (3). Sed ii mature admodum rebus suis consuluerunt; anno enim MCCLXXX, ejurata Lambertacciorum factione, Jeremiensibus sacramento se obstrinxerunt.

III. Vixit Vivianus in academia nostra non vulgari fama et adhuc restant illustria ejus ingenii monumenta. *Casus* enim, qui singulis legibus adjecti sunt, hunc fere auctorem habent. Itaque miror Vivianum Tuscum a Pancirolo praetermissum, qui ejus nomen videre poterat in accursianis apparatibus ad libros legum, quibus adjuncti esse solent *Casus Viviani Bononiensis.* Quandoque etiam *Casus* Viviani adjungi solebant legum libris sine accursianis glossis, ut in eximia editione parisina Digesti veteris, quae prodiit anno MDVIII, ad cujus calcem haec verba habentur: *Finis Digesti veteris cum casibus longis D. Viviani Bononiensis.* Hic autem *Casus longos* Viviani appellatos existimo quod ita editi sint ut ab auctore ipso prodierunt, in aliis, ut opinor, libris studiosorum commodo vel scripturae compendio in epitomen redacti.

IV. Diplovataccius ita Vivianum laudat et ejus scripta, ut solet, accurate recenset. » Vivianus, inquit, de Bononia maximus textualista docendo et scribendo Bononiae floruit. » Qui inter cetera Digestum vetus, Infortiatum et Codicem, et Institutiones per viam » casuum summavit et vulgariter dicitur *Casus juris civilis.* Incipit super Digestum » vetus: *Casum sic ponas: Dicit Imperator.* Super Cod. incipit: *Quatuor partes haec » constitutio habet.* Super Infortiato incipit: *Casus talis est: Tractavimus de repetitione » dotis.* Floruit temporibus Accursii glossatoris ». Hactenus Diplovataccius (4).

LI.

ROLANDUS DE GISSO.

HUGOLINUS GARDINUS. MICHAEL HISPANUS. BONAPARS GHISLERIUS.

I. Pervetusta est nobilis Gissorum familia; agnomen tulit ex Gisso agri bononiensis oppidulo, vulgo *Gesso,* cui ei familia dominabatur. Non solum autem quod Ghibellinis sive Lambertacciis faveret sed multo etiam magis ob interfectum quemdam popularem hominem, populus bononiensis eam gentem severissime coercuit et anno MCCLXXXX

Plumaccio, qui proditorie dederunt Mutinensibus. Et dicta de causa dn. Rolandus fuit mortuus ad rumorem populi super scalinatas Communis Bononiae, et eorum res et bona fuerunt destructa. PETR. CANTINEL. in *Chronic. penes me mss. ad an. MCCXXVIII.*

(1) *Ex Matric. Tuscorum in archiv. pub. Bonon.*
(2) Ita conjicit clarissimus Montius.
(3) *Ex libris expulsorum in archivo Bonon.*
(4) SAVIGNY. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXXIII. (C. A.)

tres popularium cohortes missae sunt ad castrum Gissum cum adjacentibus aedificiis funditus evertendum (1). Atque ex eo tempore vires opesque nobilissimae gentis sunt non leviter imminutae. Florebat autem ut cum maxime cum ex ea natus est Rolandus. Hic anno MCCXXXVIII jam erat doctorum coetui adscriptus (2), ac saepius deinceps cum aliis professoribus, qui majori auctoritate inter cives pollebant, publicis negotiis adhibitus est. Anno MCCXXXXIV cum incolae quorumdam castrorum ac vicorum agri bononiensis conquesti essent imponi sibi vectigalia et tributa contra antiqua foedera, quae tunc iniissent cum populo bononiensi se dediderunt, Rolandus de Gisso cum Odofredo et Sinenomine delectus est ad antiqua haec jura eorum hominum cognoscenda(3). Et anno MCCXXXXVIII interfuit scribendis concordiae legibus inter Commune Bononiensium et Albertum Comitem de Mangone (4). Alidosius hunc professorem vel ignoravit omnino, vel ita personatum produxit ut ne peritissimus quispiam eum possit agnoscere. Ait canonicum fuisse bononiensem et praepositum Ecclesiae ravennatis. Ac ne in tempore quidem quo Rolandus vixerit non infelicissime labitur (5). Sed Rolandus adeo non fuit Ecclesiae bononiensis canonicus et ravennatis praepositus, ut uxorem superstitem cum duobus filiis moriens reliquerit (6).

II. Vixere his temporibus alii legum professores aetate sua celebres qui dignitatem academiae nostrae docendo sustinuerunt, nunc vix aut ne vix quidem nomine noti. In his fuit Hugolinus Gardinus, ex eadem familia genitus quae Lambertinum Azonis Gardini dederat de quo supra diximus. Hic anno MCCLIV jus civile in scholis nostris profitebatur doctoris honore donatus (7). Floruit etiam in foro patrociniis causarum. Itaque abbas et monachi s. Helenae hunc monasterii sui patronum elegerant, attributo in stipendii locum cujusdam praedii usufructum quoad viveret (8). Vidimus ejus consilium, quod anno MCCLV cum Odofredo celeberrimo legum professore et Guidone Boaterio in quadam causa dedit, cui promulgando interfuit Michael Hispanus legum doctor (9). Atque hic etiam academiae nostrae professor esset omnino ignotus nisi ejus nomen hinc eluceret.

III. Bonapartem Ghislerium non minimae auctoritatis hominem fuisse ex eo conjici potest quod in gravi dissidio inter Cirsaccum abbatem nonantulanum et Commune S. Joannis in Persiceto, cum sententiam dixisset Guilielmus Panzonus nobilis advocatus bononiensis, de quo supra dictum est, partes dissidentes in Bonapartem Ghislerium et Sinenomen Pipini legum doctores, fidejubentibus Odofredo aliisque nobilissimis civibus, compromiserunt (10). Haec gesta sunt anno MCCLII. Erat autem jam tum nobilissima Ghisleria gens ex qua Bonapars genitus est, ac multo etiam magis post illud tempus

(1) *Ex lib. Reform. F, in archiv. pub. Bonon.*

(2) *Ex tabulis eo anno scriptis, quibus proscriptionum termini minuti sunt.*

(3) *Ex actis pub. in Reg. novo.*

(4) *Ibid.*

(5) ALIDOSI. *Dottori bolognesi*, pag. 202.

(6) Theodora uxor qu. Rolandi de Gisso doctoris legum, et Alexander et Guilielmus ejus filii vendunt Guilielmo Butrigario etc. *Ex charta anni MCCLXVI in archivo Fr. Minor. Bonon.*

(7) MCCLIV die XV ex. Septemb. referuntur acta quaedam pertinentia ad monast. s. Agnetis « presentibus dn. Bonrecupro de Porro leg. doct., dn. Viviano leg. doct. et dn. Ugolino Gardini leg. doct. ». *Ex archiv. monast. s. Agnetis.*

(8) Anno MCCCV die VII Sept. Cum olim per abbatem et monachos s. Ellene Bonon. dioec. fuerunt dati dn. Ugolino Gardini leg. doct. donec viveret ususfructus pro suo salario et patrocinio unius pecie terre arative etc. *Ex Memor. Com. Bonon.* Vidit clarissimus Montius.

(9) Consilium dominorum Odofredi doctoris legum et Guidonis Boateri, et Hugolini Gardini doct. leg. super eo quod petebatur per dn. Thomasinum de Magistra procuratorem dn. Romee.... Petit removeri et tolli quoddam interdictum factum a dn. Scacciavalle judice potestatis.... tale est quod dictum interdictum tollatur per dictum judicem. Lata et pronunciata MCCLV, indict. XIII, die X Dec. in presentia et testimonio dn. Michaelis Hispani legum doctoris etc. *Ext. in archivo Fr. Minor. Bonon.*

(10) *Ex tabulis in eod. archivo,* lib. C, 94.

nobilitata est pluribus editis viris clarissimis, quibus omnibus longo intervallo antecessit sanctus Pius V Pontifex Maximus. Alidosius Bonapartem recenset inter doctores bononienses, ac vixisse ait ad annum MCCLVIII (1).

LII.

ALBERICUS SCANNABICCHIUS.

Non rite fecerunt nostri scriptores Albericum Scannabicchium ab Arimundo de S. Petro Alberici filio. Uterque medio XIII saeculo vixit et jus civile docuit in nostris scholis cum Accursio, Odofredo ceterisque ejus aetatis doctoribus, neuter tamen libris editis, quod sciam, clarus. Albericum tulit scannabicchia familia quae Bononiae praenobilis fuit, haec aliquando de Gisla dicta est, ex qua fuit Gerardus episcopus bononiensis, historiis nostrae civitatis notissimus; ejus memoria incidet inter archidiaconos quorum chronotaxim infra dabimus. Neque vero Gislae appellationem Alberici aetate prorsus amiserat (2); et Alberici pater Rolandinus, homo in Republica valde honoratus, vix alio quam Gislae cognomine usus fuerat (3). Albericus ipse non minimae inter suos cives auctoritatis fuisse videtur, anno enim MCCXXXXIX cum aliis doctoribus adlectus est ad novi census tabulas conficiendas, ac deinde anno MCCLIII cum Odofredo et tribus viris patriciis Ravennam legatus est a Communi Bononiensium ad sanciendam concordiam cum ea civitate (4); qua de re altum silentium reperio cum apud Ghirardaccium in historia Bononiensium, tum apud Hieronymum Rubeum in ravennatis historiae libris. Anno MCCLIV mutinensem legationem cum eodem Odofredo reipublicae causa suscepit. Biennio post praesens interfuit sanciendis legibus manumissionis servorum. Restabant adhuc ingentes reliquiae pristinae servitutis multique erant servi et ancillae, qui, cum suis quique dominis subjecti essent, a publicis curis et oneribus eximebantur magno reipublicae detrimento. Cui incommodo ut obviam iretur, eodem anno MCCLVI lata est lex a populo bononiensi de manumittendis seu potius redimendis servis, qui de *maxenata* dicebantur et degebant in praediis rusticis dominorum; qua de re Manfredo Marengo et Bonacursio de Soresina populi praefecto delatum est arbitrium, ut ii ex sententia sua constituerent quibus conditionibus servi et ancillae sine dominorum injuria liberari et omnino in populi bononiensis potestatem redigi possent. Cujusmodi essent homines de *maxinata* alias *masinata* (italice *masnada*) multis disserit Muratorius (5); quibus non satis bene, ut mihi videtur, explicatis, aliquid lucis afferet statutum sive lex populi bononiensis in hanc rem edita, quam in Appendicem rejecimus (6). Quo anno obierit Albericus, non constat. Post annum MCCLVII nullibi ejus viventis memoriam reperire licuit. Uxorem duxerat Belvisiam de Castro Britonum, quam sibi superstitem reliquit. Ex ea Franciscum, Antonium et Guisilam suscepit (7). Sed exortis Jeremiensium

(1) FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Gessi Rolando.* (C. A.)

(2) Anno MCCLXXXVII dn. Franciscus qu. dn. Alberici doctoris legum de Gislis, sive de Scannabiccis. *Ex Libr. Lambertacc. expulsor. in archiv. publ.*

(3) MCCLXVI, die XII intr. Aprili dn. Caza frater qu. dn. Alberici de Scannabiccis: et mox dn. Caza qu. dn. Rolandini Alberti Gisle etc. *Ex Memor. Jacobini Aldebrandini Not.*

(4) *Ex Registr. novo*, pag. 118.

(5) *Antiquit. med. aevi*, dissert. XVI.

(6) *Vide Appendicem.*

(7) Anno MCCLXXII, VI ex. Mart. dn. Belvixia filia qu. Joannis de Castro Britonum uxor qu. dn. Alberici leg. doct..... dn. Franciscus, dn. Antonius, dn. Guisila ejus filii etc. *Ex Memor. Com. Bonon.*

et Lambertacciorum factionibus, cum Scannabicchii Lambertaccios sequerentur, Alberici filii civitate pulsi sunt; quorum natu major Franciscus ecclesiasticae vitae institutum exul secutus est (1). Alidosius et Orlandius Albericum Scannabicchium inter scriptores recensent, auctorem scilicet quarumdam quaestionum, quas manu exaratas reperiri autumant. Ego earum indicium nullibi reperio.

LIII.

THOMAS CARRARIUS.

JACOBINUS GRATIADEI.

I. Thomas Carrarius eodem tempore in scholis nostris jus civile professus est, si non alia re saltem generis claritate commendatus. Thomas quoque Albertini et Thomas Hughetti ex patris videlicet et avi nomine appellatus est. Doctoris titulo ornatus anno MCCXXXXIV, tabellionum creationi cum aliis jurisperitis praefuit ac fere quotannis postea ut nemini ex legum doctoribus crebrius per ea tempora id muneris delatum constet (2). Sed eum tamen anno MCCXXXXIX Albertus Malavolta ad januensem praeturam vocatus assessorem secum adduxit (3). Anno MCCL interfuit cum procuratores Communis Bononiae archipresbytero Montis Vellii aedem s. Ambrosii concesserunt pro aede s. Apollinaris, quam dirui oportebat ad novum civitatis palatium ampliandum (4). Anno MCCLXVIII jam decessisse videtur (5). Filium habuit Albertinum illustrem legum doctorem, de quo postea dicemus.

II. Vixit cum Accursio et superioribus Jacobinus Gratiadei. Hic anno MCCLVI cum Alberico Scannabicchio et Francisco Accursio interfuit cum conditiones et pacta scripto tradita sunt, quae pro liberandis servis constituta fuerant; et anno MCCLXII cum Odofredo et Bonrecupero legum doctoribus consilium dedit in controversia, quae erat inter canonicos Ecclesiae bononiensis et Fratres Eremitanos. Est adhuc hoc consilium Odofredi Bonrecuperi et Jacobini in veteri membrana archivi canonicorum Ecclesiae bononiensis (6), quam cum lippientibus oculis vidisset Alidosius, Jacobinum Ecclesiae bononiensis canonicum fuisse tradidit et ex Odofredo et Bonrecupero novum quemdam doctorem exculpsit quem Odofredum Bonrecuperi appellavit et hunc etiam canonicum bononiensem fuisse scripsit (7).

(1) MCCCXXVIII, die XXVIII Dec. Niger qu. Ugolini de Quercis procurator ven. viri dn. Francisci de Scannabicchis canonici.... filii qu. dn. Albrici de Scannabicchis de Bon. legum doctoris. *Ibid.*

(2) *Ex Matric. Notar. in archiv. pub.*

(3) CAFFAR. *Annal. Jan.* apud MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. VI, pag. 516.

(4) Anno MCCL, die.... dn. Thomasius qu. Albertini Ughetti legum doctor, et dn. Guinizellus dn. Magnani judex praesentes etc. *Ex Cod. Diplomat. Eccl. Bon. in bibl. Scient. Instit.*

(5) In tabulis, quae sunt in Memor. Com. Bonon. ad an. MCCLXVIII nominatur Thomas de Carraris olim legum doctor.

(6) *Ext. in archivo Canon. s. Petri*, fasc. III, n. 28. *Vide supra in* ODOFREDO, *sub fin.*

(7) ALIDOSI. *Dottori bolognesi*, pag. 93 et 193.

[FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Graziadei Jacopino*]. (C. A.)

LIV.

ARARDUS DE PRETIS.

Arardum de Pretis haud omnino ignoravit Alidosius (1), sed non bene secrevit ab Arardo altero Matthaei filio, qui de Calcina dicebatur quique ex eadem gente natus erat et iisdem temporibus vivebat, nam hunc etiam inter legum doctores numeravit (2). Sed revera unus fuit juris civilis professor Arardus de Pretis, sive de Pritis, Martini cognomento Bondonis filius. Doctorem jam renunciatum constat anno MCCLII, quo ad examinandos probandosque tabelliones delectus est (3). Septennio post cum Francisco Accursio et Hugolino Zamboni legum doctoribus vectigalium quorumdam locationi per Consilium civitatis factae auctoritatem suam praestitit (4). Anno MCCLXVIII adhibitus est cum Octaviano bononiensi episcopo ad pactiones firmandas de haereditate Albizi Ubaldini inter procuratorem Octaviani cardinalis et Aldrudam Albizi filiam Bonifacii Gallucii conjugem (5); eodemque anno arbiter fuit in causa quam monachi s. Stephani habebant cum Rolandino Romancio legum doctore (6). Uxoris amissae loco alteram duxit spectatae nobilitatis foeminam, Horabilem Ghisleriam Gerardi filiam (7). Sed novae affinitatis splendore ac praesidio auctus cum dignitate et opibus in foro ac republica ut cum maxime floreret, privatis inimicitiis repente sublatus, diuturnae prosperitatis cursum tristi exitu abrupit. Nupserat jampridem Landulpho Beccario Jacobina Arardi soror; et ex illo matrimonio vidua, jura, quae adversus mortui viri propinquos habebat, Arardo et Amadori fratribus transcripserat (8). Ea res inter duas familias affinitate paulo ante conjunctissimas ingens odium et acerbissimum dissidium conflavit. Neque a vi ac ferro temperatum est, sed inflammatis animis magna utrinque caedes perpetrata multumque cruoris effusum et Jacobus Beccarius Landulphi frater et Arardus ipse legum doctor interfecti (9). Acta sunt haec ante diem VII id. Maji MCCLXIX (10). Paucis post diebus partes ad concordiam reductae, conditiones in Consilio civitatis ratae fuerunt (11). Sponsionem novae affinitatis intercessisse existimo, constat enim sequenti tempore Bartholomaeam Petri Beccarii filiam Gerardo Arardi filio uxorem datam (12). Fuerunt Arardo filii praeter Gerardum Guido et Franciscus, ac tutelam insuper gessit Matthioli fratris sui filiorum, Philippi et Bartholuccii, qui ambo clari legum professores fuerunt (13).

(1) ALIDOS. *Append. ad Doct. bon.*, pag. 2.

(2) *Id., Doct. bon.*, pag. 5.

(3) *Ex Matric. Notar. in archiv. pub.*

(4) *Ex Reg. gros. in Append. ad an. MCCVIII.*

(5) Actum in s. Michaele in Busco presentibus dn. Octaviano episcopo, dn. Arardo de Pritis legum doctore etc. *Ex Mem. an. MCCLXVIII.*

(6) *Ex tabulis in Memor. Com. Bon. ad diem XII exeunte Sept.*

(7) *Ex Memor. Com. Bonon. ad diem XXXI Jan. MCCLXVIII.*

(8) MCCLXVIII, die penult. Jan. dna. Jacobina filia qu. dn. Martini de Pritis cedit dn. Arardo leg. doct., et Amadori fratribus suis jura que habebat adversus heredes dn. Jacobi Martini Beccarii ex dote quam ipsa assignaverat Landulpho fil. qu. Petri Beccarii et pro qua dictus Jacobus se obligaverat etc. *Ex Memor. Matthaeoli de Roncorè.*

(9) *Ex actis conciliatae pacis, de quibus infra.*

(10) In *Historia Miscella Bonon.* apud MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. XVIII, pag. 282. Arardus de Pretis interfectus dicitur die XII Maji MCCLXIX. Sed tutelam ejus filiorum ab Amadore patruo susceptam die IX ejus mensis, constat ex *Memor. Com. Bonon.*

(11) *Ex Memor. Semprebene de Nigro ad diem XXV Maji MCCLXIX.*

(12) *Ex Memor. Hugolini Sabbatini ad diem VII Maji MCCCXXXI.*

(13) Philippus in reipublicae administratione, Bartholuccius in schola magna cum laude versati sunt. De Bartholuccio haec habet Joann. Andreae: « Sciendum, quod recolendae memoriae nostri temporis doctor ex-

LV.

ARIMUNDUS DE SANCTO PETRO.

I. Si Ghirardaccium consulimus, idem esse videbitur Arimundus de S. Petro cum Alberico Scannabicchio, de quo supra actum est (1). Neque felicius hic se explicavit Alidosius, apud quem reperio Albericum Scannabicchium Arimundi filium doctorem legum de S. Petro nuncupatum, quem anno MCCLIII foederis conditiones cum Ravennatibus firmasse dicit et Arimundum Saluterii Scannabicchii filium, de S. Petro item appellatum, quem canonicum Ecclesiae bononiensis fuisse narrat (2). Sed Arimundus de S. Petro legum doctor neque sacris initiatus fuit neque ad Scannabicchiam gentem pertinuit. Ejus familia nobilis et antiqua de S. Petro appellata est, eo quod prope ecclesiam s. Petri, jam tum civitatis principem, habitaret. Idem cognomentum alia illustris familia gessit, ex qua insignes jurisconsulti prodierunt, quae adhuc inter primarias civitatis nostrae in plures divisa celebratur. Ea ex S. Petro agnomen sumpsit, quia ex s. Petri castro, agri bononiensis notissimo, in civitatem se recepit.

II. Arimundus Alberico patre natus est (3), aeque clarus inter scholarum professores ac inter praecipuos cives. Anno MCCLXIII cum episcopis imolensi et comaclensi, abbate nonantulano, aliisque primariis viris et duobus doctoribus, Bonaventura de Savignano et Francisco Accursii, interfuit cum Octavianus Ubaldinus episcopus bononiensis post solemnem inaugurationem juramento suam fidem obstrinxit Philippo ravennati archiepiscopo metropolitano suo (4). Ghirardaccius inaugurationem et hanc fidelitatis professionem nescio qua ex causa conjicit in annum MCCLXI. Eidem Octaviano vicariam operam contulit aliquando Arimundus in episcopali jurisdictione administranda (5); quod alios etiam laicos juris civilis professores interdum factitasse, compertum est.

III. Obiit Arimundus anno MCCLXIX apud Urbemveterem (6), neque quam ob causam ibi fuerit divinare licet (7). Fortasse ad Clementem IV, qui sub finem anni superioris Viterbii obierat extremo illius vitae tempore, aut ad cardinales, qui comitia pontifici creando in eadem urbe agebant, legatus est Arimundus, ad grave aliquod Ecclesiae, vel episcopi bononiensis negotium pertractandum. Is autem superstitem habuit Donellam uxorem, nobilissimam foeminam Hugolini Lambertini cognomento Capricii filiam, ex qua susceperat Albericum qui legum studia secutus est (8), sed immatura mors omnem, quae

cellens dn. Bartoluccius de Pretis disputans hanc quaestionem fatebatur etc. ». JOANN. ANDREAE in *Sext.*, C. *Si pater de Testam.*

(1) GHIRARDACCI, lib. VII.

(2) ALIDOSI. *Dottori bolognesi*, pag. 4.

(3) *Ex infra adnotandis.*

(4) In Christi nomine, Amen. Anno MCCLXIII, indict. VI. Bononiae, ante ecclesiam, sive per plateam monasterii s. Stephani Bonon..... in praesentia.... dn. Bonaventurae de Savignano, Aprimundi dn. Alberici de s. Petro, Francisci qu. dn. Accursii legum professor.... dn. Octavianus etc. RUBEUS. *Hist. Rav.*, lib. VI.

(5) « Dn. Arimundus Vicarius dn. Episcopi etc. ». *Ex Memor. Com. Bon. ad an. MCCLXV.*

(6) Anno MCCLXIX, die VI intr. Nov. Albricus qu. dn. Arimundi de s. Petro impuber major infante petit sibi dari in curatorem dn. Guilielmum de Lambertinis ad hereditatem dicti sui patris adeundam. *Ex Mem. Com. Bon.* Indicavit clarissimus Montius.

(7) Eod. an. die VI intr. Dec. Flabianus qu. Coradini Casalis confessus fui se recepisse a dn. Donella et a Simone XXXI lib. Bon. quas dictus Flabianus expendidit in medicis et medicinis in Urbeveteri. *Ibid.*

Adde, quod in instrumento tutelae Albrici Arimundi filii, quam Donella ejus mater suscepit, recuperandae dicuntur « res deposite apud dn. Octavianum rectorem hospitalis s. Mariae de Urbeveteri ». *Ibid.*

(8) Anno MCCLXXV dn. Albericus fil. dn. Arimundi de S. Petro emit Digestum vetus etc. *Ex Memor. Com. Bon.* Indicavit idem vir clarissimus.

de eo erat, spem praecidit (1). Ex eadem Donella tres filias suscepit, Aichinam, Beatricem et Bartholomaeam, quae primariis civibus nupserunt. Ex his Bartholomaea Zoeni Pepolo (2) nupsit, ex ea gente, quae magnis opibus viam sibi ad patriae principatum muniebat. Ante Donellam duxerat Arimundus Sibiliam, ex qua filiam tulerat Azzolinam, quae anno MCCLXIX, Arimundo ipso absente, nupsit Bonifacio Samaritano civi nobilissimo. Atque ad quatuor hasce Arimundi filias patris haereditas pervenit; in qua cernenda cum aliquae controversiae obortae essent, ad eas dirimendas arbitri delecti sunt anno MCCLXXX tres clarissimi legum professores, Guido Suzarius, Albertus Odofredi et Lambertinus de Ramponibus (3).

LVI.

GUIDO SUZARIUS.

I. Agri mantuani, olim regiensis, Suzaria oppidulum est, ex quo originem et agnomen duxit Guido, nobilissimus aetatis suae legum professor. Hunc Pancirolus scribit in Azonis schola eruditum; atque id habuit ex prooemio libri de jure emphyteutico, qui Guidoni tribuitur (4). Sed ejus libri auctorem fuisse constat Martinum Fanensem, cui revera tribuitur a Joanne Andreae (5) et Diplovataccio (6), quamquam typis editus est sub Guidonis Suzarii nomine. Incertum est igitur qua in schola eruditus sit Suzarius; neque constat ubinam gentium aetatem egerit ad annum usque MCCLX, quo anno conductus est a Mutinensibus ad jus civile interpretandum in eorum scholis (7). Sed erat jam tum celebris doctrinae fama et libris editis, quos viderat Odofredus et non semel in suis commentariis laudavit.

II. Sed Mutinae non admodum diu versatus videtur Guido Suzarius; anno enim MCCLXIV Patavii docebat (8); nec multo post ad academiam nostram accessit, in qua anno MCCLXVI jus civile interpretabatur (9). Sed ne hic quidem diuturniores moras egit Suzarius, etenim a Carolo Andegavensi, neapolitano rege, optimis conditionibus invitatus, apud illum aliquamdiu cum honore fuit et consilio Carolum ad novum illud regnum moderandum juvit. Cum autem per illud tempus accidisset ut Carolus Conradinum competitorem suum praelio vicisset, eoque capto in regio consilio quaereretur num capitali sententia damnandus esset, multis rationibus dissuasit Suzarius; quibus tamen minime permotus rex infelicem principem morti addixit (10); quae res magnam

(1) Obiit anno MCCLXXX. Vidit clarissimus Montius.

(2) Anno MCCLXXXXII die.... dn. Bartholomea fil. qu. dn. Arimondi de s. Petro doct. legum et uxor Zoenis qu. Ugolini de Pepolis vendit etc. *Ex Mem. Com. Bon.*

(3) *Ex Mem. Com. Bon. ejus anni ad diem XI Jun.* Vidit clarissimus Montius.

(4) Auctor ejus libri in prooemio appellat Azonem dominum suum, hoc est, magistrum.

(5) Joannes Andreae tribuit Martino Fanensi cum librum, ex quo ipse extraxit doctrinam juris emphyteutici, quam inseruit additionibus ad *Speculum*. At hic est ille ipse liber, quem habemus t. VI *Tract. Univ. Juris* Guidoni Suzario tributum; ut patebit conferenti doctrinam a Jo. Andreae *Additionibus Speculi* insertam. Perperam igitur hic liber Suzario tribuitur. Ita clarissimus Montius, a quo non pauca de Guidone Suzario accepi.

(6) DIPLOVAT. in *Martino Fanensi*.

(7) MURATOR. *Antiqu. med. aevi,* dissert. XXXXIV.

(8) FACCIOL. *Fast. Patav. Gymn.*, t. I, pag. 9.

(9) In Memor. Com. Bon. an. MCCLXVI, die IV Aprilis habetur contractus quorumdam scholarium germanorum, stipulatus presente Modenixio bidello dn. Guidonis de Suzaria.

(10) Diu de eo judicio acto plurimorum erat sententia et maxime Guidonis de Suzaria, eo tempore praestantissimi legum doctoris, Conradum non esse mortis reum. RICOBALD. apud MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. IX, pag. 137.

illi invidiam concitavit (1). Haec anno MCCLXVIII gesta sunt, ac biennio post Guido Suzarius cum bona Caroli venia ab aulicis negotiis ad scholae munia se restituit, suamque fidem Regiensibus adstrinxit. Eo itaque profectus, ipse et ejus liberi civitate donati sunt, ac nisi Mantuam, hoc est in patriam suam, aut a Carolo rege evocaretur, apud Regienses legum scholam se perpetuo habiturum juravit, idque ob ampla latifundia quae ob eam rem a Regiensibus acceperat (2). Iisdem fere conditionibus se aliquando Mutinensibus obligaverat Suzarius.

III. Sed ut prioribus illis pactis, quae cum Mutinensibus inierat, non stetit; ita nec apud Regienses perpetuo scholam jurisprudentiae rexit, rursus enim ad aulica negotia rediit. Anno certe MCCLXXVI erat cum legato Rodulphi Imperatoris, cum Opizo Estensis Ferrariensium princeps, Marchiam Anconitanam beneficiario jure ab eodem legato accepit (3). Ac biennio post erat item in comitatu legati imperialis cum civitates Aemiliae in Pontificis ditionem, Rodulpho eodem concedente, restitutae sunt. Petrus Cantinellius, qui tunc Faventiae aderat, cum ejus civitatis deditio facta est, narrat Imperatoris legato in Consilio civitatis *literaliter* esse locutum moxque Guidonem de Suzaria legum doctorem exposuisse *latinis verbis* legati orationem. Ex quo apparet, *literalem* sermonem pro docto, erudito, latino tunc accipi consuevisse; *latinum* autem pro italico, quem omnes absque literis discerent et intelligerent (4). Verum Suzarius rursum ad scholas rediit. Anno enim MCCLXXIX, novo et inaudito ad illud tempus exemplo, stipe a scholaribus collata conductus est ad interpretandum in scholis nostris extra ordinem Digestum novum, constituto ingenti CCC librarum bonon. stipendio (5). Ac quadriennio saltem in academia nostra perstitit (6) seu potius ab ea deinceps non discessit, satis jam alibi expertus fortunae aleam et tot aberrationum pertaesus (7). Nam, quod aliquis existimat illum Cremonae decessisse, cum ibi jus civile interpretaretur, id nulla ratione nititur et admodum incertum judicat vel ipse Pancirolus qui narrat.

IV. Illum aliqui reprehendunt quod veste uteretur varii coloris, neque eo cultu atque habitu incederet, qui virum gravem et legum professorem decebat. Atque in hunc modum comptum ornatumque incedere solitum cum esset Mutinae, narrat Guilielmus Durantis (8), quae cum alienata mente legisset Guido Pancirolus, existimavit Suzarium a Durante mutinensem appellari (9). Reprehenditur etiam a nonnullis, quod, cum in legum scientia excelleret, canonum parum peritus haberetur; ex quo factum ajunt ut episcopatum, cujus erat percupidus, non sit assecutus (10). Sed quantum ad episcopatum attinet, id aliter narrat Joannes Andreae ex Boatino Mantuano. Ait enim Guidonem post

(1) MURATOR. *Annal. Ital. ad an. MCCLXVIII.*

(2) PANCIROL., lib. II, cap. XXXVII. — TACOLI. *Memor. stor. di Reggio,* t. II, pag. 337-373.

(3) MURATORI, *Antichità Estensi,* t. II, pag. 31.

(4) Post ipsum (Imperatoris Cancellarium) surrexit dn. Guido de Suzaria legum doctor et exposuit latinis verbis totum, quod dn. Cancellarius dixerat literaliter. PETRUS CANTINELL. in *Chronico ad an. MCCLXXVIII. Extat penes me mss.*

(5) *Vide Appendicem.*

(6) Anno MCCLXXX arbiter electus est in controversia quae erat inter filias Arimundi de s. Petro ob haereditatem paternam. Et rursum anno MCCLXXXIII Bononiae mercedem accepit a procuratoribus Francisci de Foliano electi Regiensium episcopi, ob patrocinium illi praestitum in dissensione cum Theodoro de Flisco, ad eumdem episcopatum aspirante. *Ex tabulis in Mem. Com. Bon.* a clarissimo Montio visis.

(7) In tabulis anno MCCLXXXXII scriptis ita indicantur fines cujusdam praedii: « Juxta dn. Guidonem de Suzaria vel ejus heredes ». Erat in villa s. Marini. Igitur credibile est, Guidonem extremos vitae suae annos Bononiae transegisse, ubi agros sibi comparaverat, quos suis haeredibus reliquit. *Ex Mem. Com. Bon.* Vidit clarissimus Montius.

(8) Non Sericis texturis variatam, vel ex variis coloribus ornatam, ut Guido de Suzaria Mutinae legum professor. *Spec. jur.*, rubr. *De advocato,* § *Sequitur.*

(9) PANCIROL., *loc. cit.*

(10) DIPLOVAT. in *Guid. Suzar.*, et PANCIROL., *loc. cit.*, qui perperam allegat Joannem Andreae, nihil ejusmodi dicentem.

contractum et ratum nec dum tamen consummatum matrimonium, postulatum fuisse ad episcopatum taurinensem sed postulationem esse rejectam (1).

V. Floruit Guido Suzarius in schola aeque ac in foro et judicia quoque rerum criminalium exercuisse videtur. Nicolaus Spinellus cautelam docet qua usus est Guido, cum Mutinae degeret contra Odofredum, qui Bononiae causam quamdam agebat (2). Dicitur etiam in difficili quadam causa Accursium consuluisse, sed id petitum est ex libro *De jure emphyteutico,* quem pertinere diximus ad Martinum Fanensem. Denique laudatur Suzarius quod naturalis philosophiae expers non esset, quod rarum erat in jurisconsultis eorum temporum. Celebrantur inter Guidonis Suzarii discipulos Guido Bassius, Archidiaconi appellatione notissimus (3) et Jacobus de Arena (4), ille canonum, hic legum professor nobilissimus.

GUIDONIS SUZARII SCRIPTA.

In hunc modum Suzarii scripta recenset Diplovataccius: « Scripsit super Codicem, Digestum vetus et novum ». Ego aliquas ex glossis Guidonis Suzarii, ejus nomine notatas, vidi in pervetusto codice Vaticano, quem in Appendice describam (5).

» Item *De ordinatione causarum.* Incipit: *Super causarum ordinatione primo videndum,* de quo per » Jo. Andr. in addit. prooem. v. *ceterum.*

» Item, secundum aliquos, composuit optimum tractatum *De ordine maleficiorum,* ubi pulchra » bona ponit; quem tractatum doctores et maxime dn. Alexander, saepe allegant. Tamen » credo quod fuit quidam de ejus discipulis, qui recollegit de verbo ad verbum dicta » Guidonis, Odofredi et Uberti de Bobio. Et hoc apparet in rubrica, *Qualiter se habere » debet advocatus, v. videamus,* ubi dicit: *Tamen ego Odofredus dico.*

» Item et secundum aliquos scripsit tractatum *De guarentigia.* Incipit: *Quoniam in civitatibus Italiae.* » Tamen non est Guidonis, cum ibi allegetur Baldus ». Sed fortasse aliquis primo auctore recentior hunc tractatum, quem etiam Pancirolus Suzario tribuit, ex Baldi placitis supplevit.

Omittit Diplovataccius tractatum *De jure emphyteutico*, quem perperam ab aliis illi attributum diximus, cum sit legitimus Martini Fanensis foetus. Joannes Andreae aliquam ejus quaestionem memorat (6); et in vetusto codice Vaticano libellum habemus, qui inscribitur: *Summa quaestionum curiae romanae per dn. Perusinum.* Sed collectae dicuntur *ex doctrina G. de Suzaria et Dy. de Mugello* (7).

LVII.

JOANNES FASOLUS.

I. Notissimus est Joannes Fasolus praesertim ob ea, quae scripsit in *Usus feudorum.* Quoniam vero Benedictum Beneventanum audivit (8), quem non alibi constat docuisse quam in scholis nostris, non injuria eum judico doctoribus nostris adjungendum. Eum

(1) JOANN. ANDREAE in c. *Quod votum de Regul. in Sexto.*

(2) De quo (Guid. de Suzaria) etiam per Nicolaum de Neapoli in l. *Quinquaginta*, Dig. *De excusat. tutor.* ubi ponit cautelam, qua usus fuit Guido Mutinae contra Odofredum existentem Bononiae. DIPLOVAT., *loc. cit.*

(3) In hoc articulo Dominus meus Guido de Suzaria sic dicebat. ARCHID., c. *Deliberatione. De officio Legat. in Sexto.*

(4) JACOB. DE AREN. in l. 1, C. *De jud. ubi dicit,* se audivisse dn. Guidonem. *Ex* DIPLOVAT., *loc. cit.*

(5) *Vide Appendicem.*

(6) Pone quaestionem Guid. de Suzar., quam post eum habeo super legem *Nominatione*, C. *De appellat.* et est talis: « Prohibet Statutum etc. ». IOANN. ANDREAE. *Addit. ad Spec.*, tit. *De accusatione*, § *Sequitur.*

(7) *Est Cod. Vatic. 2656.* [SAVIGNY. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXXIV]. (C. A.)

(8) « Dominus Beneventanus » dicebat Jo. Fasioli, quod fuerat praeceptor suus. JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Spec. de libell. concept.*, Dig. *Nunc dicentem*, v. 25.

laudat Pancirolus, sed mire fallitur in ejus aetate designanda. Ait claruisse non multo post Petrum Cernittum bononiensem, qui etiam in *Feuda* scripserat (1). Sed Petrus Cernittus adeo non superior aetate fuit Joanni Fasolo ut diu etiam post illum vixerit, quippe qui anno demum MCCCXXXVIII vivendi finem fecit. Quod si Joannes Fasolus, ut tradit Pancirolus, cum esset archiepiscopus ebredunensis, eam cathedram moriens reliquisset Henrico Secusiano canonum professori nobilissimo, quique non alio fere quam Ostiensis nomine notus est ob episcopatum ostiensem, quem postea obtinuit, multo etiam antiquior esset quam Pancirolus ipse existimat. Henricus certe Secusianus anno MCCL ex sistaricensi sede ad ebredunensem translatus est (2). Itaque oporteret ante illud tempus a Joanne Fasolo administratum fuisse archiepiscopatum ebredunensem. Sed frustra hunc hominem inter archiepiscopos ebredunenses quaerimus, quorum egregiam chronotaxim optimis monumentis stabilitam in *Gallia Christiana* habemus. Sic autem bene cohaeret archiepiscoporum ejus Ecclesiae successio decurrente saeculo XIII, eoque potissimum tempore, quo sedes Joannis Fasoli constitui posset, ut nullus ei locus in ea chronotaxi vacuus sit relictus. At Pancirolus non temere Joannem Fasolum archiepiscopum ebredunensem fuisse scripsit. Id a Baldo accepit, a quo habuit etiam Diplovataccius (3). Num igitur spernenda Baldi auctoritas? Id alii viderint. Est in celebri coemeterio pisano (4) sepulcrum Joannis Faseoli doctoris legum illustris, qui obiit anno MCCLXXXVI, cum vixisset annis LXIII, ut in ejus epitaphio legimus, quod in *Theatro basilicae pisanae* editum est in hunc modum:

Legum doctoris Faseoli tumba Joannis
Doctorum floris dedit hunc natale Joannis
Annis millenis sex octoginta ducentis
Christi vita senis defecit tunc sapientis
Vixit fons roris decies sex et tribus annis
Mensibus .... liberet a poenis quem Christus .... (5)

Hunc esse existimo Joannem Fasolum; tempus enim quo obiisse dicitur egregie congruit cum paucis illis, quae de hoc legum professore cognita habemus, nec opus est fingere Joannem alterum in ejus locum temere intrudendum.

II. Porro ex Fasoli familia pisana fuere plures post Joannem hunc, legum doctorem illustrem, qui in nostra academia legum studia secuti sunt. In his fuit Andreas Gerardi filius, qui Bononiae erat anno MCCC (6). Rursum anno MCCCXXIV Andreae filius Joannes (7). Ac fortasse suspicari licebit Joannem hunc postremum, qui revera post Petrum Cernittum vixit, scripsisse *Summam feudorum* a Baldo laudatam (8).

(1) PANCIROL., lib. II, cap. XXXIII.

(2) *Ex monum. in Gal. Christ. allatis in Archiep. Ebredun.*

(3) Joann. Fasolus legum doctor pisanus. Scripsit tractatum de causis summariis, quem *Speculator* inseruit in *Speculo juris*. Scripsit etiam Summam super *Feudis*, quam laudat Bal. in *Praelud. feud.* ubi dicit quod fuit magnus vir et archiep. embredunen. DIPLOVAT. in *Jo. Fasolus*.

(4) Vulgo: il Campo Santo.

(5) MARTINI *Theat. Basil. Pis.*, c. XVIII.

(6) Anno MCCC, die XXIV Feb. Andreas Faxiolus fil. Gerardi Faxioli de Pisis scholaris Bonon. praesens cuidam instrum. *Ex Mem. Com. Bon. Francisci de Caciptis.* Indicavit clarissimus Montius.

(7) Anno MCCCXXIV die XV Sept. dn. Joannes Faxolus fil. dn. Andreae de Faxolis de Pisis scholaris Bonon. in legibus. *Ibid. Ex Mem. Muxolini de Argellata.* Indicavit idem vir clarissimus.

(8) Ita conjicit idem clarissimus Montius.

JOANNIS FASOLI SCRIPTA.

Ejus opera in hunc modum enumerat Diplovataccius: « Scripsit, inquit, *De causis summariis* ad » instantiam quorumdam sociorum suorum » (discipulos sic nominatos a professoribus, saepe jam monuimus) « et specialiter providi viri domini Justiniani de Civitate Castelli, » quem tractatum ponit *Speculator* post suam primam publicationem.

» Item composuit utilissimam *Summam super feudis* secundum Baldum in praeludio *Feudorum.*

» Floruit temporibus Aegidii Fuscherarii, Viviani de Bononia, Guilielmi Panzoni etc. post Mar- » tinum de Fano, quem ipse citat in tractatu *De summaria cognitione* ». Ita Diplovataccius.

Tractatum Joannis Fasoli *De causis summariis,* editus est in lucem paulo post vulgatum a Guilielmo Durantis *Speculum juris.* Quare in secunda *Speculi* editione opus illud cum aliorum doctorum tum Joannis Fasoli opibus auctum et locupletatum est; et tractatus *De causis summariis*, totidem verbis *Speculo* additus (1).

LVIII.

ALBERTUS ODOFREDUS.

I. Odofredi filius Albertus cum patris fama et opibus, tum sua virtute et doctrina celebratus est. Hunc vix nominat Pancirolus, et multi existimant non magni illius jurisconsulti, de quo supra diximus, sed alterius Odofredi filium fuisse. Scilicet qui duos inducunt Odofredos hic etiam misere haerent. *Albertum domini Odofredi filium beneventanum et civem bononiensem* appellat Diplovataccius. Is autem non solum doctor legum sed aliquando etiam in actis publicis eorum temporum *dominus legum* dici amavit, quasi jam sorderet doctoris appellatio, postquam professores juris canonici illam usurpare coeperunt (2). Eum pater Odofredus anno MCCLV emancipavit cum nondum legum doctor creatus esset (3). Eo tamen honore donatus est patre vivente, diuque post ejus obitum inter academiae nostrae professores praecipuum tenuit locum. Ut autem Odofredus Accursio non admodum amicus fuisse videtur, ita Albertum censeo eodem animo fuisse in Franciscum Accursii filium, quem constat acres concertationes habuisse cum aliis doctoribus ad doctrinam patris tuendam. Horum autem principem fuisse Albertum facile mihi suadeo. Sed quamquam Accursii obtrectatores subinde conquieverint, felicior tamen Francisco Accursii filio visus est Albertus, quod ille annis aliquot post Accursii obitum e scholis nostris excessit, Albertus autem ad extremum usque diem in civitate floruit et inter primarios cives summa cum dignitate vixit. Itaque in reipublicae administratione diligentem ac sedulam operam contulit et gravissimis negotiis tractandis adhibitus est.

(1) Sciendum, quod § iste usque ad finem totus fuit additio post primam publicationem, non multum vulgatam etc. Hunc ergo tractatum, quem composuit Jo. de Faxiolis pisanus legum doctor paulo post dictam publicationem habuit author et hic inseruit. JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Spec.*, rubr. *De offic. omn. jud.*, § *Postremo.*

[SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXXV].

(C. A.)

(2) Etiam Accursius ita passim appellatus est. Extat in bibliotheca Collegii Hispanorum ad divi Clementis, Corpus juris civilis in libris membranaceis, in quorum singulis fere paginis in extremo margine adscriptum est Accursii nomen in hunc modum: « Dominus Accursius dominus legum ».

(3) An. MCCLV, indict. XIII, die XIV intr. Sept. Actum in palatio veteri Communis Bonon. present. dn. magistro Petro de Carnoto, mag. Roberto de Airzio, mag. Ranaldo qui fuit de Firmo, dn. Honesto fratre, dn. Odofredi.... venit dn. Odofredus legum doctor una cum filio suo Alberto coram dn. Uberto judice et assessore dn. Rizardi de Villa potestatis Bonon. postulans se velle dictum filium suum emancipare etc.

Eadem die et in continenti dn. Odofredus, dn. Alberto ut se alere posset concessit vineam in Loreto, domos et alia. *Ex tabulis in archiv. Fr. Minor. A.*, n. 110.

II. Quam late pervagatum sit incendium belli civilis, quod anno MCCLXXIV Bononiae exortum est ob factiones Jeremiensium et Lambertacciorum, quasque calamitates huic et vicinis civitatibus attulerit, notius est quam ut explicari hoc loco possit sine lectorum fastidio. Sed tam atrocis belli originem et causas italicae historiae scriptores parum cognitas habuerunt. Ghirardaccius hanc Iliadem a fabula romanensi auspicatur et inconcessos amores narrat Imeldae Lambertacciae cum Bonifacio Jeremiensi et clandestinos utriusque congressus, quibus detectis, pristinas Jeremiensium et Lambertacciorum simultates in implacabile odium erupisse ait (1). Sed primae ejus incendii scintillae unde exciderint acta publica civitatis eorum temporum ostendunt. Medio circiter XIII saeculo late dominabantur Bononienses in Flaminia provincia, ejusque provinciae civitates partim suo imperio subegerant, partim foederatas habebant. Cum aliis quoque vicinis civitatibus foedera sibi commodissima junxerant et quasi communes pacis bellique arbitri haberi volebant. Sed cum anno MCCLXXII Foroliviensis Ghibellinorum impulsu a Bononiensibus aperte defecissent, eodemque tempore Mutinenses adhuc recusarent in civitatem recipere Grasulphos superioribus bellis ejectos, secus ac ex foedere cum Bononiensibus inito tenebantur, incerti haerebant bononiensis Reipublicae moderatores, utrum in Forolivienses rebelles, quod Jeremienses Guelphi volebant, an in Mutinenses contumaces, ut Lambertacciis Ghibellinis placebat, arma moverent (2). Itaque ne quid improvide deliberarent quatuor legum doctores et jurisprudentes aliquot consulendos censuerunt. Ex doctoribus duo Jeremienses fuere, Albertus Odofredus et Rolandinus Romancius, reliqui duo, Thomas de Piperata et Bonromaeus Duliolus, Lambertaccii (3). Certatum diu sententiis est, ad extremum tamen vicere Jeremienses, nam insequenti anno Bononienses magnis viribus bellum Foroliviensibus intulerunt, Lambertacciis frustra repugnantibus (4). Cum autem Forolivienses fortiter restitissent et Bononienses bellum in eos majori studio instaurarent, ea re magis exasperati in Jeremienses Lambertaccii (Ghibellini scilicet in Guelphos) bellum civile excitarunt tam cruentum et atrox ut fere civitas eversa sit. Contigit haec prima ejus belli clades anno MCCLXXIV, quem propterea aliqui scriptores annum Bononiae destructae appellarunt (5). Plura habent de caedibus et incendiis eo tempore Bononiae patratis Ghirardaccius aliique scriptores, ac multa etiam iis ignota intelligere licet ex tabulis quas in Appendice damus (6).

(1) Ghirardacci, lib. VII.

(2) Nimirum, ut in reliqua Italia, sic erant Bononiae partes duae, Ghibellini et Guelphi; quarum altera Imperii jura asserebat, altera pro Ecclesiae ac italicarum civitatum libertate pugnabat. Sed Ghibellini apud nos Lambertaccii, Guelphi Jeremienses vocabantur, ex familiarum nomine, quarum auctoritatem factiones illae aliquando secutae fuerant. Scilicet anno MCCXVIII cum ad bellum sacrum magna nostrorum civium multitudo proficisceretur, ut suus cuique parti dux esset ac ne res maximae expectationis discordia impediretur, dati sunt, qui praeessent, viri duo inclytae nobilitatis ac virtutis, Bonifacius Lambertaccius et Baruffaldinus Jeremiensis. Hinc factum videtur ut qui Bonifacium ducem secuti militiae nomina dabant, Lambertaccii; qui ad Baruffaldini signa conveniebat, Jeremienses appellarentur. Et manebant hujusmodi vocabula tempore suscitati civilis belli, quamvis Lambertaccia gens ghibellinae factionis, principatum jam non teneret Jeremiensium vero domus tota, quae parti nomen dederet, cum stirpe interiisset. In hanc sententiam loquuntur vetustissima quaeque civitatis monumenta ut a clarissimo Montio accepimus; etsi a nostris scriptoribus pleraque aliter sunt prodita. Vide *Reg. gros.* et *Mem. Com. Bon.*

(3) *Ex Lib. Reform. A. in archivo pub. Bonon.*

(4) Dictus exercitus non placuit parti Lambertacciorum de Bononia. Sed propter magnam potentiam, quam tunc habebant illi de parte Geremiorum, non poterant eis resistere illi de parte Lambertacciorum.... quorum caput et dux erat dn. Castellanus de Andalo. *Ex Chron. Petri Cantinelli auctoris synchroni.*

(5) Si nos existentes Bononiae volumus alicui notificare, quod pugna inter Grasolfo et Aigones, quae sunt partes in Mutina, destruxit illam civitatem, inducemus simile magis notum, hoc scilicet, quod pugna Lambertacciorum cum Geremeis destruxit Bononiam. Thad. Flor. in *Comment. Art. parv. Gal.*, lib. III.

(6) Vide in Append. sententiam praetoris mediolanensis concedentis vindicias, sive, ut ajebant, represalias, Guilielmo de Posterla, qui Bononiensium praetor fuerat cum prima Jeremiensium et Lambertacciorum clades acciderint. Lata est haec sententia ipso anno MCCLXXIV.

III. Sed iterato saepius conflictu, cum Jeremienses superiores evasissent, Lambertaccii cum omni eorum factione proscripti sunt et e civitate ejecti; quo in numero fuerunt non pauci academiae nostrae professores, omnes nimirum Accursii filii, Thomas de Piperata, Bonromaeus Duliolus, quos supra memoravimus, Spagnolus Abbatis, Albertinus Carrarius, Azo Lambertaccius et alii plures. Sed Albertus Odofredi filius cum omni ejus familia Jeremiensium partes secutus est, nec ab iis umquam defecit. Itaque non solum libere inter civiles turbas in patria vixit sed honoratissimus etiam inter eos, qui civitati dominabantur. Anno MCCLXXIX pax inter Jeremienses et Lambertaccios restituta est magno studio Nicolai III, et agentibus in primis Latino Ursino cardinali legato et Bertholdo Ursino Flaminiae provinciae rectore et comite, et Lambertaccii exules in civitate recepti. Sed diuturna non fuit ea pax tanto molimine conciliata, nam eo ipso anno exeunte compressa paululum odia revixerunt et rursus ad arma itum est, victique iterum Lambertaccii e civitate ejecti sunt. Tunc Bertholdus Ursinus, qui ad fovendam civitatis tranquillitatem praeturam bononiensem susceperat, tantam hominum inconstantiam indignatus, vicarium per quem praeturam Bononiensem administrabat cum omni familia revocavit. Interim Bononiae novum creari magistratum placuit qui civitatem regeret quoad Bertholdus vel praeturam resumeret vel omnino dimitteret. Itaque novem consules creati ex primariis civibus, qui civitatem cum summa potestate regerent in dies XV, quibus elapsis, alii rursum novem consules deinceps subrogati. Atque haec regiminis forma, quam fere ignorarunt scriptores nostri, trium circiter mensium fuit. Erat autem ejus magistratus princeps Albertus Odofredi filius, cum Bertholdus in provincialium conventu Ravennae celebrato quaestionem de iis habuit, qui Bononiae turbandae pacis auctores fuerant (1); eique conventui per procuratores interfuit Albertus, ibique rursus de pace tractatus habiti, sed nihil perfectum est ob decessum Nicolai III.

IV. Recrudescentibus igitur partium odiis, Lambertaccii iterum solum vertere jussi et alii publicatis bonis proscripti, relegati alii, sive ad confinia, ut ajebant, amandati. Sed quoniam inter eos qui Lambertacciorum partes sequebantur multi erant honesti cives, qui exilium magna animi moderatione pertulerant ac nihil hostiliter contra patriam egerant, abhorrentes ab aliorum consiliis qui semper novi aliquid ad vexandam civitatem moliebantur; propterea populus bononiensis anno MCCLXXXV legem tulit qua reditum iis civibus in patriam permisit, eosque voluit libere ac tuto in civitate morari posse, suisque bonis frui, dummodo sacramento se adigerent ad partem Jeremiensium sequendam, et tam ipsi quam eorum posteri ab omni honore et publica procuratione in perpetuum arcerentur. Cum autem Sapientes aliquot a populo bononiensi creati essent, hujus veluti legis curatores, inter eos praecipuum locum tenuit Albertus (2).

V. Anno MCCLXXXVI Albertum fuisse comperio unum ex rectoribus collegii judicum et advocatorum (3). Reliqui duo rectores ejus Collegii erant Nicolaus Soldaderius et Joannes Billionus jurisperiti et judices aetatis suae non incelebres, sed minime legum doctores. Nondum scilicet eo tempore ita vulgaris erat doctoris gradus ut nemo quemadmodum nunc fere fieri solet inter advocatos aut judices censeretur, qui doctoris insignibus ornatus non esset, quod cum non animadverterit Alidosius quotquot in antiquis civitatis nostrae monumentis reperire potuit jurisperitos, advocatos, judices, totidem existi-

(1) *Ex Cod. Diplom. Bon. in bibl. Scient. Instit. Videatur etiam* GHIRARDACCI, lib. VIII.

(2) *Lib. Reform. cit.* et GHIRARDACCI.

(3) *Vide infra in* ROLANDINO PASSAGERIO.

mavit esse legum doctores; atque ita suam doctorum bononiensium syllogem immaniter auxit.

VI. Verum Albertus non solum civibus suis sed exteris etiam suam fidem et prudentiam probavit. Anno MCCLXXXVII cum inter Commune Regiensium et ejus civitatis exules gravis discordia orta esset, utraque pars arbitros elegit ad omne dissidium tollendum praetorem et praefectum populi bononiensis et antianos dein quatuor jurisprudentes, nempe Albertum Odofredum, Lambertinum Ramponem et Antonium de Manzolino legum doctores et Nicolaum Soldaderium judicem qui X kalendas Januarii sententiam in ea controversia dixerunt (1). Initio autem insequentis anni idem Albertus cum Lambertino Rampone, Nicolao Soldaderio jurisperito et Leonardo Bonvicini scriba publico in agrum regiensem perrexit, ut jura Communis et populi regiensis aliorumque procerium in summas alpes cognosceret ac definiret (2).

VII. Eodem anno ad Nicolaum IV Pontificem legationem difficillimam suscepit. Obtinebant eo tempore Bononienses Medicinam, non ignobile castrum quod olim fuerat ex patrimonio Comitissae Mathildis. Sed aegre id ferebat Romanus Pontifex, cui persuasum erat castrum illud ad Romanam Ecclesiam pertinere. Bononienses autem de eo castro retinendo quam maxime solliciti, cum apud legatum apostolicum frustra egissent, ipsius Pontificis animum tentare ac flectere aggressi sunt. Itaque hujusce rei procurationem Alberto Odofredo detulerunt (3). Sed sive ex morbo quo Pontifex eo tempore afflictus est sive aliis ex causis, Albertus re infecta in patriam rediit.

VIII. Cum autem anno MCCLXXXXII turbata Flaminiae pace Bononienses arma in Imolenses movissent, duo sapientes viri a populo bononiensi delecti sunt qui hujus belli curam susciperent, Albertus Odofredus legum doctor et Bonincontrus de Hospitali doctor decretorum (4). Sed non multo post majus exortum est bellum cum Azone Atestino Ferrariensium principe qui civitates multas et Flaminiae populos in Bononienses concitaverat. Tunc lata lex est ne cui excusatio a militia daretur qui arma ferre posset, praeter exiguum professorum numerum qui tunc in scholis docerent, quosque universitas scholarium porrecto libello nominatim excipiendos postulasset, atque in his fuit Albertus (5). Sed is tamen, quamquam in acie non fuerit, patriae tamen non defuit tam difficili tempore. Quare inter VIII viros a populo bononiensi creatos, qui belli negotia in civitate curarent, praecipuum locum obtinuit Albertus; horum autem VIII virum decreto palatium ipsius Alberti, quod erat in fundo Villafranca castri Varignanae, fossa circumducta et additis turribus, et vallis in arcis modum munitum est, ut ex ea parte hostibus aditum in agrum bononiensem occluderet (6). Denique cum omnium animi longo et efferato bello

(1) In Christi nomine amen. Nos Gerardus de Josano potestas Bertholinus de Madiis capitaneus antiani et consules populi civit. Bonon., Lambertinus Rampone, Albertus dn. Odofredi, Antolinus de Manzolino legum doctores, Nicolaus de Soldaderiis judex, Albertus de Asinellis.... arbitri arbitratores et amicabiles compositores electi a Joanne de Gavasso syndico Communis Regii ex una parte et a dn. Matheo, dn. Giberti de Canonica syndico partis extrinsece dicte civitatis, ex altera nomine et vice Communis Bononie compromissum predictum recipientes.... laudamus etc. *Ex Mem. Com. Bonon. an. MCCLXXXVIII.* Communicavit clarissimus Montius.

(2) An. MCCLXXXVIII die XIV Jan. dn. Albertus Odofredi, dn. Lambertinus Rampone legum doctores, Nicolaus Soldaderius jurisperitus, Leonardus Bonvixini notarius fuerunt ad videndum et examinandum jura Communis et alpium Regii et jura dn. prepositi de Carpineta et dn. Rolandini de Canossa. *Ex Memor. Lodovici dn. Marchixini*, pag. 20.

(3) *Ex actis pub. ejus anni in lib. Reform. H.*

(4) *Ibid., lib. F.*

(5) Doctores, qui legebant ordinarie, nec tenebantur ire ad exercitum: dn. Marsilius de Mantighellis decr. doctor., dn. Martinus Sulimani legum doct., dn. Albertus Odofredi legum doct., dn. Bartoluccius de Pritis legum doct., dn. Philippus de Foscherariis legum doct., dn. Paulus Martini Sulimani legum doct., dn. Franciscus Sassolini legum doct. *Ex actis publ., sive Reform. Com. Bon. an. MCCLXXXXVII.*

(6) GHIRARDACCI, lib. XI.

fatigati in pacem propenderent, jamque agentibus maxime Florentinis utraque pars ad Bonifacium VIII omnium controversiarum arbitrium detulisset, Februario mense anni MCCLXXXXIX splendida legatio a nostris ad eum decreta est, cujus princeps fuit Albertus (1). Is autem cum apud Pontificem esset sic rem publicam curavit ut suam non neglexerit; impetravit enim a Pontifice ut permutationem quamdam aedium suarum facere posset cum vicina ecclesia s. Ambrosii, qua de re habemus ipsius Pontificis literas ad abbatem s. Felicis, cui mandat ejus rei cognitionem.

IX. Cum Albertus Romae degeret, levis aliquis motus in academia nostra excitatus est. Vianesius Pascipoveri Bajoli filius, emenso studiorum corriculo, collegio doctorum legum se stitit, postulans ut in eum ordinem rite reciperetur sibique doctoris insignia traderentur. Sed renuerunt doctores, nescio qua sacramenti religione obtenta, qua se obstrinxisse dicebant, ne quem doctorem legum creari sinerent nisi certis quibusdam conditionibus, quas alio loco explicabimus. Sed cum Vianesii pater ad Reipublicae moderatores appellasset, illi pro potestate imperarunt doctoribus legum, ut captis de Vianesii doctrina usitatis experimentis, si idoneus esset repertus in doctorum coetum admitterent, modo ad id expectarent Albertum Odofredum et Pacem de Pacibus legum doctores, qui legatione fungebantur apud Pontificem.

X. Transactis Romae aliquot mensibus Albertus Bononiam reversus est pacis negotio feliciter confecto. Atque haec postrema ejus cura fuit pro patriae salute suscepta. Etenim non multo post reditum in morbum incidit, quo sublatus est. Obiit circiter septuagenarius anno MCCC (2), ac tumulatus est apud Fratres Praedicatores, quos vivus magnopere coluit. Post mortem vero multa voluit extare apud illos suae pietatis et liberalitatis monumenta, ut ex ejus testamento intelligimus quod in Appendice damus. Sed nullum ejus sepulcri vestigium nunc superest.

XI. Duas duxerat uxores Albertus, alteram juvenili aetate, alteram admodum provecta, utramque nobilissimam. Prima fuit Azzolina Alberti Galluccii filia, quam anno MCCLV, cum emancipatus est, jam duxerat et anno adhuc MCCLXXVII in vivis erat(3). Ex ea suscepit Franciscum, Luciam et Nicolam (4). Altera fuit Clara Fulci de Pacibus doctoris legum filia, ex qua genuit Nicolaum et Joannam. Haec post Alberti obitum Ubaldino Galluccio legum doctori nupsit. Habuit et filium Benedictum materno genere imparem, virum frugi, prudentem et doctum. Hic etiam legum studia secutus est et jurisperitus et judex in antiquis monumentis appellatur, doctor vero non item. Eum pater virtutis ergo plurimum dilexit et natalibus restituendum curavit. Itaque multa ei quoque in testamento reliquit et urbana et rustica praedia, quibus se ac familiam suam honeste alere posset, nam is quoque vivente Alberto uxorem duxerat et filium genuerat, ex quo pars Odofredae gentis propagata est. Sed Nicolaus, quem ex Clara susceperat, infans obiit. Itaque opulentum Alberti patrimonium totum fere ad Franciscum pervenit.

XII. Testamentum condidit Albertus anno MCCLXXXXIX antequam extremum in morbum incideret (5). Ut erat ditissimus, plurima legata dedit praesertim ad pias causas. In his praecipuum est quod Fratribus Praedicatoribus et Minoribus tantum ex

(1) *Id.*, lib. XII.

(2) Codicillos ordinavit die XXV Feb. MCCC Joannae ejus filiae tutelam susceperunt Franciscus et Benedictus fratres die XVIII Martii ejusdem anni. *Ex Mem. Com. Bonon. MCCC et MCCCXXII.*


(3) *Ex Mem. Com. Bonon. illius anni.*

(4) Nicola, cui dotem legaverat Odofredus avus, nupsit Calorio Lambertino an. MCCLXXVIII. *Ex Mem. illius anni.*

(5) *Vide ejus testamentum in Appendice.*

ODOFREDAE GENTIS STEMMA

USQUE AD MAGNI ODOFREDI PRONEPOTES



(1) Richardus Denarius Odofredi avus. Ex antiquis tabulis alibi indicatis, in quibus nominatur « Dn. Odofredus Bonacursii Richardi de Denariis filius ».

(2) Caravita I Richardi frater. Ejus testamentum habemus anno MCLXXVII, quo Atelinam filiam haeredem instituit; Aldegardae vero uxori et Caravitae II nepoti, i. e. fratris filio legata quaedam decernit. Extat in archivo familiae Odofredae, nunc Gandulphae; ejusque exemplum nobis communicavit Josephus Zanettus Falloppius medicinae doct. diligens patriarum antiquitatum investigator.

(3) Bonacursus Richardi de Denariis; recensetur inter Curiales, qui interfuerunt anno MCCXXXIV cum Guido Raulus Praetor et Consilium universum civitatis Albertum Lambertaccium caedis damnatum proscriberent. *Ex Statut. Civit. anno MCCLII.*

(4) Caravita II. Hic anno MCCXXVIII die XI Aprilis testamentum condidit, in quo legata dedit dn. Zuliane uxori dn. Odofredi sui nepotis vestimentum de viridi novum factum per dn. Aichilinam uxorem suam. Ipse dicitur Caravita olim Richardi de Denariis; unde apparet, fratrem fuisse Bonacursi, ex quo natus est Odofredus, a Caravita patruo haeres institutus. *Extat. testam. in archivo Fr. Minor.*

(5) Odofredus clarus legum doctor, filius Bonacursi Richardi Denarii; ejus uxor Juliana, sive Zuliana. « Anno MCCLXV die I Augusti. Actum in camera dn. Odofredi presente ipso dn. Odofredo et dn. Juliana ejus uxore etc. » *Ex Memor. Comm. Bonon.*

(6) Honestus Odofredi frater. « Anno MCCLXV, die II, exeunte Julio dn. Honestus qu. dn. Bonacursii Richardi de Denariis venit coram me notario et dixit emancipasse filios suos Odofredum et Richardinum presentes etc. » *Ibidem.*

(7) Caravita III Odofredi frater. « Anno MCCLXV, die XII intr. Decembri, dn. Caravita qu. Bonacursii de Denariis frater qu. dn. Odofredi venit et dixit emancipasse Franciscum filium suum etc. » *Ibidem.*

(8) Bonazunta Odofredi frater. *Ex tabulis in archivo Fr. Minor. ad annum MCCXXXVIII.*

(9) Fr. Richardinus filius dn. Odofredi Ord. Min. adest testamento Rosae de Trano, anno MCCXXXXVIII. *Ex eodem archivo.*

(10) Albertus Odofredi legum doctoris filius, legum doctor notissimus. Azzolina Galluccia, deinde Clara de Pacibus ejus uxores, de quibus in suo testamento, quod vide sis in Appendice.

(11) Odofredus et Richardinus Honesti filii. *Ex tabulis emancipationis supra memoratis.*

(12) Franciscus, Aldrovandinus, Bertolinus Caravitae III filii. *Ex testam. ipsius Caravitae in Memor. Comm. Bonon. ad annum MCCLXXXXIV die V Augusti.*

(13) Franciscus Alberti Odofredi filius ex Azzolina Galluccia.

(14) Nicolaus Alberti Odofredi filius ex Clara de Pacibus.

(15) Benedictus Alberti Odofredi filius. *Vide testam. ipsius Alberti.*

(16) Joannes filius Odofredi dn. Honesti. *Ex Memor. Comm. Bonon. ad annum MCCLXXXX.*

(17) Odofredus, Albertus Mon. Cisterc., Caravita IV, Richardini filii. *Ex variis contractibus in Memor. Comm. Bonon. ad annum MCCCVI.*

(18) Petrus, Paulus, Raynerius, Odofredus, Francisci filii ex Philippa de Samaritanis uxore. *Vide Memor. Comm. Bonon. ad annum MCCCII.*

(19) Joannes, Albertus, Hugolinus, Odofredus, Benedicti filii. *Ex Memor. Comm. Bonon. ad annum MCCCXXIV.*

meliori frumento, quod ex suis agris colligeretur, reliquit, quantum satis esset ad oblatas conficiendas pro omnibus sacrificiis, quae in civitate et dioecesi bononiensi celebrarent. Sed iisdem etiam Praedicatoribus et Minoribus, Eremitanis quoque, Carmelitis et s. Mariae Servis, quos vocant, vini optimi mensuram satis uberem reliquit, quo item in sacris uterentur. Paulo nepoti suo, Francisci filio, suos libros legavit, atque in his lecturas Odofredi patris sui in Codicem, Digestum vetus et Infortiatum; qui ejus essent futuri, si quidem ad legum studia is conferre se vellet sin minus, mandavit eos libros perpetuo apud suos haeredes servari, quin cuiquam eos distrahere liceret. Sed Paulus avi spem minime fefellit; ejus enim vestigiis insistens jurisprudentiam coluit et legum doctor creatus in academia nostra insequenti saeculo floruit. Verum haec melius et alia multa de Alberti legatis deque tota ejus agnatione, ex ipsius testamenti tabulis, quas in Appendice damus, cognosci poterunt.

XIII. De Alberti scriptis haec habet Diplovataccius: *Plura,* inquit, *scripsit in legibus, quorum rara exemplaria.* Aliqua fortasse addidit patris sui commentariis, ut Franciscus Accursius fecit. Nisi id velit Diplovataccius, quid omnino sibi velit haud plane intelligo. Item plures quaestiones ab Alberto disputatas tradit, quas esse ait in libro magno *Quaestionum.* Atque harum Alberti *Quaestionum* meminit Albericus de Rosate multis locis, praesertim autem in secunda parte Statutorum, qu. CLIV et CLXIII, et Joannes Andreae in additionibus ad *Speculum juris,* tit. *De tutor.* § *Nunc dicendum,* circa finem, et tit. *De cess. acti.* § *Consequenter.* Saepius autem memorat Diplovataccius librum magnum *Quaestionum,* quo continebantur nimirum quaestiones in scholis disputatae a doctoribus, qui circa finem XIII saeculi et initio XIV floruerunt.

XIV. Addit Diplovataccius Albertum mire derisum fuisse in censura, quam scripsit in Albertum Gandinum, ut narrat ipse Gandinus in tractatu *De maleficiis,* rubr. *De multis quaest. in quaest. II. v. item pone quaestionem.* Sed tamen vir fuit summae existimationis, quem non solum nostri sed exteri etiam in gravissimis causis consuluerunt. Floruit cum Francisco Accursio, Lambertino Rampone, Pace de Pacibus, Dino Mugellano et etiam cum Odofredo patre suo, qui concertationem narrat ab eo habitam cum Francisco Accursio (1). Narrat Jo. Baptista Caccialupus, se in tabulario senensi consilium a Dino et Alberto scriptum vidisse (2). Et in difficili quaestione apud praetorem pistoriensem agitata, narrat Albericus de Rosate consultos a praetore ipso Albertum Odofredum cum Lambertino Rampone, Pace Pacio et Dino Mugellano (3).

LIX.

FRANCISCUS ACCURSIUS.

I. Relictum sibi ab Accursio famae ac doctrinae patrimonim mirifice auxit Franciscus ejus filius, natu major, qui paternis quoque opibus et rei familiari, quam a patre acceperat, magnas accessiones fecit. Natus est Franciscus, quantum conjectura assequi

(1) Scio tamen quia dominus Franciscus opposuit Alberto filio meo ita: ista opinio non immutat jus. ODOFRED. in l. ult., C. *De sententiam passis.*

(2) CACCIALUP. *De modo studendi, sive Histor. Juris Interpretum.*

(3) ALBERIC. in IV parte *Statut. qu. CLXXV.*

[TIRABOSCHI. *Op. cit.,* lib. II, cap. IV, § XXII. — FANTUZZI. *Op. cit.* art. *Odofredi Alberto.* — SAVIGNY. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXXIV]. (C. A.)

possumus, circa annum MCCXXV [1]. Illum pater, quibusdam ei traditis quae in legitimam imputari voluit, congrua aetate emancipavit [2]. Cum autem mature illum in legum disciplina erudire coepisset, quemadmodum et Cervottum postea et Guilielmum filios item suos natu minores, ita in ea facultate Franciscus excelluit ut non solum fratribus suis palmam praeripuerit in profitendis legibus, sed doctores reliquos, qui saeculo illo post Accursium in scholis nostris floruerunt, longo intervallo superasse visus sit. Sic autem ejus nomen illa aetate celebratum est ut qui postea fuerunt homines minus scrupulosi antiquitatis investigatores, ob diu superstitem Francisci Accursii famam, Accursium ipsum glossatorem Franciscum appellatum putaverint.

II. Cum Odofredo, qui annos aliquot Accursio superstes fuit, magnas et graves concertationes habuit Franciscus pro tuendis patris sui glossis, quas Odofredus non bono animo ferebat in scholis recipi et prae suis aliorumque interpretum celebrari [3]. Quamquam non solum cum Odofredo, ejusque filio Alberto, sed cum aliis quoque professoribus [4] et postremo etiam cum Dino Mugellano dimicare eam ob rem debuit [5], in quibus quidem literariis pugnis ita se gessit ut ille non minorem laudem paternis glossis propugnandis, quam Accursius ipse iis scribendis aliquorum judicio consecutus sit [6].

III. Hoc autem sibi proposuisse videbatur Franciscus ut regnaret in scholis, potius quam libris editis nomen suum ad posteros transmitteret. Itaque totus scholae addictus et adstruendis patris sui glossis intentus, vix ullam scribendi curam suscepit. Sed scripsit tamen aliqua quae diligentissime recensuit Diplovataccius, Pancirolo et aliis propemodum ignota. Aliquas etiam adjecit glossas legum libris, quos interpretabatur; quarum specimen nuper vidimus in antiquo exemplari Codicis justinianei, quem in Appendice describimus [7]. Ita nimirum censebatur Accursius peramplis glossarum apparatibus legum libros instruxisse, ut tamen aliqui posteriorum temporum doctores nefas non duxerint aliquid ejus glossis adjicere.

IV. Docere coepit Franciscus vivente Accursio. Sed quamquam ante annum MCCLVI nullibi ejus mentio occurrat [8], tamen ante illud tempus videtur doctoris honores consecutus [9], et partim sua virtute partim commendatione patris ad famam non vulgarem pervenisse. Verum post Accursii patris obitum majori cum dignitate vixit, nec multo post, obeunte Odofredo, quem unum competitorem habere poterat, primatum quemdam inter ceteros professores academiae nostrae obtinuisse videtur. Nec dubito quin et sibi et scholae accursianae, seu potius academiae universae majorem gloriae proventum fuisset allaturus, nisi ab ea admodum intempestive discessit. Docuit igitur Franciscus Bononiae ad annum usque MCCLXXIII, quo anno ab Eduardo Anglorum rege scholis nostris ereptus est. Ego autem existimo virum prudentissimum ab academia discessisse, non tam ob meliorem conditionem quam quae erat scholarum nostrarum a rege Anglorum

(1) Vide quae infra dicentur de anno, quo ex hac vita discessit.

(2) Tunc adverte, si quidem tempore factae donationis, et perfectae valuit in vita, tunc non computatur in quartam, nisi sit dictum, ut si datur filio emancipationis causa.... et ita fecit dn. Accursius, quando Franciscum emancipavit. BART., l. *In quartam,* Dig. *Ad leg. falcidiam.*

(3) DOMINIC. BANDIN. *De quo in Appendice.*

(4) Iste Franciscus, ut ipse scripsit in suis commentariis, fuit contra jurisconsultos bononienses, avidissimos disperdere famam Accursii sui patris, acerrimus, verus et pius defensor. DIPLOVAT. in *Franc. Accursio.*

(5) *Vide infra in* DINO.

(6) DOMINIC. BANDIN., *loc. cit.*

(7) *Vide Appendicem.*

(8) Interfuit Franciscus Accursius in Consilio populi bononiensis, cum ageretur de servis libertate donandis anno MCCLVI. *Ex actis publ. ejus anni.*

(9) Erat Franciscus tunc annos natus, ut minimum, XXX.

oblatam, sed quod animo praesentiret calamitates civitati nostrae impendentes ob intestinas discordias et prima belli civilis semina, quae jamdiu compressa eo tandem anno palam apparere coeperant. Itaque cum vivente Accursio et post etiam felicissimis academiae nostrae temporibus diu floruisset, magna rerum conversione imminente, maluisse videtur patria carere quam ejus cladem aspicere et de pristinae dignitatis gradu periclitari, praesertim cum probe intelligeret se cum omni familia sua ita esse Lambertacciis obstrictum, ut si ad arma ventum esset, quod facile futurum providebat, vix fieri posset quin pro illa parte propugnare cogeretur. Satius igitur sibi esse duxit a scholis abesse quam se bellis civilibus immiscere.

V. Sed magna est dissensio scriptorum in narranda hac profectione anglicana Francisci Accursii. Alidosius ne in rege quidem designando, a quo in Angliam accitus est, verum vidit. Ait a Richardo rege deductum, a quo magnis muneribus auctus, locupletissimus in Italiam rediens, villam sumptuosam sibi aedificaverit quam ex benefici regis nomine Richardinam dixerit. Sed, qui in Angliam adduxit Franciscum Accursium, Eduardus fuit (1) et Richardinae villa illud nomen tulerat vivente Accursio Francisci patre, qui eam cum ingenti adjacenti agro comparaverat. Sunt etiam qui dicant a rege Anglorum Bononia evocatum ut jus civile in Gallia profiteretur, quod perinde falsum est (2). Abduxit enim Franciscum Accursium a bononiensibus scholis Eduardus, non ut jus civile uspiam doceret sed ut consilio et opera sibi adesset in administrando regno, quod nuper acceperat.

VI. Sed id tamen, quod aliqui dicunt, Franciscum aliquando in Galliis docuisse prorsus falsum non est. Cum in regio comitatu Tolosa transiret in Aquitaniam properans, quae Angliae regum tunc juris erat, scholares academiae tolosanae tantum virum et sua et patris fama notissimum de jure disserentem audire optarunt. Itaque rogatus ad scholas accessit, et legem C. *De sententiis, quae pro eo quod interest profer.* exposuit. Cui dicenti Jacobus Ravanus, qui aetate illa acutissimus juris civilis interpres habebatur quique ementito scholaris habitu in turba latuerat, cum bona Francisci venia, multa objecit, a quibus aegre se defendisse dicitur (3). Alio umquam tempore aut diutius Franciscum Accursium Tolosae docuisse non constat. Ac sane manifestum est ex tota itineris ejus ratione, quam subinde exponemus, potuisse quidem Franciscum Tolosa transitum facere, diu autem in ea civitate persistere non potuisse.

VII. Itaque in Italiam venit Eduardus I, Anglorum rex nuper creatus, anno MCCLXXIII cum ex bello sacro rediret. Extremis Maji diebus per Flaminiam transiit, quo tempore Bononienses Forum Livii obsidebant. Quorum castra ingressus, cum frustra de pace cum Foroliviensibus concilianda egisset, Bononiam venit ubi honorificentissime exceptus est et amicissimi animi erga civitatem nostram indicia dedit (4). Tunc autem cum Francisco Accursio egit, ut eum secum in Angliam deduceret et ejus consilio et opera uteretur in administrandis novi regni negotiis. Cumque ea de re convenisset, Franciscus breve aliquod temporis spatium impetravit ut rebus suis domesticis consuleret, Rex autem iter suum prosecuturus ex civitate nostra discessit. Interim Franciscus

(1) Rex Anglorum eo nomine IV, sed ex Andegavensium Comitum stirpe, sive Plantagenetarum, Eduardus I.

(2) Pancirol., lib. II, cap. XXIX.

(3) Glossa per praedictam rationem non potest sustineri; nec potuit eam defendere Franciscus Accursius dum legeret hanc legem ultra montes dum fuit cum rege Angliae et Jacobus praedictus (de Ravanis) in forma discipuli poneret sibi; nimirum non erat in mundo adversarius subtilior. Cinus *ad legem cit.*

(4) Ghirardacci, lib. VII.

ad iter se comparat et testamentum etiam scribit [1], ut fere mos erat illorum qui longa et periculosa itinera suscipiebant [2]. Atque haec Julio mense gesta sunt, quae cum agi clam non potuerint, nec fortasse etiam Franciscus, quidquam a civibus suis veritus, clam agi studuisset, ubi vulgatum est eum parare discessum, poena publicationis bonorum edixisse dicuntur magistratus civitatis ne discederet, quod ea res magnum scholis nostris detrimentum allatura videretur. Hanc magistratuum solertiam ut eluderet, simulata venditione transdidisse eum ajunt familiari suo omnia quae habebat ac discessisse. Sed bonis nihilominus fisco addictis redire coactum esse, ac praesentem tandem, ut ea sibi restituerentur, impetrasse. Haec narrat ex Alberico Pancirolus [3]; quae nullam profecto veri speciem habent. Potuit Franciscus liberrime conditiones accipere oblatas a Rege civitatis nostrae amicissimo [4]; neque necesse fuit ut clanculum se ad anglicanum iter pararet. Neque etiam magnopere verendum erat ne auctoritate publica ejus impediretur discessus; praesertim quod is in Angliam iturus erat non ut jurisprudentiam doceret, quod merito Bononiensibus nostris displicuisset, sed ut esset in Regis consilio et familia. Accedit quod quamquam Jeremiensium et Lambertacciorum factiones nondum in apertum bellum erupissent, non exiguae tamen scintillae ejus incendii, quod postea exarsit, jam apparuerant. Itaque tota saltem Jeremiensium factio Franciscum Accursium, qui erat ex primis et praecipuis Lambertacciorum, adeo non retinuisset invitum in civitate ut potius discessum cogitanti stimulos additura videretur. Sed non potuit tamen tam brevi tempore res suas et familiae suae componere, ut statim cum Rege ipso discederet. Ac verisimile est etiam voluisse illum usitatum lectionum cursum ad autumnum usque perducere, ne fidem scholaribus datam falleret. Quibus rebus diligenter perfectus et testamento etiam condito, itineri se dedit ut ad Eduardum pergeret.

VIII. Fuerat Eduardus Bononiae mense Majo exeunte, ut dictum est; indeque digressus magnis itineribus in Galliam venit; ibique adeundis urbibus et Aquitaniae rebus componendis annuum fere spatium tribuit. V idus Augusti Melodunum pervenerat [5]. VIII idus Octobris erat in villa Sorduae et pridie kalendas Decembris apud Hospitale Boni Loci Ordinis Roscidae Vallis, vulgo Roncisvalle [6]. Sed quo loco Eduardum assecutus sit Franciscus Accursius, incertum est. Quivis tamen illum facile judicabit, rebus suis in patria, quoad fieri poterat, recte constitutis, non haesisse diu nec quidquam magis curasse quam ut Regem celerrime sequeretur. Itaque cum Tolosa transiret, potuit quidem, ut ante dictum est, specimen aliquod doctrinae suae in scholis illis vel rogatus a scholaribus, vel, si placet etiam, sponte exhibere; sed diu in ea civitate interpretandis legibus vacare non potuit. Anno autem MCCLXXIV, mense Majo, Franciscus Lemo-

(1) « An. MCCLXXIII die IV exeunte Jul. dn. Franciscus legum doctor sanus mente et corpore suum fecit testamentum scriptum manu Michaelis Petri Gratiadei notar. presentibus etc. ». *Ex Mem. Com. Bon.*

Per idem tempus plures venditionum contractus iniit et procuratorem rerum suarum constituit; ut ex iisdem *Mem. Com. Bon.*

(2) Plurima occurrunt antiqui ejus moris exempla, praesertim illorum, qui ad bellum sacrum in Asiam proficiscebantur.

(3) Dicit etiam Franc. Accurs. quod cum vellet de Bononia recedere et ire alio ad legendum, cum sibi praeceptum foret quod non recederet sub poema publicationis bonorum, vendidit ea cuidam amico suo sed nihilominus publicata fuerunt; sed quia rediit restituta fuerunt. ALBERICUS in l. *Hi qui imposita*, C. *De rescindenda vendit.*

Sed haec vel ad tempus anglicana profectionis non pertinent, vel Francisco attributa, quae Guilielmo ejus fratri alia ex causa acciderunt. *Vide infra in* GUIL. ACCURSIO.

(4) GHIRARDACCI, *loc. cit.*

(5) « Eduardus rex gratias agit Waltero etc. Datum apud Mellune super Sekene IX die Augusti regni nostri primo » idest, an. MCCLXXIII. RYMER. *Acta publica*, t. I, p. II, pag. 133.

(6) *Ex actis apud* RYMER, *loc. cit.*, pag. 136.

vicis erat cum Eduardo rege; ut manifestum est ex quibusdam actis judicialibus coram Eduardo habitis, quibus Franciscus interfuit (1). Nec multo post in Angliam transmisit et Londinum cum rege pervenit (2). Ex eo tempore Franciscus Accursius ab Eduardi famulatu non discessit, magnis honoribus et divitiis auctus a beneficentissimo Rege (3), qui eum sibi inter familiares suos et ab epistolis et ab arcanis consiliis adlegit (4).

IX. Sed rursus anno eodem MCCLXXIV illum rex cum Umberto Guidone ad conventum procerum regni Galliarum, quem Philippus Galliarum rex habiturus erat, procuratorem suum destinavit (5), et anno item sequenti cum magistro Guilielmo de Cormera, aliisque viris prudentibus (6). Fuerat superior annus bononiensi clade infaustus, de qua cum Franciscus audisset ac relegatum sese, licet absentem, cum filiis suis cognovisset, familiam suam in Angliam accersivit ubi et commode et citra omnem metum consistere posse videbat (7). Erat ejus uxor Aichina Guezzia (8), ex qua Castellanum filium susceperat, qui tunc adhuc puerili aetate fuisse videtur. Sed quoniam inter

(1) « In nomine domini amen. Pateat omnibus per hoc presens publicum instrumentum quod anno Domini MCCLXXIV indict. secunda, tempore dn. Gregorii Pape X mense Maji die Veneris in crastinum Ascensionis Domino Eduardo Dei gratia etc. ». Processus inter senescallum Gasconiae et Gastonem de Bearn. « Actum Lemovicis in quadam camera juxta aulam dn. Abbatis sancti Martialis Lemovic. ante meridiem.... presentibus dictis Abbatibus, magistris, Johanne Dominici potest. Odonis clericis, dn. Francisco filio dn. Accursii legum professore de Bononia etc. ». RYMER, *loc. cit.*, p. 138.

(2) *Ibid.*, pag. 141.

(3) « Franciscus Accursius legum doctor cui per regem Eduardum I cum tota familia evocato, ex mandato ad Vicecomitem Oxonii transmisso, aula regia in Bellomonte in parochia s. M. Magdalenae assignabatur eamque quoad libitum esset incolere permittebatur; quem licet Oxonii degentem non repererim, lectiones tamen ibidem habuisse non est cur dubitem ». WOOD. *Histor. et Antiq. Univers. Oxon. ad an. MCCLXXV*, t. I.

Aulas Oxonii togatorum hospitia cum adjunctis scholis appellabant, ut constat ex eodem WOOD, t. II, col. 338. Unde licet conjicere Franciscum Accursium, quamvis docendi onere in Anglia solutum ac regiis procurationibus implicitum, professoris tamen munus subinde usurpasse ad speciem, et academiae quoque oxoniensi aliquid suae doctrinae impertisse.

(4) Consiliarium, familiarem et secretarium suum appellat Eduardus Franciscum Accursii in literis ad Nicolaum III, de quibus mox dicam.

(5) « Eduardus Dei gratia rex Anglie, dominus Hibernie, et dux Aquitanie religioso viro, et dilecto sibi in Christo fratri Johanni de Turno thesaurario domus templi Parisiensis salutem.

Cum pro negotiis nostris, in curia serenissimi principis domini et consanguinei nostri karissimi Philippi regis Francie illustris in instanti parliamento suo exequendis, dilectos filios et fideles nostros Vmbertum Guidonem et Franciscum Accursii de Bononia ad idem parliamentum mittamus, Vos rogamus quatinus eisdem, vel eorum alteri trescentas, vel ducentas libras Turon. ex mutuo habere faciatis ad salarium advocatorum, quos eligent ad opus nostrum inde aquietandum, et nos eas vobis, quando volueritis, habere faciemus. Dat. apud Odyhm. secundo die Sept. anno regni nostri secundo ». RYMER, *loc. cit.*, p. 142.

(6) « Serenissimo principi domino et consanguineo suo karissimo dn. Philippo Dei gratia regi Francie illustrissimo Eduardus eadem gratia rex Anglie etc.

Dominanti clementie vestre et quorum interest, vel interesse potest universis et singulis significamus, et significari volumus per presentes, quod constituimus, facimus et ordinamus certos et legitimos procuratores nostros discretos viros et familiares nostros dilectos magistros Willelmum de Cormera utriusque juris, Franciscum Accursii de Bononia juris civilis professores.... in omnibus negotiis motis et movendis contra nos ad parliamenta et assisas vestras etc. Dat. apud Westm. VIII die Junii anno MCCLXXV regni nostri tertio ». RYMER, *loc. cit.*, pag. 147.

(7) Ingentem pecuniam Franciscus, exeunte anno MCCLXXIV et initio anni MCCLXXV Bononiam ad uxorem suam misit, ad anglicani itineris impensas, ut observat clarissimus Montius. De his haec sunt in *Mem. Com. Bonon.*

« Anno MCCLXXIV die III exeunt. Nov. dna Aichina filia qu. dn. Nevi Raynerii et uxor dn. Francisci Accursii doctor legum recipit CVIII marchas sterlingorum et pro earum valore DCCCCXVIII lib. bonon. ad rationem lib. VIII fol. X pro qualibet marcha quas dn. Jacobus Agolante habuit a dn. Francisco pro ipsa dna Aichina etc. ».

« Anno MCCLXXV die XII April. dna Aichina fil. qu. dn. Nevi Raynerii uxor dn. Francisci Accursii confessa fuit habuisse a dn. Forixio de Pistorio marchas quinquaginta sterlingorum quas dn. Jacobus Agolante recepit a dn. Francisco apud Londram vel apud Parixius ad rationem octo libr. fol. decem bonon. pro qualibet marcha ». *Item.* Vide etiam ANT. WOOD in *Histor. Universitat. Oxon. ad annum MCCLXXV.*

(8) Montanarius et Guezzus filii qu. dn. Nevi Raynerii fratres dn. Aichinae uxoris dn. Francisci etc. *Ex Mem. an. MCCLXXIV.*

Turris posita in civitate Bonon. in contrata quae dicitur Portanova juxta dna Thomaxinam uxorem qu. dn. Nevi Raynerii de Guezzis etc. *Ibid.*

Lambertaccios expulsos memorantur Franciscus Accursius et ejus filii (1), oportet alios ei filios praeter Castellanum fuisse, ut verisimile est, antequam uxorem Aichinam duceret susceptos.

X. Triennio post Eduardus, vacante archiepiscopatu cantuariensi ob electionem Roberti Hilvardey archiepiscopi in episcopum portuensem, cum prior et conventus monachorum ejus Ecclesiae postulassent Robertum bathoniensem et vellensem episcopum cancellarium suum, nobilem legationem, cujus princeps erat Franciscus, ad Nicolaum III misit rogans ut ejus episcopi translationem ad sedem cantuariensem indulgeret, quod se magni muneris loco habiturum profitebatur (2). Sunt aliae regis literae ad Orlandinum de Podio et socios, mercatores lucenses, quibus mandat ut impensas praestent Francisco Accursio et ceteris, quos cum eo Romam legaverat. In iis Franciscum appellat *clericum suum*, quo nomine in Anglia dictos censeo advocatos jurisque peritos quamquam non essent Ecclesiae servitio addicti; qualem certe non fuisse Franciscum Accursium, manifestum est.

XI. Cum autem Franciscus apud regem Eduardum annis octo fuisset, in Italiam reversus est ac Bononiam venit sub finem anni MCCLXXXI aut initio MCCLXXXII. Sed antequam ex Anglia discederet Rex eum magnis pecuniis donavit, quadringentis nimirum marchis sterlingorum, ut ob praeterita servitia remuneraretur et annuam insuper pensionem quadraginta marcharum in omnem ejus vitam constituit, ut eum sibi in posterum obstringeret. Quamobrem Franciscus suam fidem operamque Eduardo regi in perpetuum jurejurando obligavit, atque in se suscepit ut ejus negotia trans mare atque, ut opinor, Romae et in Italia curaret. Apparet id ex formula deditionis, qua se Franciscus Regi devovit, quae data est apud Lindhurst anno MCCLXXXI kalendis Octobris. Eam ex Rymer acceptam in Appendice proferimus. Anno autem MCCLXXXII Franciscum Bononiae fuisse constat ex albo doctorum, qui supra numerum adscribi consueverant in Consilium civitatis, inter quos occurrit Franciscus Accursius (3).

XII. Alidosius eum dicit cum omni familia e civitate expulsum quod Ghibellinus esset, postea vero restitutum, ubi Bonifacio VIII se in fidem dedisset (4). Sed errat hic Alidosius multis modis. Cum Accursii essent ghibellinae factionis, hoc est, Lambertaccii, anno MCCLXXIV omnes ad unum exulare jussi aut proscripti sunt. Franciscus et Cervottus absentes tantum exulare jussi, qua poena etiam damnatus est Guilielmus. Sed Cursinus horum frater natu minimus et Francisci filii, qui Bononiae fuerant in Jeremiensium et Lambertacciorum conflictu, graviorem proscriptionis poenam subierunt, in *banno,* ut ajebant, populi bononiensis positi. Id constat ex proscriptorum et relegatorum tabulis (5), atque ita apparet in Francisco, Cervotto et Guilielmo factionem tantum damnatam, in reliquos gravius animadversum, quod in civili bello cum ceteris Lambertacciis versati majori premerentur invidia ac magis timerentur. Haec in prima Lambertacciorum expulsione. In altera rursum Franciscus inter exules computatus (6). Sed tamen anno MCCLXXXII ex Anglia redux in patriam sine discrimine receptus est,

(1) *Ex lib. Bannit. et Conf. scripto an. MCCLXXVII.* Initio proscripti; mitigata deinde poena, tantummodo exulare jussi.

(2) Regis literae sic habent: « Dat. apud Windefore decimo die Jul. anno regni nostri sexto ». RYMER, *loc. cit.*, pag. 173.

(3) « Eodem anno MCCLXXXII die XIX April. Franciscus, cum Bononiae esset, domum emit a Venetico Caccianemico in capella s. Martini de Caccianemicis, praesentibus Rolandino Romancio et Lambertino Rampone clarissimis legum professoribus ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(4) ALIDOSI. *Dottori bolognesi di legge etc.*, pag. 74.

(5) *Ex libris Bannit. et Confinat. in Archivo Com. Bonon.* Vidit clarissimus Montius.

(6) *Ex libris Bannit. et Confinat. an. MCCLXXXII scriptis.*

sive respectu regis Anglorum cui erat addictus, sive quod idoneam sponsionem dedisset se primo quoque tempore Lambertacciorum factionem ejuraturum. Id ab eo actum est apud Martinum IV Romanum Pontificem, quem post reditum in Italiam convenit, tunc enim, ejuratis Lambertacciis, Pontifici ipsi et Romanae Ecclesiae jurejurando se obstrinxit (1). Id rursum ab eo actum est anno MCCLXXXVI coram magistratibus et Consilio populi bononiensis (2). Sed honorificentissimo populi decreto jampridem cautum fuerat ne Franciscus ea lege teneretur qua ceteri Lambertaccii, qui etiamsi reconciliati et in patriam recepti, a publicis muneribus arcebantur et gravioribus premebantur indictionibus (3).

XIII. Cum ex Anglia rediisset Franciscus domum paternam numquam incoluisse videtur, licet nobilissimo civitatis loco positam et Accursii scholis et incolatu percelebrem. Illam Jeremienses, sive Guelphi, civitatis moderatores a Francisco emerunt (4), et ibi hoc tempore est publici palatii pars (5). Ipse autem habitavit deinceps ad S. Mamantem, ubi nunc est Picentum collegium a Sixto V erectum (6), quae est regio urbis amoenissima et quondam quasi scholarium et professorum propria. Anno MCCLXXXIV Castellano filio uxorem dedit Annam Lambertinam Lambertini filiam, viri nobilissimi, qui ante Brixianorum praeturam gesserat (7). Ac paucos post menses ipse quoque, cum Aichinam uxorem amisisset, alteram duxit, Remgardam Papazzonis Aldigherii ferrariensis filiam, quae annis multis Rigutio Galluccio, ex primariis urbis nostrae civibus, nupta fuerat.

XIV. Sed nimis immatura morte interiit Castellanus Francisci filius. Hic unicum reliquit filiolum infantem, Bartholomaeum nomine, quo tota Francisci spes nitebatur. Huic igitur Franciscus anno MCCLXXXXII adhuc in cunis vagienti, et vix bimo, uxorem destinavit Peregrinam Venetici Caccianemici viri nobilissimi filiam, paris aetatulae, cum qua constituta dos est et sponsalia rite contracta (8). Neque vero inusitatum erat ut cives nostri, praesertim nobiliores ditioresque, filiorum sponsalia ante legitimam aetatem celebrarent, quod saepissime factum video; sed de infantibus vix fortasse ex matrum uberibus abstractis nondum id audieram. Cum ita perennitati familiae suae, quoad fieri poterat, Franciscus providisset, insequenti anno in morbum incidit ex quo decessit. XIV kalendas Junii testamentum condidit, et pridie kalendas codicillos adjecit, quos III idus tabellioni tradidit, cum extremus jam dies instaret. Incertum quo die obierit; sed certe XIV kalendas Julii, diebus nimirum septem postquam codicillos tradiderat, vivendi finem fecisse constat anno MCCLXXXXIII (9).

(1) In libro quodam *Bannit. et Confinat.* haec leguntur ad nomen Francisci Accursii legum doctoris:

« MCCLXXXIV indict. XII decimo intr. Jun. Non molestetur non gravetur predictus dn. Franciscus dn. Accursii in aliquo ob hoc quod sit scriptus in isto presenti libro vel aliquo alio cum appareat ipsum jurasse partem Ecclesiae homagium et fidelitatem in romana curia in manu dn. pp. Martini IV ».

(2) *Ex lib. Reformat. ejus anni.* Indicavit clarissimus Montius.

(3) Die V Jul. MCCLXXXIV. *Ex Statutis Bonon. anni MCCLXXXVII.*

(4) *Vide tabulas anno MCCLXXXVII hac de re scriptas in Appendice.*

(5) Anno MCCLXXXIX die .... Populus Bonon. decrevit, ut frumentum publicum, cui non satis erant horrea Communis, conderentur « in domo que fuit Francisci Accursii et modo est partis Geremiensium ». *Ex lib. Reform. ejus anni.*

(6) *Ex monumentis a clarissimo Montio observatis.*

(7) Dn. Franciscus qu. dn. Accursii legum doct. fuit confessus habuisse a dn. Lambertino qu. dn. Guidonis Lambertini dante et solvente in dotem ac pro dote dne Anne sue filie, future sponse et uxoris Castellani filii dicti dn. Francisci, septingentas lib. bonon. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(8) *Ibid.*

(9) Anno MCCLXXXXIII die XVIII Jun. Accessit dominus Deuteclerius de Luglano affinis Bartholomei, Franciscce, cui dicitur Checca, et Aichine, cui dicitur China, pupillorum fratrum et filiorum qu. Castellani filii qu. dn. Francisci legum doctoris filii qu. bone memorie dn.

XV. Recitat Alidosius Francisci Accursii testamentum; sed non uno loco interpolatum. Illud frustra quaesivimus apud Fratres Minores, apud quos tumulatus jacet et quorum in tabulario extant ejus codicilli, quos in Appendice damus, et tabulae etiam plures quae ad eum ejusque posteros pertinent. Summa autem ejus testamenti haec est. Altari s. Jacobi apud Compostellam legavit pelviculam suam parvam argenteam, in qua erat imago s. Francisci cum disco item argenteo. Christi pauperibus mille libras bonon. arbitrio Juliani Cambii judicis distribuendas. Duabus neptibus, quas Castellani fratris sui legum doctoris filias fuisse putat Alidosius, multa legata dedit et in primis non levem pecuniae summam. Sed Castellanus Francisci filius fuit secus ac Alidosio visum est, nec legum professione claruit, numquam doctoris appellatione decoratus in antiquis tabulis, quas de illo bene multas vidimus. Legavit etiam Francisco nepoti suo ex Dotta filia, uxore Deuteclerii (Alidosius Diotaleum dicit) de Logliano, suos legum libros et Summam Azonis cum Libellis Rofredi, exceptis Codice et Digestis Accursii patris sui, vetans ne ad illum pervenirent antequam jus civile in scholis audire coepisset. Ex eo tempore legavit eidem libras bonon. XXXX in annos singulos per septennium, quamdiu scilicet legum studiis vacasset, septennio enim ea studia absolvi solebant. Quod si Franciscus ad doctoris honores pervenisset ei legavit suas vestes novas, quae doctorum erant propriae, et libras XXXX pro symposio ejus diei, quo in doctorum coetum cooptaretur. Ita scilicet optabat in sua cognatione legum professionem perennem esse, sed ejus vota in irritum cesserunt. Plura dein legavit Franciscus piis locis ac praesertim ecclesiae, quam Fratres Minores per illud tempus ad Richardinam construebant. Pecunias, quas ei debebat rex Anglorum Eduardus, penes ipsum regem et Antonium Ulmensem episcopum esse voluit, quoad Bartholomaeus Castellani filius ad annos XVIII pervenisset. Quod si hunc decedere contigisset sine liberis mandavit quidquid id erat pecuniarum ad Christi Domini sepulcrum Hierosolymis devolvi. Haec Alidosius de Francisci testamento, qui cum tot ejus legata descripserit, omisit tamen dicere quem instituerit haeredem. Sed instituit procul dubio Bartholomaeum nepotem infantem, de quo supra diximus (1). Ad superiora legata in testamento descripta multa in codicillis addidit ad pias causas. Dein aliqua legavit filiabus suis Eleonorae et Froae. Prior sponsalia contraxerat cum Francisco Lambertino Galeotti filio. Altera nupserat prius Guidoclerio Galluccio, mox autem Neapolioni Malavoltae; ex quo apparet quo loco jam esset Accursiorum familia, quae communia habebat connubia cum nobilissimis quibusque civibus. Nam et Dottam, quae major fuit Francisci filia, nuptam diximus Deuteclerio de Logliano et Castellanus Francisci filius uxorem habuit Annam Lambertinam, ut supra demonstravimus.

XVI. Francisci corpus in patris tumulo conditum est, prope ecclesiam Fratrum Minorum cum ea epigraphe quam in Accursio attulimus. Clarissimus Mazzucchellius multis disputat ut annum constituat quo Franciscus decessit. Sed cum certis destituatur monumentis nutabundus haeret (2); nec fidem habere audet Trithemio, qui claruisse Franciscum ait Alberto Imperatore ad annum MCCC, ac multo minus Casimiro Oudino,

Accursii legum doct. coram dn. Henrico de la Porta jud. et assess. dn. Lapi de Ughis potest. Bonon. et petiit dictis pupillis Jacobinum qu. dn. Joannis de Gallixano de capella s. Leonardi constitui in tutorem etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(1) « Anno MCCLXXXXIII die VI Sept. dn. Bertholdus.... accipit a dn. Cambio Gratiadei tutore Bartholomei nepotis et heredis qu. dn. Francisci Accursii etc. ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) Mazzucchelli. *Vite d' uomini illustri fiorentini scritte da Filippo Villani,* pag. 38.

qui tradit Franciscum Accursium jus civile in scholis nostris docuisse ad annum MCCCXXX, quae adeo absurda sunt ut ne commemoranda quidem esse videantur. Diplovataccius, Dominicum Bandini arretinum secutus, ait Franciscum Accursium obiisse anno MCCLXXXXVIII, aetatis LXVIII (1). Ac de anno quidem quo obiit audiendus non est; de aetate autem quid opponam non habeo. Tribuit eamdem aetatem Francisco Accursio Philippus Villanius; sed hic magis etiam errat, quam Diplovataccius et Dominicus Arretinus in anno quo obiit designando. Ait enim obiisse ad annum MCCCIX (2). Quod si revera anno aetatis LXVIII decessit, eum natum consequitur anno MCCXXV, ut initio indicavimus.

XVII. Superstitem reliquit Franciscus Bartholomaeum infantulum nepotem suum Castellani filium, qui antea, ut dictum est, obierat. Is anno MCCCIV ex tutela evasit annum jam ingressus quintumdecimum; ac biennio post petentibus scholaribus cum ceteris Accursii agnatis, beneficio populi bononiensis, obtinuit ut inter Jeremienses censeretur (3); quod privilegium ita pridem Francisco concessum fuerat ut in eo desineret, nec ad ejus agnatos ac posteros duceretur. In ipso adolescentiae flore uxorem duxit, non quam ei desponderat Franciscus sed Misinam Prendipartiam. Obiit anno MCCCXVIII ac filium reliquit superstitem, quem ex patris sui nomine Castellanum appellaverat (4). Sed ne huic quidem diuturnam vitam Superi dederunt. Cum enim anno MCCCXXIV in conjugem accepisset Jacobam de Cocca, annos natus non amplius quindecim, insequenti anno sine liberis decessit condito testamento in quo Misinam matrem sibi haeredem instituit. Sed ob priora testamenta Accursii, Francisci ac Bartholomaei, magnae contentiones exortae inter glossatoris agnatos et affines et aliquas etiam Religiosorum familias, quae jure substitutionis ad eam haereditatem adspirabant, ad quas definiendas arbitri delecti sunt Bibliobarisius Azzoguidus et Jacobus Butrigarius legum doctores (5); atque ex eorum sententia tam grande patrimonium, quod Accursius fundaverat, Franciscus mirifice auxerat, in plura veluti frusta discerptum evanuit.

XVIII. De Francisci moribus ambigua fama olim percrebuerat (6); sed id malevolorum livori tribuendum censeo a quibus acerbe vexatum constat (7). Sed aliqua tamen

(1) *Vide ejus excerpta in Appendice.*

(2) *Ibid.*

(3) *Ex lib. Reform. Com. Bonon. an. MCCCVI, de quibus vide Appendicem.*

(4) Hic anno MCCCXXIV procuratori canonicorum s. Antonii Viennensium domum paternam vendidit; ubi postea ab iis canonicis erectum est xenodochium, quod superfuit usque ad tempora Sixti V, qui ibidem nobile Picentum collegium erexit. De illa venditione ita in *Mem. Com. Bonon. ad diem VIII Maji ejus anni.*

« Dn. Castellanus adultus natus qu. dn. Bartholomei qu. dn. Castellani de Accurxiis de Bonon. capel. s. Mame .... petiit sibi dari in curatorem Joannem qu. Guizardini notar..... pro alienatione quam facere intendit et vult fr. Antonio preceptori domus s. Antonii de Damiata Cremon. dioces. ordinis s. Antonii Viennen. dioces. ementi et recipienti nomine et vice monasterii s. Antonii Viennen. dioces. pro pauperibus dicti monasterii et hospitalis .... de duabus domibus magnis balchionatis .... in summa mille lib. Bonon. ». Indicavit clarissimus Montius.

(5) « Anno MCCCXXV die XII Martii. Religiosa dna soror Francisca de Desideriis priorissa dominarum s. Agnetis et sorores etc. syndicum constituunt dn. Senzanome qu. dn. Rolandi Pipini notar. ad compromittendum nomine dicti conventus cum dominis Joanne qu. Guidoclerii de Gallucciis, dn. Joanne, dn. Castellutio, dn. Chicchino filiis qu. dn. Cursini de Accursiis, dna Francisca eorum sorore uxore, dn. Alexandri olim dn. Ugolini de s. Petro, dn. Accursio, dn. Andree fil. qu. dn. Joannis olim dn. Guilielmi de Accursiis, dna Betixia eorum sorore uxore, dn. Salvolini olim Nicolai de Beccadellis, dna Margharita uxore dn. Joannis de Zambraxiis, dna Bartholomea uxore, dn. Henrigipti de Suricis jurisperiti, dna sorore Joanna conventus dominatum de Santutiis et cum syndico Fratrum Predicatorum et cum dna Mixina qu. dn. Petri de Prendipartibus uxore et herede qu. dn. Castellani filii olim dn. Bartholomei de Accursiis in dominum Bliobarixium de Azzoguidus, et dominum Jacobum de Butrigariis legum doctores.... tamquam in arbitros .... super omnibus controversiis occasione hereditatis qu. dn. Accursii, et qu. dn. Francisci de Accursiis, et dn. Bartholomei de Accursiis, et dn. Castellani fil. ipsius dn. Bartholomei etc. ». *Ex Mem. Com. Bonon.* Indicavit idem vir clarissimus.

(6) DANTES ALIGHER. *Infern.*, c. XV.

(7) *Ita sentit etiam* DIPLOVAT. in *Fr. Accursio.*

noxa non caruit, scilicet iniqui foenoris, quod erat commune ejus aetatis vitium. Sed ab eo crimine absolutus est a Nicolao IV Pontifice anno MCCLXXXXII, cum praesens pro se et patre suo multo ante defuncto, veniam postulasset. Habemus ea de re Nicolai IV literas, ex quibus intelligimus cujusmodi foenore aliqui professores quaestum a suis scholaribus captarent. Eas ex codice diplomatico gymnasii bononiensis in Appendice damus.

XIX. Francisci doctrinam et res gestas magnis laudibus extollit prae ceteris Petrus Boaterius notariae doctor, qui aliquam aetatis partem cum eo vixit (1), Philippus Villanius (2), Dominicus Bandini (3), Trithemius, ac ceteri, qui de claris jurisconsultis scripserunt. Sed tamen Pancirolus de Francisco et aliis Accursii filiis pauca admodum et fere ambigua et incerta habet. Accursium alterum, qui in academia regiensi jus civile professus est, ad annum MCCLXXIII inducit; ejusque filium fuisse autumat Franciscum legum professorem, quem ait cum Bartholo vixisse et Bononiae cum ipso Bartholo docuisse; quo tempore cum de genuina cujusdam legis lectione disceptaretur, missos ab utroque Pisas, qui vetustum Pandectarum exemplar inspicerent. Is quoque in Bartholi Commentariis, quae in vulgus sunt edita, Franciscus Accursius appellatur (4). Quisquis vero ille est ad Accursios nostros non pertinet; qua ex familia post magni Accursii filios qui jurisprudentiam profiteretur nemo fuit.

FRANCISCI ACCURSII SCRIPTA.

Diplovataccius in hunc modum Francisci scripta recensuit: *Scripsit,* inquit, *super ordinariis, quorum copia rara est*, idest, super iis libris qui ordinarie legebantur in scholis.

Et inter cetera nonnullas glossellas, seu additiones paternis glossis addidit. Earum vestigium aliquod nuper vidi in codice manuscriptum bibliothecae s. Crucis in Jerusalem, quem in Appendice descriptum exhibeo.

Extant etiam ejus pulchra consilia. Unum ex Francisci consiliis memorat eruditus vir Dominicus Maria Mannius, quod dedit cum Dino Mugellano in controversia, quae erat inter Commune Senensium et Fratres Gaudentes (5). Aliud Francisci Accursii consilium de facultatibus Inquisitorum, post novas constitutiones Innocentii IV et Clementis IV indicavit mihi clarissimus Garampius (6). Hoc protulit Franciscus cum Jacobo decretorum doctore, quem Jacobum Alberti Bonacosae canonicum bononiensem fuisse censeo.

Scripsit etiam in Digestum novum, qui liber extra ordinem in academia nostra legebatur. Hujus autem libri leges Franciscus exposuit propositis casibus, qua de re ita Diplovataccius: *Scripsit super Dig. novo per viam figurationis casus pulchra commentaria.* Incipiunt: *Casus incipit. Ulpianus jurisconsultus* etc.

Haec de Francisci Accursii scriptis Diplovataccius. Sed alia ei scripta tribuuntur, quae recenset clarissimus Mazzucchellius. In his sunt aliqua quae ad illum nullo modo pertinere possunt. Ejusmodi sunt *Casus longi super V libros decretalium et Casus summarii Sexti decretalium, non semel typis editi* (7). Rursum *Casus breves super Sextum decretalium et Clementinas.* Atque hi etiam typis editi dicuntur. Sed horum auctor esse non potuit Franciscus Accursii filius, qui canonum professor non fuit, nec aliter umquam audiit quam doctor legum. Sed illud est decretorium, quod cum liber sextus Decretalium prodiit, ne quid dicam de

(1) Francisci scientia inter alios lucet velut sol, splendet velut luna et gemma, cujus mores radiant velut sydera, cujus doctrina crescit sicut pluvia, cujus eloquium fluit ut ros, quasi imber super herbam et quasi stillae super gramina et cujus fama et gesta magnifica divulgantur a cardine ortus solis usque ad limites orbis terrae. Petrus Boater. in *Prooem. commentar. ad Artem Notar.*

(2) *Vide Appendicem.*

(3) *Ibid.*

(4) Bartolus, l. 3 *De lege,* C. *Ea condict. ob caus.*

(5) Dom. M. Manni. *Dei sigilli etc.*, t. XVII, p. 38.

(6) *Ex Cod. 227 mss. bibliot. ss. Jo. et Pauli Venet.*

(7) Editi sunt Basileae MCCCCLXXIX et Argentinae MCCCCLXXXIV, ex Mazzucch., t. I, v. *Accorso.*

Clementinis, Franciscus jam obierat. Neque hanc difficultatem dissimulavit clarissimus Mazzucchellius.

Duae etiam Orationes Francisco Accursio tribuuntur, quas qui videre poterunt de earum auctore rectius fortasse judicabunt. Non videtur ex eorum temporum usu fuisse orationes scribere, nec Franciscum novimus in humaniorum literarum studiis magnopere versatum. Sed tamen editae dicuntur Venetiis anno MCCCCLXXXXIX.

Glossas quoque Francisci Accursii *in Joannem antiquum glossatorem et in Justiniani Institutiones*, typis editas memorat clarissimus Mazzucchellius. Ac de glossis in Institutiones Justiniani non dubito, quas memorat etiam Lipenius Lugduni editas anno MDCVII in 8.° (1)

LX.

CERVOTTUS ACCURSIUS.

I. Ex Aichina secunda Accursii uxore (2) natus est Cervottus sub finem anni MCCXXXX, vel initio anni MCCXXXXI (3). Eum pater ad jurisprudentiam erudiit et cum annis jam gravis illum optaret doctoris insignibus ornatum videre antequam ex hac vita migraret, vix annos natum XVII doctorem creari curavit (4). Sed ea res invidiosa multis visa est et acriter disputatum num id jure factum fuerit; atque ea quaestio saepius post illud tempus refricata, in qua se exercuerunt Baldus (5) aliique doctores illustres. Cervottus autem, vel quod minus ingenio praestaret vel quod praeproperis honoribus elatus, citius quam oportebat studiorum laborem remisisset, adeo parentis vota non implevit, a quo ad parem famam cum Francisco filio jam illustri professore educabatur, ut vix inter mediocres aetatis suae doctores computari meruerit.

II. Anno MCCLXV praeturam Ripae Transonae in Picentibus gessit (6) quod illi male vertit, a Ripanis enim exauctoratus est magno rerum suarum detrimento. Ob eam rem populus bononiensis vindicias eidem concessit (7), ut ferebant eorum temporum mores, in Ripanos aliosque Ripanorum foederatos, si eos contigisset per fines Bononiensium transitum facere. Neque ante annum MCCLXX desiere contentiones, quae Cervotto cum Ripanis aliisque Picentibus ob eam rem fuerant (8). Eidem, quamquam

(1) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XXI. — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Accursio Francesco.* — Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXXIII e XXXXIV. (c. a.)

(2) Dn. Cervottus legum doctor qu. dn. Accursii vendidit dn. Francisco legum doctori suo fratri quartam partem tombe in Ulmetula et peciarum terre quarum habebat usumfructum dna Aichina ipsius mater a dicto suo patre etc. *Ex Mem. Com. Bonon. an. MCCLXIX.*

(3) « An. MCCLXV die V exeunt. Aug. dn. Cervottus legum doctor cum auctoritate sui curatoris vendit quartam partem domuum quas habebat ad Richardinam pro indiviso cum fratribus suis, quae fuerant patris eorum ». *Ex Mem. Com. Bonon.* Nondum igitur Cervottus erat major XXV annis.

(4) An. MCCLIX jam erat legum doctor, ut constat ex matricula societatis Thuscorum ejus anni, cui erat adscriptus Cervottus cum patre, et Francisco fratre. *Extat in archivo Com. Bonon.*

(5) Baldus in l. *Legitimae,* Dig. *De legit. tut.* post Rayn. et Cin. apud Diplovat. in *Francisco Accursio.*

(6) An. MCCLXV die X Octob. Petrus de Oneta promittit ire et stare cum dn. Cervotto qu. dn. Accursii legum doctor pro suo judice in Terra Ripe Transonis hinc ad festum Omnium Sanctorum etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(7) Represalias vulgo dicebant.

(8) Anno MCCLXIX die .... dn. Cervottus legum doctor concedit Venture Spanii de Fabriano presenti et Communi et Potestati dicti castri ut possint secure venire Bononiam non obstantibus quibuslibet bannis communis Bonon., in quibus positum esse dicitur commune Fabriani et alii de Marchia, promittens dictam fidantiam firmam habere sub pena CC marcarum argenti et voluit jura sua quantum ad agendum hinc ad festum s. Venantii de mense Madii esse cassa et irrita etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

Et rursum anno MCCLXX die XV intr. Decemb. dn. Cervottus legum doctor fecit remissionem Simoni qu. Thebaldi procur. et syndico Communis Ripe Transonis nomine dicti Communis et omnium civitatum locor.

non magnopere doctrina sua clarus haberetur in scholis nostris, domestica fama suffragata est ad jurisprudentiae cathedram in academia patavina obtinendam. Ad eam conductus est anno MCCLXXIII, splendido D librarum stipendio ad annum constituto [1]. Anno autem expleto in scholis patavinis, frustra optasset Cervottus in patriam reverti, per idem enim tempus exortis Jeremiensium et Lambertacciorum factionibus Accursii omnes, tamquam Lambertacciis faventes, exilio damnati sunt.

III. Et in prima quidem expulsione Lambertacciorum mitiori tantum relegationis poena, utpote absens, damnatus est [2]. At diffracta pace, quae Nicolai III Pontificis studio coaluerat, ejectis iterum Lambertacciis, Cervottus, quod cum illis conspirasse argueretur qui bellum patriae intulerant, capitalis noxae damnatus est publicatis bonis [3]; et domus ejus ut perduellis et hostis publici a fundamentis erasae [4]. Fallitur igitur Alidosius, qui Cervottum narrat anno MCCLXXXIII restitutum in patriam cum Guilielmo fratre. Legerat nimirum in actis publicis ejus anni Guilielmum cum omni familia sua populi beneficio in patriam revocatum. Itaque Cervottum quoque, quasi esset ex Guilielmi familia, eo populi bononiensis beneficio usum putavit. Sed Cervotti memoria in monumentis bononiensibus a tempore novissimae proscriptionis nuspiam occurrit, ex quo conjicere licet extorrem obiisse. Et sane qui semel in perduellium numero essent habiti et proscripti, ut de Cervotto diximus, numquam iis reditus in patriam permitti solebat.

IV. Quod Franciscus felici successu susceperat ut aliquid adderet Accursii patris sui glossis, id pariter tentasse dicitur Cervottus. Itaque hic etiam cum libros legum in scholis interpretaretur novas aliquas adnotatiunculas addidit; quae haud magno in pretio fuerunt apud viros doctos et ingenium auctoris exile et ineruditum prodiderunt. Hinc cervottinae aut cervinae glossae, ita enim joci causa dicebantur, nihil bonae frugis continere visae sunt [5]. Recensentur quaedam ad l. I, C. *De edendo* [6], et alibi. Consilia quoque, seu juris responsa reliquit, quae illum cum causas in foro defenderet scripsisse judico [7]. Unum ex ejus consiliis, quod anno MCCLXIX protulit cum Basacomatre legum professore, vidimus nuper in archivo monachorum s. Stephani, nunc Senatus

et terrar. et singularum personarum totius Marchie Anconitane de omni eo quod ei debere possent occasione DC lib. quas dicebat ab eis debere recipere occasione sui salarii potestarie dicte terre etc. et de omni injuria etc. *Ibid.*

(1) An. MCCLXXIII die III ex. Sept. Ugo Denarius, Liazarius fil. dn. Amadini judices et Ambaxiatores terre Padue facultatem habentes sibi concessam a Potestate Antianis et Consilio Communis Padue eligendi unum doctorem in legibus et electum vocandi ad studium paduanum in legibus per annum int. recturum ibidem juxta tenorem literarum Potest. Antianorum et Consilii et Comm. Civit. ejusdem sigillo dicti Comm. munit etc. idcirco Ambaxiatores predicti elegerunt dn. Cervottum Professorum juris civilis pro anno futuro ad legendum unum librum ordinarium in Paduano studio salarium D lib. Paduanorum parvorum pro sua lectura et labore constituentes eidem etc. *Ex Mem. Nicolai Benvignonis.*

(2) *Ex lib. Confinat. et Bannit.*

(3) Quod supra in Accursio dictum est de Cervotti haeredibus agros ad Richardinam possidentibus, de illis intelligendum, qui praedia quae Cervotti fuerant, quocumque tandem jure, occupaverant.

(4) In libro ad annum MCCLXXXVIII scripto, quo notantur bona Lambertacciorum fisco addicta, haec leguntur « Dn. Cervottus dn. Accursii habuit unum casamentum super quo consuevit esse una domus (quae scilicet amplius non erat) juxta curiam civitatis et juxta viam. Facta est platea Communis ». *Ex Lib. Meliorament. bon. Bannit. an. MCCLXXXVIII.*

Extat praeterea ejus nomen in lib. *Bannit. et Rebell.* etc. qui guerriaverunt Communi Bononiae anno MCCLXXX indict. VIII de mense Augusti et sequ. etc.

(5) Accursius habuit duos filios Guilielmum et Cervottum (praeter Franciscum scilicet). Guilielmus fuit valens doctor et disputavit multas quaestiones. Sed Cervottus fuit grossus intellectu et ideo vide quod glossae cervinae parum habent saporis. BALD. in lib. *De commemor. famos. doctor.* apud DIPLOVAT.

(6) Vide ibi doctores et maxime Jason. qui Cervotti interpretationes rejicit, ut a mente juris alienas; quod et sentit BALDUS, *loc. cit.*, et in l. *Singularia*, Dig. *De reb. credit. Ibid.*

(7) Andreas de Barulo in l. *Professio. de muner. patrim.*, lib. X, C. *Scribit*, se vidisse Cervottum petentem restit. in integr. in quadam causa. DIPLOVAT., *loc. cit.*

bononiensis, quod in Appendice damus. Bibliothecam juridicam admodum instructam habuit, relictam arbitror a patre. Sed eam paulo antequam Patavium proficisceretur Guilielmo fratri vendidit; partim, opinor, ut aes alienum, quo constrictus erat, dissolveret; partim ut inde commeatum haberet. Quantum enim conjicere possumus ex plurimis contractuum tabulis, quas in Memorialibus Communis Bononiae habemus, vix patre mortuo, patrimonium suum dilaniare coepit Cervottus et aes alienum contrahere, ita non ut filius prudens et frugi opes a patre relictas servavit auxitque, sed discinctus ut nepos prodegit et perdidit. At Guilielmus emptam a fratre bibliothecam Nascimpaci tabellioni ea conditione locavit, ut ex lucro, quod ex iis libris fecisset, trientes duos Guilielmus ipse perciperet, tertius ad Nascimpacem pertingeret.

V. Erant tunc Bononiae scriptores excellentes ingenti numero, ut in civitate in qua ob studiosorum affluxum permagnus librorum mercatus fiebat. Et erant tunc libri omnino carissimi, nec nisi ditissimus quispiam mediocrem sibi bibliothecam comparare poterat. Sed exscribendis libris non solum viri sed foeminae etiam vacabant (1), ut mirum non sit mendosa saepius exemplaria in publicum emissa. Fuere autem plures ex scriptoribus qui Bononiae saeculo XIII vixerunt patria Etrusci ac praesertim Arretini (2). In his erant qui ad scribendi artem pingendi quoque peritiam adjungebant, *miniatores* vulgo appellati. Hi libros variis figuris auro aliisque coloribus ornabant, et hic erat maximus divitum scholarium et professorum luxus, ut quam ornatissimos codices haberent, grandibus literis scriptos et mole ipsa spectandos, quos per servos secum deferri curabant cum ad scholas accederent. Occupant adhuc non exiguum locum in pluteis ditiorum bibliothecarum ejusmodi codices et quoniam qui juri civili et canonico erant addicti, nobiliores plerumque et ditiores erant quam qui philosophiae, medicinae, theologiae, aliisque facultatibus vacabant, propterea et libros etiam antiquos juris civilis et canonici sumptuosius scriptos et magis ornatos plerumque cernimus quam aliarum facultatum. Ridet non illepide Odofredus hunc scholarium luxum comparandi magna impensa libros auro illustres et pro more saeculi ornatos (3). Neque minus lepide deridet inconditam librorum molem Daniel Merlacus, quem laudat Antonius Wood in historia oxoniensis universitatis (4).

VI. Erant autem celebres scriptores bononienses prae ceteris aliarum gentium. Hinc libri litera bononiensi scripti saepius memorantur in sequioris aevi monumentis. Memorantur etiam litera parisina scripti; sed his nostri elegantia et perspicuitate scripturae

(1) Anno MCCLXXV, III exeunte Jan. dn. Rodulphus qu. Gandulphi promisit mag. Joanni Bonabrocha de Aduaco scholar. bonon. facere scribi dn. Antonie sue filie totum Infortiatum cum tribus partibus in litera de textu pretio XXII lib. Bonon. presentibus mag. Jacobo de Arazo Martino Ortot et Petro de Cameracho scolaribus etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

An. MCCLXXIX, die X ex. April. dn. Yvanus.... promisit fr. Joanni Borgoniensi de Ord. Fratrum de Carmine se facturum quod dn. Alegra ejus uxor continuo sine interpositione alterius operis scribet et complebit unam Bibiam de ita bona litera ut incepit scribere.... et hoc pretio LXXX lib. bonon. *Ibid.*

An. MCCLXXXIX dna Uliana filia dn. Benvenuti de Faventia promisit dn. Alberto dn. Odofredi scribere eidem totum testum voluminis scilicet *Authent. Institut.* et tres libros Codicis pretio XXV lib. bonon. *Ibid.*

(2) Nonnullus ex his memoratos reperies in elencho scholarium, quos post professores recensebimus. *Vide ibid. ad an. MCCLXVIII etc.*

(3) « Dixit pater filio.... Vade Parisius, vel Bononiam, et mittam tibi annuatim centum libras. Iste quid fecit? Ivit Parisius; et fecit libros suos babuinare de literis aureis.... ibat ad cerdonem et faciebat se calceari omni die Sabbati ». Odofredus in *SC. Maced.* Literas nimirum capitales monstrosis figuris animalium ornare solebant prisci scriptores, ut in eorum libris videmus. Atque id est Odofredo *babuinare libros;* quod verbum ex notissima voce italica *Babbuino* mirificus verborum conditor deduxit.

(4) Videbam (Parisiis) quosdam bestiales in scholis gravi auctoritate sedes occupare, habentes contra se scamna duo vel tria, et descriptos codices importabiles, aureis litteris Ulpiani traditiones repraesentantes. Wood. *Hist. Univers. Oxon. ad an. MCLXXXIX.*

multo praestabant, qua de re facile judicabit qui plures ex utroque genere simul conferre possit (1). Laudabatur etiam litera nova prae antiqua (2), ut verissime Odofredus dicere potuerit scriptores aetatis suae pictores potius fuisse, quam scriptores (3). Vix autem credibile est quam quaestuosa fuerit civitati nostrae haec scriptorum nostrorum solertia et quantas opes in eam invexerit (4); in tanta enim scholarium copia quae scholas nostras opplebat, vix quisquam esse poterat qui libris non egeret, et nova doctorum nostrorum scripta, quae in dies prodibant, novi semper quaestus materiam praestabant tanto majoris uberiorisque quanto majori auctorum fama nitebantur. Constat autem nobiliora quaeque scripta, quae in jure civili et canonico longo tempore prodierunt, non alibi nata quam in scholis nostris, nec aliunde per omnem fere Europam propagata. Sed ejus quaestus qui ex librorum scriptione fluebat, non minima pars pertinebat ad librorum dominos, qui libros scriptoribus certa mercede exscribendos praestabant; erantque ob eam causam in civitate stationes sive officinae libris instructae, ex quibus libri ad exscribendum certo oblato pretio petebantur. In hunc modum Cervotti libri, quos emit Guilielmus ejus frater, apud Nascimpacem notarium quaestus faciendi causa expositi sunt. Damus in Appendice horum librorum elenchum (5), et eorum etiam, qui apud stationarios universitatis publice studiosorum commodo prostabant (6).

VII. Uxor Cervotto fuerat Jacobina de Riolo, quae maritum in exilio secuta non est. Haec eo superstite extremum diem Bononiae obiit anno MCCLXXXV, et cum careret liberis pauperes Christi haeredes reliquit, potestate facta testamenti sui curatoribus, qui fuere tres Fratres Minores, deligendi quos vellent pauperes ad haereditatem adeundam; atque ab his delectae sunt s. Francisci moniales (7). Nec multo post humanis exemptus est ipse Cervottus, quem anno MCCLXXXVII jam obiisse constat (8).

LXI.

GUILIELMUS ACCURSIUS.

I. Natus est Guilielmus ex Aichina secunda Accursii uxore anno MCCXXXXVI (9). Hunc etiam pater ad jurisprudentiam instituit; et doctor creatus (10), jus civile in academia nostra professus est. Sed et in jure canonico versatus est (11); quod illi ad digni-

(1) Libros de litera bononiensi et parisina saepius nominatos videmus in contractuum tabulis, quae sunt in *Memorialibus Communis Bonon.* Nitidius autem scriptos qui in Italia, hoc est, *litera bononiensi* exarati erant, quam qui *litera parisina*, et extra Italiam, collatis invicem ejusmodi libris, quales multi in Vaticana aliisque locupletioribus bibliothecis conduntur, ad oculum apparet.

(2) Libros *de litera nova* majori pretio venditos semper reperio in antiquis contractuum tabulis, quae innumerae sunt in *Memor. Commun. Bonon.*, quam, qui dicuntur *de litera antiqua*.

(3) Hodie scriptores non sunt scriptores, imo pictores.... unde dicimus, quod chartae cedunt literis, secus ac olim, cum boni erant pictores, mali scriptores, tabula cedebat picturae, literae cedebant chartae. ODOFRED. in l. *Literae quoque*, Dig. *De acquir. rer. dom.*

(4) Id apparet ex infinitis prope contractuum tabulis, quas in *Memorialibus Com. Bonon.* habemus, ad rem librariam pertinentium.

(5) *Vide Appendicem.*

(6) *Ibid.*

(7) Conventus s. Francisci Ord. s. Clare heres qu. dne Jacobine de Riolo uxor qu. dn. Cervotti doctoris legum etc. *Ex Memor. Com. Bonon. ad diem XXI Mart. MCCLXXXVII.*

(8) TIRABOSCHI, *loc. cit.* — FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Accursio Cervotto.* — SAVIGNY, *loc. cit.* (C. A.)

(9) Id constat ex ejus contractibus, in quibus curatoris auctoritas intervenit usque ad initium an. MCCLXXI. *Extant in Mem. Com. Bonon.*

(10) Anno MCCLXIV in societatem Thuscorum adscriptus est, cum nondum esset doctor. *Ex Matric. societ. Thusc.*

Sed insequenti an. MCCLXV doctoris honores consecutus erat. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(11) *Vide infra.*

tates ecclesiasticas consequendas adjumento fuisse videtur. Expulsis Lambertacciis anno MCCLXXIV, ipse quoque cum omni familia sua exulare jussus est (1); ac veritus initio publicationem bonorum, fictis tabulis ea addixit Montanario de Baragatia socero suo, qui erat ex Jeremiensibus. Sed cognita fraude Guilielmi bona fisco addicta sunt, nec ante reddita quam is sponsoribus datis in fidem populi bononiensis se recepit (2). Haec Francisco Guilielmi fratri accidisse aliquando creditum est, ut alibi diximus.

II. Interea cum nondum ejurata Lambertacciorum parte solum vertere juberetur, ultra montes profectus est, fortasse in Hispaniam ubi postea ecclesiastica beneficia obtinuit. Sed quoniam relegatis non licebat alibi esse quam quibus in locis populus decreverat, propterea Guilielmus et cum eo Albertinus Carrarius legum professor, qui una ultra montes erat profectus, anno MCCLXXXVIII a populo bononiensi postularunt, ut sibi fas esset in iis locis permanere, quo se post primos belli civilis motus receperant, quae loca XX amplius dierum itinere ab urbe Bononia distabant. Atque id illis populi scito permissum est (3). Existimo autem utrumque in iis locis interpretandis legibus et fori advocationibus non minori quaestus quam famae emolumento vacasse.

III. Uxorem duxerat Guilielmus annis aliquot antequam urbe excederet Benvenutam Montanarii de Baragatia filiam (4), ex qua filios genuerat, Joannem et Accursinum, quos adhuc infantes cum patre exulare oportuit (5). Sed mirari subit eorum temporum mores. Quod enim postea Franciscus Accursius fecit ut Bartholomaeo nepoti suo duos annos nato conjugem pari aetate desponderet, id etiam maturius egerat Guilielmus qui Joanni filio, primo infantiae anno nondum fortasse expleto, nuptias destinavit cum Fraisenda Henricutii Galluccii filia, ejus dote in hunc modum constituta, ut Guilielmus CCCC, Henricutius CC libras bononinorum erogaret. Haec sponsalia celebrata sunt anno MCCLXX, cum Guilielmus esset adhuc aetate minor et curatoris auctoritate indigeret (6). Post autem legitimo tempore matrimonium celebratum est, quamquam

(1) In *Libris Confinat.* an. MCCLXXXVII exaratis haec leguntur:

Dn. Guilielmus dn. Accursi doct. legum.

Dn. Joannes } fratres et filii dicti dn. Guilielmi.
Dn. Accursinus }

Mox subjiciuntur haec verba: « Habetur specialis reformatio studii Ultramontanorum cum filiis ».

(2) MCCLXXXXIV die.... Constat dn. Guilielmum qu. dn. Accursii vendidisse jure proprio dn. Jacobo qu. dn. Bonifacii de Villanova peciam unam terre in curia Bagnarole in loco dicto Ricardina etc. et alias pecias terre etc. pro pretio lib. DCCXX bonon. etc. et tempore dicte venditionis inter eos fuisse actum inter prefatos dominus Guilielmum et Jacobum quod si ipse dominus Guilielmus daret et solveret dicto Jacobe dictas DCCXX lib. bonon. deinde ad sex annos quod dictus Jacobus dictas pecias terre teneretur restituere dicto dn. Guilielmo.... et cum propter absentiam dictorum dominorum Guilielmi et Jacobi predicta non potuerint observari cum occasione litis nate inter cives civitatis Bononie occasione partis predicti domini Guilielmus et Jacobus se absentaverint et ipsorum bona et jura eis fuerint interdicta et postmodum prefati domini Guilielmus et Jacobus ad mandata Communis redierint et ipsorum bona eis fuerint restituta etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

MCCLXXIV, VII intr. Jul. dn. Montanarius qu. dn. Verardi de Baragatia dedit vendidit dn. Guilielmo fil. qu. dn. Accursii doct. legum jure proprio unam domum positam in Cap. S. M. de Rustiganis a duobus lateribus via publica et juxta dn. Franciscum leg. doct. item etc. item dedit et vendidit omnia bona mobilia et immobilia et supermoventia jura actiones utiles ac directas que omnia dictus dn. Guilielmus vendiderat dicto dn. Montanario ut patet ex publico instrum. et hoc pro pretio MMMM lib. bonon. ex instrum. Palmiroli Manigoldi Not. *Ex Memor. Simonis de Corvaria.*

(3) In libello supplici, quem hac de re obtulerunt consilio populi bononiensis, dicebant, se « a tempore primorum rumorum (idest, ab anno MCCLXXIV) stetisse ad confinia ultra montes ad viginti dietas et ultra a civitate Bononiae etc. ». *Ex lib. Reformat. anno MCCLXXXVIII.*

(4) Anno MCCLXIX dn. Guilielmus qu. domini Accursii doct. legum cum auctoritate sui curatoris vendidit.... cui venditioni consensit dn. Montanarius de Baragaza et renuntiavit omni suo juri quod habere posset pro dotibus dne Benvenute ejus filie uxoris dicti venditoris. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(5) *Ex supra adnotatis.*

(6) Die IV exeunt Jul. MCCLXX dn. Henricutius de Gallutiis et dn. Guilielmus filius qu. dn. Accursii legum doct. volentes contrahere parentelam ad talem concordiam pervenerunt videlicet quod dn. Guilielmus cum auctoritate dn. Liazari de Chazanimicis curatoris

populi decreto jam vetarentur Jeremiensium, cujusmodi erant Galluccii, cum Lambertacciis connubia.

IV. Sed Guilielmus, cum adhuc ultra montes degeret, uxore amissa, clericali militiae nomen dedit cum annos ageret tres circiter et quadraginta. Anno MCCLXXXIX exeunte canonicum burgensem fuisse constat [1]. Deinceps autem aliis beneficiis et dignitatibus ecclesiasticis auctum novimus. Fuit enim et sacrista cadurcensis et archidiaconus Gualdafajarae in Ecclesia toletana.

V. Quo tempore ad academiam nostram revocatus est Albertinus Carrarius; etiam Guilielmo Accursio petentibus scholaribus ultramontanis permissus est reditus in patriam et ad scholas, dummodo jurejurando se Jeremiensibus adjungeret. Sed conditionem rejecit Guilielmus, quod nefas esse diceret sibi qui clericus esset juramentum indici. Post annos aliquot cum intellectum esset Dinum Mugellanum celebrem legum professorem a scholis nostris discessurum, utraque universitas scholarium ultramontanorum et citramontanorum a magistratibus impetravit ut Guilielmus Accursius revocaretur et in Dini locum succederet, nulla conditione juramenti adjecta [2]. Igitur Bononiam revocatus est anno MCCLXXXXVII ad Digestum Novum interpretandum, cum ei jamdiu indultum esset a Romano Pontifice, ut, quamvis clericus esset, jus civile in scholis docere posset.

VI. Sed brevi admodum tempore Guilielmus Bononiae egit. Exeunte anno MCCLXXXXVIII a scholis nostris jam aberat, ac deinceps Sedis Apostolicae servitiis perpetuo addictus fuisse videtur. Sub finem XIII, aut initio saeculi XIV cum aliis sapientibus viris in consilium adhibitus est a Fr. Guidone Vicetino haereticae pravitatis inquisitore in celebri causa Armanni Pungilupi nequissimi haeretici, quem, dum viveret, simulata pietas et mira hypocrisis ab omni suspicione erroris apud ignarum vulgus liberaverat, post mortem vero populus ferrariensis falsa miraculorum specie dementatus, quae ejus amici et sectatores venditabant, veluti sanctum colebat. In sententia contra nebulonem illum prolata Guilielmus dicitur sacrista cadurcensis, domini Papae capellanus et ipsius sacri palatii auditor, jurisque canonici et civilis professor [3].

sui et in presentia dn. Irici jud. ed assess. dn. Guidonis de Corrigio potestatis Bononie predestinavit filium suum Joannem dn. Henricutio predicto in sponsum futurum maritum Fraisende filie dicti dn. Henricutii cum tali dote quod dn. Henricus debeat ei dare CC lib. bonon. et dn. Guilielmus fecit ei dotem de suo CCCC lib. bonon. et cum omnibus conditionibus contentis in instrumento scripto manu Lambertini not. Actum fuit in sala juxta ecclesiam novam palatii Comm. Bon. pres. dn. Andrea de Guazzaturio judice, dn. Gerardo Brachani Rubeo Bologni Bergonzoni et Petro dn. Castellani Fabri etc. et juravit dn. Guilielmus quia minor erat XXV annis. Et dn. Henricus predestinavit filiam suam Fraisendam in sponsam et futuram uxorem Joannis predicti etc. ut dicte partes dixerunt etc. *Ex Mem. Guidonis Bonifacii.*

(1) *Ex Mem. Com. Bonon. ad diem XIV Dec.*

(2) Die IX Octob. Pro augmentatione Studii atque utilitate Communis Bononie quatenus scribere debeatis ex parte vestra et Communis Bonon. dn. Guilielmo dn. Accursii legum doctor electum per ipsam universitatem ad legendum Dig. Nov. loco dn. Dini in annum presentem quod amore dicti Communis et dicte universit. debeat venire et legere dictum librum in Civit. Bonon. cum alias fuerit reformatum per Commune Bonon. quod possit venire ipse et omnes de ejus familia jurando partem sed modo scribatur ut veniat absque aliqua exceptione quod jurare non potest partem cum sit clericus scribendo etiam sibi quod intellexistis quod concessum est sibi per Summum Pontif. jam est diu quod possit legere jura civilia in Civit. Bonon. non obstante dignitate seu clericatu ipsius. *Ex lib. Reform.*

(3) Lata est haec sententia anno MCCCI die XXII Martii habito et obtento solerti consilio fr. Joannis episcopi bonon., fr. Ramberti de Bonon. Ord. Praedicat. et aliorum multorum sapientum, professorum et doctorum in jure canonico et civili, scilicet dn. Bernardi Bojardi canonici xantonensis, dn. Papae capellani, et ipsius sacri palatii causarum auditoris.... dn. Guilielmi Accursii sacristae caturcensis dn. Papae capellani et ipsius sacri palatii causarum auditoris, juris canonici et civilis professoris, dn. Altegradi di Lendenaria canonici ravennat. dn. Papae capellani et ipsius sacri palatii causarum auditoris, doctoris in jure canonico etc. MURATOR. *Antiq. med. aevi,* dissert. LX.

Sed etiam, antequam Bononiam rediret, capellani pontificii munere fungebatur [1]. Itaque credibile est ex romana curia, ad quam Bonifacio VIII Pontifice, vel fortasse antea, accesserit, ad academiam nostram scholarium postulationibus victum se contulisse, et cum in ea vix annum unum scholasticum explesset, ad romanam curiam reversum esse nec ab ea umquam postea discessisse. A Benedicto XI impetravit ut archidiaconatum Gualdafajarae in Ecclesia toletana, quamvis absens, retinere posset et eumdem archidiaconatum per idoneum hominem ab se delectum visitare, qua de re sunt Benedicti literae kalendis Decembris anno MCCCIII datae, quas in Appendice producimus. Eas ratas habuit Clemens V anno MCCCIX kalendis Decembris, qui id se facere profitetur ut remuneretur Guilielmi Accursii merita ob Sedis Apostolicae negotia in romana curia et alibi ab eo diligenter tractata. Et has etiam Clementis V literas in Appendice damus.

VII. Vivebat adhuc Guilielmus anno MCCCXII, quamvis Joannem filium jam amisisset [2]. Nec multo post finem vivendi fecit [3]. Andreas ejus nepos anno MCCCXXVIII Coimbriae degebat [4], aliquo fortasse beneficio ecclesiastico ibi donatus, nam clericum fuisse constat. Accursius quoque Andreae frater, cum diu Bononiae fuisset anno MCCCXXX longum iter meditabatur ac neutrum eorum deinceps rediisse compertum est. Ita Guilielmi posteritas Bononiae extincta est, vel alio translata.

VIII. Alidosius Guilielmi scripta indicans, multas ab eo *Quaestiones* editas narrat ab Alberico de Rosate et Joanne Andreae laudatas, quas manu exaratas reperiri ait [5]. Diplovataccius plures ab eo *Disputationes* relictas dicit [6], neque aliud esse arbitror *Disputationes* istas, quam Alidosii *Quaestiones*. In his ea percelebris fuit, qua quaerebatur num testamentum, quod Henricus rex, vulgo Hentius, Friderici II filius Bononiae captivus fecerat, censeri deberet jure factum esse. Obierat Hentius in carcere populi bononiensis anno MCCLXXII, ac de ejus testamento quaestionem a Guilielmo Accursio disputatam narrat Joannes Andreae in additionibus ad *Speculum juris* [7]. Scripsit etiam commentaria in libros Institutionum, in quorum prooemio se glossatoris filium dicit, ut animadvertit Pancirolus [8]. Haec si Diplovataccius vidisset non eo prolapsus esset ut diceret Guilielmum magni Accursii filium non fuisse, sed generum [9].

IX. Accursii glossatoris filiorum postremus parentis nomen tulit, Accursinus sive Cursinus vulgo appellatus. Sed quis crederet virum prudentem ita filiorum suorum

(1) Jacobus dn. Montanarii de Baragaza procurator ven. viri dn. Guilielmi Accursii leg. doct. Sedis Apostolicae capellani et canonici burgensis. *In Memor. an. MCCXIII.*

(2) An. MCCCXII die XXX April. Petrus de Unzola Notariae doctor testamentum fecit « in domo et hospitio dn. Guilielmi de Accursiis seu dna Fraisende uxoris qu. dn. Joannis dn. Guilielmi predicti, in qua moratur dicta domina ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(3) An. MCCCIV die.... Accursius qu. dn. Joannis de Accursiis.... heres qu. dn. Guilielmi Accursii una cum dn. Andrea ejus fratre clerico adulto etc. *Ibid.*

(4) An. MCCCXXVIII die XXI April. Nob. miles dn. Joannes natus olim nob. militis dn. Guidoclerii de Gallutiis.... procurator dn. Andreae nati olim dn. Joannis olim dn. Guilielmi de Accursiis.... ut constat instrumento procurationis scripto manu Alphonsi Melendi notar. de Columbria facto in MCCCXXVIII.... procuratorio nomine.... donat irrevocabiliter dn. Accursio ejus fratri « agros plurimos ad Richardinam et alibi ». *Ex Mem. Com. Bonon. scriptis a Nicolao Malpigli notar.*

(5) Alidosi. *Dottori bolognesi di legge etc.*, pag. 93.

(6) Diplovat. in *Guil. Accursio.*

(7) Circa istud scire debes, quod Guil. Accursius disputavit quaestionem de rege Henrico filio Imp. Federici, qui cum Teutonicis et certis Lombardis aggrediens Bononiam, captus fuit per Bononienses, et finaliter hic decessit sepultus apud Fratres Praedicatores. Quaerebatur de ipsius testamento an valuerit. Joann. Andreae in *Addit. ad Spec.*, tit. *De instrum edit.*

(8) Panciról., lib. II, cap. XXX. Inter codices juridicos biblioth. Reg. Paris. habentur: « Commentaria Guil. Accursii filii in libres Institutionum ». *Cod. 1371.*

(9) Videtur Diplovataccius incidisse in mendosum aliquod exemplar Commentariorum Joannis Andreae in Sextum, ubi pro *Guil. Accurs.* scriptum esset *Gener. Accurs.* Hic error reperitur in libris editis. in quibus sic legitur: « Ad solutionem quaestionis sciendum est, quod olim haec quaestio fuit disputata per Gener. Accursii et tenuit etc. ». Joann. Andreae in *Sextum*, tit. *De reg. jur.*, c. *Sine culpa.*

ingenio et industriae confisum, ut omnes sperarit idoneos futuros ad profitendam jurisprudentiam. Hunc etiam natu minimum Accursius ad eam professionem destinavit (1). Ac mortuo Accursio, Cursinus, cum in tenera adhuc esset aetate, educatus est apud Franciscum fratrem, qui parentis voluntatem secutus illum ad jurisprudentiam instituit (2). Sed tamen in doctorum ordinem cooptatus non est. Cum annum vigesimum ageret (3), exortis Jeremiensium et Lambertacciorum factionibus, medio in ipso studiorum suorum cursu a scholis abductus est et e patria ejectus (4). Paulo ante uxorem duxerat Fraisendam Storlictam, Thomae de Piperata, clari legum doctoris, fratris filiam (5). Anno MCCLXXXVIII exul obiit, quatuor relictis filiis, Joanne, Cervottino, Castellutio et Francischino, qui anno MCCLXXXXIX in gratiam populi bononiensis recepti sunt (6); et anno MCCCVI, postulante universitate scholarium, obtinuerunt remissionem ab iis oneribus quibus obnoxii erant quotquot Lambertacciorum partes secuti aliquando fuerant (7). Sed cum rursus eo ipso anno in civitate turbatum esset, Joannes iterum in exilium actus in Medicinae oppido lares fixit; ubi fuit usque ad tempora Bertrandi cardinalis legati, cui civitas nostra civilium contentionum pertaesa anno MCCCXXVII se dedidit. Anno MCCCLVI adhuc vivebat, annis LXXVI postquam a patre emancipatus fuerat (8). Ejus fratres in suis Richardinae praediis reliquam aetatem in ignobili otio transegerunt. Francischinus uxorem duxerat quam cum liberis careret testamento haeredem reliquit, ac Joanni fratri vestes et alimenta legavit (9); ex quo judicare licet de tenuissimis eorum facultatibus vel magna potius paupertate ad quam redacti erant. Sed Joannes quoque sine liberis in summa senectute, extinctis jam ceteris fratribus, decessit; atque ita apud nos defecit Accursii posteritas, cujus ille perennitati tantopere studuerat.

X. Narrat Philippus Villanius Accursium glossatorem in fundo Balneolo agri florentini ortum, quo in loco adhuc aetate sua aliqui ex Accursii progenie ignobiles homines vivebant et domus Accursii, in qua ipse interpretandis legibus se abdiderat, in ruinis jacebat (10). Sed quoniam Richardinae praedia, in quibus Accursii posteritas consenuit et ubi villa fuit Accursii secessu nobilitata, Bagnarolae finibus, qui notissimus est agri bononiensis pagus, continebantur, propterea ad Balneolum suum transduxit Villanius ignobiles illos Accursii posteros, quos commemorat; ibique Accursii villam atque adeo natale solum fuisse putavit. Ita conjicit clarissimus Montius, a quo accepi ut haec de Accursii filiis tam enucleate possem exponere (11).

(1) Accursius Cursino filio natu minimo partem librorum suorum in testamento praelegavit, ut legum studia sequeretur, quos libros anno MCCLXXII accepit, cum jam esset ann. XVIII ut ex *Mem. Com. Bon. constat.*

(2) In quodam contractu Francisci Accursii ad an. MCCLXV celebrato praesens interfuit « Mag. Jacobinus repetitor Accursini ». *Ex Mem. Bonon.*

Hunc itaque apparet a Francisco Accursio domi habitum, ut lectiones a Cursino in schola auditas eidem postea repeteret.

(3) Anno MCCLXXII eum Cursinus libros a patre legatos accepit, annos XVIII natus dicitur in tabulis ea de re confectis. Anno igitur MCCLXXIV, quo bellum civile a Jeremiensibus et Lambertacciis excitatum est non majori aetate erat quam XX annorum.

(4) *Ex tabulis proscriptorum.*

(5) *Ex Mem. Com. Bonon. an. MCCLXXIII.*

(6) *Ex Lib. Reform. ejus anni.*

(7) *Ibid.*


(8) Cursinus Joannem filium emancipavit anno MCCLXXX ut habetur ex *Mem. Com. Bonon. ejus anni. Vide etiam ad an. MCCCLVI.*

(9) Anno MCCCXXXXIV, die XXVI Jan. Franciscus qu. dn. Accurxini de Accurxiis Capelle s. Mamo habitator in curia Bagnarole .... fecit suum testamentum .... sepulturam elegit ad s. Franciscum de Richardina .... item reliquit Joanni suo fratri victum, vestitum et calciamentum .... heredem instituit Franciscam Viviani uxorem suam etc. *Extat in Mem. Com. Bonon.*

(10) Balneolum, vulgo Bagnolo, non longe ab urbe Florentia. Philippus Villan. in *Accursio. Vide Appendicem.*

(11) Tiraboschi, *loc. cit.* — Fantuzzi. *Op. cit.* art. *Accursio Guglielmo.* — Savigny, *loc. cit.* (C. A.)

ACCURSIORUM STEMMA



(1) Anno MCCXXIX, dn. Donus frater dn. Accursii florentini legum doctoris. *Ex Matric. Notar. in archiv. publ.*

(2) Accursius glossator Bononiae degebat et clarus habebatur anno MCCXXI. *Ex chartula in archiv. Canon. s. Petri.*

(3) *Vide infra n. 9.*

(4) Anno MCCLXX, Accursius qu. Doni. *Ex Matric. Notar.*

(5) Franciscus legum doctor clarissimus; Aichina de Guezzis ejus prima uxor; Remgarda de Aldigheriis secunda uxor. *Ex monum. supra allatis.*

(6) Cervottus legum doctor; uxor Jacobina de Riolo. *Ex Memor. Semprebene de Nigro anno MCCLXIX.*

(7) Guilielmus legum doctor; uxor Benvenuta de Baragatia. *Ex documentis supra allatis in* GUIL. ACCURSIO.

(8) Cursinus Accursii glossatoris filius natu minimus, ejus uxor Fraisenda de Storlictis. *Ex actis supra enunciatis.*

(9) Anno MCCLXV, Bonaventura, qui dicitur Paparonus, fil. qu. Bonajuti fratris dn. Accursii vendidit peciam terrae in Castro Episcopi etc. cui venditioni consensit dn. Franciscus leg. doctor etc. *Ex Mem. Com. Bon.*

(10) Castellanus Francisci filius, ejus uxor Anna Lambertina. *Vide quae supra dicta sunt in* FRANCISCO ACCURSIO.

(11) Guilielmus dn. Accursii leg. doct., Joannes et Accursinus filii Guilielmi. *Ex lib. Confinat. extra district. script. anno MCCLXXXVII.*

(12) Anno MCCLXXXVIII, die XXX Augusti, dn. Fraisenda filia qu. dn. Castellani et uxor qu. Cursini dn. Accurxii doctoris legum mater Johannis, Castellutii, Cervottini et Francischini suorum filiorum petit tutelam eorum sibi dari etc. *Ex Memor. Com. Bon.*

(13) Bartholomaeus Castellani filius, ejus uxor Misina de Prendipartibus. *Ex Memor. Andreae Guaschetti ad diem XVII Augusti MCCCVIII.*

(14) Andreas et Accursius Joannis filii, Guilielmi nepotes. *Ex documentis supra allatis in* GUIL. ACCURSIO.

(15) Anno MCCCXXIV, die XI Maji, Castellanus filius qu. dn. Bartholomei Castellani Accursii confitetur se habuisse a dn. Joanne filio dn. Jacobi de Cocca lib. DC pro dote dn. Jacobae suae filiae ipsi Castellano matrimonio copulatae. *Ex Memor. Thomae Jacobi Bonazuntae.*

LXII.

ANDREAS DE BARULO.

Vixit cum Accursii filiis Andreas de Barulo legum professor illustris, sed Pancirolo ignotus (1). Eum tamen non ignoravit Diplovataccius, qui saepe laudatum viderat ab antiquis legum interpretibus et ejus scripta prae manibus habuerat, *Commentaria* nimirum in libros legum, qui ordinarii dicebantur, atque in tres postremos Codicis libros, qui ad lectionem extra ordinem pertinebant; ex quo apparet utramque lectionem ab hoc professore in scholis habitam (2). Sed non vidit ejus *Commentaria* in leges Langobardorum, quae typis edita nunc habemus. Nam cetera ejus scripta, quae Diplovataccius memorat, vel jam perierunt vel cum tineis blattisque luctantur, praeter *Commentaria* in tres libros Codicis, quae ex bibliotheca Regentis Fornarii initio superioris saeculi edita sunt in lucem Venetiis. Crediderim docuisse in civitate nostra, ubi videre potuit Cervottum Accursii filium causam quamdam in foro agentem, ut ipse scripsit in l. *Professio.* C. *De muner. patrim.* (3) Sed relictis scholis maxime claruit Neapoli, ubi fiscalis, quem vocant, advocati munere functus est (4). Sed qui eum floruisse narrant Friderico II regnante, non recte videntur temporum rationem iniisse, aliquanto enim serius vixisse oportet, si cum Cervotto Accursii filio aetatem egit. Laudatur maxime ab jurisconsultis neapolitanis (5), et a Cino etiam, Joanne Andreae, Bartholo, aliisque multis; quorum testimonio magni praeclarique doctoris nomen assecutus est (6).

LXIII.

B. AUGUSTINUS NOVELLUS

EREMITANORUM S. AGUSTINI PRIOR GENERALIS.

Quem locum gratiae et auctoritatis tenuerat apud Fridericum II Imperatorem Petrus de Vinea, eumdem tenuit apud Manfredum regem Friderici filium et in regno siculo successorem Matthaeus de Thermes, ex praenobili stirpe in Sicilia natus. Hic medio circiter XIII saeculo Bononiam ad literarum studia venit (7), in quibus ita pro-

(1) Gesnerus in *Biblioth.* « de Banulo » scribit, non recte. Est Barulum notissima civitas regni Neapolitani, nunc *Barletta.*

(2) Scripsit utiliter super ordinariis juris civilis et super tres lib. Cod. Fuit Neapolitanus, ut in lectura sua apparet. Floruit temporibus Francisci et Cerbotti Accursii, ut per ipsum Andr. in l. *Professio, C. De mun. patrim.*, lib. X, ubi dicit se vidisse Cerbottum filium Accursii petentem restitutionem in integrum et refert et sequitur Andr. Siculus in C. *Cum vicissim. de offic. de leg.*, et Nicol. de Neap. in l. *Professio.* DIPLOVAT. in *Andrea de Barulo.*

(3) DIPLOVAT. *Ibid.*

(4) M. MANT. *Epit. vir. illustr.*, n. XIX.

(5) ISERN. in l. 1 in prin. *De prob. offic. occas.* in constit. Neapol. — AFFLICT. in cap. 1, § *Et extraordinaria*, n. 43, 45 e 46, quae sint regal. in *Usib.* apud M. MANT., *loc. cit.*

(6) Citatur a Cy..... Joann. Andreae in *Addit. ad Spec.*, tit. *De loc.*, § *Sunt aliqua etc.* DIPLOVAT., *loc. cit.*

[TIRABOSCHI. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XXIX. — SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. V, § XXXXIV]. (C. A.)

(7) Cum aetatem egerit ad annum usque MCCCIX anno MCCLIX jam esset consiliarius et judex perpetuus apud regem Siciliae Manfredum, ut paulo post dicetur, conjicere licet, Bononiam venisse ad studia literarum non multo ante annum MCCL.

fecisse dicitur, ut brevi tempore inter legum et decretorum professores computari meruerit (1). Inde in patriam reversus, cum magnam nominis celebritatem esset consecutus, a Manfredo Siciliae rege accersitus est et judiciis exercendis praefectus, consiliarii et judicis perpetui titulo insignitus (2). Erat apud regem anno MCCLIX, nec ab ejus aula discessit ad eum usque diem, quo victus et profligatus a Carolo Andegavensi apud Beneventum in praelio cecidit anno MCCLXVI. Interfuit ei cladi Matthaeus, qui tam perspicuo documento intelligens quam vana sint mortalia omnia, in patriam reversus, eremiticum s. Augustini institutum amplexus est et Augustini nomen assumpsit. Sed non perpetuo tamen in eo Ordine latere potuit. Apud Nicolaum III aliosque Pontifices, qui secuti sunt, poenitentiarii munus exercuit annis fere viginti duobus (3). Dein anno MCCLXXXXVIII supremus Ordinis sui moderator creatus est; quam praefecturam biennio post abdicavit seque iterum in Eremo abdidit; ubi virtutibus et miraculis clarus decessit anno MCCCIX. Haec strictim delibavimus ex beati hujus viri gestis, quae scripta sunt ab auctore synchrono, ejusdem Ordinis sodali et a Bollandianis sociis in lucem edita et illustrata ad diem XIX Maji. Notus est hic illustris asceta beati Augustini Novelli nomine; nam Augustini nomen, relicto eo, quod in saeculo gesserat, inter Eremitanos assumpsit, ut supra indicavimus.

LXIV.

BONAVENTURA DE SAVIGNANO.

I. Ex nobili familia, ut plerique horum temporum doctores legum, natus est Bonaventura. Ea gens ex Savignano, agri mutinensis castro, originem et agnomen duxerat. Guidonis filius ab Alidosio dicitur; qui eum vixisse ait ad annum MCCXXXXVI, et Ordini Fratrum Virginis Gloriosae, quos Gaudentes vocabant, nomen dedisse. Ac nihil praeterea de hoc non incelebri temporum suorum doctore habet Alidosius (4). Vix ullum esse arbitror ex nostris professoribus qui longiorem aetatem egerit et cujus tam frequens mentio occurrat in antiquis Bononiensium monumentis per annos, ut minimum, LX, ab anno scilicet MCCXXXI ad MCCLXXXXI.

II. Hic anno, quem diximus, MCCXXXI praesens interfuit, cum Altedi et Minervii paludes a Communi Bononiensium attributae sunt CL familiis Lombardorum (Ghirardaccius CC scribit) quae e patriis sedibus expulsae fuerant ob factiones a Friderico II excitatas (5). Atque hoc insigni facto apparet, qua prudentia tunc populus bononiensis regeretur et quae publicae rei augendae cura esset. Ita enim tot colonis inductis ea loca ad cultum redacta et frequentata, quae nunc infelicitate nostrorum temporum ad pristinam vastitatem jam properant, cum nulla satis apta remedia occurrant ad aquarum undique exundantium vim cohibendam. Nondum erat legum doctor Bonaventura Savignanus cum his colonis in agrum bononiensem inducendis interfuit,

(1) Perveniens autem Bononiam, ita in non multis annis profecit ut posset merito inter doctorum numerum computari. Utriusque igitur juris factus professor, ad propria rediit. *Ex Vita b. Augustini Novelli*, cap. I apud Bolland. *ad diem XIX Maji.*

(2) *Ex diplomate Manfredi regis ibid. in Commentario praev.*, § 3.

(3) *Ex Vita cit.*, cap. 11.

(4) Alidosi. *Dottori bolognesi*, pag. 40.

(5) *Ex libr. juramentor. divers. civit. Com. Bonon.*, pag. 84 et pag. 205. — Ghirardacci, lib. V.

sed judex tantum, ut fere dicebantur legum professores antequam doctores crearentur. Sed anno MCCXXXVIII eo honore jam erat insignitus. Post autem per annos fere XXX illum saepissime reperio cum aliis legum doctoribus publicis negotiis expediendis interfuisse. Sed haec potius leviter delibare juvat quam ex ordine persequi; neque id puto operae pretium fore.

III. Anno itaque MCCLVII interfuit cum Bonacursius de Soresina Bononiensium praetor, arbiter electus sententiam pronunciaret de conditionibus foederis, quo Faventini Bononiensibus superiori anno se submiserant (1); quod aliter, ac gestum est, a Tondutio faventinae historiae scriptore narratur (2). Fallitur autem mirifice Ravennatium historicus nobilissimus Hieronymus Rubeus, cum de foedere narrans, quod eo ipso anno MCCLVII Ravennates cum Bononiensibus percusserunt, tunc primum ait Ravennam paruisse legatis pontificiis, qui Bononiae degebant (3); cum nullus per id tempus Bononiae legatus pro Pontifice ageret, sed suis ipsa magistratibus civitas regeretur ac vicinis civitatibus et oppidis Flaminiae non paucis jura daret. Erat enim tunc Bononiensium potentia ad summum provecta, quae postmodum, subortis factionibus et bellis civilibus, nutare coepit. Anno etiam MCCLXIII praesens adfuit Bonaventura cum Octavianus episcopus bononiensis, in magno procerum et populi conventu rite inauguratus a Philippo Ravennatium archiepiscopo, Ecclesiae ravennati et eidem archiepiscopo, metropolitano suo, fidem suam sacramento obstrinxit (4). Adfuere item Arimundus de S. Petro et Franciscus Accursius, post Bonaventuram nominati quod illi aetate inferiores essent.

IV. Sed cum anno MCCLXI Bononiae initium habuerit nobilis Ordo Militum B. V. Mariae, quos vulgo Fratres Gaudentes dixerunt (5), haud multo post in eum Ordinem cooptatus est Bonaventura Savignanus (6); qui anno MCCLXII cum Fr. Catelano Guidonis Ostiae, suo nomine et Fr. Loderingi de Andalo ac Fr. Jacobino de Medicina, ejusdem Ordinis sodalibus, bona quaedam ac jura pro peccatorum remissione obtulit ac donavit Ecclesiae s. Trinitatis de Ronzano (7). Verum ex eo tempore, quo inter Fratres Gaudentes adscriptus est nuspiam legitur publicis rebus se dedisse, id enim ejus Ordinis leges et instituta non sinebant. Anno MCCLXIV sanus testamentum condidit (8), sed cum diu postea vixerit non semel novas testamenti tabulas scripsit, quibus et codicillos adjecit (9). Anno MCCLXXXV in quadam controversia compromisit in Dinum Mugellanum (10), qui jam celebrari coeperat in scholis nostris et anno

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Tondutius. *Histor. Favent. ad hunc annum.*

(3) Hieronim. Rubeus. *Histor. Ravenn.*, lib. VI, pag. 432.

(4) *Ibid.*, pag. 439.

(5) Fratrum seu Militum alii, triplicis voti religione obstricti, communi convictu in coenobiis utebantur, *Conventuales* appellati; alii in propriis domibus vivebant, neque bonorum possessione se abdicabant uxoresque habere et ducere poterant, *Coniugati* et vulgo *Gaudentes* dicti. Sed erant omnes ejusdem corporis et ad generalia Ordinis comitia simul conveniebant. *Ex Bulla Urbani IV apud* Ghirardacci, t. I *in tabula ad lit. F, itemque ex monumentis variis, quae in Mem. Com. Bonon. et alibi vidit clarissimus Montius.*

Bononiae hic Ordo vel maxime floruit per annos fere CXXXX; ineunte saeculo XV extinctis penitus Conventualibus sensim defecit. Bona, quae Ordinis fuerant, anno MDLXXXIX Sixtus V Collegio Picentum ab se instituto attribuit.

(6) De Conjugatorum numero fuit, anno MCCLXIX jam ei ordini adscriptus, ut patet ex tabulis a clarissimo Montio visis in *Mem. Com. Bonon.*, in quibus ad diem XIII Aug. ejus anni « Frater Bonaventura qu. dn. Guidonis de Savignano » appellatur.

(7) *Ex Memor. Com. Bonon. ejus anni, die XII exeunte Febr.*

(8) Actum apud Eccles. Fratr. Min. praes. Fr. Bernardino Custode Fr. Min. etc.

(9) An. sc. MCCLXXVII et MCCLXXXI. *Ex Mem. Com. Bonon.*, in quibus postremum hoc dicitur scriptum « in capella infirmarie novo Fratrum Minorum die octavo exeunte Aug. » praesentibus decem Fratribus Minoribus, quorum tres tantum sacerdotes.

(10) In Dino de Mugello compromittunt dn. Fr. Bonaventura de Savignano legum doct. et dn. Fr. Nicolaus

MCCLXXXXI adhuc erat in vivis non dubium quin devexa omnino aetate et plane decrepitus [1]. Mutinensi Ecclesiae patrocinium diutissime praestiterat, donatus ab Alberto Boschetto episcopo duodecim agri jugeris fructuariis quoad viveret juxta Savignanum oppidum, unde illius gens originem ducebat [2].

V. Uxorem habuit Zolittam Raynerii Aigonis de Gisso filiam [3], nobilem foeminam, ex qua duas suscepit filias. Sed utraque patrem reliquit superstitem. Et quamquam earum filii non deessent, Bonaventurae nepotes, is tamen pauperes Christi haeredes instituit extremis tabulis [4]. Nulla ejus sepulcri memoria extat, nec ulla ejus scripta memorantur, ut facile judicari possit tam longaevum doctorem haudquaquam supra communem modum excelluisse.

VI. Extremis Bonaventurae annis erat in scholis nostris Conradus, sive Conradinus de Savignano legum doctor, patria mutinensis, Odorici de Savignano filius. Num hic ex eadem Bonaventurae familia natus esset, cujus pars Mutinae consederit, non liquet; nec diu Bononiae mansisse videtur. Ejus mentio est ad annum MCCLXXXVI in Memorialibus Communis [5].

LXV.

SINENOMEN PIPINI.

Vixit iisdem temporibus Sinenomen, alias *Senzanome,* non obscurus doctor aetate sua, ex Pipina gente ortus [6] quae inter nobiles censebatur, ac de illarum numero erat quibus populares magistratus capere non licebat [7]. Hic anno MCCXXXVIII jam profiteri coeperat jus civile, doctoris insignibus ornatus [8]; et anno adhuc MCCLXXXXII in vivis erat. Sed in tam longa aetate non admodum saepe rebus publicis est adhibitus. Praeturam ravennatem gessit anno MCCLVII, quo anno inter Ravennates ipsos ac Bononienses novi foederis leges sancitae [9]. Anno MCCLXXX cum civitas novem consulum imperio regeretur, brevem illum magistratum, qui non longioris erat temporis quam XV dierum, Sinenomen aliquando adeptus est [10] ut ceteri fere legum doctores qui erant Jeremiensium partium. Jura quorumdam pagorum cum Odofredo et Rolando

de Beccadellis ordinis militie B. V. Gloriose pro se et Fr. Loderingo de Andulo et Fr. Fino commissaris qu. Fr. Catelani ex una parte et ex altera de omnibus litibus etc. *Ex Mem. Com. Bonon. an. MCCLXXXV.*

(1) In *Mem. Com. Bonon.* an. MCCLXXXXI ad diem XII Nov. adhuc vivus nominatur. Vidit clarissimus Montius.

(2) Concessionem renovarunt successores episcopi, Matthaeus Pius, et novissimo Philippus Boschettus. *Ex Mem. Com. Bonon. ad diem IV Jun. MCCLXXXVIII.*

(3) An. MCCLXX. Zolitta filia dn. Raynerii Aygonis de Gisso uxor dn. Fr. Bonaventure de Savignano assensum praestat cuidam venditioni. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(4) *Ex testamento anni MCCLXXXI.*

(5) An. MCCLXXXVI die XIV Octob. Vir sapiens et discretus dn. Coradinus de Savignano qu. dn. Oderici de Savignano legum doctor de civitate Mutine mutuo accipit. *Ex Mem. Com. Bonon.*

Eod. anno die XXIX Nov. dne Bese filia dn. Nicolai et uxor dn. Coradini de Savignano doctoris legum major XII minor XXV annis renunciat haereditati matris suae. *Ibid.*

[TIRABOSCHI. *Op. cit.,* lib. II, cap. IV, § XXIV. — GOZZADINI. *Cronaca di Ronzano,* pag. 45 e seg. Bologna 1851]. (C. A.)

(6) Sinenomine filius Pipini testis nominatur in chartula archivi canon. s. Joann. in Monte ad annum MCLXXIII. Ab eo Pipini omnes propagati videntur. Senzanome dni. Senzanome saepissime dicitur hic legum doctor in antiquis tabulis, semel tantum Senzanome Gottifredi; quare Sinenominis filium fuisse, Gottifredi nepotem suspicatur clarissimus Montius.

(7) Magnates, qui erant ex his familiis, proprio vocabulo dicebantur.

(8) *Ex veteri charta, in* BAGAROTTO *indicata.*

(9) RUBEUS. *Hist. Ravenn.,* lib. VI.

(10) *Ex Memor. Com. Bonon. anni MCCLXXIX sub finem.*

de Gisso cognovisse, alio loco diximus; eumdemque in causa monachorum nonantulensium cum Bonaparte Ghislerio arbitrum fuisse. Anno MCCLXXXXII testamentum condidit, quod est in archivo Fratrum Praedicatorum, apud quos tumulari voluit. Haeredem instituit Joannem filium et legata dedit Donellae uxori, quae annis multis post mariti obitum vixit (1).

LXVI.

BONRECUPERUS PORRUS.

I. Bonrecuperus Albertonis Porri Bononiae per idem tempus floruit. Ejus familiam, Mediolano oriundam (2), neque tenuem fuisse neque obscuram ex eo licet conjicere quod ipsi Bonrecupero adolescenti, ac nondum doctoris titulum adepto, uxor data est anno MCCXXXIX Imilia Carbonensis Majolini filia, primariae nobilitatis puella (3). Doctorem legum fuisse anno MCCLIV antiquae tabulae ostendunt (4), habuit autem scholas in paternis aedibus, quae erant in capella s. Proculi, ut intelligimus ex testamento Albertonis ejus patris cujus hic particulam damus (5). Extat in archivo Fratrum Praedicatorum, ubi et ipsius Bonrecuperi testamentum asservatur, scriptum anno MCCLXVII, biennio post patris testamentum (6). In eo, si contigerit se mori sine liberis, pauperes Christi haeredes instituit. Uxori suae Imiliae legavit, prae ceteris, usumfructum domuum suarum, ea excepta in qua erant scholae et morabantur scholares; quam locari voluit et annuum censum piis locis attribui, Fratribus nimirum Praedicatoribus et Minoribus et iis quos de Sacco appellabant, et Infirmis qui erant ad divi Lazari, Ecclesiae denique Sororum Conversarum et Fratrum Eremitarum s. Jacobi ad Sapinam amnem; ex quo apparet, nondum unum quemdam locum et publicum aedificium fuisse constitutum quo doctores ad erudiendam juventutem convenirent, sed singulos in suis aedibus docuisse; vel etiam, ob ingentem auditorum concursum, qui numquam major fuisse videtur quam his temporibus, praeter domum, quam ipsi incolerent, contiguam aliam domum habuisse scholarum usui destinatam. Diu vixit Bonrecuperus post testamentum conditum, non minus in foro actitandis privatorum causis ac dissidiis componendis, quam explicandis legibus in schola occupatus (7). Ad Rempublicam raro accessit. Anno tamen MCCLXXII

(1) *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) MCCVII die XVIII Jul. Ob. Guido de Porris Mediolanensis. *Ex Necrol. canon. s. Salvatoris.*

(3) « MCCXXXIX die IV ex. Apr. dn. Albertonus filius qu. Guidonis Porri de Porta s. Proculi consessus et contentus fuit se recepisse nomine dotis.... a dn. Majulino de Majis de Carbonensibus CXXV lib. bonon. pro dna Imiglia filia sua quam in uxorem legitime copulavit Bonrecupero filio dicti dn. Albertoni etc. ». *Ex charta archivi s. Mich. de Busco.*

(4) *Ex archiv. Monial. s. Agnetis.*

(5) Anno MCCLXV. Ex testamento dn. Albertonis qu. dn. Guidonis de Porro de capella s. Proculi. « In omnibus suis bonis.... dn. Bonrecuperum legum doctorem filium suum heredem instituit. Et si decederet sine liberis legitimis masculis voluit et jussit ut domus ipsius testatoris in qua ipse moratur sic existat separata per murum a domo alia testatoris in qua morantur scholares et sunt schole prout designat murus broili, usque ad domos broili Maccagnanorum.... et detur ad pensionem pro anima sua ita ut una quarta pars sit pro Fratribus Predicatoribus et Minoribus, una sit pro Fratribus de Sacco et Infirmis de s. Lazaro, una sit Sororum Conversarum et Fratrum Eremitarum s. Jacobi de Savena etc. ». Ita descriptum est testamentum Albertonis Porri in Lib. † *archivi Fr. Praedicat. Bonon.*, pag. 91.

(6) Testamentum Bonrecuperi, quo supremam patris voluntatem ratam habuit, est in eodem libro, pag. 92.

(7) Extat ejus consilium cum Odofredo et duobus jurisperitis, in causa canonicorum ecclesiae bononiensis cum Fratribus Eremitanis., quod in Appendicem contulimus.

inter Sapientes delectus est, quibus propter ingruentium bellorum metum muniendarum in territorio arcium cura commissa [1].

II. Orta civili dissensione, Bonrecuperus propter affinitatem Carbonensium, qui inter principes lambertacciae factionis numerabantur, non omnis plane expers periculi fuit; sed mitius cum eo actum est, quam cum aliis plerisque illius partis studio infectis. *Confinatos guarnatae interioris* appellabant quibus, nisi facta a magistratibus potestate, egredi ab urbe non licebat [2]; id fortasse eo spectabat ne perniciosa patriae consilia cum exulibus miscere possent. Sola igitur hac poena, quae omnium lenissima habebatur, mulctatus Bonrecuperus sine ullo fortunarum detrimento quoad vixit in patria fuit, scilicet, usque ad annum MCCLXXVIII, quo liberis carens decessit [3]. Ejus domus cum scholis ex testamento Albertonis ipsiusque Bonrecuperi ad Praedicatores et Minores pervenit; qui eam anno MCCCXII Joanni Andreae clarissimo juris canonici professori in perpetuum usum locaverunt [4].

LXVII.

ROLANDINUS ROMANCIUS.

I. Multo ante Rolandinum floruere jurisprudentiae studia in gente Romancia, quae Bononiae fuit antiqua et nobilis. Vivebat post medium saeculum XII in ea gente Guido causidicus, Rolandini avus, de quo alio loco diximus [5]. Ex eo natus est Petrus Rolandini pater, ipse quoque juris legumque peritus [6]. Sed et patrem et avum Rolandinus longo intervallo superavit. Eum inter clariores juris civilis interpretes sui temporis jure numeramus. Bononiae celebrari coepit medio circiter saeculo XIII non solum in scholis sed etiam in foro et judiciis; est enim habitus causarum defensor prudentissimus et maxime solers. Atque hic omnium primus, ni fallor, certa ratione et ordine judices ad causas criminales tractandas instituit, edito *De ordine maleficiorum* libro [7], quem laudat Joannes Andreae in additionibus ad *Speculatorem* [8]. Itaque haec etiam pars juris a nostris professoribus, ut et reliquae omnes, primum illustrata et accommodata ad fori usum.

(1) *Ex lib. Reformat.*

(2) *Ex lib. Bannit. et Confin., qui an. MCCLXXXVII scriptus est.*

(3) Vivum adhuc constat initio illius anni. Mense Novembri Imilia ejus vidua nominatur. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(4) MCCCXII die XXIII Augusti. Fr. Mattheus de Esculo Prior Fratrum Predicatorum, Fr. Franciscus Barberius Conversus dicti Ordinis Procurator Guardiani et Conventus Fratrum Minorum etc..... locant in locationem perpetuam dn. Johanni Andree decret. doctori Cap. s. Geminiani domum positam in Capella s. Proculi.... de qua est questio inter dictos Fratres, ut fideicomissarios testam. qu. dn. Bonrecovri fil. dn. Albertonis leg. doct. et quosdam cives bonon. *Ex Memor. Joannis qu. mag. Joannis de Vincentia.*

(5) « An. MCLXXIII. Magister Guido de Motina et Guido causidicus de Romanzio etc. » rogati sunt testes cuidam instrumento, quod est in *Archivo Canonicorum Ecclesiae Bonon.*, fasc. II, n. XXXIII.

(6) Petrus Guidonis Romancii filius praesens fuit cum Joanninus Praeceptor sacramento ex solita neodoctorum formula et addixis scholis nostris an. MCXXXX de quo vide Appendice. Fuisse autem Rolandini nostri patrem constat ex *Mem. Com. Bon. an. MCCLXXXIII*, ubi Rolandinus legum doctor dicitur « filius qu. dn. Petri de Romanciis ». Itaque emendandus Alidosius, qui Rolandinum Scannabicci filium fuisse scribit.

(7) « Post invocationem Domini incipit parvus libellus et tractatus inchoatur ab accusatore ». Tale est ejus libri initium ex Diplovat. in *Rolandino Romancio.*

(8) In *Addit. Spec.*, in *Prooem.*, v. *Ceterum*, in *Addit. magna.*

II. Sed quoniam difficile potuisset hanc doctrinae partem recte explicare is, qui in causis criminalibus diu multumque versatus non esset, propterea, etsi nulla ejus rei monumenta superessent, minime dubitarem quin Rolandinus alicubi exercendis judiciis vacaverit; quod multos ex professoribus nostris factitasse comperio, qui antequam in scholis et academia tantum eniterent, quantum satis esset ad opes et gloriam, alio divertebant ut civitatum praetoribus ad jus dicendum assiderent, ac praeturam ipsi quoque interdum gererent, praesertim quos natalium nobilitas commendaret. Sed Rolandinum constat cum Lambertino Guidonis Lambertini filio, Brixiae praeturam agente, assessoris munere functum esse (1); ac fortasse in aliis civitatibus jus dixit, quamquam monumentorum inopia id certo affirmare non licet. Id unum pro certo habemus, praeturam illam brixianam cum Lambertino ipsi tum Rolandino ejus assessori infaustam admodum accidisse. Ac videtur praetor ipse Lambertinus cum familia omni quam secum ad praeturae munia ex more obeunda duxerat injuria exauctoratus, aut certe insigni aliqua contumelia affectus; ei enim et Rolandino populus bononiensis vindicias sive, ut loqui amabant, *represalias* in Brixianos concesserat, ad pensanda damna quae uterque ob eam causam pertulerat (2).

III. Haec ante annum MCCLV gesta (3); atque ex eo tempore Rolandinus academiae redditus deinceps ab ea discessisse non videtur, nisi quandoque ad paucos dies et cum reipublicae causa abesse contingeret. Fuit autem aeque clarus legum professor in schola ac patronus causarum in foro, nec minus auctoritate spectabilis inter cives. Itaque multae privatorum controversiae ejus arbitrio diremptae (4), et rectores civitatis saepe ejus opera et consilio usi sunt (5). Et quamquam provecta ejus aetas inciderit in illud tempus, quo factionibus et bellis civilibus civitas nostra misere afflicta est, hac calamitate adeo non minuta est Rolandini dignitas et auctoritas ut potius aucta videatur. Ipse enim cum suis Jeremiensium partem sequebatur. Quare et antequam bellum civile aperte erumperet, cum duo legum doctores praecipui ex Jeremiensibus et duo item ex Lambertacciis a civitatis moderatoribus consulerentur, quid facto opus esset in illa Foroliviensium defectione et Mutinensium contumacia, quae bellis civilibus causam postea dederunt, Rolandinus cum Alberto Odofredo ad eam deliberationem adhibitus est, ut alio loco diximus. Expulsis autem Lambertacciis, summa cum dignitate in civitate vixit.

IV. Anno MCCLXXVII cum Pace de Pacibus legum doctore sententiam dixit pro Fr. Michaele Prioris ex Ordine Militum B. M. Virginis, qua definivit jus illi esse non secus ac ceteris ejus Ordinis Fratribus, qui vulgo Gaudentes dicebantur, declinandi forum

(1) An. MCCLXXXIII die .... Dn. Rolandinus de Romanciis legum doctor fuit confessus habuisse a dn. Lambertino de Lambertinis LX lib. bonon. pro complemento unius debiti LXI lib. bonon. quas ipse dn. Lambertinus solvere tenebatur eidem quando fuit pro assessore dicti dn. Lambertini in regimine civitatis Brixiae. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) *Id constat ex tabulis in Mem. Com. Bonon. ad an. MCCLXXIV et MCCLXXXIII.*

(3) *Ibid. ex iisdem tabulis.*

(4) Praeter ea, quae infra adnotantur, an. MCCLXVIII cum controversia esset inter monachos nonantulanos et Franciscum Accursium ejus Monasterii advocatum, ejus controversiae arbitrium delatum est Rolandino Romancio et Raymundo Alfredi Clementis IV nepoti, qui ante annos aliquot Bononiam studiorum causa venerat; de quo vide inter scholares illustres anni MCCLXXIII. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(5) Anno MCCLXIX cum aliquot aliis legum doctoribus rata habuit pacta a populo bononiensi inita cum Betto Tornaquincio monetae bononiensis conductore. *Ex Memor. Semprebene de Nigro.*

judicis saecularis (1); et anno MCCLXXVIII cum nobilissima legatio ad Nicolaum III Pontificem Maximum decreta esset, ejus princeps fuit Rolandinus Romancius, cum quo fuere Thomasinus Guidonis Ubaldini, Pax de Pacibus legum doctores, Galeottus Lambertinus, Thomas Ghislerius, aliique praeterea ex illustrioribus civibus. Agebatur de agnoscendo Ecclesiae romanae supremo dominio in civitatem nostram, salva regiminis libera forma, quae tum in usu erat et longissimi temporis consuetudine nitebatur. Sed et alia cura suberat concordia cum exulibus Lambertacciis; cujus reconciliandae percupidum sese optimus Pontifex ostendebat. At nostri scriptores, in hac re narranda minus accurati, eam legationem decretam scripsere ad tradendam Pontifici civitatem, idque, ut optimis conditionibus fieret, curasse diligenter Antolinum de Manzolino legum doctorem, qui cum iisdem legatis Romanum Pontificem adierat. Sed neque haec civitatis deditio fuit, quae multo serius facta est; neque Antolinus ut Bononiensium legatus profectus est ad negotium illud cum Pontifice tractandum, sed procurator et syndicus legatorum actis interfuit, ut quidquid opus esset civitatis nomine stipularetur (2).

V. Biennio post, anno scilicet MCCLXXX, Rolandinus, tamquam arbiter ab utraque parte delectus, pronunciavit in causa quae erat inter Nonantulanos et Commune Crevalcorii, sive Allegralcorii, ut in Rolandini sententia sive *laudo* appellatur (3). Pancirolus eum narrat a civibus consulem creatum ad regendam Rempublicam, sepulcrali, ut videtur, inscriptione deceptus, quam Rolandini filio positam existimavit (4). Sed est revera illud epitaphium Rolandini Passagerii doctoris artis notariae, viri aetatis suae celeberrimi, de quo postea dicendum est. Quod si substructionem ipsam sepulcri duplici columnarum ordine suffultam apud ecclesiam s. Dominici vidisset Pancirolus, numquam profecto molem tam excelsam ignoto homini, Rolandini Romancii filio, excitatam putasset.

VI. Obiit Rolandinus Bononiae anno MCCLXXXIV, III idus Septembris, ornatus ipse quoque magnifico et splendido sepulcro, quod Guidestus filius erigendum curavit (5) in area, quae est circa ecclesiam s. Francisci ex ea parte quae nunc longis porticibus ornata est ad septentrionem. Ejus ichnographiam damus. Ac moles ipsa sepulcri satis integra adhuc superest, undequaque conspicua, et quamquam ejus frons porticibus haereat non ita tamen obtegitur ut commode videri non possit et legi titulus ibidem appositus, qui est hujusmodi:

(1) Fr. Michael Prioris proprio agnomine sic appellatus. *Extat Rolandini laudum in archivo Canonic. Eccles. Bonon.*, fasc. IV, II.


(2) Ejus legationis acta dedit Ghirardaccius, sed mutila et mendosa. Ea habes in Appendice.

(3) *Ex Memor. Com. Bonon. ad diem XXVI Jan. an. MCCLXXX.*

(4) Inscriptionis alter versiculus hic est: « Patre Rolandino cetus Preconsule primo ». Pancirolus legit: « Patre Rolandino natus Proconsule primo »; atque ut hic Rolandini natum agnovisse sibi visus est, sic Rolandinum ipsum Bononiensium proconsulem, sive, ut ipse ait, consulem fuisse putavit. Sed quantum a vero aberraverit, perspicuum erit ex iis, quae de Rolandino Passagerio notariorum primo praeconsule infra dicentur.

(5) « Anno MCCLXXXV die II Maji. Mag. Albertus et mag. Albertinus domini laborerii s. Petri promiserunt dn. Guidesto qu. dn. Rolandini de Romanciis facere et laborare arcam dicti dn. Rolandini de opere marmoreo.... faciendo dictum laborerium medium de lapidibus albis marmoreis, et aliam medietatem de vermiliis.... eundo ad civitatem Verone pro lapidibus vermiliis.... ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

S · DOMINI · ROLANDINI · DE · ROMANCIIS · DOCTORIS · LEGUM · QUI · OBIIT
ANNO · DOMINI · MCCLXXXIV · XII · INDICIONE · XI · DIE · INTRANTE · SEPTEMBRIS



Tres filios susceperat Rolandinus, Petrum, Scannabiccum et Guidestum. Priores duos anno MCCLXVIII emancipaverat, tertium anno MCCLXXVIII (1). Sed Petrus, qui uxorem duxerat Thomasiam Malavoltam, patri praemortuus est (2). Scannabiccus in clerum cooptatus canonicus Ecclesiae bononiensis fuit et archipresbyter Coderunci. Hic anno MCCLXXXX ab Inghiramo quodam, quem Rolandinus domi suae aluerat et magnis beneficiis affecerat, proditorie occisus est (3). Superfuit Guidestus, a quo gens Romancia propagata est. Fuere Romanciorum aedes prope claustra urbis antiquae ad Portam

(1) *Ex tabulis emancipation. in Mem. Com. Bonon. ad eos annos.*

(2) Nupserat Petrizolo Thomasia an. MCCLXXVII, ut ex *Mem. Com. Bonon. eius anni.*

(3) Anno MCCLXXXX deliberatum in Consilio civitatis de arctiori custodia proditoris Inghirami, qui e carcere episcopi fugere tentaverat. *Ex lib. Reform.*

Sterii, vulgo, Serralium Portae Sterii, et veteri fossae tum nondum oppletae insidebant e regione fere ejus loci, ubi Rolandini ipsius sepulcrum postea erectum est. De aedificiis a Rolandino ibi constructis mentio est apud Odofredum, qui eum arguit aliquid ex area publica praeter jus fasque occupasse (1).

VII. Scripsit Rolandinus, ut supra dictum est, tractatum *De ordine maleficiorum,* qui magnam ei laudem conciliavit. Additamenta etiam fecit *Summulae,* seu *Margaritae* Alberti Galeotti; qui liber magno in pretio erat apud antiquos legum professores (2). In indiculo librorum, qui prostabant apud Stationarios Universitatis, scholarium commodo, hunc adnotatum video: *Statuta domini Rolandini de Romanciis;* quem librum jamdiu periisse censeo; latuit enim Diplovataccium, diligentissimum antiquorum librorum investigatorem (3).

LXVIII.

GUILIELMUS ROMBODEVINUS.

Duos hoc nomine legum doctores bononienses apud Alidosium habemus, patrem et filium. Sed horum alter mercaturam secutus est, non autem jurisprudentiam. Atque hic filium habuit eodem nomine, qui legum professione claruit. Erat his legum doctor jam inde ab anno MCCXXXXVII (4), et insequenti anno cum Rambertino Bualello Januensium praetore, assessoris munere functus est (5). Idem munus aliquando gessisse videtur apud Philippum Asinellium, cum is praeturam Mediolanensium obtineret (6). Anno MCCLXIX cum populus bononiensis florentino conductori monetam locasset, quatuor legum doctores delecti sunt, qui tabulis conficiendis adessent, conditionesque approbarent; quo in numero fuit Guilielmus Rombodevinus (7). Atque huic etiam bene vertit quod Jeremiensium partes in civilibus turbis secutus sit. Anno MCCLXXX novem consulum et rectorum civitatis magistratu instituto, inter eos aliquando adlectus est Guilielmus, cujus prudentiae hoc etiam argumentum est quod anno MCCLXXXVIII cum aliquot aliis jurisperitis a populo bononiensi delectus est ut pacem conciliaret inter Regienses et eorum exules (8), et anno rursus MCCLXXXIX cum Gardino legum doctore et Nicolao Soldaderio delectus est ad cognoscendam ac dirimendam controversiam,

(1) « Si aliquis facit opus in loco publico contra statum reipublicae, nulla praescriptio nocet, etiam mille annorum.... Et ex lege ista colligetis argumentum contra eos, qui occupaverant fossata communis juxta serralia, ut fecit dn. Rolandinus de Romancis, et dn. Jacobus Spelta etc. ». ODOFRED. in l. *Praescriptio,* C. *De operib. publ.*

Sed post Odofredi decessum Rolandinus, numerata pecunia, quod ex fundo publico occupaverat, a Reipublicae procuratoribus emit, ut ex tabulis in *Mem. Com. Bonon. ad diem III April. MCCLXVIII.*

(2) Fecit additiones *Summulae,* et *Margaritae* Alberti Galeotti. Incipit: « Qualiter contrahatur pignoris obligatio ». Et ita incorporatas vidi et habeo dictam *Summulam* cum additionibus, de quo etiam vide Joann. Andreae in dicta *Addit. magna.* DIPLOVAT. in *Rolandino Romancio.*

[TIRABOSCHI. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XXIV. — FANTUZZI. *Op. cit.* art. *Rolandino de' Romanzi.* — SAVIGNY. *Op. cit.,* lib. V, cap. XXXXV]. (C. A.)

(4) Anno MCCXXXXVII in quodam controversia compromissum factum est in Antianos et Consules Argentariorum et Mercatorum, in quibus erat Guilielmus Rombodevinus. Praesens cum aliis testibus interfuit Guilielmus Rombodevinus legum doctor ejusdem Guilielmi filius, ut ex tabulis in *archivo s. Michaelis in Busco.*

(5) CAFFAR. *Annal. Jan. ad an. MCCXXXXVIII* apud MURATOR. *Rer. Ital script.,* t. VI, pag. 514.

(6) Anno MCCLXXXVII. Populus bononiensis vindicias, vulgo represalias dicebant, Philippo Asinellio et Guilielmo Rombodevino contra Bergomates concesserat, qui Philippum Asinellium, ejusque familiam, ex praetura mediolanensi redeuntem violaverant. *Ex Mem. Com. Bon.*

(7) *Ex tabulis eo anno scriptis, quas vide in Append.*

(8) *Ex lib. Reformat. ejus anni in archivo Com. Bonon.*

quae inter Commune Bononiensium et canonicos Ecclesiae bononiensis oborta erat (1). Floruit inter academiae nostrae professores annis circiter quinquaginta; nulla tamen ejus scripta memorantur ac praeter rationem inter scriptores bononienses ab Orlandio recensetur (2). Itaque expungendus est etiam Guilielmus ex bibliotheca juridica Lipenii; nec est cur quisquam requirat ejus *Responsum juridicum quod legitimati ab habente facultatem ab Imperatore succedant ad haereditatem*, quod Lipenius, quasi Bononiae typis editum, indicat (3). Consuluit ea de re Rolandinus Passagerius anno MCCLXXXVI (4). Collegium doctorum, advocatorum et judicum bononiensium, quo in Collegio erat Guilielmus Rombodevinus; sed neque ipse, nec alius quisquam responsum juridicum in ea quaestione scripsit quod aliquando editum fuerit, ut sibi finxere Lipenius et Orlandius Alidosii verbis decepti (5). Fallitur etiam ipse Alidosius, cum Guilielmi filium Jacobum doctorem legum fuisse scribit. Cum enim plures filios reliquerit Guilielmus Rombodevinus, nullum eorum constat jurisprudentiam professum fuisse (6). Anno MCCLXXXXIV adhuc in vivis erat (7), sed non diu postea vitam protraxit, etenim eo ipso anno vel proximo aut altero insequenti decessit (8).

LXIX.

HUGOLINUS ZAMBONI.

Infausta pugna ad pontem s. Proculi in agro faventino anno MCCLXXV pugnata, in qua maxima civium nostrorum clades fuit, hunc etiam doctorem abstulit. Paucis eam pugnam describit Ghirardaccius (9), copiosius multo Petrus Cantinellus, qui inter occisos in eo praelio Hugolinum Zamboni legum doctorem memorat (10). Erat ille ex Jeremiensibus, qui a Lambertacciis anno superiore expulsis, ad pontem s. Proculi victi sunt, quamquam ea victoria reditum in patriam Lambertacciis non permisit. Sed Hugolinus multo ante inter professores scholarum nostrarum merebatur. Eum alicubi Hugolinum Zamboni, alicubi de Zenzanis nominatum reperio, illud siquidem fuit patris nomen, hoc agnomen familiae, quae illius, quam de Sancto Petro appellatam fuisse diximus, propago erat (11). Hugolinus etiam Zamboni Episcopi dictus est (12); incertum qua ex causa,

(1) *Ex lib. Reform. ejus anni in archivo Com. Bonon.*

(2) ORLANDI. *Scrittori bolognesi di legge*, pag. 184.

(3) LIPENII. *Biblioth. Juridica*, pag. 299.

(4) *Vide in* ROLANDINO PASSAGERIO.

(5) ALIDOSI. *Dottori bolognesi*, pag. 94, 95.

(6) Anno MCCLXXXV die XII Jun. dn. Guilielmus de Rombodevino legum doct. et Petrus ejus filius receperunt a dn. Rubeo dn. Corradini Rubei D florenos auri in septingentis quinquaginta quatuor libr., III sol., IV den. bonon. quos ille depositi loco habuerat. *Ex tabulis in Mem. Com. Bonon.*

Anno MCCLXXXXVI die IV Mart. Jacobinus qu. dn. Guilielmi de Rombodivino legum doct. *Ibid.* Vides, hic neque Jacobum, sive Jacobinum, nec alium quemlibet ex Guilielmi filiis legum doctorem appellari.

(7) An. MCCLXXXXIV die XV Octob. vivus nominatur in *Mem. Com. Bonon.* Vidit clarissimus Montius.

(8) *Ex tabulis ante indicatis.*

(9) GHIRARDACCI, lib. VII.

(10) In quo quidem conflictu mortui fuerunt de majoribus et nobilioribus de Bononia de parte Geremejorum scilicet dn. Thomaxinus de Riostis, dn. Hugolinus Zamboni doctor legum etc. PETRUS CANTINEL. in *Chronico penes me mss.* et RUBEUS *Hist. Ravenn.*, lib. VI.

(11) *Vide quae dicta sunt in* ARIMUNDO DE SANCTO PETRO.

Veterem gentis titulum ab Hugolino neglectum ejus filii usurparunt. « MCCCXXV die XII Maji dna Francisca filia qu. dn. Cursini de Accurxiis uxor dn. Alexandri olim dn. Ugolino de Sancto Petro ».

Et rursus: MCCCXXV die II Decembris. Dna Francisca qu. dn. Curxini de Accurxiis uxor dn. Alexandri qu. dn. Ugolini Zamboni leg. doct. etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(12) MCCLXVII die XII intr. Majo. Dn. Ugolinus qu. dn. Zamboni episcopi doct. legum etc. *Ex Memor. Jacobini Aldrovandini. Vide etiam* ALIDOS. *in Doct. Bonon.*, pag. 222.

nisi forte Zambonum ejus patrem liberale aliquod officium in episcopali aula gessisse suspicemur (1). Hugolini saepe mentio est in monumentis bononiensibus ab anno MCCLIV usque ad haec Jeremiensium et Lambertacciorum tempora. Sed non multa de illo memoratu digna occurrunt. Nam quoties monetae aut vectigalium locationibus probandis cum aliis doctoribus adhibitus fuerit, recensere hic non est opus. Medicinensium patronus fuit, quibus suum in foro patrocinium obligavit annuo quinquaginta librarum stipendio (2). In privatorum quoque causis defendendis et controversiis dijudicandis utilem operam adhibuit (3), prope ad eam diem qua pro Jeremiensibus pugnans in acie cecidit. Conjugem habuit Bertam de Buccadeferris, nobilissimo loco natam, ex qua filios suscepit Petrum et Alexandrum, filiamque Belvisam Matthiolo Galluccio nuptam (4).

LXX.

BENINCASA ARRETINUS.

I. Ex Laterina, agri arretini castro, prodiit Benincasa, quem non tam legum professio, in qua vivens excelluit, quam mors infelicissima memorandum reddiderunt. Docuit in academia nostra jus civile post medium XIII saeculum. Et quamvis reliquorum jam luminibus obstruxisse videretur Accursius et nemo jam fere jurisprudentiam aliunde attingeret quam ex accursianis commentariis, ipse tamen non verebatur palam Accursium carpere, ejusque famam vellicare. Memoratur acerbum ejus dicterium quo aliquando, cum in schola doceret, usus est. Cum enim in quadam juris quaestione interrogaretur ab auditoribus suis: Ite, inquit, ad Accursium qui totum jus civile suis glossis conspurcavit (5). Ex quo de hominis ingenio judicari potest, ad cujus stomachum minime faciebat tanta glossarum farrago, quam purissimis romanis legibus plus interdum tenebrarum quam lucis afferre existimabat.

II. Sed haec dicendi licentia, in homine praesertim extero, parum grata esse debebat academiae nostrae professoribus. Atque id etiam fortasse in causa fuit, cur is a scholis nostris discesserit; in quibus homo aliorum contemptor et nimium audax (6), satis expeditum iter ad opes et gloriam sibi futurum non videbat. Itaque totum se foro et judiciis dedit, atque in multis civitatibus praetoribus ad jus dicendum assedit. Vel in ipsa civitate nostra hoc officio functus est anno MCCLXXXVI Stricca Salimbenio arretino praetore (7). Idem munus Senis etiam gessit; sed malo prorsus suo fato. Cum enim fratrem Ghini de Tacco hominis ferocissimi (8) a Senensibus hostem patriae de-

(1) Ita conjicit clarissimus Montius.

(2) *Ex Mem. Com. Bonon. ad an. MCCLXX.*

(3) MCCLXIX die XI ex. Octob. Dn. Orabonus monachus s. Stephani et dominus Brandelixius de Gozadinis compromittunt in dn. Ugolinum qu. dn. Zamboni de Zenzanis. Thomaxinum qu. dn. Guidonis Ubaldini et Bonromeum dn. Jacobi de Duliolo leg. doct. etc.

« MCCLXX die XI intr. Jan. Dn. Spagnolus Abbatis legum doctor pro se et suis promisit stare sententie dn. Ugolini de Zenzanis doct. leg. etc. ». *Ex Mem. Com. Bonon.*, in quibus acta ejusmodi habentur usque ad diem XXV Maji MCCLXXV, quae conflictum ad pontem s. Proculi diebus XX antecessit.

(4) MCCLXXXVIII die IX April. Dn. Petrus qu. dn. Ugolini Zamboni leg. doct. filius dne Berte filie dn. Boccadiferrini de Boccadiferris etc. *Ex Mem. Lodoici Marchixini etc.*

(5) Semel interrogatus a scholaribus suis Bononiae de quodam puncto juris, non erubuit dicere: « Ite, ite ad Accursium, qui imbrattavit totum Corpus Juris ». Benvenut. Imol. *Comoed. super Purgat. Dantis*, cap. VI.

(6) *Ibid.*

(7) *Ex Lib. Reform. ejus anni in archiv. pub.*

(8) Est Ghinus ille, qui Radicofanum Romanae Ecclesiae arcem occupaverat; quo ex loco, natura ipsa munitissimo, circumjacentes regiones et itinera infesta

claratum et proscriptum suspendio damnasset, Ghinus immani furore in judicem exarsit et certae morti immerentem destinavit. Quod cum persensisset Benincasa, ubi assessoris officio perfunctus est, inter Romani Pontificis auditores se cooptari curavit, ratus ea dignitatis accessione aliquid metus ac reverentiae se Ghino allaturum. Sed vir audacissimus in eum aliquando pro tribunali sedentem et jus dicentem in palatio, maxima hominum turba nequicquam circumstante, furibundus invasit et ense confossum e gradibus exanimem dejecit; cujus spiritum Dantes in Purgatorio sistit et infaustum exitum paucis describit (1).

III. Non vulgari laude Benincasam Arretinum donat Benvenutus Imolensis, cumque magnum jurisconsultum vocat et acutum in civili prudentia, sed doctorem tamen non dicit (2); quae eximia honoris appellatio praetereunda non videbatur, nondum enim per illud tempus doctoris titulus ita viluerat ut illo viri quique clarissimi non maxime gloriarentur. Itaque suspicari aliquis posset Benincasam jus civile extra ordinem in nostris scholis docuisse ut scholares quique praestantissimi, qui ad doctoris honores aspirabant. Sed omnem hunc scrupulum abigunt veteres tabulae anno MCCLXXXV scriptae, in quibus Benincasa Arretinus legum doctor appellatur (3).

LXXI.

NICOLAUS MALUMBRA.

Nicolaum Cremonensem memorat Diplovataccius inter legum professores, qui exeunte XIII saeculo floruerunt. Eum vocat subtilissimum doctorem, ejusque reperiri ait pulchras quaestiones disputatas, quas laudat Albericus de Rosate (4). Hunc esse Nicolaum Malumbram cremonensem facile existimo, patrem fortasse aut certe agnatum Richardi Malumbrae, viri celeberrimi sed ambiguae famae, qui post initium XIV saeculi claruit. Alterum sane Nicolaum Cremonensem legum professorem alicujus nominis et famae, qui aetate illa vixerit, nullum reperio. Erat Bononiae Nicolaus Malumbra ad annum MCCLXVIII studiorum causa, jam tum cremonensis episcopi judex appellatus (5); nec dubito, quin aliquamdiu in scholis nostris docendo vacaverit, ut ceteri solebant qui ad doctoris insignia aspirabant. Anno MCCLXXI, cum adhuc Bononiae versaretur, Guidoni de Flisco praetori arretino annuam operam in assessorio munere obbligavit (6); neque

habebat. Multa de illo narrat Benvenutus in cant. VI *Purgatorii Dantis.* Nec illepida est historiola Abbatis Cluniacensis, quem Ghinus insperato curationis genere ad sanitatem reduxit, ut elegantissime narrat Boccaccius.

(1) Quivi era l'Aretin, che da le braccia
Fiere di Ghin di Tacco ebbe la morte.

DANT. ALIGHER. *Purgat.,* cant. VI, v. 13. — BENVENUT. IMOLEN., *loc. cit.*

(2) « Hic poeta describit quosdam spiritus modernos notabiles. Et primo nominat unum magnum jurisconsultum de Aretio, qui fuit tempore illo famosus et acutus in civili sapientia, audax nimis.... Hic vocatus est dominus Benincasa; licet male cesserit sibi. Et fuit de uno Castello, quod dicitur Laterina ». BENVENUT. IMOLEN., *loc. cit.*

(3) Anno MCCLXXXV. Mag. Rolandus Tancredi de Arretio, Bononiae degens, procuratorem constituit ad exigendam quamdam pecuniae summam a dn. Benincasa de Aretio legum doctore. *Ex Mem. Com. Bonon.* Vidit clarissimus Montius.

(4) Nicolaus Cremonensis subtilissimus doctor. Inveniuntur ipsius pulchrae quaestiones disputatae, de quibus Albericus de Rosate in I part. *Stat.,* q. 52 DIPLOVAT.

(5) Anno MCCLXVIII. Dn. Nicolaus de Malombris judex dn. Episcopi de Cremona etc.

Anno MCCLXIX die XXIX Novemb. Dn. Cervottus doctor legum vendit dn. Nicolao de Malumbris de Cremona unum decretum in cartis pecorinis pro pretio XXXIII lib. presentibus dn. Manuello de Malumbris etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(6) *Ex Mem. Com. Bonon. ejus anni.*

de hoc professore aliud nosse datum fuit. Obiit Patavii, ubi videtur ad docendum conductus; incertum quo anno. Pancirolus tumulatum dicit ad divi Augustini aquilonarem portam cum hoc epitaphio:

Edite nobilibus celse Nicolae Malumbris
Urbe cremonensi solers utriusque professor,
Juris causidicus doctissime strenue fautor
Justitiae vivas oro per saecula felix.

Sed errat Pancirolus, dum Nicolaum Malumbram post Richardum recenset, quasi ille ante Nicolaum vixerit; cum hic contra Richardo antiquior, ac fortasse ejus pater fuerit, ut supra dictum est.

LXXII.

THOMAS DE PIPERATA.

I. Ignotus est Pancirolo Thomas de Piperata, juris caesarei professor non infimi subsellii, qui Bononiae floruit inclinante XIII saeculo. Storlictorum gente ortus est, quae primariae apud nos nobilitatis erat; sed ipse tamen abdicato stirpis suae vocabulo Thomas de Piperata ex patris nomine appellari maluit. Fuit enim pater ejus Piperata Storlictus, in antiquis monumentis nostrae civitatis notissimus (1), quem inter legum doctores haud recte Alidosius numeravit (2); cum in ea familia unus, quod constet, jurisprudentiae laude floruerit Thomas Piperatae filius. Scripsit tractatum *De fama,* qui magno usui fuit Guilielmo Durantis in *Speculo juris* ad titulum *De notoriis criminibus.* Eum laudat pluribus locis Joannes Andreae (3) in additionibus ad *Speculatorem.* Laudatur etiam ab Alberto de Gandino in suo *De ordine maleficiorum* libro (4), et a Bartholo (5). Plures quoque *Disputationes* reliquit, quas vidit Diplovataccius. Earum meminit Albericus de Rosate (6). Unam ex his exponit Joannes Andreae (7). Ex iis autem, quae dicit in tractatu *De Fama,* argui potest, illum annis centum post mortem Bulgari vixisse, ut observat Diplovataccius (8). Atque id egregie concordat cum monumentis, non multis tamen, quae de hoc professore in archivis bononiensibus anno MCCLXV et deinceps reperire licuit.

(1) Piperatus etiam et Piperarius et Peverarius in antiquis monumentis dicitur: sed Piperata est in iscriptione ejus sepulcri, quam infra damus.

(2) ALIDOS. in *Doct. bonon.* ad pag. 187 mendoso, ut videtur, loco deceptus libri cujusdam Proscriptorum partis Lambertacciae, qui est in archivo bonon., ubi recensetur dn. Thomas dn. Piperati legum doctoris; at legum doctor scriptum esse debuerat, ut ex innumeris aliis monumentis liquet.

(3) JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Spec. et praecipue* in tit. *De not. crim.*

(4) ALBER. DE GAND. *De ord. malefic.*, rubr. *De praesumpt. et indic.* in fin.

(5) BART. in l. *De minore*, § *Plenius.*

(6) ALBERIC. DE ROS. *Statut.*, p. II, qu. 101 in fin. et qu. 164, et in p. III, qu. 45 et 48, et in p. IV, qu. 32, et in l. *Fin.*, C. *De pact. convent.* ex DIPLOVAT.

(7) Scire debes, Thomam de Piperata disputasse quaestionem de absente accusato crimine capitali, pro quo amicus absentiae causas allegavit. Judex volebat quod satisdaret de illo praesentando tempore, quo justa absentiae causa poterat esse finita. Quaerebatur, an ille defensor ad id teneretur. Solvit quaestionem non esse dubium. JOANN. ANDREAE. *Addit. ad Spec.*, tit. *De conjuncta persona.*

(8) « Ut solet dici de morte Bulgari, petitur per aliquem, qui Bulgarus decessit, jam sunt centum anni: quo casu, sola fama probat, et sic sentit Joannes etc. ». THOM. DE PIPERATA in *Tract. de Fama*, § *Sed quid operavitur*, n. 37.

II. Et quidem anno MCCLXVIII cum Francisco Accursio, nomine reliquorum civilis et canonici juris professorum, convenit cum bidellis de ratione servanda in exigenda stipe a scholaribus, sive, uti dicere solebant, in facienda collecta (1). Anno MCCLXXII stante adhuc in civitate utraque Jeremiensium et Lambertacciorum parte, consultus est cum aliis legum doctoribus, magistratuum nomine, cum ageretur de coercendis subjectis populis qui in fide non manebant (2). Sunt etiam tabulae eodem anno scriptae, quibus tamquam emancipatus a patre profitetur, se nomine dotis accepisse libras bonon. mille a Bartholomaea uxore sua Azolini Lambertaccii filia (3), scilicet ex ea domo, quae ghibellinae factionis principatum in civitate nostra diu tenuit, eique nomen suum impertivit. Et erat etiam in Storlictorum gente inveteratum ejusdem partis studium (4); quod illis tandem, ut compluribus aliis, perniciosum accidit; anno enim MCCLXXIV conflato civili bello ad unum prope omnes e civitate hostilem in modum sunt ejecti (5). Sed in medio rerum discrimine, cum extremum diem ageret senex Piperata impendentes familiae suae calamitates animo prospiciens, non filios suos Thomam, Castellanum ac Bartholomaeum, quos paucis ante annis emancipaverat (6), sed nepotes impuberes, eorum filios, haeredes instituit (7); ratus, ut opinor, bona quae relinquebat a publicationis periculo tutiora fore si in patrimonio puerorum censerentur, qui nondum per aetatem civilibus turbis se immiscere potuissent. Neque eventus fefellit prudentis viri salubre consilium. Thomas enim ejusque frater Castellanus perduellionis nomine patria pulsi et fortunis fere omnibus spoliati, non tamen innoxios liberos eadem secum ruina involverunt (8).

III. Quem sibi exilii locum Thomas delegerit, non liquet. Vivendi finem fecerat anno MCCLXXXII (9); neque est illius nomen in secundae proscriptionis tabulis eodem illo anno confectis. Sed tamen ejus bona fisco addicta manebant anno MCCLXXXVIII (10); ex quo intelligi potest, damnatum et exulem obiisse. Falso igitur Alidosius Bononiae mortuum et ad divi Francisci tumulatum scribit (11). Et ibi ad fores Piperatae sepulcrum, in quo etiam Faciolus ejus nepos conditus est, multis post annis in patriam

(1) *Ex Mem. Com. Bonon. an. XIV ex. Dec.* Qua de re alibi dictum.

(2) *Vide supra in* Alberto Odofredo.

(3) *Ex tabul. in archiv. s. Franc. ad an. MCCLXXII et ex Mem. Com. Bonon. ad eumdem annum.*

(4) Bonifacius Storlictus Castellani filius datus est anno MCCXXXXIX Grasulphis, idest, Ghibellinis mutinensibus praetor; eodemque tempore Aigonibus, seu Guelphis, comes de Prendipartibus; cum utraque pars, ex foedere nuperrime icto, bononiensem Rectorem de magistratuum nostrorum sententia accipere deberet. Vide *Tab. foederis in Append.* et *Annal. vet. Mutin.* apud Murator. *Rer. Ital. script.*, t. XI, pag. 63.

Sed is quoque Bonifacius, qui nobiliorum Italiae civitatum praeturis administrandis claruit, agnomen suae gentis repudiasse videtur, Bonifacius Castellani ubique dictus: cumque de Storlictorum genere fuisse vix constaret, nisi fidem facerent publicae tabulae in *Mem. Com. Bonon. descriptae ad an. MCCLXV*, quas vidit clarissimus Montius.

(5) *Ex lib. Bannit. in archiv. Bonon. script. an. MCCLXXVII.*

(6) MCCLXIX die XI ex. Jun. dn. Peverarius qu. dn. Guizardi de Storlictis emancipavit filios suos dn. Thomaxium leg. doct. dn. Castellanum et dn. Bartholomeum .... Dn. Thomaxio in premium emancipationis dedit tubatam suam magnam et partem turris que fuit dn. Amadoris sui fratris cum omnibus domibus etc. item libros suos legales etc. *Ex Memor. Thomaxii Alberti Fabri etc.*

(7) MCCLXXIV die.... Augusti. Peverarius qu. dn. Guizardini infirmus suum fecit testamentum scriptum manu Oliverii Johannis Martelli Not. quo quidem constituit universales heredes Castellutium Giliolum Thomaxinum et Faciolum suos nepotes et hanc suam ultimam voluntatem esse voluit. Fact. heri ad locum s. Marie Ord. de Cistello extra circlam burgi s. Felicis etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(8) *Ex lib. Bannit. supra indic.*

(9) Dna Bartholomea ux. qu. dn. Thomaxii de Piperatis legum doctor etc. *Ex Memor. Com. Bonon. an. MCCLXXXII.*

(10) *Ex lib. Melioram. bon. Bannit.*

(11) Alidos. *Doct. bonon.*, pag. 213.

restitutus. Thomae vero legum doctoris inscriptio apposita non meminit, quae est hujusmodi:

SEPULCRUM · DOMINI · PIPERATE
IN · QUO · ANNO · DOMINI · MCCCXXXII · DIE · XIX · MENSIS · MADII
FUIT · SEPULTUS · VIR · STRENUUS · FACIOLUS · DE · STORLITIS
FILIUS · QUONDAM · DOMINI · BARTOLOMEI
FILII · OLIM · DOMINI · PIPERATE · SUPRADICTI

IV. Cum doceret in scholis Thomas de Piperata, non videtur alienus fuisse ab eo quaestu, quem doctores non pauci sectari solebant, mutuantes scholaribus pecuniam (1), non tam ut lucrarentur ex foenore, quam ut eos sibi addictos haberent. Scripsit, ut supra dictum est, tractatum *De fama*, quem *Speculator* intulit in *Speculum juris* (2); et quaestiones a Joanne Andreae aliisque laudatas. Tractatus *De fama* initium tale est: *Quoniam circa famam, indicium, argumentum et praesumptionem, multas dubitationes oriri contigit in judiciis; instantia prudentis viri domini Gulielmi J. P. civis Alexandriae ego Thomas de Piperata de Bononia juris civilis dictus professor infrascripta super praedictis redigere curavi.* Editus est in tractatibus *Universi juris* (3), et vidi etiam manu exaratum in codice Vaticano (4), ubi Guilielmus Cunellus appellatur jurisperitus ille alexandrinus, cujus rogatu id se operis aggressum esse auctor profitetur (5).

LXXIII.

SPAGNOLUS ABBATIS.

I. Spagnolus Abbatis Bencivennis filius, ex familia natus est mercaturae et collybo dedita, quae res, ut tunc erant hominum mores, amplitudini generis adeo non officiebat, ut, ex vetustissimis argentariorum statutis ac monumentis, vix quisquam illis temporibus nisi nobili aut certe honestissimo loco natus permutandae pecuniae mensam palam propositam habuisse videatur (6). Nec vero eum quaestum Spagnolus ipse, jam legum doctor, indecorum sibi reputavit; quem saepe una cum fratribus (erant omnes a patre emancipati) nomina fecisse constat et credidisse non solum privatis sed etiam populis universis; et vario foenoris genere non modicas argenti summas occupasse (7). Neque tamen a patrocinandis causis abfuit toto, ut minimum, decennio, in foro versatus (8) ab anno MCCLXIV usque ad belli civilis initia (9). Huic et Antonio ac Bolognino fratribus Rex Sardiniae Hentius, cum Bononiae tertium ac vicesimum annum captivus e vita decederet, grandem pecuniam extremis codicillis legavit (10) ab Alphonso Castellae

(1) Anno MCCLXV. Dn. Thomaxius dn. Peverarii mutuo dat Guilielmo Broderii Guasconi scholari, Bononiae studenti, fidejubentibus aliis scholaribus. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) Vide *Speculum juris*, tit. *De notar. crim.*

(3) T. XI, p. I, pag. 8.

(4) *Est codex Vatic. 2343.*

(5) Fantuzzi. *Op. cit.* art. *Piperata Tomaso.* — Savigny, *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXXV. (c. a.)

(6) Eorum itaque (Campsorum) nobilis et commendanda generatio in civitate Bononie locum pre ceteris obtinere dignoscitur principalem et in eadem evidenti consortio commendabili fulgere. *Ex Stat. Camps. ex anno MCCXXXXV scriptis a Rolandino Passagerio.*

(7) *Ex variis contractib. in Mem. Com. Bonon.*

(8) Anno MCCLXV promittit se quamdam causam defensurum stipendio lib. centum bon. *Ex Mem. Com. Bon.*

(9) Anno MCCLXIV die XI Octob. Dn. Spagnolus dn. Bencivennis leg. doct. appellatur in chartula archiv. Mon. s. Stephani, nunc Senatus Bonon.

(10) Item jure legati relinquimus dn. Spagnolo Abbatis legum doctori Antonio et Bolognino suis fratribus

Rege et Friderico Thuringiae Lantgravio, propinquis suis, quos in hierosolymitano regno et siculo et arelatensi et in Sueviae ducatu testamento haeredes instituerat (1). Sed plane credendum est tantumdem de suo legato cepisse Spagnolum et fratres, quota illorum regnorum pars ad Alphonsum et Fridericum pervenit.

II. Haec anno MCCLXXII, quo mortuus est Hentius, acta sunt. Biennio post erupit civilis discordiae incendium Abbatum genti exitiosum ut aliis opulentioribus familiis, quae Lambertacciorum partes secutae fuerant; proscripti enim sunt fere omnes, qui erant ex illa domo et eorum bona publicata (2). Spagnolus autem, cum esset magna apud ceteros exules auctoritate, anno MCCLXXVIII syndicus ac procurator Lambertacciorum nomine ad Nicolaum III Pontificem profectus est, quem utraque factio contentionum suarum arbitrum elegerat (3); quo tempore Jeremienses, qui civitatem tenebant, suos et ipsi syndicos miserunt, in primis Antolinum de Manzolino legum doctorem (4). Sed pax anno insequenti summa Pontificis voluntate conciliata, altius exulceratis utriusque partis animis, diuturna esse non potuit. Exortis igitur novis turbis, Spagnolus iterum expulsus est ac proscriptus cum omni familia, excepto Jacobo ejus fratre, cui mitior relegationis extra territorii fines poena imposita (5). Ipse reliquum tempus exul a patria egit, et incertum quo loco lares fixerit et extremum diem obierit. Anno MCCLXXXXIII Beatricem, quae uxor ejus fuerat, legata quaedam e supremis viri tabulis exsolvisse comperimus (6).

LXXIV.

RIBALDUS FUSCARDUS.

Superioribus quoque jungendus est Ribaldus Fuscardus legum professor, qui eadem aetate vixit. Hunc omnino ignoravit Alidosius. Ejus tamen memoria pervulgata est in antiquis monumentis bononiensibus. Sed quantum ex iis conjicere licet, consultationibus potius et causarum patrociniis quam scholae muneribus vacavit. Ac videtur maxime controversiis mercatorum cognoscendis intendisse, natus ipse ex familia perampla, quae in mercatura exercenda ex primis ac praecipuis habebatur. Ejus pater Fuscardus fuit, qui anno MCCLXXIII Ribaldum hunc legum doctorem et Gaboardum filios, Hentium

mille lib. bon. solvendas et dandas eis per illustres dnos Alfonsum et Federicum prefatos. *Ex Codicill. Reg. Hent.* apud LEAND. ALB. *in Supplem.*

(1) In regno autem Hierusalem regno Sicilie regno arelatense ducatu Suevie et in omnibus juribus dignitatibus et honoribus ad nos in Imperio Romano spectantibus et generaliter in omnibus aliis bonis nostris juribus et actionibus presentibus et futuris illust. dn. Alfonsum Regem Castelle consanguineum nostrum et dn. Federicum tertium Lanthegravium Turring. nepotem nostrum nobis heredes instituimus et ipsos equalibus portionibus eadem hereditate nostra decernimus potituros. *Ex Testam. Reg. Hent. Ibid.*

(2) *Ex lib. Bannit. script. an. MCCLXXVII.*

(3) Id intelligimus ex Nicolai III sententia, qua pacem inter Jeremienses et Lambertaccios firmavit. Quamquam autem apud Ghirardaccium, qui totidem verbis Nicolai Pontificis sententiam exscripsit, iste Lambertacciorum procurator dicatus Spaciolus Abbatis, de vero ejus nomine dubitare non licet. Ac, praeterquam quod mendum ibi est manifestum, in *Chronico Petri Cantinelli*, in quo eadem sententia exhibentur, Spagnolus Abbatis legum doctor aperte dicitur.

(4) *Vide supra in* ROLANDINO ROMANCIO.

(5) *In lib. Bannit. script. anno MCCLXXXII* ita legitur: « Dn. Spagnolus Abbatis qu. dn. Bencivenne legum doctor et omnes de domo sua excepto dn. Jacobo Abbatis ».

(6) MCCLXXXXIII die VIII Jan. dna Beatrixia ux. qu. dn. Spagnoli Abbatis commissaria ab eo relicta ad sua legata exequenda etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

quoque nepotem suum Ribaldi filium, eodem actu emancipavit (1). Ribaldi ipsius nomen in antiquis tabulis non uno modo enunciatum reperio, quandoque enim Rambaldum (2), interdum etiam Ubaldum (3), sed saepius omnino Ribaldum dictum video; atque hoc genuinum hujus professoris nomen etiam post ejus mortem reputatum est (4). Anno MCCLVIII nondum doctor creatus ac tantum judex cum Friderico de Scalis cuidam locationi pro Communi Bononiensium interfuit (5). Quadriennio post doctoris honore decoratus adfuit scribendis tabulis inter Bononienses ac Britonorienses, qui nuper in fidem et clientelam nostrae civitatis recepti fuerant (6). Anno MCCLXXI praetor Faventinis datus est, qui Ghibellinis jus diceret; cum eodem tempore Guelphi Jacobum de Prendipartibus, Comitis filium, praetorem alterum accepissent (7). Id vero ex foedere Faventini Bononiensibus debebant, ut praetores ab iis peterent et alia praestarent, quae illos non tam foederatos quam subjectos et obnoxios populo bononiensi ostenderent. Sed exortis paulo post bellis civilibus, diu in patria florere Ribaldus non potuit. Cum enim ejus familia Lambertacciorum partes sequeretur, cum iis eamdem fortunam subiit. Itaque Fuscardi omnes in exilium ejecti sunt ac plerique etiam proscripti. Cum Ribaldo tamen moderatius est actum. Mandatum est tantum e finibus agri bononiensis excederet, ibique consisteret (8). Sed quamdiu postea vixerit, aut ubi extremum diem obierit, non liquet. Anno MCCLXXXXIX multis exulibus civitate restituta (9), ex eo numero fuit Hentius Ribaldi filius et alii plures ex Fuscardorum familia. Atque eo tempore reconciliati etiam Fuscardi cum Basacomatribus, quae duae familiae antiquis odiis agitabantur. Mirum autem huic reconciliationi quatuor et triginta ex Fuscardis interfuisse, adultos omnes; ex quo intelligi potest, quae vires fuerint ejus familiae dum integra vigebat, quoniam tot cladibus afflicta et lacerata, tanto adhuc numero censebatur.

LXXV.

ALBERTINUS CARRARIUS.

I. Carraria gens Bononiae olim clara admodum fuit. Ex ea nomen duxit antiqua ecclesia s. Mariae de Carrariis appellata, quae postmodum de Fuscarariis dicta est. Natus est ex ea familia Albertinus, Thomae legum doctoris filius. Is autem in antiquis tabulis modo Albertinus de Carrariis, modo Albertinus Hughetti dicitur. Id Ghirardaccio

(1) MCCLXXIII die XII ex. Augusto dn. Foscardus de Foscardis emancipavit a se dn. Ribaldum et Gaboardum fratres ejus filios et Enzium fil. dn. Ribaldi etc. *Ex Memor. Amadei de Sardellis.*

(2) MCCLXIII dn. Rambaldus de Fuscardis legum doctor dicitur in tabulis foederis britonoriensis infra indicandis.

(3) MCCLXIX die XV Jul. dn. Ubaldus de Fuscardis legum doctor et Gaboardus ejus frater etc. testes emancipationi filiorum Salvitti de Fuscardis etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(4) MCCLXVIII die V exeun. Decemb. dn. Ribaldus leg. doct. testis in Cambio.

MCCLXX die XII exeun. Febr. dn. Ribaldus de Fuscardis legum doctor testis etc. et alibi saepius. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(5) *Est inter Statuta anni MCCLVIII.* Vidit clarissimus Montius.

(6) Anno MCCLXII die V Decemb. Andrea Zeno praetore, ictum foedus cum Britonoriensibus. *Extant tabulae ad calcem lib. Reform. II.*

(7) *Ex Chronico ms. Petri Cantinelli*, ubi ipsa rerum series docet, Ribaldi et Jacobi praeturam non in alium annum, nisi in eum, quem diximus, incidere potuisse: etsi loco illius proximum adscriptum esse contingit. Idemque annus MCCLXXI unus est, quo Ribaldum Bononiae praesentem publicae tabulae non ostendant.

(8) *Ex lib. Bannitorum et Confinatorum script. an. MCCLXXVII.*

(9) *Ex Mem. Com. Bonon. ad diem XIII Augusti MCCLXXXXIX.*

fucum fecit qui propterea duos homines esse censuit Albertini nomine, quorum alter fuerit ex Hughettis, alter ex Carrariis (1). Sed unus idemque homo fuit Albertinus Carrarius, Thomae filius, Albertini nepos, Hughetti pronepos (2). Neque inauditum est ut quispiam ex avi aut proavi nomine appellatus sit, cum is in familia sua magis celebris fuit et deinceps quasi gentis suae caput habitus.

II. Erat Albertinus inde ab anno MCCLXVI doctorum albo adscriptus (3). Ac sexennio post, cum novi magistratus initio anni creati essent, placuit Consilio civitatis, ut XXV viri legerentur, qui sarciendis muniendisque castris et arcibus agri bononiensis praeficerentur, et magistratibus ordinariis in regenda civitate consilio atque opera praesto essent; in quorum numero fuit Albertinus Carrarius. Plura autem ab his egregie statuta sunt ad civitatis tranquillitatem, et cives multi male morati solum vertere jussi (4). Expulsa interim per civiles conflictus Lambertacciorum factione anno MCCLXXIV, Albertino quoque exulandum fuit, qui ei parti cum omni familia sua favebat. Relegatus procul a territorii finibus cum Guilielmo Accursio ultra montes profectus est in eam regionem, quae amplius viginti dierum itinere ab urbe Bononia distaret. Hispaniae partem alias fuisse conjecimus (5). Sed anno MCCLXXXVIII, cum se magno in periculo versari ambo intelligerint, quod non ibi essent ubi populus bononiensis nominatim scivisset, proscriptionem ac bonorum publicationem veriti, datis eidem populo libellis, absentes impetravere ut quibus in locis essent, tuto manere ipsis permitteretur (6). Neque ita multo post Albertino plus etiam quam postulaverat concessum. Cum enim scholares semper aegre tulissent hoc doctore orbatam academiam nostram, anno tandem MCCLXXXXI, adnitentibus universitatis rectoribus, ejusque reditum efflagitantibus, lege ad populum lata revocatus est, ut suam operam in jure civili interpretando studiosae juventuti impendere posset. Obtinuerat biennio ante redeundi facultatem populi decreto, scholaribus etiam pro ipso deprecantibus, sed sive quod aliquis ei decreto intercessisset, sive quod duriores conditiones essent appositae sive quod non satis tutum sibi reditum polliceretur in civitatem, Lambertacciis supra quam dici possit infensam, eo populi beneficio usus non erat (7).

III. Post illud tempus cum Lambertacciorum factionem publice ejurasset, hac enim conditione redeundi facultas ei facta fuerat, in patria cum dignitate diu vixit. Anno MCCLXXXXVII arbiter electus sententiam dixit in causa, quae agitabatur inter moniales sanctae Agnetis et Vallispetrae (8). Sed cum eo ipso anno immunitas a militia data sit doctoribus, qui tunc in academia nostra docebant, in eorum elencho, quem habemus in actis publicis civitatis, desideratur Albertinus Carrarius; ex quo conjici potest eo anno illum a docendo cessasse. Neque a Republica abfuit, raro ac illis temporibus prope inaudito exemplo in homine, qui Lambertacciorum partes aliquando

(1) Ghirardacci, lib. VII e lib. XIV.

(2) *Ex tabulis pluribus in Memor. Com. Bonon. et alibi*, a clarissimo Montio visis.

(3) MCCLXVI die V intr. Maji. Actum in scholis dn. Albertini, dn. Thomaxii doct. legum. *Ex Mem. Com. Bonon. Vide supra in* Thoma Carrario.

(4) Ghirardacci, lib. VII, ad an. MCCLXXII.

(5) *Vide quae supra dicta sunt in* Guilielmo Accursio.

(6) *Ibid.*

(7) An. MCCLXXXXI die XVII Decembr. Cum alias tempore dn. Bindi de Bascheria capit. populi bonon. reformatum fuerit quod dn. Albertinus dn. Hughetti de Carrariis ad instantiam rectorum universitatis scholarium posset redire et stare Bononie cum filiis et sua familia etc. Rursum petunt rectores et scholares, ut nihil ejus reditum remoretur; quod et novo populi bononiensi decreto obtinent. Extat hoc decretum de Albertino revocando ad calcem Statutorum Bonon. anno MCCLXXXVII editorum. Fuerat autem Bindus de Bascheria capitaneus populi bonon. sub finem anni MCCLXXXVIII et initio sequentis. *Ex Actis Civit.*

(8) *Ex tabulis in archivo s. Agnetis*, fol. 152.

secutus foret. Missus est autem anno MCCCI legatus ad Bonifacium VIII Pontificem et ad Carolum Valesium, Philippi Galliarum Regis fratrem, qui tunc erat in Italia, Flaminiae rector ab eodem Pontifice constitutus (1). Anno MCCCIII negotium ei datum est a magistratibus, ut una cum aliquot aliis viris prudentibus discuteret singula decreta, quae in Consilio populi bononiensis per illud tempus edita fuerant, qua de causa diebus octo apud Fratres Praedicatores inclusus cum sodalibus se continuit (2). Anno dein MCCCIV cum Forolivienses a nostris auxilia petiissent in bello, quod contra se parari ab hostibus videbant, ejus rei deliberatio multis sapientibus viris commissa est, in quibus erat Albertinus Carrarius (3).

IV. Uxorem habuit Magdalenam Lambertacciam, Azonis Lambertaccii bononiensis Ecclesiae canonici et clari decretorum doctoris sororem (4). Vixit autem usque ad annum MCCCVI, quo testamentum condidisse dicitur (5), nec multo post humanis rebus exemptus est (6). Nulla ejus scripta memorantur, nec sepulcri ullum superest vestigium, quod magno sumptu erigendum curaverat Hughettus ejus filius, subnixum duobus columnarum ordinibus, non secus ac Rolandini Passagerii, quod adhuc extat, sane magnificum et magno principe dignum. Id operis faciundum suscepit Joannes Viviani, arbitratu Guilielmi et Gherardini architectorum, pretio CCCXXXX libras bonon., excepta impensa ferri et plumbi. Habemus planissimam ejus sepulcri descriptionem in tabulis locationis ejus operis, quae scriptae sunt VI kalendas Aprilis MCCCVI, quo anno Albertinum obiisse diximus. Sed tam praeclarum monumentum, quod nusquam apparet, prorsus credibile est nullo unquam tempore positum fuisse. Nam per eosdem dies, quibus id opus construendum redimebatur, tumultuatum est in civitate multique nobiles viri ac cives dignitate praestantes e patria ejecti, quo in numero fuit Hughettus Carrarius, Albertini filius (7), anno demum MCCCXXVIII cum aliis exulibus, Bertrandi Cardinalis opera reductus, quem et in exilio calamitas, et post reditum sarciendae rei familiariis solicitudo a paterni sepulcri cura avertere potuerunt. Sed de Hughetto, qui legum doctor fuit (8), inter professores saeculi XIV accuratius agendum erit.

LXXVI.

GALVANUS DE ALLEGRALCORE.

I. Quod nunc Crevalcore appellamus, notissimum agri bononiensis oppidulum, abbati nonantulano in spiritualibus subjectum, olim laetiori nomine Allegralcore dixerunt. Ex eo juris professorem habuit academia nostra medio circiter saeculo XIII Galvanum

(1) Alidosi. *Dottori bolognesi,* pag. 4, *ex Actis publicis Civitatis.*

(2) Cum dn. Albertiuus Hughetti doctor legum steterit in servitio Populi Bonon. inclusus una cum aliis sapientibus in domo fratruum Predicatorum de mandato dn. capitanei antianorum et consulum pro examinandis provisionibus a die secundo presentis mensis ad diem Jovis decimum ejusdem mensis petitur in Consilio populi bonon. ut in quadam causa, quam defendebat Albertinus, ea mora clienti suo non obsit; quod ultro concessum est. *Ex lib. Reform. anni MCCCIII ad diem XVII Octob.*

(3) Ghirardacci, lib. XIV.

(4) Dna Magdalena uxor dn. Albertini Ughitti legum doct., dna Maria uxor dn. Joannis de Grognolinis, dna Philippa uxor dn. Nicolai de Lolo sorores qu. mag. Azonis de Lambertatiis etc. *Ex Memor. Forzani Corzolae ad diem XX Jan. MCCLXXXXVII.*

(5) Alidosi, *loc. cit.*

(6) Kalendis Febr. ejus anni Albertinus vivebat, die XXVI Aprilis jam obierat; eo enim die Hughettus filius eius sepulcrum construendum locavit. *Ex Memor. Com. Bonon.*

(7) *Ex tabulis Bannit. et Confinat. anno MCCCVI et sequ.*

(8) MCCCXXI die XX Novembris. Benvenutus qu. Rolandini procurator dn. Ugipti legum doctoris filii olim dn. Albertini de Carrariis etc. *Ex Memor. Guilielmi Bernardini Grassi.*

Jacobini filium (1). Hic anno MCCLI nondum doctor creatus, inter judices merebatur, et eo anno cum aliquot aliis jurisperitis a Communi Bononiensium delectus est, ut legendis probandisque notariis publicis adesset (2). Ipse autem post annos XIV, anno scilicet MCCLXV in eumdem notariorum ordinem cooptari voluit (3). In foro causarum patronus non ignobilis fuit, et anno MCCLXVII ab Thoma forocorneliensi episcopo advocatus ejus Ecclesiae constitutus est (4). Anno MCCLXX interfuit transactioni, quae inita est inter archiepiscopum ravennatem et marchionem estensem Ferrariensium principem, eique negotio perficiendo credibile est Galvanum incubuisse (5). Eo ipso anno doctor legum creatus est (6) extremo vitae suae tempore; constat enim VII idus Novembris ejus anni vivendi finem fecisse eo ipso die, quo infirmus testamentum condiderat (7). Id habemus ex necrologio s. Salvatoris, in quo ad eum diem Galvani obitus cum laude notatur (8).

II. Doctorem hunc non plane ignoravit Alidosius, qui ejus scripta quaedam manu exarata reperiri narrat. Accuratior videri posset Orlandius; qui ab illo scriptum ait librum *De differentiis legum et canonum*, quem typis editum habemus inter *Tractatus universi juris* (9). Sed Galvanus ille bononiensis, qui hunc librum scripsit, alter est a nostro professore legum ac multo serius floruit, juris pontificii doctor non incelebris; de quo agendum erit inter professores canonum, qui saeculo XIV vixerunt. Atque ad hunc pertinere arbitror ea scripta, quae ab Alidosio tribuuntur Galvano de Allegralcore.

LXXVII.

GUILIELMUS URSIUS.

Justiniani Institutiones et reliquos legum libros, qui extraordinarii dicebantur, legum doctores plerumque in scholis nostris interpretari non solebant. Erat haec lectio permissa scholaribus, qui ad doctoris honores contendebant; ac multi etiam jurisprudentiae professores in imis subselliis ita perpetuo haerebant, ut numquam ad altiora conscenderent, magistri tantum, minime vero doctores appellati. Fortasse ex horum numero fuit Guilielmus Ursius. Hic certe exeunte anno MCCLXIX Authenticorum librum in scholis nostris interpretari aggressus est, nondum doctoris titulo insignitus. Sed reticenda non est industria qua usus est ad auditores aucupandos, quibusdam enim hispanis scholaribus argenti haud modicam summam mutuo dedit ea conditione, ut ad ejus lectiones singulis diebus accederent (10). Non absimilem contractum iniit Jacobus Ignanus

(1) Dn. Galvanus dn. Jacobini de Allegralcore filius passim dicitur in tabulis, quae de eo extant. *Vide quae infra adnotantur.*

(2) *Ex Matric. Notariorum in archiv. Com. Bonon.*

(3) *Ibid.*

(4) An. MCCLXVII dn. Lambertus Danielis notar. procurator ven. pat. dn. Thome episcopo Ymolen..... dixit se promisisse dn. Galvano filio qu. dn. Jacobini de Allegralcore XXV lib. bonon. ad tres menses pro salario sui patrocinii etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(5) *Vide in Append. ejus transactionis tabulas.*

(6) Anno MCCLXX die VIII Mart. non aliter, quam jurisperitus appellatur in *Mem. Com. Bonon.* Et die XI Sept. doctoris titulo insignitus reperitur iisdem *Mem. Com. Bonon.*, quae clarissimus Montius indicavit.

(7) Anno MCCLXX die VIII Nov. ex gravi morbo decumbens testamentum fecit, quod indicatur in *Mem. Com. Bonon. ad eum diem.*

(8) *Vide excerpta hujus necrologii in Appendice.*

(9) T. I, pag. 190.

(10) Anno MCCLXX die XIV intr. Octobr. dn. Dominicus Martii et dn. Joannes.... Hispani scholares Bonon. promiserunt dn. Guilielmo de Ursis audire illum in schola in hora repetitionis in libro Authenticorum, singulis diebus et horis, quibus legitur ille liber pro eo quod dictus dn. Guilielmus eis mutuavit XXX lib. bonon.

nondum doctor anno MCCLXXXVI (1); quod perinde erat, ac si auditores dato pretio conducerentur a professoribus, ut eorum numero et frequentia famae quaestum facerent. Sed Jacobus Ignanus, doctor postea creatus, insequenti saeculo floruit. De Guilielmo Ursio nulla deinceps memoria occurrit; nec constat, quamdiu in scholis nostris egerit et utrum doctoris insignia sit adeptus.

LXXVIII.

FRIDERICUS DE SCALIS.

I. Pertinet ad hanc aetatem Fridericus de Scalis, sive de Scala; utroque enim modo ejus cognomen enunciatum reperio. Patria bononiensis fuit, Gerardi de Scala filius. Docuit annis multis in academia nostra magno plausu et opinione non vulgaris doctrinae, quam ejus scripta, non illaudata posterioris aevi doctoribus, testatam reliquerunt. Itaque miror a Pancirolo praetermissum professorem aetate sua in primis celebrem. Sed Panciroli negligentiam supplevit diligentissimus Diplovataccius (2), qui et ejus scripta commemorat et plures primi subsellii doctores affert, qui Fridericum cum laude appellant, Angelum (3) nempe, Albericum de Rosate (4), Joannem Andreae (5), et, qui ceteris praemittendus est, Bartholum, qui eum vocat magnum doctorem antiquum bononiensem (6).

II. Hic primum in notariorum (7), mox in judicum ordinem adlectus est. Erat inter judices anno MCCLVIII (8), nec ante annum MCCLXIX doctorem creatum fuisse constat (9). Ex quo apparet, diu jus civile professum, antequam doctoris honores consecutus sit. Anno MCCLXXV, VII idus Januarias a patre emancipatus est (10). Lambertaccios secutus, haud prorsus immunis esse potuit ab omni calamitate, cum illi a civitate ejecti sunt. Sed mitissima ejus poena fuit ut facile conjici possit, damnatam in eo potius factionem, quam facta et hominis ingenium. Igitur in prima expulsione Lambertacciorum conjectus est inter exules, qui dicebantur *Guarnatae exterioris.* Hi, quamquam civitatem ingredi non possent, tamen sub ipsis fere moenibus cubabant; Sapina enim et Rheno, duobus amnibus, qui non magno intervallo a civitate praeterfluunt, eorum exilium terminabatur (11). Sed novis turbis exortis, cum Lambertaccii iterum proscripti sint et severiora edicta in eos proposita, Fridericus sex passuum millibus ultra Rhenum relegatus (12). Verum anno MCCLXXXIII, III non. Martii, honorifi-

quas et restituere promiserunt finito et completo dicto libro, vel ante si studium turbaretur in civitate Bonon. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(1) Sed de hoc et de Jacobo Ignano alibi dicemus. *Ex Mem. Com. Bonon. ejus anni.*

(2) Federicus de Scalis de Bononia, qui pulchra scripsit in jure civili. Extant plures ejus quaestiones et pulchrum opus consiliorum. Allegatur ab ANGELO in l. 1, § *Pueritiam,* Dig. *De postulando etc.* DIPLOVAT. in *Feder. de Scalis.*

(3) ANGELUS, *loc. cit.*

(4) ALBERIC. DE ROSATE. *Statut.*, p. IV, qu. 13.

(5) JOANN. ANDREAE in *Addit. Spec.*, tit. *De accusatore*, § 1, v. *Sed pone*, et tit. *De arbitr.*, § 1, v. *Arbitr.*

(6) BARTOLUS in l. *Si quis sub condit.*, Dig. *De testam. tutel.*, et in Auth. *Matri et aviae*, C. *Quando mulier tutel. offi. fungi pos.*

(7) *Ex Matric. Notar. in archiv. Bon. ad an. MCCL.*

(8) *Ex Statut. Civit. eo anno editis.*

(9) An. MCCLXVIII dn. Federicus dn. Gerardi de Scala judex. Ita dicitur in quodam instrumento cessionis. *Ex Mem Com. Bonon. ejus anni.*

Anno MCCLXIX, arbiter electus in lite duorum scholarium, doctor legum dicitur. *Ibid.*

(10) An. MCCLXXV die VII Jan. dn. Gerardus de Scala qu. dn. Bartoli emancipavit dn. Federicum legum doctorem suum filium dans ei in premium emancipationis omnes libros legales etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(11) *Ex lib. Confinat. script. an. MCCLXXVII.*

(12) *Ibid. an. MCCLXXXII.*

centissimo populi bononiensis decreto in patriam revocatus est et habitus deinceps uti jeremiensis (1).

III. Anno MCCLXXXV testamentum infirmus condidit, quo haeredes instituit tres sorores suas; ex quo apparet liberis caruisse (2). Sed annis aliquot post testamentum conditum vixit, nec a scholae muneribus cessavit (3). Obiit autem circa annum MCCLXXXIX (4) cum, priore testamento irritato, Fratres Praedicatores et Minores aequis partibus haeredes instituisset (5). Uxorem duxit Ulianam Blanci Pedonis filiam (6), deinde Beatricem de Malavoltis; atque haec illi superstes fuit (7). Incertum est num prolem susceperit. Sed certe sine liberis decessit, ejusque familia in eo prorsus defecisse videtur. Ita conjicit clarissimus Montius, a quo plura accepi ad hujus professoris memoriam illustrandam. Multas *Quaestiones* scripsit (8), et *Consiliorum* volumen, laudata quidem ab antiquis scriptoribus sed nunc vulgo ignota quia numquam typis impressa. Sepultus videtur apud Fratres Praedicatores vel Minores, quos haeredes instituit; sed nullum ejus sepulcri vestigium superest.

LXXIX.

LAMBERTINUS DE RAMPONIBUS.

I. Ramponum familia clara et vetus diu Bononiae floruit, nec egebat dubiis laudibus, quibus a Ghirardaccio ornata est. Nam Thomas ille Rampo, quem tradit anno MCCLXXXXI ad bellum sacrum in Asiam profectum cum aliis multis Bononiensibus, qui in extrema Ptolemaidis obsidione fortiter pugnantes occubuere, nullius probabilis monumenti fide nititur (9). Sed familiare est antiquioribus historicis nobilium familiarum stemmata augere nominibus hominum, qui numquam fuerunt.

II. Floruit in hac familia medio circiter saeculo XIII Lambertinus Rolandi filius, quem Ghirardaccius anno MCCLXIX legum doctorem obiisse narrat (10). Sed est utrumque falsum; nam neque Lambertinus usque ad annum MCCLXIX pervenit (11), et fuit ille quidem vir sapiens, summaeque inter cives auctoritatis et existimationis, legum vero doctor plane non fuit (12). Haud miror tamen a Ghirardaccio doctorem appellatum; nam

(1) *Ex lib. Reform. H in Archivo pub.*

(2) An. MCCLXXXV die II Octob. dn. Federicus qu. Gerardi de Scala legum doctor infirmus fecit suum testamentum et dn. Carissimam Bangittam et Jacobinam suas sorores heredes instituit. Actum in domo dn. Francisci qu. Accursii legum doct. in capella s. Tecle in qua nunc habitat dictus testator. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(3) An. MCCLXXXVIII X Jan. dn. Smeraldus de Gulvo scholaris Bonon. promisit dare dn. Federico de Scalis legum doct. XXIV lib. et X solid. bonon. ad suam voluntatem pro expensis studii.... tradens libros aliquot loco pignoris. *Ex Mem. Com. Bonon.*

Eodem anno die VIII Decembr. mutuo dat scholaribus suis. *Ibid.*

(4) Anno MCCLXXXVIII exeunte adhuc vivebat, ex modo adnotatis.

Anno autem MCCLXXXX Januario mense in *Mem. Com. Bonon.* reperimus Beatricem ejus viduam. Videtur igitur obiisse anno MCCLXXXIX.

(5) *Ex Mem. Com. Bonon. Jacobi de Argele*, pag. 54.

(6) Uliana filia Blanci de Burgo novo prima ejus uxor. Ejus mentio in *Mem. Com. Bonon. ad diem VIII Jan. MCCLXXV.*

(7) *Ex supra adnotatis.*

(8) Per multorum scripta conquassatur haec glossa. Et incipiam a Federico de Scalis legum doctor a quo prius de hoc audivi in quaestione, quam disputavit de bannito. JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Spec.*, tit. *De ces. act. sub fin. Vide et supra adnotata ex* DIPLOVAT.

(9) GHIRARDACCI, lib. IX.

(10) *Id.* lib. VII.

(11) In vivis jam esse desierat die XIII Junii MCCLXVIII ex *Mem. Com. Bonon.* ubi ad eam diem nominatur « Domino Thomaxinus qu. dn. Rambertini Ramponis ».

(12) Numquam in antiquis tabulis doctor, aut jurisperitus appellatur, ut observat clarissimus Montius.

vetus chronici bononiensis auctor, inter Rerum Italicarum Scriptores a Muratorio editus, eodem impegit (1). Etenim, cum anno MCCLVIII magnae caedes fuissent inter Carbonenses et Galluccios, interque Lambertinos et Scannabicchios, potentissimas civitatis familias, Lambertinum Ramponem legum doctorem inducias trium mensium inter eas constituisse narrat, ut pax inde diuturnior conciliari posset. Atque hic est Lambertinus ille, cui anno MCCLXV, cum alii motus in civitate jam nimis potenti suborti essent, quasi quaedam imminentis incendii scintillae, negotium datum est ut cum Loderingo de Andalo et Catelano Guidonis Ostiae turbatum civitatis statum componeret; quod naviter ab iis curatum est, Asinelliis et Basacomatribus, qui magnis odiis inter se decertabant, ad concordiam reductis. Filium reliquit non multis annis superstitem Thomasinum (2), singulari virtute civem neque a jurisprudentiae studiis alienum (3), quem vetusta civitatis acta saepe commemorant. Extat etiamnum ad divi Francisci ingens lapis, vestibuli parieti infixus, olim frons ejus sepulcri, cum hac brevi inscriptione:

ANNO · DOMINI · MCCLXXV · VII · DIE · EXEVNTE · OTOBRI
HOC · EST · S · DOMINI · THOMASINI · RAMPONIS

III. Thomasini hujus filius, Lambertini superioris nepos, alter Lambertinus fuit (4) legum doctor praeclarus, qui decurrente eodem saeculo vixit et initium attigit saeculi XIV. Sed cum exigua ejus vitae particula extra XIII saeculi limites transgressa sit, eum propterea cum aliis, qui eodem tempore vixerunt, inter professores saeculi XIII recensendum existimavi. Hic ad legum studia ab avo et patre destinatus, ita in iis profecit ut inter academiae professores mature adlectus fuerit, anno MCCLXIX legum doctor creatus (5). Exortis autem paulo post bellis civilibus, cum Ramponum familia inter Jeremienses censeretur, adeo minuta non est Lambertini dignitas in ea patriae calamitate, ut potius aucta videatur. Docuit jus civile annis multis magno exterorum concursu, praesertim Gallorum et Hispanorum (6), ut nihil de Italis dicam, ex quibus non est reticendus Cinus Pistoriensis, cui etiam legum tirocinium ponenti jurisconsultorum stemmata tradidisse dicitur (7). Causas etiam in foro egit (8), non solum privatorum hominum sed populi etiam bononiensis advocatus publice adlectus (9). Itaque et ab Alberto Gandino, qui eum in perdifficili quaestione consultum scribit (10), et a Joanne Andreae, qui eum Bononiae docentem juvenis senem viderat, summis laudibus celebratur; et Bartholus Saxoferratensis tractatum *De consiliis habendis,* a Lambertino scriptum, non indignum censuit in quo supplendo et augendo suam operam collocaret (11).

(1) *Rer. Ital. script.*, t. XVIII, pag. 269.

(2) MCCLXXII IX ex. Jul. dna Aichina filia qu. dn. Albrici ux. qu. dn. Lambertini dn. Rolandi confitetur sibi satisfactum de dote a dn. Thomaxino filio qu. dn. Lambertini. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(3) Dn. Thomaxinus dn. Lambertini Ramponi judex. *Ex Mem. Com. Bonon. an. MCCLXV.*

(4) Dn. Lambertinus Rampone filius qu. dn. Thomasini dn. Lambertini Rolandi appellantur in *Memor. anni MCCLXXVI.* Rambertinus nonnumquam dicitur in antiquis chartis, uti pariter illius avus; sed uterque minus recte.

(5) *Vide infra in* Bonromaeo de Dugliolo.

(6) Id apparet ex plurimis contractuum tabulis, quos cum iis scholaribus inivit. Sunt in *Mem. Com. Bon.*

(7) Doctor meus dn. Lambertinus Ramponen. de Bononia, sub quo militare volui. Cinus in l. ult., C. *De usufruct.*

(8) Anno MCCLXXXXV cum Lambertinus Bononiensium legatus missus esset ad conventum, qui apud Forum Cornelii habebatur, populi bononiensis decreto cautum est, ne in causis, quas ipse in foro agebat, procedi possit, quoad rediisset. *Ex lib. Reform. ejus anni ad diem XXII Aprilis.*

(9) Dn. Lambertinus ambaxiator et advocatus Communis Bonon. *Ita in actis pub.*

(10) Et super hoc consuluit dn. Lambertinus de Ramp. etc. Albertus de Gandin. *De malefic.*, rubr. *Utrum tortura danda sit reo defenso.*

(11) Diplovat., *de quo infra.*

IV. Sed egregium hunc doctorem ab academiae muneribus non semel abduxerunt publica negotia. Longum esset singulas, quas obivit, legationes enarrare et quam assiduam Reipublicae operam impenderit. De his multa sunt in historiarum bononiensium libris Cherubini Ghirardaccii, qui eum anno MCCLXXX cum Alberto Odofredo aliisque primariis civibus inter Sapientes recenset, idest IX consules, qui, absente praetore, extraordinaria potestate Rempublicam gubernabant (1). Miror tamen, scriptorem hunc, copiosum magis quam sobrium, nihil ad annum MCCLXXXIV retulisse de iis, quae actitata sunt a nostris Bononiensibus, ut Medicinae castrum retinerent quod ante occupaverant. Saepius ea de re deliberatum est in civitatis Consilio; ac nihil in eo negotio actum non ex doctorum sententia. Lambertinus ad Flaminiae legatum, qui modis omnibus compellere nitebatur Bononienses ut de ejus castri possessione decederent, ex auctoritate Consilii missus est, ut antiqua jura populi bononiensis in castrum illud exponeret ac defenderet (2).

V. Sed et pacandis civium animis, avi sui exemplum secutus, egregiam operam praestitit Lambertinus. Anno MCCLXXXI cum vicario praetoris, praefecto populi, ac Nicolao Tebaldo, comites de Panico et alios civitatis proceres, inveterato odio inter se dissidentes, conciliavit (3); quadriennio post magistratibus auctor ex primis fuit, ut multi ex Lambertacciis, qui calamitatem modeste tulerant, neque usquam se commoverant, in patriam revocarentur (4). Anno etiam MCCLXXXVIII Regienses eum una cum aliis jurisperitis accivere, ut controversias exulum cum civibus dirimeret, stabilemque in ea civitate concordiam firmaret (5).

VI. Neque illud reticendum quod anno MCCLXXXXIII inter VIII Viros bello praefectos adlectus est, qui cum antianis et consulibus populi bononiensis plures tulerunt leges, quas habemus in codice legum nostrarum, ad annum MCCLXXXVII edito, ad calcem adjectas. Anno insequenti, cum ad tollenda dissensionum semina, quae saepius oriebantur inter Ubaldinos, potentissimam olim familiam, et Commune Bononiensium ob castrum Caprenum, quod in Bononiensium finibus Ubaldini possidebant, populus bononiensis castrum illud ab Ubaldinis emisset, quatuor sapientes viri delecti sunt quorum auctoritate contractus ille probandus esset. Horum autem princeps fuit Lambertinus de Ramponibus (6). Biennio post populus bononiensis VIII Viros iterum delegit, qui magistratibus ordinariis praesto essent ad Rempublicam administrandam per illud tempus, quo bellum difficile agitabatur cum Ferrariensium principe. Cum autem eo anno exeunte novi Sapientes, sic enim VIII Viros illos appellabant, creati essent, magistratuum et eorumdem Sapientum decreto, immunitas concessa est Lambertino Ramponi, ne ire deberet ad exercitum, qui tunc erat ad castrum Bazanum; et deinceps in perpetuum excusatio a militia concessa est ob hanc causam ut Magistratus urbani commode uti possent ejus consilio in republica, cum bellum esset, administranda. Cum autem insequenti anno populus bononiensis item sciverit immunitatem a militia tribuendam doctoribus, qui eo tempore in scholis docebant, nominatim exceptum voluerunt

(1) GHIRARDACCI, lib. VIII. — *Vide supra in* ALBERTO ODOFREDO.

(2) *Ex lib. Reform. ejus anni.*

« Sed anno etiam MCCLXXXVII cum Alberto Odofredo, aliisque jurisprudentibus ex gravi causa Regium Lepidi legatus est; et anno MCCLXXXXV ad conventum, quem apud Forum Cornelii habuerunt populi et proceres Flaminiae provinciae ». *Ex actis pub.*, et GHIRARDACCI.

(3) *Ex Mem. Com. Bonon. illius anni.*

(4) GHIRARDACCI, lib. VIII.

(5) *Ex lib. Reformat. H.*

(6) *Ex Mem. Com. Bonon. an. MCCLXXXXIV ad diem XXVIII Jul. et I Sept.*

Lambertinum Ramponem et Ubaldinum Malavoltam, quamvis non docerent (1). Ex quo apparet Lambertinum jam tum a docendo cessasse ac totum se Reipublicae dedisse.

VII. Extremis vitae suae annis assedit Quaesitoribus haereticae pravitatis in judiciis exercendis cum aliquot aliis canonum et legum professoribus, ac theologis (2). Obiit autem anno MCCCIV, XV kalendas Junii (3). Nec dubito, quin sepulcrum ei magnificum pro splendore gentis suae et ejus meritis positum sit apud Fratres Minores, ubi tumulatus esse dicitur, nisi forte paterno monumento illatus est, cujus adhuc vestigia manere ostendimus. Proprii certe illius sepulcri nulla memoria superest, ut et aliorum plurium ex clarioribus academiae nostrae professoribus. Funus ei curatum est maxime sumptuosum et splendidum. Quamquam enim non multo ante, vel primum, lata vel restituta sit lex sumptuaria, quae modum funeribus imponebat, tam visum est Consilio civitatis hanc legem Lambertini filiis impedimento esse non debere, quo minus patris optimi et civis spectatissimi exequias quam splendidissime curarent (4).

VIII. Hunc primum ex nostris professoribus militem simul ac legum doctorem appellatum esse comperimus (5); etsi de aliis ante ipsum vix dubitari potest quin utrumque decus quaesiverint, si qui praesertim ad clariorum Italiae civitatum praeturas vocati sunt. Obtigerat Lambertino peramplum patrimonium (6), quod ipse auxit magnopere cum scholarium collationibus, quae tunc professoribus stipendii loco erant, tum causarum patrociniis quae plurimae et gravissimae ad eum delatae sunt. Uxorem habuit Adelasiam de Prendipartibus, quam vivo adhuc Lambertino avo duxerat (7); ex ea filios suscepit duos, Comitem et Thomam, utrumque militari cingulo, alterum etiam legum professione illustrem. Et Comes quidem anno MCCLXXXXVI, post praeturam cujus nescio civitatis optime gestam, equestri, sive, ut tum ajebant, militari dignitate ornatus, decreto populi bononiensis in militum album relatus est, quibus stipendium de publico persolvebatur, quod eorum opera in bello civitas uteretur (8); is deinde anno MCCLXXXXVIII Placentiae praetor fuit (9), neque multo post florentissima aetate ante Lambertinum patrem decessit. Ejus filii ex dimidia Lambertini avi haeredes fuerunt (10); ex dimidia Thomas eorum patruus legum doctor, de quo dicendum. Fuerunt etiam Lambertino filiae aliquot, quae omnes in amplissimas familias ab eo locatae sunt (11).

(1) *Ex lib. Reform. in archivo pub. Vide Append.*

(2) *Annis nimirum MCCLXXXXIX et MCCCIII. Vide Appendicem.*

(3) Ghirardacci, lib. VIII.

(4) *Ex lib. Reform. C. Vide etiam* Ghirardaccium, *loc. cit.*

(5) Nobilis et sapiens miles dn. Lambertinus de Ramponibus legum professor etc. *Ex Mem. Com. Bonon. ad diem XXIII Septemb. MCCLXXXXVIII.*

(6) Id apparet ex divisione bonorum, quam anno MCCLXXX, III kal. Octob. fecit cum Rolando et Alberto fratribus. *Extant in Mem. Com. Bonon.*

(7) MCCLXXXIII die XVIII Augusti. Dn. Lambertinus Ramponus qu. dn. Thomasini legum doctor fuit confessus habuisse et recepisse trescentas lib. bonon. quas olim dn. Rambertinus dn. Rolandi confessus fuit habuisse et recepisse a dn. Guidottino qu. dn. Comitis de Prendipartibus.... in dotem dna Adelaxie filie qu. dicti dn. Comitis et uxoris dicti dn. Lambertini. *Ex Memor. Bellotti de Bellottis.*

(8) MCCLXXXXVI, die XXVII Febr. Item quid placet Consilio quod dn. Comes filius dn. Lambertini Ramponis legum doctor qui miles est et nuper venit de regimine ponatur in libro militum quarterii porte s. Petri. *Ex lib. Reform. A.*

(9) MCCLXXXXVIII die XXI Maji. Dn. Jacobus qu. dn. Billioni stipulatur et recipit vice et nomine dn. Comitis filii dn. Lambertini Ramponis doctoris legum electi noviter in Potestatem et ad regimen Civit. Placentie etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(10) Ex testamento Lambertinis Ramponis: « filius Thomaxius heres pro dimidia et pro dimidia Bitinus Maghinardus Franciscus Borniolus et Comes filii olim Comitis ». *Ex Mem. Com. Bonon. ad diem XXIII Jun. MCCCIV.*

Franciscum Ramponem Comitis filium eum esse putat clariss. Montius, qui an. MCCCXX a Joanne XXII Pontifice episcopus cenetensis creatus est et obiit anno MCCCLXXXXIX. *Vide* Ughell. *Ital. Sacr.*, t. V.

(11) Bartholomaea Lambertini Ramponis filia Roberto Lambertino nupsit; Bisia Petro Lambertino; Aichina Joanni Pepulo Romaei filio. *Ex Mem. Com. Bonon.*

LAMBERTINI SCRIPTA.

Scripsit Lambertinus in libros Digestorum et Codicis glossas, opinor, more veterum doctorum, qui nondum tunc omnino obsoleverat. Sed haec Lambertini scripta mature admodum ex studiosorum manibus elapsa videntur. Diplovataccius eorum exemplaria rara aetate sua fuisse dicit; nec ea fortasse umquam vidit ac tantum ex fama cognovit. *Quaestiones* etiam sive *Disputationes* plures reliquit, quae erant maxime ad gustum eorum temporum. Eas impense laudarunt antiqui doctores ut supra dictum est. Tractatum denique edidit *De consiliis habendis*, cui secundas curas adjecit Bartholus (1). Haec ex Diplovataccio (2).

LXXX.

RUFINUS DE PRINCIPIBUS.

I. Ex illustri quondam et viris opibusque potenti familia, quae Principum, vulgo de Principibus, dicebatur, natus est Rufinus Alberti filius, non obscurus academiae nostrae professor, qui cum Accursii et Odofredi filiis vergente XIII saeculo floruit. Anno MCCLXIX doctoris insignia jam obtinuerat (3); et insequenti anno cum Francisco Accursio, Albertino Carrario, Friderico de Scalis aliisque primariis legum doctoribus, contra Rogerium Ubaldinum archidiaconum bononiensem de jure adlegendi novos doctores acriter decertavit (4), qua de re alio loco diximus. Sed quo tempore Rufinus in scholis nostris maxime florere debuit, solum ei vertendum fuit; proscriptus est enim tamquam perduellis cum omni familia sua, quae inter civiles turbas Lambertacciis addictissima fuerat (5). Sed quamquam anno MCCLXXIX, pace inter Jeremienses et Lambertaccios studio et opera Nicolai III restituta, Rufinus in patriam rediisse videatur (6); novis paulo post exortis factionibus et Lambertacciis iterum expulsis, Rufino quoque excedendum fuit (7); qui perpetuo deinceps patria caruit et extorris incertum quo loco ac tempore obiit.

II. Narrat Ghirardaccius, Rufinum Faventiae fuisse anno MCCLXXXI, cum ea civitas inopinato Jeremiensium nostrorum incursu oppressa et capta est. Aitque illum, cum in foro contra Jeremienses dimicaret, in Guidottinum Prendipartem irruisse, quem graviter vulneratum erat jam interfecturus. Sed praesto adfuit Albertus Caccianemicus ex Jeremiensium principibus, qui Rufinum ipsum impacta in ejus caput ferrea clava seminecem humi prostravit. Haec narrat Ghirardaccius (8). At faventina clades non in eum annum, quem vulgo existimant, incidit, sed in proxime superiorem MCCLXXX (9);

(1) *Extat inter Tractat. univ. jur.*, t. III.

(2) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XXIV. — Fantuzzi. *Op. cit.* art. *Ramponi Lambertino.* — Savigny. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXXIV. (c. a.)

(3) Anno MCCLXIX die X exeunt Jan. Rufinus de Principibus legum doctor, arbiter delectus ad pacem componendam inter quasdam non ignobiles familias. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(4) *Vide Appendicem.*

(5) *Ex libris Bannitor. an. MCCLXXVII.*

(6) Anno MCCLXXX die XVI Febr. dn. Rufinus de Principibus legum doctor procuratorem eligit. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(7) Rufinum in secunda expulsione Lambertacciorum ejectum constat ex libris, ut appellant, *Bannitorum* an. MCCLXXXII.

(8) Ghirardacci, lib. VIII.

(9) Ansaldinus Alberti Ansaldini notarius, qui an. MCCLXXX id muneris habebat, ut contractuum et ultimarum voluntatum tabulas, quae per dies singulos conficiebantur, in Memoriale Communis tamquam in ephemeridem referret, Faventiae casum, rem a suo proposito alienam, sed tamen maxime memorabilem, privatorum actis inseruit; notula adscripta, quam vidit, nobisque comunicavit clarissimus Montius.

« MCCLXXX indictione octava die Martis de nocte

et Rufinus, si quidem in eo conflictu interfuit, incolumis certe evasit quippe qui anno MCCLXXXII adhuc in vivis erat, quo anno rursum scriptae sunt proscriptorum tabulae; in his enim Rufini nomen legitur [1]. Neque vero mos fuit ut nomina eorum, qui jam obierant, in novis proscriptorum tabulis, quas fieri contingebat, scriberentur. Nec desunt indicia quae illum ostendant anno MCCLXXXV nondum obiisse [2].

III. In bibliotheca Cervotti Accursii, cujus catalogum in Appendice producimus [3], fuere *Commentaria* domini Rufini in tres libros Codicis [4], scilicet, in tres postremos Codicis libros, qui seorsim haberi solebant a novem prioribus libris et in Volumen, quod appellabant, cum Institutionibus, Authenticis et Usibus Feudorum redacti, in scholis extra ordinem legebantur. Haec porro *Commentaria* a Rufino de Principibus edita fuisse, pro certo habeo [5].

LXXXI.

BASACOMATER DE BASACOMATRIBUS.

I. Nobilis et potens diu viguit Bononiae familia, cui vulgus hominum minime pudibundum, ut erant eorum temporum mores, Basacomatrum agnomen imposuit. Neque difficile est ejus agnominis originem intelligere. Ex ea familia natus est Basacomater, sive, ut dici solebat, Basacomatre Albertuccii filius [6], legum doctor aetate sua clarissimus, vir magnae auctoritatis in civitate nec minoris famae in scholis. Alidosius jam inde ab anno MCCLX doctorum coetui adscriptum narrat [7]. Verum id aliquanto serius accidisse arbitror; nec ante annum MCCLXVIII hujus professoris memoria occurrit [8] ac ne tum quidem doctoris ei titulus adscribitur; emancipatus dicitur a Bartholomaeo avo, cum Albertuccius pater jam antea e vivis excessisset. Doctor anno MCCLXIX appellatur [9]; ex eo anno ad annum MCCCIX, quo extremum diem obiit, creberrima est ejus mentio in antiquis nostris monumentis. Saepe inter delectos viros locum habuit, quos Consilium populi bononiensis volebat praesto esse magistratibus ordinariis in administranda Republica, quoties aut bellum aut negotium aliquod paulo difficilius incidisset. Hos appellabant Sapientes [10]. Legationes quoque perhonorificas suscepit [11]; nec pacandis civium animis inutilem operam impendit [12].

circa diem duodecimo intrante Novembri veniente die mercurii terciodecimo intrante Novembri. Pars Germiensium Civit. Bononie cepit per vim civitatem Faventie consentiente dn. Tebaldello de Zambraxiis et expulserunt partem Lambertatiorum que erat Faventie et tenebat civitatem Faventie et multi Lambertatii de Civitate Bononie fuerunt interfecti et capti et ducti in carceribus in civitate Bononie ». *Ex Memor. Ansaldini Alberti Ansaldini ad diem XII Novemb. MCCLXXX.*

(1) *Ex lib. Bannitor. anno MCCLXXXII.*

(2) « Juxta dn. Rophinum de Principibus ». Ita quasi vivus nominatur in quibusdam confiniis designandis, in *Mem. Com. Bonon. an. MCCLXXXV,* quamquam erant ejus bona fisco addicta; quae biennio ante Tuccius Rolandini a Communi Bononiae conduxerat.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) Lectura dn. Rufini super tribus libris Codici.

(5) FANTUZZI. *Op. cit.,* art. *De Principi Ruffino.* — SAVIOLI. *Annali bolog.,* anni MCCLXIX, MCCLXX, MCCLXXII, MCCLXXIV. (C. A.)

(6) An. MCCLXXXII. Dn. Baxacomatre leg. doct. dn. Bonacosa et dn. Bologninus ejus fratres filii qu. dn. Albertuccii dn. Bartholomei etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(7) ALIDOSI. *Op cit.,* pag. 40.

(8) *Ex Mem. Com. Bonon. ejus anni.*

(9) *Vide infra in* BONROMAEO DE DULIOLO. Extat etiam ejus et Cervotti Accursii Consilium eo anno scriptum; de quo vide in CERVOTTO ACCURSIO.

(10) GHIRARDACCI, lib. VIII.

(11) Anno MCCLXXXIX legatus ad Regienses cum quatuor equis ex publico datis. *Ex lib. Reform. ejus anni.*

Etiam anno MCCCII legatus ad Insubres, ex GHIRARDACCI, lib. XIII.

(12) Anno MCCLXXXIII arbiter electus est ad componenda dissidia, quae inter Castellios, potentem et nobilem familiam, orta erant. *Ex Mem. Com. Bon. ejus anni.*

II. Uxorem duxerat anno MCCLXXI Gislam Magarottam Scannabicci filiam, ex familia praedivite, in Lambertaccios propensissima (1). Sed ipse nihilominus Jeremiensium partes cum omni sua gente acerrime propugnavit (2); quo factum est ut inter tot exilia et proscriptiones civium, quae in ejus aetatem inciderunt, non modo nullo in periculo fuerit, sed opibus etiam et honoribus abundans summa cum dignitate vixerit. Fuit autem de consulum numero, qui anno MCCLXXX recedente praetore, ut alias ostendimus, desertis Reipublicae gubernaculis sunt admoti. Cum Basacomatrum familia privatas simultates haberet cum Artenisiis, quorum pars erant qui nunc Beccatelli vocantur, ipse, tamquam gentis suae princeps, pro se ac suis omnibus arbitrium componendae pacis Antonio de Fissiraga praetori Bononiensium detulit, indicta sibi suisque ter mille librarum bonon. poena, nisi ejus arbitrio et sententiae stetissent (3).

III. Praeturam aliquot civitatum sibi delatam gessit Basacomater; ex quo intelligi potest celebratam in eo fuisse laudem civilis prudentiae pariter ac bellicae virtutis. Tam enim praetores non modo juris dicundi officio sed militari etiam imperio praeficiebantur. Cremonensem praeturam ex kalendis januariis anni MCCLXXXXII ad kalendas Julias accepit (4); faventinam in reliquos menses ejus anni administrare debebat (5). Sed conspiratione Ghibellinorum facta, quos Maghinardus de Sosenana concitaverat, ante legitimum tempus se abdicare coactus est, et civitas illa, quae in populi bononiensis fidem rursum se contulisse videbatur, ab ejus amicitia et societate penitus defecit (6). Anno MCCLXXXXVIII syndici, ac procuratores asculanae civitatis, quorum arbitrio Vexillifer, sive justitiae defensor, ex Lombardia diligendus erat, cum in Lombardia nominatim Bononiam censeri placuisset, Basacomatri id munus detulerunt (7). Biennio etiam post Laudis Pompejae praeturam gessit (8), neque anno MCCCII, annis jam gravis, a laboribus pro patria suscipiendis abhorrebat (9).

IV. Scripsit Basacomater *Quaestiones*, ut tunc doctores solebant, quae sunt ab Alberico aliisque laudatae (10). Anno MCCCVIII, V kalendas Decembris, testamentum

(1) MCCLXXI die VIII intr. Majo. Dn. Baxacomater doct. legum filius qu. dn. Albertucii de Baxacomatribus et nepos dn. Bartholomei sui avi paterni emancipatus a dicto suo avo paterno.... confitetur se recepisse in dotem a dn. Scannabicco qu. dn. Naximpacis de Magarottis DCCC lib. bonon. in dotem dna Gisle ejus filie. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) Bartholomaeus Basacomatris avus in conflictu ad pontem s. Proculi pro Jeremiensibus pugnans interfectus est an. MCCLXXV. Contra Scannabiccus Magarottus ejus socer an. MCCLXXX, oppressa a Jeremiensibus Faventia, cum Lambertacciis periit. *Ann. Forol.* apud MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. XXII, pag. 132 et 138.

(3) *Ex lib. Reform. ejus anni.*

(4) *Ex Mem. Com. Bonon. ad diem XXVIII Octob. MCCLXXXXI.*

(5) Electus initio a Faventinis in primos sex menses anni MCCLXXXXII ejus muneris obeundi potestatem a populi bononiensi sibi fieri curavit; neque enim aliter licebat. *Ex lib. Reform. F ad diem XXVII Augusti MCCLXXXXI.*

Sed novo deinde pacto permutationem temporis factam esse, ex eo liquet, tum quod Cremonensibus in eosdem menses se obligavit, tum quod faventina ejus praetura in Augustum mensem incidit. Vide *Annal. Forolir.* apud MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. XXII.

(6) An. MCCLXXXXII dn. Basacomatre de Basacomatribus potestas civitatis Faventiae pro Communi Boniae fuit expulsus.... et tunc Bononienses perdiderunt dominium civitatis Faventiae. MATTH. DE GRIFFON. in *Memoriali histor.* apud MURATOR. *Rerum Ital. script.*, t. XVIII, pag. 130.

Perinde hic loquitur auctor, ac si antiqua foedera tum etiam manerent.

(7) MCCLXXXXVIII die XXVI Aprilis Syndici Civitatis Asculi.... habentes facultatem eligendi Confalonerium et defensorem justitie Asculi in provincia Lombardie includendo Civitatem Bononie in Lombardia.... elegerunt dn. Baxacomatrem de Baxacomatribus.... incipiendo a die XXV Maji per unum annum. *Ex Memor. Jo. Bandidei de Butrio.*

(8) GHIRARDACCI, lib. XIII.

(9) Anno MCCCII legationem ad aliquot Insubrum civitates suscepit. *Ex* GHIRARDAC., *loc. cit.*

(10) Ita etiam determinatum fuit Bononiae in quaestione praedicta disputata per dn. Guilielmum Accursium seu dn. Basacomatrem. ALBER. in l. *Consiliarios, C. De assessoribus.*

condidit [1] et insequenti anno decessit [2]. Tumulum habuisse dicitur apud Fratres Praedicatores cum hoc titulo, quem affert Alidosius: — *Sepulc. nob. et discreti viri D. Basciacomadri quon. D. Bonifacii de Basciacomadribus leg. Doct. qui obiit anno Domini MCCCII die ....* — Sed vel hic titulus ad Basacomatrem nostrum non pertinet qui nec Bonifacii filius fuit nec obiit anno MCCCII, vel interpolatus est et corruptus apud Alidosium [3].

LXXXII.

THOMASINUS GUIDONIS UBALDINI.

I. Notus est in historia bononiensi Thomasinus Guidonis filius, Ubaldini nepos, legum professor, magis ob civilis prudentiae quam ob doctrinae famam; Thomasinus etiam Guidonis Bucchae, cognomine suae familiae proprio, sed minus saepe appellatus [4]. Ejus memoriam primum reperio ad annum MCCLXIX [5]. Ex plurimis, quae de eo supersunt, monumentis vixisse constat cum magna dignitate inter primarios cives, non solum ante turbatam domesticis armis civitatem, sed etiam post; erat enim ex Jeremiensium parte. Itaque et in Reipublicae administratione assiduus fuit [6], anno MCCLXXX extraordinarii consulatus, de quo saepe jam diximus, particeps; nec defuit privatorum causis; eumque canonici bononiensis Ecclesiae anno MCCLXXV in suum advocatum, confectis ea de re publicis tabulis, adscivere [7]. Anno MCCLXXXXIV adhuc in vivis erat [8]; qui si Octobri mense est mortuus, ut lapis olim apud Fratres Praedicatores ejus sepulcro appositus indicare videbatur [9], non ultra annum MCCLXXXXVI aetatem protraxisse dicendus est. Anno enim MCCLXXXXVII Februario mense haud dubie finem vivendi fecerat [10]. Quod vero narrat Ghirardaccius, eum anno MCCLXXXXIX populi decreto in urbem revocatum ex Castro S. Petri, quo se cum sua familia receperat ob civiles turbas [11], id alio prorsus tempore accidisse oportuit. Neque vero per eos annos civiles motus ulli fuerunt, sed grave externum bellum, quod in Flaminia magna ex parte gestum est, ut si quis erant cives quietis ac securitatis cupidi, ubivis potius, quam in Castro S. Petri, in ipsis Flaminiae finibus posito, esse maluissent. Militari dignitate ornatus fuerat Thomasinus, si modo exempla

(1) *Ex Mem. Com. Bonon. ad diem XXVIII Novemb.*

(2) *Ibid. ad annum sequentem.*

(3) Fantuzzi. *Op. cit.* art. *Basacomare de' Basacomari.* — Savioli. *Ann. Bol.*, loc. cit. (c. a.)

(4) MCCLXX die XV ex. Majo dn. Thomaxinus dn. Guidonis Bucche leg. doct.

MCCCXXVII die.... Romeus qu. Zoenis sive Zengoli olim dn. Thomaxini Guidonis Boche legum doctoris. Guido ejus frater etc.

MCCCXXX die VII Octob. Romeus filius qu. dn. Zoenis qui dicebatur Zengolus olim dn. Thomaxini Guidonis Ubaldini legum doct. testamentum condidit.... Guidonem fratrem heredem instituit. *Ex Memor. Com. Bonon.*

(5) *Ex Memor. Com. Bonon. ad diem XI Octob. MCCLXIX.*

(6) Praesens fuit feriundo foederi cum Marchione Estensi. *Ex lib. Reform. Com. Bonon.*

Anno MCCLXXVIII Viterbii fuit apud Pontificem cum aliis doctoribus. *Vide supra in* Roland. Romancio.

Anno MCCLXXIV consulitur de Castro Medicinae, num esset retinendum, an legato Pontificis cedendum. *Ex lib. Reform. II.*

(7) *Ex Mem. Com. Bonon. illius anni.*

(8) Adscriptus erat eo anno Consilio octingentorum. *Ex tabulis in archivo Bonon.*

(9) *Vide infra.*

(10) An. MCCLXXXXVII die.... Febr. Zoenes et Mattheus qu. dn. Thomaxini Guidonis Ubaldini legum doct. *Ex Memor. Rumioli de S. Georgio.*

(11) Ghirardacci, lib. XII.

quae supersunt antiquae inscriptionis eo tempore descripta, quo mutila jam erat ac vetustate exesa, certi quidquam docere possunt (1).

II. Filium inter caeteros reliquit Zoenem jurisperitum, non legum doctorem, qui tamen anno MCCCII a scholaribus quibusdam rogatus Codicem extra ordinem legit, cumque tot esset maleficiorum judex, ut propinquum suum in eo munere substituere posset, a populo bononiensi impetravit (2). Ejus posteritas diu floruit in nostra civitate, Bucchii seu Bocchii appellati. Ac ne nunc quidem ejus familiae agnomen extinctum est, sed in Palmeriam gentem transfusum. Ex ipsa vero Bocchiorum agnatione celebratus est in primis saeculo XVI Achilles Julii filius, eques et comes palatinus, vir graecis ac latinis literis egregie eruditus, multisque scriptis in lucem editis clarus. Is anno MDXXXXVI accademiam bocchianam, Hermathenam quoque dictam, instituit, aedibus suis quibus eam reciperet splendidissime extructis. Erant autem ex majorum ejus patrimonio, ibique olim habitaverat Thomasinus legum doctor, qui patris illius tritavus fuit (3).

LXXXIII.

BONROMAEUS DE DULIOLO.

I. In veteri charta canonicorum s. Salvatoris, ad annum MCCIV scripta, *Zachariam de Duliolo judicem* nominatum reperio. Is pater Bonjacobi fuit, a quo genitus est Bonromaeus de Duliolo legum doctor, qui Bononiae floruit post medium saeculum XIII, magnae auctoritatis homo et dignus qui in meliora tempora incideret, aut in civilibus turbis feliciores partes sequeretur. Hic anno MCCLXIX doctorum coetui adscriptus videtur, ac fuit annus ille celebris ob neodoctores multos, quos eo primum anno antiquae tabulae bononienses exhibere incipiunt, Fridericum scilicet de Scalis, Rufinum de Principibus, Lambertinum Ramponem, Basacomatrem de Basacomatribus et Thomasinum Guidonis Ubaldini. Fuit autem hic mos aliquando in academia nostra, quemadmodum narrat Joannes Andreae (4), ut legum doctores vel nullum universi doctorem promoverent, vel singuli suum. Igitur anno MCCLXIX accidisse censeo, ut plerique in suo quilibet doctore creando convenerint (5).

II. Bonromaeus ipso anno MCCLXIX, quo primum doctoris titulo insignitus videtur, arbiter delectus est cum duobus aliis legum doctoribus in controversia, quae erat

(1) Thomasini epitaphium apud Alidosium sic legitur: « Sepulch. nob. et potentis militis dn. Thomasini Guidonis.... legum doct. qui obiit an. dom. MCCC.... die II Octob. cujus anima requiescat in pace. Amen ».

Sed aliter est in codice inscriptionum Bononiensium, quem servat bibliotheca Scientiarum Instituti; quique nostra memoria descriptus est, haud multo ante quam lapidem ipsum nova aedificia obruerent.

« .... Nobilis et potentis Militis dn. Thomasini Guidonis Johann. de Bocch.... anno etatis sue.... idus Octubris ».

(2) « MCCCII die XXIV Octob. Cum dn. Zohenes qu. dn. (Thomasini) Guidonis Ubaldini legum doctoris electus fuerit judex officio maleficiorum novorum et ipsum officium exercuerit a kal. Jul. usque ad diem hodiernam et ipse intendat et velit ad instantiam aliquorum scholarium eis Codicem legere in jure civili ab hodie in antea per totum annum presentem.... quid placet.... quod dn. Johannes de Abellis judex et consanguineus dn. Zohenis possit loco ipsius dictum officium exercere ». *Ex lib. Reform. D.*

(3) Thomasini scilicet filius fui Zoen, Zoenis Guido, Guidonis Romaeus, Romaei Almericus, Almerici alter Romaeus, Romaeis Julius Achillis pater. *Vide* DULPH. *Famil. Nob. Bonon.*, pag. 173, qui emendavit ex act. civit.

[FANTUZZI. *Op. cit.* art. *Bocchi Achille*]. (C. A.)

(4) « Sic enim servare solebant doctores legum bononienses circa conventandos, aut nullum promovent, aut quilibet promovet suum ». JOANN. ANDREAE ad c. *Dilectus, De praebend. et dignit.*

(5) Nec vero casu id evenisse putaverim, ut tres ex eo numero, Fridericus, Rufinus et Bonromaeus, Lambertaccii fuerint; tres vero, Lambertinus, Basacomater et Thomasinus, Jeremienses.

inter monachos s. Stephani et Gozadinos, nobilissimam jam tum civitatis nostrae gentem (1). Biennio post cum Thomasino Guidonis Ubaldini legum doctore et duobus Fratribus Praedicatoribus, scribendis interfuit tabulis novi foederis, quod cum Opizone Atestino et Ferrariensibus initum est; de quo Bononiensium foedere cum Ferrariensibus silent rerum bononiensium scriptores (2). Anno MCCLXXII populus bononiensis, hinc Foroliviensium inde Mutinensium injuriis lacessitus, utri civitati prius arma inferret cum difficilis deliberatio esset ob dissensionem civium, quatuor legum doctores consulti sunt, in quibus fuit Bonromaeus Duliolus, quem, cum Lambertaccios ghibellinos sequeretur, credibile est Foroliviensibus favisse.

III. Ei quoque cum Angelino Ursio arbitrium datum est ad pacem conciliandam inter duas illustres familias Principum et Calamatonum, quae magnis odiis jactabantur ob illatam a Principibus Jacobo Calamatoni mortem. Id autem optimo successu perfectum est, firmataeque ex Bonromaei et Angelini sententia conditiones pacis; in quibus haec primaria fuit, ut Rufini legum doctoris filia Gabrieli Calamatoni nuberet (3). Haec anno MCCLXXIII gesta; quo anno Bonromaeus cum Thoma de Piperata et Joanne Ungarello legum doctoribus, honoris ergo adscitus interfuit, cum celebrata sunt sponsalia ab Andalo Petri de Andalo pro Guilielmo filio suo et a Magarotto de Magarottis pro Beatrice filia sua, pacta bis mille librarum bononiensium dote, qua pro illis temporibus supra privati civis facultates esse videbatur (4). Alidosius Bonromaei legum doctoris nomen recitat, ac recte vixisse ait ad annum MCCLXXI, sed gesta et casus hujus nobilissimi doctoris ignoravit omnino. Fuit ille in eadem calamitate, in qua ceteri Lambertaccii; cum quibus civitate pulsus est anno MCCLXXIV (5). Num autem anno MCCLXXIX in patriam redierit, cum pax leviter inter Jeremienses et Lambertaccios coagmentata est, non liquet. Sed is certe cum Lambertacciis iterum proscriptus est et una illius pater, qui anno MCCLXXXII adhuc vivebat (6). Ejus quoque bona publicata sunt (7), nec unquam ei reditus in patriam permissus est; ut facile conjici possit, illum inter Lambertacciorum principes esse habitum (8).

LXXXIV.

JOANNES UNGARELLUS.

GUILIELMUS CAZZITTUS. JACOBINUS PICCIGOTTUS.

I. Hos etiam doctores academiae nostrae eripuerunt Jeremiensium et Lambertacciorum cruentae factiones. Joannes Ungarellus ex familia natus est illis temporibus non ignota, patre Marchesino, quem Accursii filiorum pernecessarium fuisse constat, in eorum

(1) *Ex tabulis a clarissimo Montio visis in Mem. Com. Bonon.*

(2) Extat foedus hoc Bononiensium cum Opizone et Ferrariensibus in *lib. Reform. Com. Bonon. ad diem kal. Sept. an. MCCLXXI in archivo publico.*

(3) Anno MCCLXXIII die.... in dn. Bonromeum de Dugliolo legum doctorem et dn. Angelinum de Ursis compromiserunt Rufinus et Guido fratres de Principibus cum suis et Castellanus qu. dn. Benni de Gozadinis tutor Lucie filie qu. dn. Jacobi Simonis Gerardi Tetii de Calamatonibus et alii ex ea familia de omnibus injuriis, inimicitiis, excessibus, processibus et specialiter de morte dicti dn. Jacobi de Calamatonibus etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(4) *Ex Mem. Com. Bonon. die III exeunte Febr.*

(5) Ejus nomen in *Tabulis proscriptorum* ita adnotatum est: « Dn. Bonromeus doctor legum fil. dn. Boniacobi de Duliolo ».

(6) *Ex tabulis proscript. an. MCCLXXXII scriptis.*

(7) « Dn. Bonromeus doct. leg. habet unum casamentum in capella s. Mariae Castrobritonum ». Ita legitur in libro, qui inscribitur *Melioramentorum bonor. Bannit.*

(8) SAVIOLI. *Ann. Bolognesi,* loc. cit. (C. A.)

negotiis assiduum, Cervotti etiam, quo tempore aetate erat minor, curatorem (1). Hujus igitur filium Joannem, jurisprudentiae studiis deditum, praeceptore usum esse Francisco Accursio posset quis non temere conjicere. Doctorem fuisse accepimus anno MCCLXXI, quo anno ab Azone abbate s. Proculi delectus est, qui monasterii sui causis defendendis forensem operam praestaret, octo medimnis tritici pro annua mercede constitutis (2). Anno insequenti Octaviani Ubaldini episcopi vicarius jus dixit (3); ut ex laicis juris civilis professoribus Arimundum de S. Petro ante illud tempus fecisse ostendimus. Sed ad praecipuos honores celeriter contendentem eadem, quae ceteros Lambertaccios, partium fortuna perculit. Proscriptus est cum Marchesino patre; ejusque bona, ut emancipati, seorsum a paternis publicata (4). At in altera Lambertacciorum expulsione proscriptus est iterum ejus pater; ipse a territorii finibus tantum abesse jussus (5). Quae ejus fortuna exulis fuerit, plane ignoratur; in patriam certe numquam rediisse videtur, neque de illo quidquam amplius memoratum reperio in eorum temporum monumentis.

II. In eodem infortunio fuit Guilielmus Cazzittus, Pauli filius. Gens erat, ex qua ortus est, mercaturae addicta, neque ignobilis neque obscura; ejusque pars cum Lambertacciis, pars cum Jeremiensibus sentiebat. Sed vix semel, aut iterum hujus doctoris mentio est in Memorialibus Communis Bononiensis ad annum MCCLXXII et MCCLXXIII (6). Exortis enim domesticis tumultibus, hic etiam cum ea familiae suae parte, quae Lambertacciis favebat, e civitate expulsus est (7), et exul obiit, incertum quo loco et tempore.

III. Jacobinus Piccigottus sola fere calamitate notus est; vix enim alibi quam in proscriptorum tabulis doctor legum appellatus reperitur. Patrem habuit Amadorem ex lauta et splendida familia, quam argentariae quaestus in primis collybo a scholaribus exacto locupletaverat (8). Post non multo quam in doctorum coetum cooptatus fuerat Jacobinus (9), decertantibus inter se utriusque factionis civibus, anno MCCLXXIV adversus Jeremienses pro Lambertacciis acriter pugnavit. Quibus depulsis, et ipse tamquam hostilis in patriam animi convictus, duriorem proscriptionis poenam subiit e civitate ejectus, bonisque omnibus exutus (10). Quo se terrarum contulerit et quousque aetatem protraxerit incertum est. Sed ejus domus a fundamentis convulsa et in ruinis jacens multis etiam post annis acerbissimi temporis memoriam tristi spectaculo refricabat (11). Facile crediderim hos doctores, a patria extorres, in aliis civitatibus, maxime in quibus Ghibellini Lambertacciis amici pollebant, jus civile docuisse (12).

(1) MCCLXV die V exeun. Septemb. dn. Cervottus qu. dn. Accursii legum doct. cum auctoritate dn. Marchisini de Ungarellis sui curatoris vendit etc. *Ex Mem. Com. Bonon., et alibi saepius.*

(2) MCCLXXI die X intr. Decembr. dominus Azo Abbas s. Proculi promisit dn. Johanni de Ungarellis doctori legum dare ei omni anno corbes VIII frumenti pro patrocinio etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(3) MCCLXXII dn. Joannes fil. dn. Marchixini de Ungarellis legum doct. vicarius dn. Episcopi etc. *Ibid.*

(4) *Ex lib. Bannit. script. anno MCCLXXVII* et *ex lib. melioram. bon. Bannit.*

(5) *Ex lib. Bannitorum et Confinatorum script. anno MCCLXXXII.*

(6) MCCLXXIV die V intr. Febr. dn. Cavazochus de Albergatis syndicus et procur. fratris Bonanni prioris conv. s. Dominici etc. donat dn. Alberto Cazzitte omnia jura que habere poterat contra dn. Guilielmum de Cazzittis doct. legum filium dn. Pauli etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(7) *Ex lib. Confinat. script. an. MCCLXXVII.*

(8) « MCCLXXIV die X exeunte Augusti dn. Petrus Calchuli, dn. Poncius de Villanova.... scholares promiserunt solvere dn. Alberto de Piccigottis DCC lib. bonon. ex causa mutui.... causa studii etc. ». *Ex Mem. Com. Bonon.* ubi contractus hujusmodi scholarium cum Piccigottis persaepe occurrunt.

(9) MCCLXXIII die VII August. dn. Jacobinus Amadoris de Piccigottis « testis nondum legum doctor appellatur ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(10) Dn. Jacobinus de Piccigottis legum doctor et fratres ejus. *Ex lib. Bannit. script. anno MCCLXXVII.*

(11) Dn. Jacobinus de Piccigottis leg. doct. hab. unam domum destructam in Cap. s. Donati. *Ex lib. Melioram. bon. Bannit. script. an. MCCLXXXVIII.*

(12) SAVIOLI, *Annali bolognesi,* loc. cit.

LXXXV.

GUILIELMUS BRUNETTUS.

GUILIELMUS DE PREITIS.

Guilielmus Brunettus recensetur ab Alidosio inter doctores legum bononienses, qui his temporibus floruerunt. Huic addit Guilielmum de Preitis ejusdem aetatis hominem. Sed ignotus est uterque in censu nostrorum civium. Viderat, opinor, eorum nomina in eorum temporum tabulis, nec animadvertit fuisse homines exteros ex iis, qui ad academiam nostram confluebant, propterea eos pro Bononiensibus habuit. Et de Guilielmo quidem Brunetto, sive Brunetti filio, manifesta res est Gallum fuisse, patria Carcassonensem. Id constat ex tabulis a clarissimo Montio visis; ex quibus etiam apparet illum annos aliquot Bononiae moram egisse inter scholares antequam doctor crearetur (1). Alidosius enim illum cum Guilielmo de Preitis reperiit inter doctores, qui Bononiae vivebant circiter anno MCCLXXIV. At ex tabulis ante indicatis constat illum anno MCCLXVI Bononiae egisse nondum doctoris insignia consecutum. Sed quoniam deinceps neutrius memoria ullibi occurrit, utrumque censeo paulo post doctoris honores acceptos e scholis nostris discessisse, ut fere solebant exteri doctores, quorum pauci, nisi magnopere expeterentur a scholaribus, lares perpetuo figere poterant in civitate nostra, difficile concedentibus doctoribus nostris, qui sibi, non injuria, principatum quemdam aut potius monarchiam jurisprudentiae vindicabant. Sed plurimi fuerunt ejusmodi legum professores alienigenae, qui emenso studiorum curriculo in scholis nostris, cum doctoris insignia cepissent et aliquamdiu etiam in academia nostra docuissent, quo honoratiores in patriam et ad destinata munera proficiscerentur, nullum sui vestigium apud nos reliquerunt. Ex his nonnullos recensebimus in elencho scholarium, quem extremo loco dabimus.

LXXXVI.

MARTINUS SULIMANUS.

I. Celebratus est ab omnibus, qui de claris legum professoribus scripserunt, Martinus Sulimanus bononiensis (2), juris caesarei interpres cum paucis suae aetatis comparandus. Ejus pater Sulimanus Martini filius bibliopola mediocri loco natus (3), ex arte, ut tum erat apud nos propter scholarium frequentiam quaestuosissima, ad eas fortunas pervenerat, non modo ut filium doctorem legum habuerit, quem gradum illis temporibus

(1) An. MCCLXVI die VII April. dn. Bernardus Stephani archidiaconus carcaxonen. habuit a Jacobino de Racorgipitis lib. CLV presentibus dn. Sanctio priore s. Jo. de Virginibus, dn. Guilielmo Brunitti de Carcaxona etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

Anno MCCLXXIII legum doctor adhuc Bononiae versabatur, ac iisdem fere temporibus Guilielmus de Preitis; quem pariter alienigenam fuisse, indicio sunt versurae, quas communi nomine cum aliis scholaribus faciebat. *Ex iisdem Memorialibus.*

(2) « Sulmannus » Fichardo dicitur, Pancirolo, ac veteribus plerisque « Syllimanus »; neque in publicis tabulis ejus agnomen uno modo effertur.

(3) « Dn. Sulimanus Stazionerius librorum » dicitur in *Mem. Com. Bonon. an. MCCLXXVI.* Alibi « Sulimanus de Libris et Sulimanus de Exemplis » appellatur in *Memor. an. MCCLXXXIII.*

nobilitas prope occupatum tenebat, sed ut neptes suas splendidissimis matrimoniis collocare posset. Ab eo primum filii, deinceps posteri omnes Sulimani, aut Sylimani dicti videntur.

II. Quos Martinus professores audiverit in legum studio non liquet. Est locus obscurus apud Diplovataccium [3], quasi ex additionibus Joannis Andreae ad *Speculum juris,* ubi ait, Martinum Sulimanum audisse tres Summas a tribus doctoribus, videlicet, Jacobo Balduino, Azone et Bonifacio. Sed neque locus ille reperitur in *Additionibus* Joannis Andreae, ad eum titulum, quem indicat Diplovataccius; et si alicubi esset, pro Martino Sulimano, qui longe serius vixit, reponendus videretur Martinus Fanensis, qui Azonis revera discipulus fuit et Jacobum Balduinum ac Bonifacium Bonconsilium audire potuit. Martinus quidem Sulimanus nondum doctoris titulo eminebat anno MCCLXX cum est a patre emancipatus, quamquam non multo post et filii et patris consensu rescissae sunt emancipationis tabulae; rursusque Martinus sponte ac libere patriae potestati se subjecit [4]. Anno MCCLXXIII cum Hugolino Zamboni et Albertino Carrario arbiter in quadam controversia, et ipse legum doctor sententiam dixit [5]. Ab eo tempore per annos amplius triginta in academia nostra floruit, jure inter primarios legum professores reputatus.

III. Illud autem in eo singulare accidisse videtur, iisque temporibus paene inauditum, quod cum Lambertacciis faveret, non tamen e civitate submotus est neque ulla proscriptionis aut relegationis nota ipsi inusta. Id scilicet concessum scholarium postulationibus, qui de tam claro professore retinendo solliciti, anno MCCLXXX postea quam de illius partis studio vehementius suspectus esse coeperat, a magistratibus enixissime contenderunt ut Martinus ipse ejusque frater qui erat in eadem noxa et Albertus Piccigottus mercator, cujus opera crebro utebantur, libere ac tuto in civitate esse possent [6]. Non tamen ad Rempublicam aditus ei patefactus est, neque ulla ad ipsum publici negotii administratio a populo bononiensi delata; quae causa fuit cur privatae vitae addictus scholae tantum forique occupationibus vacaverit. Id vero scholares vel maxime optabant; quorum erant graves querelae de aliis doctoribus, qui cum publica negotia tractarent legationesque Reipublicae causa obirent, minus assidui esse poterant in scholae muneribus. Atque ob hanc quoque causam turbae ingentes aliquando in coetu scholarium universo excitatae sunt, quas compescere studuit Martinus IV Pontifex anno MCCLXXXII iis litteris, quas in Appendice exhibemus.

IV. Cum igitur totus in docendo esset Martinus, publicis curis minime occupatus, in schola ita floruit ut auditorum frequentia professores aetatis suae reliquos superasse videatur, atque in his omnium celeberrimi feruntur Joannes Andreae et Cinus Pisto-

(3) Et vide in *Addit. Spec.* in tit. *De defens.,* § 2, v. *Quarto quaerendum;* in *Addit.* incip.: « Dicas secundum Martinum, ubi dicit quod Martinus Silima audivit tres Summas a tribus doctoribus videlicet a Ja. Balduino, Azo et Bonifacio ». DIPLOVAT. in *Martinus Sulimanus.*

(4) MCCLXX die V exeunte Octob. dn. Sullimanus, dn. Martini Stationarius, dn. Martinus ejus filius una cum eo venerunt et dixerunt quod instrumentum emancipationis scriptum manu Deotacore Not. et continetur quod dictus dn. Sullimanus emancipavit dictum suum filium sit vanum et cassum ex instrum. Matthei Cambii Not. factum hodie in domo dn. Sullimani etc. *Ex Mem. Francisci de Ponticlo.*

(5) MCCLXXIII die XI Decembris refertur compromissum in dn. Ugolinum Zamboni, dn. Albertinum de Carrariis et dn. Martinum dn. Sulimani doctores legum etc. *Vide Memor. Guilielmi de Canutis.*

(6) « Tempore dominorum novem Consulum qui regebant civitatem Bononie in MCCLXXX.... Item dn. Martino dn. Sulimani doctori legum cum fratre et familia sua, dn. Alberto de Piccigottis Mercatori cum sua familia, Alberto Arondelli scriptori et not. dicti dn. Alberti de Piccigottis concessum fuit posse remanere et stare in civitate Bononie sane et secure in personis et in rebus ad petitionem dominorum scholarium etc. ». *Ex lib. Reform. H.*

riensis. At certe Joannes Andreae saepius Martinum laudat, ac dominum et magistrum suum in legibus appellat (1). Cinus autem eum quidem sibi adfuisse narrat, cum experimentum de ejus doctrina caperetur, antequam tirocinium poneret et doctoris insignia in nostra academia caperet (2); praeceptorem vero suum fuisse plane non dicit.

V. Anno MCCLXXXV Martinus Sulimanus arbiter in causa quadam, quam sanctimoniales s. Mariae de Stellis habebant cum Beatrice Zolia, sententiam tulit (3). Et anno MCCLXXXXVI cum disceptatio orta esset in Consilio civitatis de quodam legis capite interpretando, quam nuper populus ipse bononiensis sciverat, delecti sunt quatuor legum doctores, inter quos Martinus Sulimanus, qui cum quatuor insuper prudentibus viris de ejus legis sententia judicarent. Atque hoc solum fere est ex publicis negotiis, in quo Martinum Sulimanum versatum constet, idque in unius formulae interpretatione positum (4). Sed tamen extra patriam juri dicundo operam dedisse dicitur, assessoris, ut vocant, officio Mediolani perfunctus (5). Aliquando etiam cum aliis doctoribus summae existimationis in consilium adscitus est ab Inquisitoribus haereticae pravitatis, in causis suae jurisdictionis cognoscendis (6).

VI. Uxorem habuit Martinus Belvisam (7), ex qua copiosam prolem suscepit, mares nimirum quatuor, Paulum, Jacobum, Henricum, Carazium et foeminas sex; quarum tres nuptui jam dederat, cum testamentum condidit anno MCCCV. Earum una, quae Thomasia dicebatur, jam tum obierat. Ea nupserat Bonifacio Galluccio legum doctori, nobilissimo viro (8). Ex maribus autem Paulus, qui natu major fuisse videtur, legum doctor non incelebris fuit et cum patre ipso jus civile professus est in scholis nostris. Legebat is anno MCCLXXXXVII eique una cum patre immunitas a militia concessa est, petente scholarium universitate, ut scholae muneribus vacare possent (9). Sed de Paulo Sulimano, qui postea diu vixit, plenius alibi dicendum. Henricus etiam jurisprudentiae vacasse videtur; cur enim ei pater legasset suos libros, in quibus ipse studuerat, si alio ejus studia spectassent quam ad jurisprudentiam? Fuere etiam Martino Sulimano plures fratres; atque in his mag. Majus medicinae professor, de quo suo loco dicemus. Ac multa de ejus agnatione et affinitatibus discere licet ex ejus tabulis testamentariis, quas in Appendicem rejecimus. Ex iis etiam constat, illum sibi sepulturam elegisse in ecclesia

(1) « Disputavit etiam illam Azo doctor nostri juris bonon. canonicus; et doctor meus in legibus dn. Martinus Syllimanus ». Joann. Andreae in *Sext. de Reg. Jur.*, c. *Exceptionem* et alibi.

(2) Unde cum in privata examinatione ego habuissem punctum in hac materia, quidam Doctor Bononiensis quaesivit a me quando relictus erat ususfructus filio familias utrum pater haberet usumfructum et cujus morte finiretur. Ego sentiens quaestionem arduam qualem fore quaerens non sentiebat, respondi casus est C. *De usufructu*, l. ult. tunc doctor meus dn. Lambertinus Ramponen. de Bononia, sub quo militare volui, dixit verum est, ac optime respondit, quia non est quaestio ex quo est casus legis. Sed tunc Martinus Sillimanus ait quod malitiose et caute respondi, quia de casu et intellectu ejus legis erat magna dubitatio, et sic pertransivimus. Cinus in l. ult., C. *De usufructu*.

(3) Extat ejus laudum in *Mem. Com. Bonon.* ad diem XVIII Aprilis ejus anni; illud autem monasterium fuisse constat prope circlam burgi s. Felicis, alias dictum s. Mariae de Cistello.

(4) *Ex actis publicis ejus anni in lib. Reform. Com. Bonon.*

(5) Audivi dominum M. qui meo tempore fuit assessor Mediolani, quod ibi juramentum calumniae exigebatur solum tempore sententiae. Joann. Andreae in *Addit. ad Spec.*, tit. *De juram. cal.*, § *Sequitur*, v. *Quid de causa appell.*

(6) *Ex Cod. mss. archiv. Sacr. Inquisit. Bonon. ad an. MCCLXXXXIX. Vide Appendicem.*

(7) MCCLXV die penult. Maji Sylimanus qu. Martini et dn. Martinus ejus filius receperunt a Gherardo filio Joannis lib. LXXX bonon. nomine dotis dna Belvixie ejus sororis etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(8) MCCLXXXVI die XVI Februari dn. Sulimanis qu. Martini dedit tradidit.... nomine dotis dn. Blanco de Gallutiis filio qu. dn. Alberti Guidoclerii de Gallutiis, pro matrimonio contracto inter Bonifacium filium dicti dn. Blanchi et Thomaxinam filiam dn. Martini legum doctoris, neptem dicti dn. Sulimani, infrascriptas pecias terre etc. *Ex Memor. Uberto Pistoris.*

(9) *Ex lib. Reform. A.*

Fratrum Praedicatorum idque fieri mandasse *sine superfluitate inanis gloriae*, ut in iisdem tabulis legitur. Improbabat, opinor, vir prudens immanes sepulcrorum moles, quas Accursio, Odofredo, Rolandino Romancio, Rolandino Passagerio, aliisque excitatas viderat, tum vero etiam morem illum frustra legibus coercitum ut doctorum corpora ad sepulcrum deferrentur ingenti pompa et concursu non solum privatorum hominum, sed ordinum quoque et magistratuum civitatis.

VII. Narrat Pancirolus Martinum Sulimanum, post aetatem diu in scholis exactam, ad Ordinem Praedicatorum migrasse, quod falsum est (1). Ejus tamen ac familiae suae mira fuit propensio in eum Ordinem. Nam praeterquam quod in eorum ecclesia humari voluit, testamenti sui curatorem elegit Fratrum Homobonum ex illo numero, cui etiam in testamento legata dederat, praeter filios Paulum legum doctorem et Jacobum. Ac floruit etiam in eo Ordine Fratrum Joannes Sulimanus, Martini pronepos, qui Palatii Apostolici magisterio non multo post ejus aetatem honestatus fuit.

VIII. Pridie quam Martinus testamentum conderet, anno scilicet MCCCV die vigesima nona Decembris, suos filios quos supra nominavimus ex auctoritate Gerardi Parmensis, qui juri dicundo assidebat Guilielmo Novello praetori Bononiensium, emancipavit (2); atque, ut in tabulis ea de re confectis legitur, *a sacris patriae potestatis relaxavit, nec non a sua manu et paternae potestatis nexibus exemit;* ac singulis non mediocris aestimationis praedia attribuit. Henrico autem et Carazio, quia aetate minores erant, curatores ab eodem Gerardo dati, Henrico scilicet Sulimanus ejus patruelis, filius Joannis Sulimani, Carazio autem Martinus Guidonis filius (3). Anno demum MCCCVI extremum obiit diem (4), ac tumulatus est, ut in testamento caverat, apud Fratres Praedicatores; ubi ad nostram aetatem haec inscriptio ejus sepulcri memoriam servavit:

MARTINI SULIMANI
CUJUS · PRAECLARA · JURISCONSULTI · OPERA · EXTANT
HUMATA · HIC · OSSA · QUIESCUNT
LAPIDEA · HAEC · MEMORIA · ILLI · POSITA · EST
ANNO · SALUTIS · MDXXVI

MARTINI SULIMANI SCRIPTA.

Diplovataccius, cum in Martini Sulimani scriptis recensendis, ut solet, sit accuratissimus, in ceteris non leviter errat. Mitto enim quod eum dicit civilis et canonici juris professorem excellentissimum quamquam jus canonicum nec umquam sit professus, nec in eo quidquam scriptum reliquerit. Illud miror magis, quod eum dicit patria parmensem, atque in ea civitate mortuum, ubi in aede divae Christinae in marmoreo tumulo sit conditus; quae nullam veri speciem habent.

Sunt aliqua ejus *Responsa,* sive *Consilia* in vetusto libro membranaceo manuscripto Collegii Hispanorum ad divi Clementis, in quo libro Jacobi Balduini et aliorum ex nostris jurisconsultis antiquioribus responsa vidi.

(1) Videtur Pancirolus, quod de Martino Fanensi acceperat, ad Martinum Sulimanum retulisse.

(2) *Ex Mem. Com. Bonon. illius anni.*

(3) Enricus et Charazius puberes fratres et filii dn. Martini de Sullimanis legum doct. constituti in presentia dn. Gerardi Judicis, dn. Guilielmi Novelli potestatis Bononie petierunt eis in curatores dari scilicet dictus Henricus Sullimanum qu. dn. Johannis de Sullimanis et dictus Charazius Martinum Guidonis presentes etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(4) Kal. Febr. MCCCVI codicillos fecit, quos indicatos vidimus in *Mem. Com. Bonon. ad eum diem.*

Tertia autem Aprilis die mortuus dicitur in aliis tabulis, quae item sunt in *Mem. Com. Bonon.*

Reliquit etiam *Compendium feudorum*, quod editum habemus inter *Tractatus juris universi* (1).

Ampla ejus commentaria in Codicem et Institutiones memorat Diplovataccius, qui eorum exemplaria aetate sua rara fuisse scribit. Sed ex ejus testamento intelligimus scripta ab illo commentaria in Digestum vetus et Codicem. Cum enim libros suos legales, in quibus ipse studuerat, Henrico filio legasset, exceptum voluit Digestum vetus et Codicem ab eo paratos, idest, apparatu glossarum instructos.

In magno volumine in membranis scripto, quo Codex Justiniani continetur cum glossis non solum Accursii sed plurimum quoque doctorum, qui post Accursium floruerunt, nonnullas vidi cum hac nota *Mar. Sy.*, quae procul dubio *Martinum Syllimanum* indicat (2). Merito igitnr ab Alberico Rosate antiquus et solemnis doctor appellatur (3).

LXXXVII.

PAX DE PACIBUS.

I. Pervetusta est Bononiae Paciorum familia, clara inter patricias olim de Pacibus dicta. Nunc Pasii dicuntur; sed ea jam ad interitum properat, uno tantum ejus surculo vigente, Aloysio Pasio et sene et sine liberis. Qui primus ei familiae celebritatem attulisse videtur Pax fuit, a quo posteri agnomen tulerunt. Is filium habuit Rodulphum, ex quo Rodulphus alter natus est complurium filiorum parens; quorum duo, Pax et Fulcus, jurisprudentiae studium secuti sunt. Sed Pax, ut fratrem aetate antecessit, sic etiam doctrinae et civilis prudentiae fama eum vicit, aeque enim habitus est civis egregius et excellens legum doctor. Neque solum patriae suae togatus praesidio fuit sed in bello etiam non inutilem operam praestitit.

II. Ac praeclara quidem illius indoles mature admodum eluxit, nondum enim XXV aetatis annum impleverat, cum dirimendis civium controversiis adhiberi coeptus est, anno MCCLXIX cum Rufino de Principibus legum doctore in causa quadam arbiter delectus (4), et erat vergente eo anno adhuc aetate minor; emancipatus tamen a patre ut apparet ex tabulis dotalibus, in matrimonio Fulci ejus fratris confectis, quibus ipse assensum praebuit (5). Anno MCCLXXIII Guidomundi Lambertini, qui nuper decesserat, filii de paterna haereditate certantes, Martino Fanensi summo jurisconsulto, inter Fratres Praedicatores Bononiae adhuc vitam agenti et Paci nondum doctori finiendi illius dissidii liberam potestatem permisere (6). Sub exitum ejusdem anni doctorem jam renunciatum fuisse ex antiquis tabulis colligimus (7). Triennio post Guilielmi Lambertini praetoris ferrariensis assessor, in extera civitate jus dixit (8); quod alios etiam legum doctores, juvenes praesertim et nondum in schola celebres, constat fecisse.

(1) *Tract. Jur. Univ.*, t. X.

(2) *Est Cod. Vatic. 1428.* Vide ad Auth. *Item haereditas, de bonis quae liberis etc.* de quo in *Appendice.*

(3) ALBERIC. ROSAT. apud DIPLOVAT. in *Martinus Sulimanus.*

[TIRABOSCHI. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § XXIV. — FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Sulimani Martino.* — SAVIOLI. *Ann. Bolognesi*, an. MCCXXVIII, nota H. — SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. V, cap. XXXXIV]. (C. A.)

(4) *Ex Memor. Thomasii Alberti Fabri ad diem XXI Jan. MCCLXIX.*

(5) MCCLXIX die VI exeunte Novemb. dn. Pax, dn. Fulcus fratres filii dn. Rodulphi fil. qu. dn. Rodulphi Pacis cum auctoritate et consensu dn. Petrizoli de Albirolis eorum curatoris .... contenti fuerunt recepisse in dotem lib. D bon. pro matrimonio contracto inter dna Ghixilam filiam dn. Amadoris de Pritis et dn. Fulcum etc. *Ex Memor. Aldrorandini Morandi de Marsiliis.*

(6) MCCLXXIII die XII exeunte Augusti. Rizardus, Thomas, Paulus fratres et filii qu. dn. Guidomundi de Lambertinis unanimiter asseruerunt, voluerunt quod fr. Martinus de Fano de Ord. Fratrum Praedicatorum cum dn. Pace Rodulfi Pacis una possint et debeant disbrigare questionem quam habet dictus Rizardus cum dictis fratribus etc. *Ex Memor Amodei de Sardellis.*

(7) *Ex Memor. Guilielmis de Canutis ad diem V intr. Decemb. MCCLXXIII.*

(8) *Ex Mem. Com. Bonon. anni MCCLVI.*

III. Sed amplissimi eum honores in patria sua manebant, quos deinceps et propter generis splendorem et propter virtutis commendationem suffragante in primis Jeremiensium factione consecutus est, erat enim cum omni sua gente studiosissimus illius partis, pro qua et Rodulphus ejus pater et Lambertinus patruus anno MCCLXXV ad pontem Sancti Proculi pugnantes vitam amiserant (1). Ac in ea quidem legatione, quae anno MCCLXXVIII decreta est, ad sacramentum subjectionis Nicolao III Pontifici ac Romanae Ecclesiae praestandum cum Rolandino Romancio ac Thomasino Guidonis Ubaldini legum doctoribus Pax etiam fuit (2); idemque IX consulibus Rempublicam administrantibus, anno MCCLXXX extraordinarium illum magistratum gessit, in quo universa tum residebat praetoris ac praefecti populi majestas et auctoritas. Cum autem alii ex aliis motus civiles per omnem aetatem illam in civitate orirentur et Lambertaccii saepius ejecti et proscripti nec intestinas turbàs excitare nec bella movere desisterent, Pacis studia, labores, vigiliaeque numquam patriae suae defuerunt. Itaque plures ab eo legationes susceptae, in quibus celebris est illa, qua anno MCCLXXXX cum Alberto Odofredo ad Rivum Sanguinarium in Faventinorum et Imolensium finibus missus est. Ibi colloquium fuerat indictum ad Faventinos in ordine continendos quod quam diligenter a nostris legatis curatum sit ostendunt Faventinorum literae, quas in Appendice damus Ghirardaccio ignotas, apud quem altum de ea re tota silentium.

IV. Neque vero in publicis modo civitatis periculis sed in privatis familiarum discordiis, ex quibus pax publica plerumque periclitabatur, Pacis prudentia et auctoritas valuit. Cum inter Asinellios et Prendipartes, quae erant ex praecipuis civitatis familiis (et superest adhuc Asinelliae gentis monumentum in altissima turri, ex ejus nomine dicta) gravibus odiis inimicitiae exercerentur, unde caedes et turbae non modicae creabantur, Pax de Pacibus cum Thomasino Guidonis Ubaldini, legum item doctore, pacem inter eas familias anno MCCLXXXIX composuit (3). Non minima quoque ejus cura fuit conservandae dignitatis academiae nostrae et scholarum quietis. Anno MCCLXXXI, cum in comitiis scholarium ultramontanorum discordia extitisset, ac duo rectores a sua quisque factione electi essent, ad Bernardum Medicem Hugolini Rubei praefecti populi judicem et ad Pacem de Pacibus ac Marsilium Mantighellum canonum interpretem cognitio ejus controversia delata est (4). Idem Pax multis post annis cum aliis professoribus ac magistratibus civitatis Fredo Ptolomaeo scholari senensi, qui turbas ingentes concitaverat, comprimendo interfuit (5).

V. Erat Paci attributus equus ex publico, ut nobilioribus plerisque civibus, qui utiliorem in bello operam Reipublicae praestare poterant. Ex omnibus autem bellis, quae populus bononiensis gessit, maxime memorandum est illud, quod cum Azone Ferrariensium marchione quatuor fere annos exercuit. Foederati erant Azoni exules Lambertaccii et Ghibellini plurium Aemiliae civitatum, nec deerant Bononiensibus amicarum civitatum auxilia ex Insubribus. Ortum est id bellum annum MCCLXXXXVI, quo exacto, ac Jacobo de Caffaro Fanensi praetore magistratu abeunte, cum is qui succedere debebat, Teglia Frescobaldus, neque tunc adesset nec brevi affuturus videretur,

(1) *Ex Chron. Petri Cantinelli.* Et vide Rubeus, *Histor. Ravenn.*, lib. VI.

Testamentum Lambertini qu. Rodulphi de Pacibus scriptum die V Jan. MCCLXXV extat archivo Fratrum Min., in quo et Belvillani ejus fratris et Pacis ac Fulci alterius fratris Rodulphi filiorum mentio habetur.

(2) *Vide quae dicta sunt in* Rolandino Romancio.

(3) *Ex lib. Reform. Com. Bon. ad an. MCCLXXXIX.*

(4) *Ex Memor. Com. Bonon. ad diem III Junii MCCLXXXI.*

(5) *Ex lib. Reform. Com. Bonon. D, ad diem VI Maji MCCCII.*

octo cives praestanti prudentia electi, qui difficillimo tempore summae Reipublicae praeessent, VIII rectores appellati, quorum princeps Pax de Pacibus fuit (1); atque is postea inter VIII Viros bello administrando praefectos adlectus est non semel (2); singulis enim annis, ac forte etiam crebrius VIII Viri creati sunt. Idem eo bello dux et signifer fuit cohortis urbanae, quae ex Porta S. Petri nomen ducebat, Confalonerium vocabant (3). Erat summus belli imperator Moroellus Malaspina, virtute bellica non minus quam generis nobilitate clarus, cui, ut maxime idoneo ad illud bellum gerendum, Bononienses sub finem anni MCCLXXXXVII civitatis praeturam detulerant (4). Sed cum anno MCCLXXXXIX agi de pace coeptum esset et legatos ac Bonifacium VIII mitti oporteret, qui, agentibus Florentinis pacis auctoribus, arbiter electus fuerat ad veterem controversiam dirimendam inter Bononienses et Ferrariensium dynastas, qua ex controversia bellum illud exortum erat, legationis principes fuere Albertus Odofredus et Pax de Pacibus, qui tunc erant ex celeberrimis academiae nostrae professoribus (5). In quo sane majorum nostrorum prudentia emicuit, qui ad Pontificem divini humanique juris consultissimum duos legum professores maxime praestantes legatos esse voluerunt. Neque non felicissime id negotium ab iis curatum est. Pontifex enim secundum Bononienses pronunciavit, eisque duo castra, Bazanum et Savignanum, in perpetuum possidenda attribuit, de quibus controversia erat ad agrum bononiensem an ad mutinensem pertinerent; quidquid vero juris in iis locis mutinensis civitas haberet, pecunia aut aliis rebus suo arbitrio aestimandis compensari mandavit (6).

VI. Cum Paci ad exercitum, in quo, ut diximus, cohortem urbanam duxit, eundum esset, belli, ut opinor, pericula reputans, de testamento cogitare coepit. Illud ab eo est conditum anno MCCLXXXXVIII, in quo, cum liberis careret, non minimam bonorum suorum partem piis locis attribuit. Fratribus s. Michaelis in Busco, quorum locum postea tenuere monachi Montis Oliveti, multa legavit, ea lege ut alimenta praestare deberent Fratribus Minoribus, qui degebant ad Casaliclum Comitum in agro bononiensi prope fluvium Idicem. Fortasse in eum locum ab ipso Pace Fratres Minores inducti fuerant, quibus et ecclesiam aedificaverat, ut ex Ghirardaccio intelligimus (7). Ne qua autem fraus huic testamento fieret post ejus obitum, quod facile poterat accidere iis temporibus turbatissimis, postulavit ut auctoritate et decreto populi bononiensis testamentum ipsum firmaretur, quod ab eo impetratum est. Itaque ad diem XIV Novembris testamentum rite obsignatum et publica auctoritate firmatum apud Fratres Praedicatores et sancti Michaelis in Busco duplici exemplo deposuit (8).

VII. Quamdiu vixerit hic legum professor plane perspectum non habeo. Anno MCCCIII adhuc vivebat; quo anno sententiam dixit cum aliis sapientibus viris a po-

(1) Memoriale Rumioli de S. Georgio in primos sex menses anni MCCLXXXXVII scriptum dicitur: « Tempore nobilium ac potentium virorum dominorum VIII Rectorum Populi et Communis Bononie ad regimen civitatis Bononie presidentium ac etiam tempore dn. Tegle Frescobaldis honorabilis Potestatis Bononie etc. ». Rectorum vero nomina haec sunt: « Dn. Pax de Pacibus legum doctor, dn. Rolandinus de Tencarariis judex, dn. Peregrinus Alberici de Simopizolis, dn. Bonioannes Lambertini de Zovenzonibus, dn. Foscararius de Foscarariis, dn. Bazalerius de Bazaleriis, dn. Joannes de Baxacomatribus, dn. Petrus de Argellata ».

(2) Anno MCCLXXXXVIII et MCCLXXXXIX eo munere functum novimus ex *Actis Civit.*, et ex Ghirardac., lib. XII.

(3) Cum tempore electionis facte feritorum militum dn. Pax de Pacibus legum doctor habuerit vexillum militum pro quarterio porte s. Petri et propterea omissus foret per electores ipsorum feritorum etc. *Ex lib. Reformat. ad diem XXII Sept. MCCLXXXXVIII.*

(4) *Ex Actis Civit., et ex* Ghidardac., lib. XI.

(5) *Ex lib. Reform. Q, et ex* Ghirardac., lib. XII.

(6) Ghirardac., lib. XII, ubi extat sententia, seu laudum Bonifacii Pontif. Et vide Murator. *Ann. Ital. ad annum MCCLXXXXIX.*

(7) Ghirardacci, lib. X.

(8) Haec omnia habemus ex *lib. Reform. Com. Bon. ad diem XXIV Novemb. ejus anni.*

pulo bononiensi delectis in Gandonem et Bonaccursium de Gallisano, quos res novas in civitatis perniciem moliri constabat (1). Eodem anno, ne quid timeret ab adversariis suis, quos in defendenda patriae tranquillitate et libertate contra se irritaverat, populi decreto ei permissum est, ut posset armatus incedere, quod aliis probis civibus concessum reperio in re simili (2). Anno autem MCCCIV, petentibus Aemiliae civitatibus multis, quae cum nostra foederatae erant, ut ad earum conventum oratores mitterentur, Pacem mitti placuit cum aliis praestantioribus civibus (3). Insequenti anno MCCCV patavinam praeturam gessit, populo bononiensi annuente (4); sed cum in annum proximum a civitate firmana in praetorem pariter electus esset, petentibus Firmanorum legatis, qui eam ob causam Bononiam venerant, negatum est in Consilio populi bononiensis; non aliam, opinor, ob causam, quam ne ex optimi et prudentissimi civis diuturniore absentia aliquid detrimenti civitas nostra caperet (5). Anno demum MCCCVI in Consilio civitatis foederi cum Florentinis aliisque Etruriae populis jungendo interfuit (6), neque ullam postea ejus viventis memoriam reperio. Constat jam mortuum anno MCCCVIII mense Aprili (7); memorantur enim ejus haeredes Lambertinus frater et Fulcus Villani alterius fratris filius, qui postea legum doctor et militari cingulo insignis fuit, a quo Paciorum familia propagata est, ipse enim Pax neque ex prima uxore Lucia Beccaria (8), neque ex altera Faita Albirola, quam grandaevus viduam duxit (9), ullam omnino prolem superstitem reliquit.

VIII. Celebrantur Pacis *Quaestiones*, quas scripsit cum in scholis doceret pro more ejus aetatis. Eas laudat Albericus de Rosate (10). Diplovataccius hunc doctorem non ignoravit; sic enim de illo: *Floruit temporibus supradictorum* (Guidonis nimirum Baysii, Thomae Formaglini, aliorumque, quos ante laudaverat), *Pax Domini Rodulphi de Pacibus qui composuit plura, de quo per Albericum de Rosate in II P. Stat. qu. CLXVII et IV P. qu. LXXV et floruit temporibus Dini et Alberti de Gandino, et fuit bononiensis* (11). Ita Diplovataccius, qui melius doctorem hunc cum Dino, quam cum Guidone Baysio et Thoma Formaglino aetate conjungit; hos enim potius antecessit quam aequavit Pax de Pacibus, ut postea constabit. Ejus ego sententiam vidi quam cum Rolandino Romancio dixerat pro Fratrem Michaele Prioris ex Ordine Militiae B. M., sive Fratrum Gaudentum, ut vulgo appellabantur, decernens jus illi esse declinandi forum civile (12); qua de re saepius decertatum est ab ejus Ordinis professoribus cum civitatum magistratibus, quibus iniquum videbatur homines plerumque conjugio ligatos ab Reipublicae muneribus excusari et iisdem immunitatibus et privilegiis frui, quibus ceteri viri Deo sacrati et religiosi gaudebant.

(1) Ghirardac., lib. XIV, *et ex lib. Reform. F.*

(2) *Ex lib. Reform. Com. Bonon. E.*

(3) *Ex lib. Reform. D ad diem IV Maji MCCCIV.*

(4) *Ibid. sub finem ejusdem anni.*

(5) *Ex lib. Reform. ad diem X Dec. MCCCV.*

(6) MCCCVI die V Aprilis. Fedus seu fraternitas civitatis Bononie, Luce, Senarum et Prati etc. etc. presentes dn. Pax de Pacibus, dn. Ubaldinus de Malavoltis, dn. Julianus dn. Cambii, dn. Vianisius de Baiolis, dn. Thomaxius de Ramponibus legum doctores. *Extat in Memoriali Rodulphi Benvenuti de Ripulis in Appendice.*

(7) MCCCVIII die XXV Septemb. dn. Lambertinus qu. Rodulphi de Pacibus, dn. Fulcus qu. Villani de Pacibus heredes qu. dn. Pacis de Pacibus legum doct. etc. *Ex Memor. Petri de Savignano.*

(8) MCCLXXXII die XIV Decemb. dna Lucia qu. dn. Rodulphini de Beccariis ux. dn. Pacis legum doct. *Ex Memor. Com. Bonon.*

(9) MCCCVI die VII Septemb. dn. Faita de Albirolis ux. dn. Gardini de Gardinis legum doct. deinde dn. Pacis de Pacibus legum doct. *Ex Memor. Zampetri Bertolotti.*

(10) *Ex* Alidos. *et* Diplovat. *infra cit.*

(11) Diplovat. *post Guid. de Bays. et Th. Formagl.*

(12) *Extat in Archivo canon. Maj. Eccl. Bonon.*, fasc. IV, n. XI.

IX. Pacis fama diu superstes fuit cum ob praeclara ejus cetera gesta tum ob tabulas census, sive aestimationis praediorum omnium rusticorum et urbanorum civitatis et populi bononiensis, quae edita sunt Stoldo Jacob Rubeo praetore, iis enim conficiendis praefuit Pax de Pacibus ejusque nomen tulerunt (1). Sed cum totum se publicis procurationibus occupasset, ac Romanae quoque Ecclesiae negotia in nostra civitate gereret (2), videtur annis multis ante vitae exitum a scholis discessisse. Atque anno certe MCCLXXXXVII a docendo cessaverat, ejus enim nomen desideratur in tabulis professorum ejus anni, quas in Appendice exhibemus (3).

LXXXVIII.

FULCUS DE PACIBUS.

I. Ignotus fuit nostris scriptoribus Fulcus de Pacibus, Rodulphi filius, Pacis frater natu minor et ipse legum professione ac doctoris gradu illustris. Sed huic inimica manu vita erepta est aetate non admodum provecta, ac propterea ejus nomen ex hominum memoria cito excidit. Anno MCCLXXVI, quo primum doctoris ei titulus in antiquis monumentis tribuitur, cum Guilielmo Rombodevino aliisque legum professoribus sententiam approbavit, quam Hugolinus comes de Panico archipresbyter plebis Calvenzani, arbiter assumptus, de conditionibus dixerat, quibus civitati bononiensi tradenda erant duo castra, quae intra territorii fines ab Ubaldino Logliano et fratribus tenebantur (4). Vicariam quoque jurisdictionem in foro ecclesiastico exercuit Fulcus pro Octaviano episcopo (5); quod et Arimundum de Sancto Petro et Joannem Ungarellum aliquando fecisse ostendimus. Anno MCCLXXVII ex morbo decumbens testamentum condidit (6); ac biennio post ipse et Pax ejus frater patrocinium in foro praestitit Altedi, Centi et Castagnoli majoris incolis (7). Neque aliud de Fulco memoratu dignum accepimus usque ad annum MCCLXXXIII, quo a Gruamonte Lambertino, praenobili cive ejusdemque factionis homine, incertum qua ex causa est interfectus.

II. Uxorem habuit Gislam de Pretis Amadoris filiam, quam duxerat anno MCCLXIX, jam tum a patre emancipatus. Filias reliquit duas, Claram ac Pistorinam (8). Et Clara

(1) Saepius memoratur in *Actis pub. Civit.* Extimum, sic enim appellatur: « Pacis de Pacibus factum tempore dn. Stoldi Jacob ». Sed annus hujus census haud plane certus est. Stoldus enim Jacob Rubeus florentinus suo nomine praetor bononiensis fuit novissimis sex mensibus anni MCCLXXVII. Vicariam deinde praeturam exercuit pro Bertholdo Ursino Flaminiae Comite a kal. Jul. an. MCCLXXXI ad kal. Jul. an. MCCLXXXI ut const. ex *Actis Civii.*

(2) Dn. Pax de Pacibus legum doctor, procurator syndicus et gestor Ecclesie Romane etc. *Ex Memor. Philippi Butrigarii ad an. MCCLXXXXIV.*

(3) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, c. IV, § XXIV. — Fantuzzi. *Op. cit.* art. *Paci Pace.* — Savioli. *Ann. Bolognesi*, loc. cit.

(c. a.)

(4) *Bisanum* nempe et *Loglianum*, unde ex gens agnomen tulerat. Acta haec non recte ad an. MCCLXVI refert Ghirardaccius et cum eo historici plerique. Extant tabulae compromissi et sententiae in *Reg. gros.* et in *lib. Reform. ad annum MCCLXXVI Rizardo de Betuaro praetore.*

(5) Dn. Fulcus filius qu. dn. Rodulphi de Pace leg. doct. vicarius dn. Episcopi. *Ex Mem. Com. Bonon. ad an. MCCLXXVI.*

(6) Interfuerunt testamento Fulci « dn. Pax de Pacibus legum doct., dn. Belvillanus, dn. Rodulphi Pacis aliique ». *Ex Memor. Com. Bonon. ad diem XV Jun. MCCLXXVII.*

(7) *Ex Mem. Com. Bonon. ad an. MCCLXXIX.*

(8) MCCLXXIII die XXVI Augusti dn. Pax legum doctor fecit sibi decerni et confirmari tutelam Pistorine sue neptis filie qu. dn. Fulchi etc.

Die IV Octob. dn. Gruamons qu. dn. Calorii de Lambertinis fecit et constituit dn. Donzevallem de Gozadinis suum procuratorem ad recipiendam pacem a dn. Pace qu. dn. Rodulphi Pacis.... occasione injurie vul-

quidem adulta Alberto Odofredo primum, deinde Ubaldino Galluccio militi ac legum doctori nupsit [1]. Pistorinam pupillam ac paene infantem Pax tutor idem et patruus Hugolino nobili puero despondit, ex patruele Gruamontis nato [2], cum inter duas clarissimas familias, optime de Republica meritas, quae propter Fulci caedem mutuis odiis agitabantur, offensionum tollendarum causa affinitatem jungi placuisset. Sed dolor adhuc recens concordiam satis firmam conglutinari non est passus. Dissolutis igitur voluntate eorum qui contraxerant post breve tempus sponsalibus [3], Pistorina Rogerio Ubaldino Octaviani episcopi fratris filio uxor pacta est [4]. Inter Pacios et Gruamontis agnatos inimicitiae tamdiu permansere, dum pars utraque Pacem ipsum legum doctorem arbitrum constituit eique componendi totius dissidii liberam potestatem fecit [5]. Tanta enim apud omnes integritatis illius ac justitiae opinio erat, ut injuriarum, quae ad ipsum ejusque propinquos pertinebant, ne inimici quidem aestimatorem alium aut judicem habere mallent.

LXXXIX.

ANTOLINUS DE MANZOLINO.

I. Antolinum vulgo dixere Antonium hunc, legum professorem in academia nostra haud plane obscurum; sic enim fere in antiquis monumentis quae de illo extant appellatur [6]. Sed Alidosius Antolinum sive Bertolinum dicit, quasi de ejus nomine dubitare liceret [7]. Patrem habuit Martinum de Manzolino, utilem Reipublicae civem, qui anno MCCXXXXIX, Antianus populi bononiensis, foederi cum Mutinensibus feriundo interfuit [8]. Est autem Manzolinum pagus agri bononiensis, unde Antolini familia in civitatem recepta agnomen tulit. Ejus ipse dignitatem auxit tum doctrina sua et professione legum, tum nobilissimis affinitatibus; Jacobo enim filio suo uxorem dedit Donellam Huguccionis Samaritani filiam, praeclarae nobilitatis puellam [9]. Floruit Antolinus inclinante saeculo XIII et jus civile diu professus est in foro et in scholis; anno MCCLXVII judex, non tamen legum doctor ante annum MCCLXXIV, quod quidem nobis compertum fuerit, appellatus [10]. Magnae etiam auctoritatis habitus est inter cives, quo factum est ut plurimum usi sint ejus opera et consilio qui Reipublicae praeerant et legationes procurationesque magni momenti ad eum detulerint.

II. Anno MCCLXXVIII Viterbium profectus est ad Pontificem Bononiensium procurator non quidem ad civitatem dedendam, ut incaute scripsit Ghirardaccius [11], sed

nerum et mortis que dicerentur fore commisse in persona dn. Fulchi fratris dicti dn. Pacis per dictum Gruamontem etc. *Ex Memor. Bellotti de Bellottis.*

(1) *Vide supra in* ALBERTO ODOFREDO.

(2) *Ex Mem. Com. Bonon. ad diem XIV Decemb. MCCLXXXIV.*

(3) *Ibid.*

(4) *Ibid. ad diem XXII Octob. MCCLXXXV.*

(5) *Extat compromissum in Memor. Philippi Butrigarii ad diem X Jan. MCCLXXXXIV.*

(6) *Antolinus de Manzolino* appellatur in *lib. Reform.* an. MCCLXXVII, MCCLXXVIII, MCCLXXXIV et alibi passim; quin etiam in literis Nicolai III Pont.

(7) ALIDOSI. *Dottori bolognesi,* pag. 5.

(8) *Extant tabulae foederis in Reg. novo,* pag. 34.

(9) An. MCCLXXIX Id. Febr. dotem accipit a dn. Huguccione de Samaritanis pro dna Donella ejus filia sponsa et futura uxore dn. Jacobi filii sui. *Ex Memor. Com. Bonon.*

(10) MCCLXXIV die XV Decemb. dn. Martinus de Manzolino stipulatur nomine et vice dn. Antolini sui filii leg. doct. etc. qui iturus est in regimine Mediolani cum dn. Venetico fil. dn. Alberti de Cazanimicis. *Ex Mem. Com. Bonon. ejus anni.*

(11) GHIRARDACCI, lib. VIII.

ad illum politiae ordinem, qui tunc in civitate erat, retinendum; qua de re in Rolandino Romancio diximus. Neque dubium est quin cum Pontifice, dum Viterbii esset, accurate tractaverit de pace inter Jeremienses et Lambertaccios componenda, quae insequenti anno magno bonorum plausu Bononiae firmata est; ei enim conciliandae Antolinus de Manzolino interfuit tamquam Jeremiensium procurator [1]. Sed anno MCCLXXX turbato iterum civitatis statu et abeunte Bertholdi Ursini praetoris vicario, cum civitatem interim regi placuisset per magistratus ex civium numero delectos, quorum imperium non amplius quam XV dierum esset, inter primos qui hoc magistratu functi sunt, Antolinum fuisse comperio *consulem et rectorem* appellatum [2], hoc enim nomine novum hunc magistratum donabant; qua de re magnae tenebrae sunt in historia bononiensi. Eodem anno legationem suscepit ad Bertholdum ipsum Flaminiae provinciae rectorem et comitem, ut conventui Jeremiensium et Lambertacciorum interesset, in quo rursum de instauranda pace jam dissoluta agendum erat [3].

III. Quadriennio post, anno scilicet MCCLXXXIV ad Flaminiae legatum profectus est, ut placaret Bononiensibus iratum ob Medicinae castrum contra Pontificis voluntatem ab iis detentum. Diu occupavit ea cura Bononiensium animos, qui in tam difficili negotio nihil non ex jurisprudentum consilio egerunt [4]. Anno MCCLXXXVIII testamentum condidit Antolinus [5], eodemque anno vita functus est [6].

LXXXX.

DINUS MUGELLANUS.

I. Ex Mugellana, sive, ut alii appellant, Mucellana regione florentinae ditionis [7], ubi natus est, agnomen sumpsit Dinus, non aliter fere quam Dinus de Mugello appellatus, nobilissimis quibusque juris caesarei interpretibus merito adnumerandus. Patrem habuit Jacobum [8] ex Russonum gente, sive, ut ajunt, de Rossonis aut Rosonis, id enim ejus familiae agnomen fuisse dicitur [9]. Hic Bononiam venit ad jurisprudentiam perdiscendam, vergente saeculo XIII et anno MCCLXXVIII adhuc inter scholares versabatur [10]; sed ea tamen nominis celebritate, ut per idem tempus doctor creatus [11], a Pistoriensibus ad jus civile profitendum in ea civitate peramplo stipendio conductus sit in quinquennium. Esset id absonum ab aetatis nostrae moribus, ut novitio doctori tantum

(1) Petr. Cantinell. in *Chronic. mss.* et Ghirardaccius.

(2) An. MCCLXXX die VIII Febr. dn. Antolinus de Manzolino legum doct. et dn. Gerardus Rolandini de Galluciis consules et rectores civit. Bonon. *Ex Mem. Com. Bonon. ejus anni.*

(3) Ghirardacci, *loc. cit.*

(4) *Ex lib. Reform. ejus anni in archivo pub.*

(5) *Ex Mem. Bombologni Henrigipti ad diem XXXI Augusti MCCLXXXVIII.*

(6) MCCLXXXVIII die VII Decemb. dna Guida qu. dn. Lambertini de Medicina uxor qu. dn. Antolini de Manzolino leg. doct. usufructuaria ab eo relicta etc. *Ex Memor. Pauli Avocati.*

(7) Philippus Villanius proprium ejus regionis nomen Moysellum fuisse tradit, quod vitio vulgaris sermonis in Mucellum migraverit. *Vide* Villanii *excerpta in Appendice.*

(8) An. MCCLXXXXII die XVIII Octob. dn. Dinus dn. Jacobi de Musello dotor legum mutuo accipit etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(9) De Rossonis dicitur Dinus a Jo. Villan., lib. VIII, cap. LXVI.

(10) An. MCCLXXVIII die II exeun. Jan. dn. mag. Egidius qu. Petri de civitate Pragensi de Bohemia vendit dn. Dino de Muxello scholari apparatum dn. Hostien. et Summam Huguccionis pretio lib. CLXXXX bonon. *Ex Mem. Com. Bonon. ejus anni.*

(11) Jul. Nigrius in *Scriptor. florent.* tradit Dinum creatum in utroque jure; quod perfalsum est, nec aliter umquam eum dictum reperio, quam legum doctorem.

deferretur honoris, sed aliter ferebant ea tempora quibus, ut non semel dictum est, nemo doctoris insignia capessere poterat, quin publice libros aliquot ejus facultatis quam profitebatur in scholis exposuisset. Eo fiebat, ut qui excellenti ingenio et praestanti doctrina ceteris anteibant, et studiosae juventuti operam suam cum laude commodaverant, vix dum doctores creati, cum antiquis professoribus certare possent. Dinus igitur anno MCCLXXIX ab scholis nostris abductus, Pistorium accitus est, oblatis a procuratore Pistoriensium, qui ea de causa Bononiam venerat, CC libris Pisanorum annis singulis in quinquennium, et domo etiam in qua commode per illud tempus habitare posset (1).

II. Sed aucta in dies ejus viri fama, ad academiam bononiensem revocatus est anno MCCLXXXIV (2), non quidem eo stipendio, quo apud Pistorienses meruerat, sed non minori tamen emolumento honoris et quaestu. Hic omnium primus est, quod sciam, qui jus civile in nostris scholis professus sit publice conductus. Ante illum professores omnes non alia mercede docebant quam quae ex aere collatitio scholarium conficiebatur, ut non semel diximus. Sed tum demum scholares nostri, sive aliarum academiarum exemplo, sive potius ut quosdam semper ex clarioribus professoribus jure suo in scholis retinere, ne alio diverterent meliores conditiones secuti, aut aliunde ubi opus esset accersere possent, ab civitatis nostrae moderatoribus obtinuerunt, ut certum stipendium quotannis aere publico constitueretur duobus doctoribus et clarissimis, qui tunc maxime communi fama celebrarentur, quique ab ipsa scholarium universitate eligendi essent, quorum alter jus civile alter canonicum interpretaretur.

III. Sed hanc quoque causam fuisse scholaribus censeo, cur, contra primaevum academiae nostrae institutum et aliquos ipsi professores eligere affectaverint et stipendium illis de publico decernendum curaverint; quod nimis frequenter videbant clarissimos quosque professores, quod essent fere ex primariis civibus, a scholae muneribus abduci ut legationes obirent et publica negotia tractarent; qua de re non inanes ad Romanum Pontificem querelas attulerant, ut alio loco indicavimus. Itaque ut aliquos haberent magni nominis professores, sibi liberrime addictos et scholae prorsus obnoxios, id tandem consecuti sunt ut quosdam arbitratu suo professores deligerent et stipendio publice decreto retinerent.

IV. Primum igitur, qui in hunc modum electus sit scholarium suffragio ad jus civile interpretandum Dinum fuisse reperio; eodemque tempore ad decretorum lectionem suffragio item scholarium accitus est Altigradus de Lendinaria. Contigit id anno MCCLXXXIX; et quoniam non deerant multi legum professores satis illustres, qui lectionem ordinariam juris civilis haberent, Franciscus Accursius, Albertus Odofredus, Lambertinus de Ramponibus, Martinus Sulimanus aliique, nec Bononienses nostri permisissent exteris doctoribus lectionem ordinariam juris civilis (Codicis nimirum et Digesti veteris) quam veluti propriam ac suam reputabant, Dino decreta est lectio juris civilis

(1) An. MCCLXXIX die XI exeun. Mart. dn. Dinus de Musello doctor legum promisit dn. Amadorio Guidalosti syndico Communis Pistorii ire et stare continue in dicta civitate Pistorii, et in ea exercere omnia que in instrumento Acarixii continentur, et hoc quia dictus dn. syndicus promisit dare et solvere eidem dn. Dino CC lib. Pisanorum hinc ad quinque annos proxime futuros pro quolibet anno. Et insuper promisit dictus syndicus dare eidem unam domum decentem et convenientem ad habitandum hinc ad dictum terminum. Ex instrumento dicti Acarixii hodie facto in domo dn. Fulci Pacis doct. leg. present. dicto dn. Fulco etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) MCCLXXXIV die XI Decemb. dn. Dinus de Mugello legum doctor arbiter fuit in controversia, quam habebat dn. Franciscus syndicus monast. s. Stephani cum Jacobino Bonincontri. *Ex Mem. Com. Bonon.*

Ab eo tempore ad an. MCCLXXXXVII frequentissima occurrunt civium nostrorum in Dinum compromissa.

extra ordinem, aliorum scilicet librorum, praeter eos quos diximus; Altigrado autem lectio ordinaria decretorum (1). Et Dino quidem C librae bonon., Altigrado autem CL in annuum stipendium attributae; quod etsi non admodum amplum videbatur cum tamen doctores iis temporibus mercedem insuper a scholaribus aere collato acciperent, idest, ut tunc mos erat dicere, collectam in scholis facerent; propterea fiebat ut celeberrimus quisque professor in scholis nostris docere percuperet, non solum ut famae serviret sed etiam ut quaestum faceret, qui tanto major erat quanto major erat scholarium affluxus ad nostram academiam.

V. Tenuit Dinus hanc juris cathedram annis, ut minimum, octo continuis; quo tempore praeter egregiam operam auditoribus suis in schola praestitam respondere etiam de jure solebat, eumque passim consulebant exteri quoque homines in causis difficilioribus (2). Tantae autem auctoritatis habebatur ut vel ipsi civitatis nostrae rectores si quae lites emersissent ad Rempublicam pertinentes, eas interdum Dino definiendas committerent (3). Anno MCCLXXXXVI a Carolo II ad legendum jus civile in academia neapolitana invitatus est, constitutis in annuum stipendium centum auri unciis (4); sed conditionem non accepit neque passus est a scholis nostris divelli (5).

V. Verum cum Bonifacius VIII de edendo novo legum ecclesiasticarum Codice deliberasset, quo Pontificum, et Conciliorum decreta complecteretur, quae post editas Gregorii IX decretales in Ecclesia promulgata erant, in eoque opere egere se intelligeret viris cum in canonico tum etiam in civili jure peritissimis, quorum opera et consilio in ea re perficienda uteretur, Dinum ab scholis nostris evocatum, magnis, ut ferunt, pollicitationibus ad se accersivit. Primas tamen partes in eo opere concinnando detulit Pontifex canonici juris professoribus, ut aequum erat, Richardo nimirum Petrono Senensi, Romanae Ecclesiae vicecancellario, Guilielmo de Mandagoto archiepiscopo ebredunensi et Berengario episcopo biterrensi. Horum igitur cura sextus decretalium liber prodiit, ita appellatus, quod quique decretalium libris a Gregorio IX vulgatis subjectus sit. Atque hanc juris pontificii partem, tam diligenter perfectam et absolutam, prodiisse tradunt, ut erratum nullum Baldo judice in ea deprehendere liceat (6). Est autem id honorificum scholis nostris, quod, ut olim digerendae decretalium collectioni, quam emisit Gregorius IX, adhibitus est sanctus Raymundus, qui in iisdem scholis interpretando juri pontificio diu claruerat, ita ad novam hanc decretalium syllogem concinnandam aliqui ex nostris professoribus suam industriam contulerint. Nostris autem adnumeramus non solum Dinum Mugellanum, de quo dicimus, sed etiam Guilielmum de Mandagoto, de quo inter juris canonici professores dicendum erit. Non desunt etiam qui Bonifacium ipsum Pontificem, quem divini humanique juris consultissimum fuisse constat, in perdiscendo jure civili Dino praeceptore usum existiment (7); quod si verum esset, vix ullum esse dubium posset quin illum Bononiae in scholis nostris audisset. Sed in procul dubio falsum est; quo enim tempore Dinus docere coepit, Benedictus Cajetanus qui creatus

(1) *Ex lib. Reform. H.*

(2) Vide ejus *Consil.*, typis edita Lug. MDLI.

(3) An. MCCLXXXXVI die XXII Octob. Dinus de Musello, Albertinus Hughetti et Gardinus de Gardinis legum doctores electi ad cognoscendam causam, quae erat inter Commune Bonon. et quorumdam vectigalium conductore. *Ex lib. Reform. ejus anni.*

(4) Vocavit (Carulus II) dn. Dinum de Muscellis ut Bononia ad neapolitanum studium lecturus accederet cum salario unciarum centum auri. *Ex antiquis tabulis apud* Summontium. *Hist. Neap.*, t. II, pag. 362.

(5) An. MCCLXXXXII exeunte et insequenti etiam Bononiae Dinum praesentem fuisse, manifestum est ex multis actis publicis in *lib. Reform.* et *Mem. Com. Bonon.*

(6) Baldus in l. *Cum antiquioribus*, C. *De jure deliber.*

(7) Jul. Nigrius. *De Scriptor. florent.* in *Dino.*

Pontifex dictus est Bonifacius VIII, clarus jam habebatur in curia romana et cardinalitiae dignitati maturus. Est hic magister ille Benedictus de Anania, notarius apostolicus, qui anno MCCLXXVIII erat Viterbii cum collegio cardinalium et Nicolao III Pontifice, quo tempore legati Bononiensium eo venerunt, ut de libero civitatis nostrae statu retinendo cum Pontifice tractarent; qua de re in Rolandino Romancio et alibi dictum est (1). Magistri autem appellatio hominem indicat scholae muneribus initiatum, sed num in nostra academia an alibi floruerit non liquet.

VII. Sed quamvis miro probatissimorum scriptorum consensu traditum sit, Dinum Bonifacio VIII suam operam contulisse edendo decretalium libro; tamen difficile cuipiam videbitur constituere tempus quo Romam proficisci potuerit antequam Bonifacium suum illum librum vulgaverit. Editus est bonifacianus codex Februario mense anno MCCLXXXXVIII. At eo tempore videri posset Dinus nondum e scholis nostris discessisse. Habemus ex actis publicis civitatis eodem illo anno MCCLXXXXVIII Septembri mense ad finem vergente, magnum in academia nostra metum esse exortum ne Dinus inde discederet. Quod cum vulgo percrebuisset, pauci legum studiosi hospitia conducebant in consequentem annum scholasticum. Ob eam rem rectores universitatis magistratus urbanos adierunt petieruntque, ut omni studio Dinum retinere curarent, eique stipendium CC librarum ex aere publico constituerent. Qua de re cum magistratus ad populum retulissent, rectorum postulationi populus assensus est, et CC librarum stipendium Dino decretum, quamvis aerarium civitatis exhaustum esset ob diuturnum bellum, quod cum Ferrariensium principe habuerat et nondum plane extinctum erat (2). Non videtur igitur ex academia nostra discessisse ante initium Octobris anni MCCLXXXXVIII. Vel igitur Bonifacius VIII Dinum absentem consuluit, vel sextum decretalium librum aliquanto serius edidit, quam vulgo creditum est, si quidem ei perficiendo aliquid operae contulit Dinus Mugellanus.

VIII. Nec quispiam fortasse vero simile judicabit Dinum Bononiam jam tum reversum de scholis nostris deferendis rursum cogitasse; nam illum constat aliquamdiu Romae substitisse et jus civile in scholis pontificiis docuisse (3); ubi id accidisse narrat, quod cum interpretaretur legem *De pacto ex continenti stipulationi adjecto, Dig. De rebus creditis,* quae incipit, *Lecta in auditorio Aemilii Papiniani,* Pontifex, qui praesens aderat, dixerit: *Lecta in auditorio sacro domini Bonifacii Papae* (4). Multo autem minus id vero simile esset si Dinus cum Roma Bononiam rediret in ipso itinere obiisset, ut multi tradiderunt. Sed, hos scrupulos ut abigerem, fecerunt monumenta nuper a clarissimo Montio communicata. Anno siquidem MCCLXXXXVII confecto scholastico curriculo Dinum ab academia nostra discessisse manifestum est; nam VII idus Octobris ejus anni rectores universitatis egerunt apud civitatis moderatores ut Guilielmum Accursium conducerent ad interpretandum Digestum novum loco Dini Mugellani in annum scholasticum tunc incipientem (5). Discesserat igitur jam tum ex scholis nostris Dinus et

(1) Actum Viterbii.... coram iis testibus, scilicet, ven. patribus dn. Orlando episcopo Narniensis.... et honorabilibus viris mag. Petro de Mediolano S. R. E. vicecancellario, mag. Benedicto de Anagna notario dn. Papae etc. Ghirardac. *Histor. Bonon.,* lib. VIII.

(2) « An. MCCLXXXXVIII die XVI Sept. Exponunt rectores Universitatis scholarium quod studium est in turbatione maxima et quod scholares non conducunt hospitia eo quod verosimiliter dubitetur dn. Dinum de Muxello recessurum, nec lecturum in civitate Bonon. Petunt igitur etc. ». *Ex actis Civitatis in archivo Com. Bonon.*

(3) Hanc opinionem tenuit Dinus legens Digestum vetus in Ro. Curia. Alberic. in l. *De quibus causis,* Dig. *De leg. et senatusconsultis.*

(4) Diplovat. in *Dino,* ex *Alberic.,* et aliis.

(5) Anno MCCLXXXXVII die IX Octob. Petunt rectores consiliarii et universitas tota scholarium ut scri-

quidem inopinato ut necesse fuerit de ejus successore eligendo cogitare anno scholastico jam exordiente. Revera pridie idus ejus mensis Paulus Fabrianensis Dini absentis procurator Bononiae nomina fecit pro Dino ipso (1); atque alia deinceps negotia a Dini absentis procuratoribus Bononiae acta insequenti anno MCCLXXXXVIII (2). In his singulare prorsus ac memorandum est illud quod ad Bicem Dini uxorem pertinet. Haec enim ipso anno MCCLXXXXVIII, VI kalendas Augusti, religiosae vitae institutum Bononiae amplexa est, inter moniales s. Columbani cooptata (3). Id autem fieri non potuit quin Dinus ipse eodem tempore et pari voto in clerum adscitus Ecclesiae servitio se addixerit.

IX. Haec igitur sic commodissime componuntur ut Dinus expletis anno MCCLXXXXVII Bononiae lectionibus scholasticis Romam profectus sit; ubi et librum sextum decretalium antequam emitteretur in lucem, mandante Pontifice, recognoverit et ad juris civilis apices exegerit; et in scholis pontificiis Digestum vetus interpretari aggressus sit. Tunc autem facile fuit hominem et de Pontificis gratia et de doctrina sua nimium sibi pollicentem, usitata vertigine mentis abreptum, sacram purpuram et galerum cardinalitium somniare coepisse; atque ob eam causam auctorem uxori fuisse ut Deo se in monasterio dicaret, ne quid esset quod fortunarum suarum cursum retardare posset. Sed cum Dinus Richardum Petronum, ob navatam Pontifici operam in edendo decretalium libro, in cardinalium ordine adlegendum cognovisset, seque vana spe delusum, umbram pro Junone captasse, haud mirum si morae impatiens aulam pontificiam deseruit, ac Bononiam reversus est ubi jamdiu lares fixerat. Sed, sive quod ad aliam academiam meliori conditione invitatus fuerit, sive quod non crederet posse libenter et sine irrisione multorum, clericus degere in ea civitate, in qua uxorem inter moniales vivam haberet, vix dum Bononiam reversus rebus suis compositis de discessu cogitasse videtur. Id autem permolestum esse debuit scholaribus, quare universitatis rectores de eo retinendo maxime solliciti fuerunt, ut ante dictum est. Quoniam autem pro anno scholastico MCCLXXXXIX, qui initium capiebat anno MCCLXXXXVIII, quo Dinum Bononiam reversum esse diximus, neminem repetimus in actis publicis civitatis, qui in Dini locum adlectus sit ad jus civile extra ordinem interpretandum; propterea illum verisimile est Bononiae retentum, ubi eo ipso anno MCCLXXXXVIII, vel forte insequenti, vivendi finem fecerit et successorem habuerit Ubertinum Ricciolium placentinum, de quo inter professores saeculi XIV dicemus. Neque vero post annum MCCLXXXXVIII ulla ejus viventis memoria in monumentis bononiensibus occurrit, ut a clarissimo Montio animadversum est. Quare haud magni facienda est Joannis Villanii auctoritas, qui decessisse ait anno MCCCIII (4).

X. Haec ex monumentis nostris perspicua sunt. Ex aliis scriptoribus cave quidquam certi requiras de extremis hujus viri casibus. Plerique scribunt exitio illi fuisse tantam opinionem et famam doctrinae, qua erat apud Bonifacium Pontificem. Is enim, cum Richardum Petronum ob navatam sibi operam in vulgandis decretalibus in cardinalium ordinem cooptasset, Dinum magnis muneribus praemiisque ornatum ad scholas bononienses remisisse dicitur, non quod illum sacra purpura non dignissimum judicaret,

batur dn. Guilielmo dn. Accursii legum doctori electo per ipsam universitatem ad legendum Digestum novum loco dn. Dini in anno proximo etc. *Ex actis pub. civit.*

(1) *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) *Ibid.*

(3) *Vide tabulas hac de re scriptas in Appendice.*

(4) Sic ad eumdem annum MCCCIII Thaddaei Alderotti mortem refert Jo. Villan., lib. VIII, cap. LXV, quem tamen an. MCCLXXXXV vivendi finem fecisse, suo loco demonstrabimus.

et optabat etiam eo honore, ut ferunt, insignire, suique animi non obscura indicia dederat, sed quod nefas existimaret tantum doctorem scholis eripere et a docendo avocare. Sed Dinum ea spe qua maxime inflammatus erat, cum se frustratum agnosceret, id agerrime tulisse dicunt itaque Bononiam reversum exulcerato animo quasi ex ingenti injuria sive ex concepto moerore sive ex aestu immodico in lethalem morbum incidisse in ipso itinere. Cum autem nocte quadam sitim a morbo excitatam ferre non posset e lectulo se proripiens caput in situlam aqua plenam ita demisisse dicitur, ut frustra efferre conatus, animam praecluso spiritu exhalarit. Ita infaustum tanti viri exitum narrat eorum temporum vicinus Dominicus Bandinus apud Diplovataccium (1) et Philippus Villanius. Sed haec in fabulae speciem mihi conficta et ornata videntur. Si Bonifacium VIII haec cura tenuisset ut tantum doctorem scholae servaret non eum a suis scholis pontificiis ablegasset, nec redire Bononiam sivisset.

XI. Itaque alii aliter hujus clari professoris casus et extrema fata narrant, atque in primis de situla silent (2), nec desunt qui veneno sublatum putent (3), quod ei Romae propinatum fuerit ob patrocinatam ab ipso quamdam causam mandante Pontifice contra quemdam ex primariis romanae civitatis magnatibus (4). Alii denique non in itinere, ut ceteri, sed Bononiae extremum clausisse diem tradunt et apud Fratres Praedicatores humili tumulo donatum. Ita scriptores nostri Leandri Albertus et Ghirardaccius, quibus major habenda est fides, quam exteris. Quod si de sepulcri loco dubitare non licet, quod adhuc fortasse extabat Leandri aetate apud suos Fratres Praedicatores et erat vulgo notissimum (5), id etiam pro certo habendum est Dinum Bononiae obiisse, quo se, post excussam spem purpureae togae et toleratam aulicae ambitionis turturam, receperat.

XII. Floruit Bononiae Dinus cum Francisco Accursio ac fortasse in ejus schola eruditus est. Sed cum aliquando Francisci loco legeret, reprobasse dicitur quamdam ex glossis Accursii patris. Ea re commotus Franciscus contra Dinum surrexit, nec sine jurgiis disputatio dirempta est (6). Bartholus (7) et Albericus de Rosate (8) contentionem illam Dini memorant ajuntque illum cum legeret pro Francisco Accursio propugnasse opinionem Jacobi Balduini contra quamdam ex glossis accursianis. Sed cum postero die vindex paterni nominis Franciscus, arrepta occasione, dum legem aliam exponit eam ipsam glossam quam Dinus impugnaverat multis rationibus acriter defendisset, re audita Dinum exarsisse narrant, missisque nunciis per reliquas scholas, palam edixisse se publice disputaturum contra glossam Accursii ut Jacobi Balduini sententiam tueretur.

XIII. Erat Dinus in disputando ita acutus et copiosus ut quaestionem aliquam in schola tractanti tota synodus legalis scientiae adesse videretur, ut tradit ejus quondam auditor Cinus (9), qui eum non veretur alterum Papinianum appellare (10). Itaque eum recte Raphael Fulgosius inter jurisprudentum vertices reponit (11) et Baldus excelsum doctorem vocat (12); cujus adhuc viventis tanta fuit auctoritas, ut Veronenses lege lata decreverint ab iis qui in jure responderent in ea civitate primo rationem habendam

(1) Diplovat. in *Dino*.

(2) Panciro l., l. II, cap. XXXXV.

(3) Diplovat., *ibid.*

(4) *Ibid.*

(5) Ad divi Dominici aedem, humili quidem, sed ob viri claritatem notissimo sepulchro humatus fuit. Panciro l., *loc. cit.*

(6) Angel. in l. *Iubere caveri*, Dig. *De jurisdic. omn. jud.* ex Diplovat. in *Dino*.

(7) Bart. in l. 1, § *Suspecti*, Dig. *Ad SC. Turpillianum*.

(8) Alberic. de Ros. in l. *Cognit.*, Dig. *De offic. ejus, cui mandata est jurisd.*

(9) Cinus in l. *Cum pro eo*, C. *De sententiis, quae pro eo, quod interest, proferuntur.*

(10) *Ibid.* in l. 1, C. *De serv. fug.*, in fine.

(11) Fulgos. in *Consil. CLXX*.

(12) Diplovat. in *Dino*.

statutorum et consuetudinum municipalium, iis autem deficientibus, attendendum esse jus romanum et glossas Accursii publice approbatas, in quibus si qua repugnantia existeret, ei glossae haerendum quam Dinus approbasset. Si quis autem contra consuluisset, teneretur parti ad praestanda damna et expensas (1). Eum quoque laudat Colutius Salutatus in suo tractatu *De nobilitate legum et medicinae* (2), nec siluit ejus laudes Trithemius in libro *De scriptoribus ecclesiasticis,* ubi eum vocat ingenio subtilem et in disputandis enodandisque dubiis et quaestionibus juris valde promptum et acutum. Ejus autem elogium his verbis concludit: *De mandato domini Bonifacii papae octavi primus scripsit eleganter post Archidiaconum* (3). Intelligi, opinor, Trithemius Dini commentaria in *Regulas juris,* quae sexto decretalium libro insertae sunt. Atque hic fallitur procul dubio Trithemii adnotator, dum Archidiaconum hic memoratum esse putat Guilielmum de Mandagoto. Alius enim omnino non est, quam Guido Baysius archidiaconus bononiensis, qui iisdem temporibus in academia nostra principem locum inter juris canonici professores obtinuit, non alio fere, quam Archidiaconi nomine notus. Ille, vix edito libro sexto decretalium, amplissimis in eum editis commentariis magnam sibi famam comparavit. Uter vero prior Archidiaconus an Dinus scripserit haud scio, an unius Trithemii testimonio definiri possit.

XIV. Cum primas obtineret Dinus in peritia juris civilis, in jure canonico non satis eruditum aliqui eum existimarunt. Hanc ei notam inussit Joannes Andreae, summus canonum interpres, qui paulo post Dinum in nostra academia floruit (4). Verum id ita intelligendum censeo, non ut plane jus pontificium ignorarit, sed ut in eo non tantum excelleret, quantum in civili. Et sane ejus commentaria in regulas juris pontificii, quamvis praecipue nitantur principiis juris civilis, ex quibus fere petitae sunt, eum ostendunt etiam in jure pontificio non mediocriter versatum. Neque credibile est Bonifacium VIII, qui Dinum probe noverat, homini juris canonici ignaro mandasse ut commentaria scriberet in eam juris canonici particulam.

XV. Plures auditores habuit; inter quos maxime celebrantur Cinus Pistoriensis, non modum legum scientia sed et italica poesi clarus et Oldradus de Ponte, cujus hodie dum nomen laudatur. Uterque in suis scriptis Dinum praeceptorem dicit et impensius laudat. Ipsum quoque Bonifacium VIII inter ejus auditores aliqui haud recte recensent, ut supra adnotavimus. Neque omittendus est Andreas Pisanus, Dini primum, mox Petri de Bellapertica auditor; de quo suo loco dicemus. Orlandinus quoque Pisanus memorandus est, qui commentaria in titulum Institutionum *De actionibus,* a Dino inchoata, ex ore docentis in schola excepit (5).

XVI. Fertur aliquando Dinus consultus fuisse, num si quis in testamento confessus sit se turpe lucrum ex nefario foenore fecisse et certam pecuniam aliquot virginibus collocandis promisisse, si convaluerit, conveniri invitus possit ad ea praestanda quibus in eo testamento se obligasset, ac respondisse non aequum videri talem hominem ex ea confessione conveniri (6). Sed narrat Angelus Ubaldus se audivisse qui dicerent, pio cuidam eremitae (alii cerdonem dicunt) in somno visam esse Dini animam aeternis cruciatibus damnatam ob ejusmodi consilium (7). Ac optandum sane ut illud vere somnium fuerit.

(1) Diplovat. in *Dino.*
(2) Trithem. in *Biblioth. Miraei,* cap. DXV.
(4) Sciendum quod Dinus non fuit Canonista. Joann. Andreae in *Sext. De reg. juris.,* C. *Beneficium.*
(5) Diplovat., *loc. cit.*
(6) *Ibid.*
(7) Panciról., *loc. cit.*

DINI SCRIPTA.

Plura scripsit Dinus, quae eum ostendunt dignum iis laudibus quibus vulgo celebrabatur. Commendantur in primis commentaria in Pandectas, de quibus ita Diplovataccius: « Scripsit » subtilissime super Digesto veteri, Infortiato et Novo. Fecit etiam quasdam additiones » super Infortiato. Item et super Digesto Novo scripsit per modum additionum ».

Pergit Diplovataccius alia ejus scripta in hunc modum recensere: « Item composuit super Institutionibus in tit. *De actionibus* pulchra commentaria. Incipit: *In Christi nomine. Titulus* » *iste principaliter dividitur in duas partes.* Et scripsit manu propria usque ad *§ Actiones* » in ver. *contra praedicta opponitur.* Ab inde postea fuerunt recollectae in scholis per » dominum Orlandinum de Pisis scholarem. Laudat haec commentaria Cinus in l. 6 C. » *De serv. fugit.*

» Item et tractatum *Praescriptionum.* Incipit: *Notabiliter colligitur, quod praescriptiones.*

» Item et tractatum de primo et secundo decreto. Incipit: *Quaeritur quid sit primum decretum.*

» Item tractatum, sive summulam *De successionibus ab intestato*, quam inseruit Cinus suis com- » mentariis in C. *De success.*

» Item et alium parvum tractatum *De successionibus ab intestato.* Incipit: *Quoniam successionum* » *materia* ». Hunc tractatum aliqui Bartholo adjudicant, praesertim quia in eo allegatur Cinus, ut observat Jo. Baptista Caccialupus in l. *Si qua illustris.* C. *Ad SC. Orficianum.* Sed idem Gazalupus vero similius existimat Dino tribuendum; idque colligi dicit ex Cini ipsius verbis in additione magna ad *Auth. cessante.* C. *De legit. haeredit.*, praesertim cum in aliquibus exemplaribus Cini nomen se minime reperisse narret idem Gazalupus.

» Fecit etiam pulchrum tractatum super *Arborem Joannis,* Joannis nimirum Bassiani, de quo suo loco dictum est. Incipit: *Quia omnes actiones scriptae in arbore.*

» Collegit etiam glossas contrarias et dispersas in Corpore juris civilis. Incipiunt: *An ille, qui solvit.*

» Extant etiam ipsius elegantissima *Consilia* et plurimae *Disputationes* et *Quaestiones* ». Ex his unam ait Diplovataccius disputatam a Dino fuisse anno MCCLIX, die quinta Februarii, quae incipit: *Cavetur in quodam Statuto lucanae civitatis.* Verum cum anno MCCLXXVIII adhuc esset Bononiae inter scholares, id nullo modo credibile videtur. Adeo autem in disputationibus scholasticis Dinus excelluit, ut apud legum studiosos *Disputatio Dini* in proverbium abierit (1).

» Extant et plurimae repetitiones (pergit Diplovataccius) et praecipue in *Legem certum.* Dig. *De* » *eo qui certo loco.* Incipit: *Quoad aliqualem evidentiam dicendorum.* Et in l. *Quod in hae-* » *rede.* § *Eligere.* Dig. *De tributoria actione.* Et in l. *Servum.* Dig. *De procuratoribus.* » Et in l. 3 § *In hac.* Dig. *De commodati.*

» Et publicato sexto libro decretalium anno Domini MCCLXXXXVIII per Bonifacium VIII, » de mandato Bonifacii praedicti composuit pulchrum commentum super tit. *De regulis* » *juris in Sexto.* Incipit: *Praemissis casibus singularibus*, quod commentum mirabile appellat » Baptista de S. Severino in tractatu *De modo studendi* ».

Haec de Dini scriptis Diplovataccius; qui, paucis interjectis, se vidisse ait Dini lecturam in universum Digestum novum, cujus hoc erat initium: *In nomine Domini. Et loco prooemii praemittimus an regulatio vel ordinatio.*

Pleraque ex his Dini scriptis recenset Pancirolus, eaque laudat Marcus Mantua, dolens multa ex iis frustra optari ab jurisprudentiae studiosis. At Diplovataccium, cujus incredibilis fuit diligentia in perquirendis et volutandis veterum jurisconsultorum libris, minime latuerunt. Magna etiam ex parte postmodum typis edita sunt et summo in pretio fuerunt.

(1) PanciroL., *loc. cit.*

Iis addere juvat opusculum metrice scriptum a Dino *De ordine judiciorum*, quod Diplovataccius ignoravit. Illud vidi in antiquo codice manuscripto collegii majoris s. Clementis Hispanorum; ac tale ejus initium est:

Judicii seriem si forte scire labores
Judicis auctoris nomina sive rei etc. (1)

LXXXXI.

JACOBUS DE ARENA.

Quo tempore vixerit Jacobus de Arena non una ratione assequimur sed non ita ut certis terminis ejus aetas concludi possit. Accuratissimus Diplovataccius Bononiae floruisse dicit cum Francisco Accursio, idque habuit ex Alberto Gandino scriptore synchrono (2). Ac Bononiae quidem docuisse Pancirolus etiam affirmat, qui id colligi adnotat ex Jacobi ipsius scriptis (3). De patria vero consentiunt omnes parmensem fuisse (4). Sed tamen dubium movet Diplovataccius, qui quamvis parmensem dicat (5), Baldum tamen in libello, quem scripsit *De claris doctoribus*, haesitasse narrat nec certo statuisse parmensis ne fuerit an papiensis (6). Non solum Bononiae docuit sed diu in primis Patavii, ubi aliquando in quadam causa sententiam dixit cum Guidone de Suzaria (7), quem in jure civili praeceptorem habuerat. Erat autem Patavii anno MCCLXXXVII, hic enim annus adscriptus est uni ex disputationibus Patavii ab illo habitis, quas vidit Diplovataccius (8), ibique etiam anno MCCC primum inter jurisconsultos locum obtinuisse videtur (9). Apud Regienses quoque (10) et Senenses (11) docuisse dicitur; imo et in Gallia in Tolosatium scholis; qua in civitate, cum aliquando Franciscus Accursius l. 1 C. *De sentent. quae pro eo* interpretaretur et sententiam patris sui defenderet, Jacobus de Arena sub ementito scholaris habitu ita acriter in Franciscum insurrexisse dicitur ut eum ad incitas redegerit. Sed Diplovataccius jure eo propendet ut credat hunc Francisci Accursii oppugnatorem non Jacobum de Arena fuisse, sed Jacobum de Ravano, quem ultra montes floruisse constat Francisci Accursii temporibus. Ac revera id narrat Cinus non de nostro italo doctore, sed de ultramontano illo cujus celebre fuit nomen inter aetatis suae professores (12). Ex pluribus, quos in jure erudivit, celebrantur maxime Richardus Malumbra et Oldradus de Ponte (13). Plura scripsit, quibus magnam sibi famam

(1) Cod. 126. — [Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, c. IV, § XXV. — Savigny. *Op. cit.*, lib. V, c. XXXXIV]. (c. a.)

(2) Diplovat. in *Jacobo de Arena.*

(3) Puta, interrogetur aliquis existens Bononiae, utrum Rex Angliae sit in Ecclesia, vel extra: credere nec hoc, nec illud possum. Jacob. de Arena in *Tract. De positionibus:* extat in *Tract. Univ. juris,* t. IV.

(4) Pancirol., Fichard., M. Mantuae, Gazalupus, etc.

(5) Jacobus de Arena Parmensis et ipse sacrarum legum interpres eximius. Diplovat. in *Jacob. de Arena.*

(6) Jacobus de Arena fuit origine de Parma sive de Papia in Lombardia, et legit diu Senis et fuit de valentioribus post glossatorem, qui umquam fuerint. Ita dicit Baldus in suo tractatu *De commem. famos. doct.* et allegat ad hoc Bar. Diplovat., *loc. cit.*

(7) Dicit Cy. judicatum Paduae per Gui. de Suzaria et Jacobum de Arena, quod sic; cum illud statutum etc. Joann. Andreae in *Sext. De electione,* C. *Avaritiae.*

(8) Diplovat., *loc. cit. Vide infra.*

(9) Panzirol., *loc. cit.*

(10) Dn. Jacobus de Arena quaestionem praedictam in civitate Regii publice disputavit. Alber. in l. *Generali,* C. *Ne quis in causa sua judicet.*

(11) Baldus, *loc. cit.*

(12) Pondera si iste fuit Jacobus de Ravano et non de Arena, cum ipse floruerit in illis partibus.... Cinus dicit quod fuit Jacobus de Ravano. Diplovat., *loc. cit.* — *Vide in* Franc. Accursio.

(13) Invenitur quaedam additio originaliter ex dictis Jacob. de Arena, postea aliquantulum extensa per Richard. et Oldra. ejus discipulos. Baldus in l. *Si patruus,* C. *Commun. utriusque jud.*

peperit; nam et optime vim legum penetrasse a Bartholo dicitur (1), ejusque opiniones, ut plurimum, esse de mente juris et neminem inter legum interpretes, qui tunc viverent, eo digniorem fuisse et subtiliori praeditum ingenio, tradit Albericus de Rosate (2); eumque plane ingenuum ac veracissimum in allegandis legibus fuisse, memorat Colucius Salutatus (3). Ubi vero tantus vir decesserit aut quo tempore, neque Pancirolum, neque Diplovataccium, aut alium quempiam literis mandasse reperio. Nam quod tradit Alidosius, Jacobum de Arena parmensem anno MCCCXX tamquam civem bononiensem in nostrorum judicum collegio locum habuisse, prorsus incredibile videtur; nec ullum ejus rei monumentum ab Alidosio affertur (4).

JACOBI DE ARENA SCRIPTA.

Ejus scripta in hunc modum recenset Diplovataccius: « Scripsit (inquit) breviter et subtiliter in » totum Codicem et super L. libros Digestorum. Super Infortiatum scripsit per viam addi- » tionum. Item utilem tractatum *De executionibus ultimarum voluntatum*. Incipit: *Quia fidei » commissorum;* et dividit illum in quatuor partes. Item et tractatum *De positionibus* (5). » Item et tractatum *Expensarum*. Incipit: *Quae sunt in judicio* (6). Item et tractatum » *Excussionum*. Incipit: *Quia tractatus excussionis* (7). Fecit et plures *Disputationes*, et prae- » cipue illam, quae incipit: *In statuto civitatis Paduae*. Sic unam, quam disputavit anno » MCCLXXXVII, ut in fine ipsius apparet. Plura etiam ejus *Consilia* extant. Ita Diplo- » vataccius ».

Pancirolus aliqua ex his omittit et aliqua addit. Nam *De exulibus*, quos *Sannitos* vocamus (8), *De quaestionibus* (9) *et cessione actionum* (10) scripsisse dicit, quae etiamnum, inquit, magno in usu habentur. *Feudorum* quoque compendium fecisse tradit Pancirolus.

In *Tractatibus universi juris*, edita sunt pleraque ex memoratis Jacobi de Arena opusculis et alia quaedam Pancirolo ac Diplovataccio ignota: *De praeceptis judicum* (11), *De sequestrationibus* (12) et *De commissariis* (13); quae omnia diligentissime recenset clarissimus Mazzucchellius (14), additque praeterea commentariolum *De fratribus simul viventibus*, ex codicibus bibliothecae Vaticanae. Interpolata esse non pauca hujus auctoris scripta, ex eo liquet, quod in ipsis Jacobus Belvisus, Bartholus, Baldus, aliique interpretes Jacobo de Arena recentiores passim nominentur (15).

LXXXXII.

GARDINUS DE GARDINIS.

Alberico Gardino Hugolini legum doctoris, de quo suo loco diximus, aut fratri aut certe agnato et haeredi (16), filius fuit, Gardinus nomine et ipse juris civilis professor, qui saeculo XIII labente Bononiae claruit et initium XIV attigit. Plurimum autem versatus est in foro et in Republica, ubi magnam non doctrinae solum, sed et prudentiae

(1) Apud DIPLOVAT.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*
(4) ALIDOS. *Doct. Bonon.* in Append., pag. 244.
(5) Extat in *Tract. Univ. juris*, t. IV, p. III.
(6) *Ibid.*, t. III, p. II, pag. 394.
(7) *Ibi*, pag. 141. *Est etiam mss. in cod. bibliothecae Collegii Maj. s. Clementis Bonon.*, n. 87.
(8) *Ibid.*, t. XI, p. I, pag. 355.
(9) *Ibi*, pag. 291.
(10) *Ibid.*, t. III, p. II, pag. 74.
(11) *Ibi*, pag. 34.
(12) *Ibi*, pag. 143.
(13) *Ibid.*, t. VIII, p. I, pag. 194.
(14) *Script. Ital.*, t. II, pag. 991.
(15) *Tract. de Execussion., de Cess. act. etc.* [SAVIGNY. *Op. cit.*, loc. cit.]. (C. A.)
(16) *Ex tab. ad Gardini testam. pertinentibus*, de quibus infra.

famam sibi conciliavit. Hic anno MCCLXX *ad officium bannitorum*, ut ajebant, de civium numero, judex delectus est (1); et judicis quoque, non legum doctoris, titulum gerens anno MCCLXXX cum summa potestate in magistratu IX consulum civitati praefuit (2). Anno MCCLXXXIII doctorum jam ordini adscriptus fuerat (3), quo tempore etiam in schola floruisse aliquandiu videtur; sed brevi inde abductus, ad Rempublicam iterum accessit, non semel inter Sapientes adlectus, qui magistratibus ordinariis in difficilioribus negotiis opera et consilio praesto essent (4). Quandoque etiam advocatus et defensor, sic enim appellabant, Communis et populi bononiensis fuit; quod munus nemini non clarissimo jurisconsulto conferri solebat (5). Publicae pecuniae custos sive, ut ajebant, depositarius fuit (6); et cum bellum Bononienses cum Estensibus et foederatis civitatibus exercerent, inter Viros bello praefectos aliquando delectus est (7). Sed et plures causae a Communi bononiensi ei commissae (8) et legationes decretae (9); in quibus ea in primis memoranda, quam suscepit ad constituendos terminos agri bononiensis, qua parte mutinensem agrum attingit (10). Cum autem annum MCCLXXXXV compertum esset, Marchionem Estensem in Scultennae ripis atque aggeribus aliquid molitum, quo ut consuleretur agri mutinensis, qui flumini ex ea parte adjacet, securitati, agro bononiensi periculum alluvionis ex parte altera creabatur; populus bononiensis negotium Gardino dedit, ut iis, quibus opus esset, operibus periculum averteret, quod ab eo diligenter perfectum est, excavato fluminis alveo et sublatis ad justam altitudinem riparum aggeribus (11). Anno MCCCII decessit Gardinus (12), testamento prius condito, quo Faitam Albirolam uxorem suam haeredem instituit (13). Ea post viri obitum Paci de Pacibus nobilissimo civi et clarissimo legum doctori nupsit.

(1) Dn. Gardinus dn. Albrici de Gardinis judex officio bannitorum etc. *Ex Mem. Petri Bonincontri Cazalunae ad diem VI Jan. MCCLXX.*

(2) Coram dn. Gardino qu. dn. Alberici de Gardinis judice, consule et rectore civitatis Bononie etc. *Ex Memor. Bonjacobi Cuizardini ad diem IX Feb. MCCLXXX.*

(3) *Ex Mem. Com. Bonon. ejus anni.*

(4) Ghirardacci, lib. X e lib. XII.

(5) Anno MCCLXXXXVIII erat advocatus et defensor Communis Bonon., ut liquet ex *lib. Reform. ejus anni in archiv. publ.*

(6) Eod. anno erat depositarius Communis Bonon. *Ex pluribus actis in eod. lib. Reform.*

(7) Anno MCCLXXXXVI in Consiiio civitatis IV Viri creati, quibus negotium datum est, ea curarent, quae ad bellum nuper cum Estensibus exortum administrandum pertinerent; atque hi fuere quatuor legum doctores, Gardinus, Lambertinus de Ramponibus, Ubaldinus Malavoltus et Philippus Fuscararius. *Ex lib. Reform. ejus anni in archiv. pub.*

(8) An. MCCLXXXIX Gardinus de Gardinis legum doctor cum Guilielmo Rombodevino legum doctor et Nicolao Soldaderio judice delectus a Communi ad cognoscendam controversiam, quae erat cum canonicis Ecclesiae bononiensis. *Ex lib. Reform. ejus anni.*

An. MCCLXXXXVI eidem cum Dino Mugellano, et Albertino Carrario causae cognitio commissa est, quam Commune Bononiensium habebat cum quibusdam vectigalium conductoribus. *Ex lib. Reform. ejus anni.*

(9) An. MCCLXXXXIV legatus ad Comitem Romandiolae. Ghirardac., lib. X.

(10) *Ex lib. Reform. an. MCCLXXXIX.*

(11) Ghirardac., lib. XI.

(12) In vivis fuisse Julio mense anni MCCCII, eumdemque Octobri mortuum, liquet ex *Mem. Com. Bonon. illius anni;* quo etiam testamentum fecisse dicitur ab Alidosio in *Doct. Bonon.*, pag. 95.

(13) Cum dn. Gardinus de Gardinis filius et heres pro quarta parte dn. Alberici heredis universalis dn. Ugolini de Gardinis legum doctoris suum condiderit testamentum in quo quidem dna Faitam filiam qu. dn. Petrizoli de Albirolis olim uxorem dicti dn. Gardini et uxorem dn. Pacis de Pacibus legum doctoris heredem universalem instituit etc. *Ex Memor. Aymerici Zampetri Bertolotti ad diem VII Septemb. MCCCVI.*

LXXXXIII.

SCANNABICCUS BAVOSIUS.

I. Scannabiccus Sixti Bavosii filius jam inde ab anno MCCLXXIV cum Lambertacciis solum vertere jussus est (1), sed anno MCCLXXX cum satis fidem suam Jeremiensibus probasset, in civitatem atque inter Jeremienses, ejurata Lambertacciorum societate, receptus est (2). Itaque libere deinceps in civitate vixit, exclusus tantum ab omni munere publico ad quod nemini patebat aditus qui aliquando Lambertacciorum partes secutus esset, quamquam Scannabicco de hoc remissum aliquid videtur extremo illius vitae tempore. Anno MCCLXXXIII inter publicos scribas, sive notarios adlectus est (3); et insequenti anno judicis assessoris officio functus est apud Aghinolphum Romenae comitem in praetura senensi (4), cum nondum doctoris insignia cepisset. Triennio post legum et decretorum doctorem appellatum reperio (5), atque hic tertius omnino est ex nostris, quem ad illud tempus, ac toto deinceps XIII saeculo, doctorem in utroque, ut ajunt, jure creatum constet (6). Anno MCCLXXXXVIII cum duobus aliis jurisperitis delectus est ad lustrandos milites stipendiarios populi bononiensis (7); nec multo post humanis excessit; anno enim MCCLXXXXIX, Februario mense, vita functum reperio (8).

II. Joannes Andreae in addictionibus ad *Speculatorem,* quaestionem quamdam legalem memorat, quam vulgo tribuerant Francisco Accursio, sed quae revera auctorem habebat Scannabiccum, cujus manu scriptam penes se habuisse narrat (9). Sed Alidosius et Orlandius, cum haec apud Joannem Andreae legissent, novum quemdam legum doctorem confinxerunt, qui numquam inter mortales fuisse videtur, Scannabiccum Alberghetti, Scannabicchii filium, quem vixisse ajunt ad annum MCCXXXX. Diplovataccius etiam huc impegit, mendoso, ut arbitror, exemplari usus, doctorem enim hunc, a Joanne Andreae laudatum, Scaraboctum Bononiensem appellavit (10).

III. Illud singulare in hoc professore occurrit quod quandoque legum et decretorum, quandoque legum (11) tantum aut decretorum (12) doctor appellatur in antiquis tabulis. Sed tamen leges magis quam canones coluisse videtur (13).

(1) *Ex lib. Bannitorum et Confinatorum scrip. an. MCCLXXVII.*

(2) *Ex lib. eorum, qui jurav. partem.* Vidit clarissimus Montius.

(3) *Ex Matricola Notarior.* Vidit idem vir clariss.

(4) *Ex Memor. Com. Bonon. ad diem VIII Mart. MCCLXXXIV.*

(5) An. MCCLXXXVII die VI Nov. dn. Scannabiccus doct. legum et decretorum fil. qu. dn. Sixti de Bavoxiis et dn. Jacobinus, qui dicitur Minus ejus fil. etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(6) Non alios ante hunc reperio legum et decretorum doctores, quam Pascipoverum de Pascipoveris et Joannem Petri Michaelis.

(7) Anno MCCLXXXXVIII die.... electi Sapientes ad videndos et examinandos stipendiarios Communis Bononie dn. Scanabechus de Bavosis legum doctor, dn. Jacobus Homoboni, dn. Albertus dn. Laurenti Bonacapti jurisperiti etc. *Ex lib. Reform. Com. Bonon.*

(8) Anno MCCLXXXXIX ad diem XVI Febr. in *Mem. Com. Bonon.* aliqua indicantur de testamento hujus doctoris.

(9) Habetur *Quaestio Scanabici,* quam quidam attribuunt Francisco Accursio, sed originalem habeo de manu primi. JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Spec.,* tit. *De sentent.,* § *Qualiter autem.*

(10) Scaraboctus doctor legum bononiensis hoc tempore floruit, qui composuit plura, ut per JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Spec.,* tit. *De sentent.,* § *Qualiter autem,* v. *Porro si causa.* DIPLOVAT. post *Guil. Accursium* et *Andream de Barulo.*

(11) Ita appellatur in *lib. Reform. Com. Bon.,* quem supra indicavimus, et alibi saepe.

(12) Anno MCCLXXXXIII, XV Dec. dn. Jo. Godeus Anglicus, dn. mag. Galfredus, dn. Corradi de Magontia et alii scholares mutuo accipiunt a dn. Scannabicco dn. Sisti decretorum doctore etc. *Ex Mem. Com. Bonon.*

(13) FANTUZZI. *Op. cit.,* art. *Scannabecco Bavosi.* (C.A.)

LXXXXIV.

SALVUS ROICIUS. THADDAEUS BALDI.

I. Salvus Roicius, sive de Roicis, legum doctor vixit in scholis nostris circa hujus saeculi finem. Alidosius hunc doctorem de Soricis appellat. Verum ejus nomen Deotesalvi fuit, ac patrem habuit Hugolinum Roicii filium. Anno MCCLXXXII nondum doctorum albo videtur adscriptus fuisse (1). Ejus non semel mentio est in Memorialibus Communis Bononiae ad annum MCCLXXXV (2). Post illud tempus perpetuo abfuisse videtur a patria. Itaque non dubito, quin Rubeus et Ghirardaccius vere illum scripserint rerum criminalium judicem Romae fuisse apud Pontificem, eique anno MCCLXXXVII a Pontifice ipso, qui erat Nicolaus IV, delatas multarum civitatum et populorum Flaminiae provinciae querelas contra Petrum Stephani Romanorum proconsulem, ejus provinciae praefectum, ut de iis cognosceret et judicaret (3). Alidosius judicem generalem Romanae Curiae appellat (4).

II. Thaddaeus Baldi filius de Castro Sancti Petri. Scriptum fuerat hujus nomen inter doctores legum ex regione Portae Ravennatis, qui anno MCCLXXXXIV erant in Consilio Octingentorum, sed postea deletum; incertum, qua ex causa (5). Hic erat ex Castro Sancti Petri, nobili Bononiensium municipio; nec aliter fere in antiquis tabulis appellatur, quam Thaddaeus domini Baldi sive Ubaldi; quo ostenditur, ni fallor, non ignobili patre ac familia natus. Sed illud peculiare de hoc legum professore occurrit, quod raro admodum et brevi temporis intervallo doctoris appellatio illi tribuitur in antiquis tabulis (6), ut clarissimus Montius animadvertit. Id argumento esse potest Thaddaeum cito a scholis recessisse et a docendo cessasse. Ac fortasse ob hanc causam ejus nomen ex DCCC virum albo expunctum fuerat, quasi temere cum aliis doctoribus, qui semper honoris causa in eum ordinem legebantur, ille descriptus fuisset, qui non jam uti doctor haberi deberet et jamdiu a scholae muneribus vacaret. Pecuniosum hominem fuisse constat et ab academia ad forum, a cathedra ad mensam argentariam defecisse existimo (7).

LXXXXV.

S. RAYNALDUS

ARCHIEPISCOPUS RAVENNAS.

Non est cur verear professoribus nostris adscribere Raynaldum de Concoregio mediolanensem, virum cum nobilitate generis tum morum sanctimonia et rebus gestis spectatissimum. Florebat ille in nostris scholis ad finem properante XIII saeculo; nec

(1) *Ex catalogo Doctorum an. MCCLXXXII in quo ejus nomen prorsus omittitur.*

(2) Plures ab eo contractus initi anno MCCLXXXV memorantur in *Mem. Com. Bonon. ejus anni.*

(3) Rubeus. *Hist. Ravenn.*, lib. VI, et Ghirardac. lib. VIII.

(4) Alidos., pag. 207.

(5) *Vide Appendicem.*

(6) In *Mem. Com. Bonon.* ad an. MCCLXXXV non semel dicitur legum doctor. Deinceps in pluribus contractuum tabulis plerumque sine doctoris titulo nominatur.

(7) An. MCCLXXXXIII dn. Thaddaeus dn. Ubaldi de Castro S. Petri mutuo dat MMMDC lib. bonon. Bartholomaeis argentariis pistoriensibus. *Ex Memor. Com. Bonon.* ubi plures ejusmodi contractus hujus doctoris prescribuntur.

vulgari fama eum fuisse intelligimus ex eo quod a Laudensibus publice conductus est ad jus civile in ea civitate interpretandum, atque ei decreta est Infortiati expositio, nisi quem alium librum ex iis qui extra ordinem legi solerent, scholares maluissent. Venerant ea de re Laudensium procuratores Bononiam anno MCCLXXXVI initio Septembris et cum Raynaldo convenerunt ut is ad laudenses scholas quamprimum accederet, suas lectiones sub initium Octobris auspicaturus, pactis XXXX imperialium libris in annum consequentem. Nondum tunc erat Raynaldus doctoris insignia consecutus; sed ex tabulis contractus cum Laudensibus initi, quas a clarissimo Montio acceptas in Appendice vulgamus, videtur paucos post dies eo honore donandus fuisse (1). Cautum est autem iis tabulis, ut si Raynaldus doctor creatus esset antequam ad scholas Laudenses accederet, amplius illi stipendium tribueretur. Satis autem exploratum est legum professores, antequam doctoris insignibus donarentur, diu debuisse in scholis docere. Nec vero Laudenses stipendio publice constituto ad se accivissent hominem in scholae muneribus non diu multumque cum laude exercitatum. His igitur studiis Raynaldus ad ecclesiasticas dignitates sibi gradum fecit; adlectus primo, ut ajunt, inter laudunenses canonicos (2), episcopus deinde vicetinus anno MCCLXXXXVI a Bonifacio VIII creatus, postremo Benedicti XI voluntate anno MCCCIII cum esset Flaminiae provinciae rector, ad ravennatem archiepiscopatum evectus (3). Versatus est autem plurimum Bononiae, tum maxime cum bona, quae Templariorum Militum fuerant, pro Romana Ecclesia administraret (4). Vixit usque ad annum MCCCXXI ea sanctitatis opinione et fama ut honores divinos post mortem sit consecutus. Mira sunt quae de illo narrantur, quaeque diligenter cum apud alios scriptores, tum vero maxime in historia ravennati perscripta sunt; quae si vellem in unum colligere et explicare, vereor, ne extra orbitam excurrisse viderer.

LXXXXVI.

JOANNES DE MOYSIACO.

Praetereundus hoc loco non est Joannes Guilielmi filius, de Moysiaco, qui locus est in cadurcensi dioecesi. Fuisse videtur Francisci Accursii discipulus; eo enim auspicante in nostra academia doctor legum creatus est et publice docendi munus suscepit. Memoratu dignum est, quod Joannes antequam doctoris insignia caperet, coram Francisco ipso et Gerardo de Josano judice et praetoris bononiensis vicario, sacramento se obstrinxit, ne alibi gentium quam in scholis nostris jus civile profiteretur; idque ex praescripto statutorum bononiensium. Id anno MCCLXXXVII, die XII kalendas Octobris, actum est. Extat in archivo Fratrum Eremitanorum ejus sacramenti formula, in qua particula antiquae legis populi bononiensis de sacramento doctorum continetur (5).

(1) *Vide Appendicem.*

(2) RUBEUS. *Hist. Ravenn.*, lib. VI — an forte inter Laudenses?

(3) UGHELL. *De Episc. Ital.*, t. II et t. V.

(4) MCCCX die XXX Jul. ven. pat. dn. Raynaldus Dei gratia Archiepiscopus Ravennas administrator honorum Milicie Templi maxime in partibus Lombardie pro Curia Romana absolvit dn. Lambertinum rectorem ecclesie s. Michaelis de Lebroxeto super bonis Mansionum dicte milicie etc. *Act. in Civit. Bonon.* in domo Mansionis Templi in camera dn. Archiepiscopi etc. *Ex Memor. Francisci Jacobini etc.*

(5) GHIRARDACCI, lib. VIII.

Atque hinc conjicere licet aliquid per illud tempus in academia nostra novatum; nam vetus illa lex tam odiosa doctoribus, praesertim exteris, qua adigebantur jurati promittere se nusquam alibi quam Bononiae jurisprudentiae scholam habituros, jamdiu in desuetudinem ierat. De ea alibi dictum est. Joannes autem de Moysiaco cujus famae in docendo fuerit quaeve ejus fortuna compertum non habeo. Plures ei similes habemus in elencho scholarium quem ad calcem hujus libri producimus.

LXXXXVII.

CABRINUS SEREGNANUS.

Institutiones juris civilis Bononiae professus est exeunte saeculo XIII Cabrinus Seregnanus cremonensis. Num eo tempore scholastici magisterii cursum inceperit, ac postmodum doctor creatus nobiliores legum libros vel in academia nostra vel alibi interpretatus sit, me prorsus latet. Anno MCCLXXXXIV cum nec adhuc locus esset publice constitutus ubi professores docerent, nec propriam ipse scholam haberet, homo exterus, et fortasse in academia nostra novitius, suas ei scholas permisit Petrus Boaterius, celebris artis notariae professor, his conditionibus ut Cabrinus bis in anno libros Institutionum legeret; primum scilicet initio lectionum facto ex die s. Lucae, quo erat studiorum inauguratio, dein autem post festum Paschae; quo tempore fas non esset Cabrino eumdem librum in alia quavis nostrae civitatis schola legere, nec recedere a civitate ipsa nisi idoneum sibi magistrum suffecisset, qui eo absente inceptas lectiones perficeret. Contra vero Petrus Boaterius promisit suas scholas Cabrino libere daturum semel in die, nec quemquam admissurum qui Institutiones legeret ea hora quam Cabrinus elegisset. Ex quo apparet potuisse alios aliis horis eumdem librum in iisdem scholis legere, pro copia scholarium et magistrorum, qui tunc Bononiae degebant. Permisit autem Boaterius Cabrino Seregnano, ut collectam faceret, hoc est, stipem, de qua convenisset, ab auditoribus exigeret semel tamen a quolibet. Quod si quis non solvisset, permisit ut ab eo posset pignora auferre, libros nimirum scholasticos, pretiosissimam scholarium supellectilem; quam reddere non teneretur nisi ad assem sibi satisfactum esset. Deinde cautum voluit Petrus Boaterius scholaribus domesticis (1), qui scilicet in iisdem scholis habitarent et in ipsius Petri convictu essent, a quibus noluit Cabrinum exigere posse plus quam VIII solidos. Haec habemus ex tabulis ea de re confectis, quas in Appendice damus, ad cognoscendos eorum temporum mores haud plane inutiles.

LXXXXVIII.

AMBERTUS DE ANTRAMONIA.

Ambertus de Antramonia notus est ex libro, quem scripsit *De quaestionibus criminalium judiciorum,* quem editum habemus inter *Tractatus universi juris* cum hoc titulo: *Tractatus super materia quaestionum, sive torturae, domini Amberti de Antramonia bono-*

(1) Scholaribus intrinsecis et habitantibus in eisdem scholis.

niensis (1). Sed quoniam hujus hominis ignotum omnino est nomen in monumentis civitatis nostrae, propterea extraneum judico nec aliam ob causam bononiensem appellatum quam quod Bononiae floruerit. Nostri scriptores, qui ejus nomine inscriptum viderant librum, quem indicavimus, eum recensuerunt inter doctores bononienses et appellarunt Albertum Antramontem, quasi nimirum esset de Antramontium genere, ac vixisse arbitrati sunt ad annum MCCXXX (2). Sed de Antramonia dum hic auctor dicitur, id ejus patriam non parentem aut gentis agnomen indicat. Animadvertit autem clarissimus Montius inter scholares exteros, quorum interdum mentio occurrit in antiquis tabulis, nonnullos esse qui *de Tremonia* dicuntur, ita procul dubio de eorum patria nuncupatos notissima inferioris Germaniae civitate, accolis *Dortmund*, quam propterea conjicere licet fuisse Amberti nostri patriam. Ex eadem civitate fuisse existimo Alvinum de Trimonia (3), qui anno MCCLXXV erat recto scholarium ultramontanorum. De aetate vero qua Ambertus vixit, illud certo affirmari potest, scripsisse post Guidonem Suzarium, quem laudat in suo quaestionum criminalium libro (4). Vixit igitur multo post annum MCCXXX, nec satis constat num saeculum XIV attigerit. Immo incertum plane est, num ad hoc XIII saeculum, de quo agimus, an ad XIV pertineat.

---

(1) Extat in t. XI.

(2) ALIDOSI, pag. 3. — ORLANDI. *Scrittori bolognesi.* V. *Alberto.*

(3) *Ex Mem. Com. Bonon. ejus anni.*

(4) Guido de Suzaria aliter sentit et dicit, quod si judex modum excedendo aliquem debilitaverit, tenetur. AMBERT. DE ANTRAM. intra *Tract. Univ. jur.*, t. XI.

ADDITAMENTA.

I. Cum de Scholis nostris saeculo XIV e XV disputatio instituitur, illud sane videndum diligenter est, ne tantam in eas gloriam conferre velimus, ut quemadmodum superioribus aetatibus, quibus in aliis civitatibus literas bonasque artes in situ et squallore jacuisse, in hac nostra contra magnopere easdem floruisse notum est; ita quoque sequentibus temporibus rem aeque academiae nostrae cessisse cogitemus. Multitudine quidem virorum doctrina illustrium gloriari per has etiam aetates jure potuit civitas haec nostra, non domesticorum modo sed exterorum etiam huc adventantium; verum aliis in Italia et extra Italiam clarissimis urbibus, si non par similis certe laus, nisi injuria prorsus, eripi non potest; quod tamen, si quid sentio, academiae nostrae nihil officit, sed illius potius auget gloriam, cum constet aliarum famam et incrementum ex hac nostra, tamquam ex communi matre fluxisse; id quod superioribus hujus operis partibus incorruptis argumentis satis declaratum arbitror. Itaque magnopere sollicitos non esse minime oportet, de quadam veluti palma per sequiores has aetates nostris concedenda, ita ut, Musis quodammodo silentibus in aliis civitatibus, in hac nostra tantummodo loquerentur iisdemque hic solum honos haberetur.

II. Sed cum in ceteris disciplinis, tum vero maxime in juris civilis scientia tradenda princeps adhuc habita est bononiensis universitas. Et clarissimus Marcus Foscarenus, generis nobilitate illustris, eruditione et literis illustrior, hanc Scholis nostris gloriam ultro defert, et ea quidem liberalitate ut scribat Venetos suos pene omnes saec. XIV huc venisse jurisprudentiae comparandae causa (1). At scribit etiam, ibidem ante eas aetates concives suos, Ravennae quidem saec. XI, sequentibus usque ad XIV partim Parisiis, partim Patavii legum studiis vacasse; nec ullam de bononiensi universitate mentionem facit, in quo sane scriptoris ceteroque illustris eruditionem valde requiro. Neque enim ullum literaria illorum temporum historia vel leviter imbutum fortasse reperiemus, qui non fateatur academiam nostram saeculo XII et XIII, vel solam, vel certe prae omnibus aliis, legum in primis tradendarum facultate floruisse. Manifestum id erudito cuique est, et vero abunde constare potest ex iis, quae superioribus hujus operis partibus sunt disputata. Ex iis namque, ut cetera praeteream, illud

(1) In Opere, quod inscribitur: *Della letteratura veneziana*, lib. I, pag. 40 et seq.

clarissime apparet, tum professoribus in jure civili tradendo clarissimis, tum omnium pene regionum alumnis, ad invidiam usque academiam nostram abundasse. Profecto per ea, quae diximus, tempora raros, ne dicam rarissimos, occurrere legum professores, qui alibi quam in nostris scholis juris scientiam docuerint, ex eo vel maxime constare potest, quod clarissimus Guido Pancirolus, qui magna diligentia et non mediocri eruditionis copia de celebrioribus juris professoribus ex instituto scripsit, paucissimos commemorare potuerit, qui legum scientiam non apud nos tradiderint. Ipse etiam elegantissimus patavinae universitatis scriptor Jacobus Facciolatus (1) ingenue fatetur patavinam academiam in verum solidumque, ut ita dicam, corpus coaluisse ad finem properante saec. XIII, nimirum anno MCCLX, quo universitatis rectores creari primo coeperunt; et inter juris civilis professores non incelebres primum omnium nominat anno MCCCIII Jacobum de Arena.

III. Neque vero inauspicatae Foscareni sententiae quicquam opitulatur vetus illud monumentum, quod clarissimus Joannes Brunaccius Fossae Clodiae reperit quodque pertinet ad annum MCCLXXXXIX (2). Nam cum pene attingat saec. XIV, et praeterea in eodem optio detur scholaribus jus civile addiscendi aut Patavii aut Bononiae aut Parisiis, probari ex eo numquam poterit, initiis saec. XIII, vix vero sub finem eiusdem, Venetos jurisprudentiae amatores pro eadem comparanda Parisios usque commigrasse, quasi in proximioribus academiis et in hac nostra, quae certe tunc temporis legum tradendarum fama ceteris clarius explendescebat, suscepti laboris fructus, eosque uberrimos percipere non possent. Italiae sane nostrae ea fuit eritque semper laus, quod in eius sinu natum atque altum fuerit jus utrumque; ac verissime doctissimus Franciscus Petrarca in celebri ad Urbanum V post illius reditum in Italiam epistola ita scripsit: *Jus utrumque, quo utimur, Itali condidere, conditumque Itali exposuere, ita ut eorum nihil, aut perexiguum exteris cedat et in altero quidem Itali longe Graecos superent, de altero nemo est qui litiget.* At in Italia nullibi certe felicius, quam Bononiae, studia haec caput extulerunt.

IV. Mirari autem satis non possum, quomodo idem clarus auctor non modo eo, quod diximus, monumento minus recte utatur ut probet universitatis parisiensis gloriam initio saec. XIII jam bene constitutam et longe lateque diffusam; sed etiam in Honorii III literis ad patriarcham gradensem praesidii aliquid ad suam firmandam opinionem locare velit. Datae sunt hae literae anno MCCXIX, in iisque cavetur ne quis Parisiis locisque finitimis jus civile aut tradat aut discat (3). Et quidem res haec tota alte, et, ut ajunt, a capite petenda est ut satis explendescat. Norunt eruditi omnes Justiniani Codicem Romanis Pontificibus jure invisum fuisse, quod timerent ne cano-

(1) *Fast. Patav.*

(2) Illud monumentum ita habet: « An. MCCXCIX indic. XII die ultima mensis Decembris. Ad removendas alias expensas et scandala, quae oriri possunt ratione dn. Episcopi et episcopatus, et ratione plebani et canonicorum et capituli Clugiae Minoris, mitterentur Paduam, Bononiam, vel Parisius, vel ubicumque dn. Potestati melius videbitur etc. ».

(3) Errat Foscarenus, qui hanc Honorii Pontificis legem in solos ecclesiasticos latam arbitratur. Cuilibet attentius eas Honorii literas legenti patere statim poterit, primo in iisdem juberi, ne monachi jurisprudentiae et medicinae vacent deinde, ne iisdem disciplinis incumbant presbyteri, aliique Ecclesiae addicti; tandem ne Parisiis, et in viciniis quisquam vel exponat vel discat jus civile. « Currunt, inquit, illuc (Parisius nimirum) quidam improbi cum traditionibus saecularium principum etc. ». Post haec autem ita loquitur: « Sane licet Sancta Ecclesia legum saecularium non respuat famulatum, quae satis aequitatis et justitiae vestigia imitantur; quia tamen in Francia, et nonnullis provinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur, et occurrunt raro ecclesiasticae causae tales, quae non possint statutis canonicis expediri.... firmiter interdicimus et districte inhibemus, ne Parisiis vel in civitatibus seu aliis locis vicinis quisquam docere, vel audire jus civile praesumat ».

nicas leges vel convelli vel labefactari contigeret. Exeunte saec. XII, multoque magis ineunte saec. XIII, cum jam Irnerii opera jus justinianeum in bononiensi atque in aliis subinde per Italiam scholis invaluisset, in Gallis etiam alicubi degustari coepit, non quidem palam, sed latenter.(1) Labentibus deinde annis multorum studia excitavit; ita sane, ut adulto jam saec. XIII sanctus Ludovicus, qui nonus ejus nominis dictus est, plures illius Codicis versiones adornari jusserit, eoque usus ipse fuerit in sui regni legibus sanciendis. Sub finem autem ejusdem saeculi Philippus IV justinianeum Codicem velut *jus scriptum* haberi et exponi praecepit iis in locis, in quibus publicae rei administrandae ratio sola niteretur consuetudine, ex eaque permaneret. Sub initia quoque saec. XIV, nempe anno MCCCXII, aurelianensi universitati indultum fuit, ut Codex ipse justinianeus publice traderetur; quemadmodum probat vetus monumentum apud Du-Tillet, quod laudat celebris Montesquieu(2). Constat itaque per ea tempora, de quibus loquitur Foscarenus, credi non posse Venetos, neglecta academia nostra, ad Parisiensem et ad alias juris civilis scientiae comparandae causa se contulisse; cumque ipse ultro fateatur saec. XIV, ad bononiensem universitatem eosdem eccessisse potiori sane ratione fateri cogitur, illud idem contigisse superioribus aetatibus, quibus haec nostra universitas legum tradendarum gloriam, tamquam nativam et propriam, sibi vindicabat, quibusque in Gallis praesertim incertum adhuc et angustum admodum nobilissimae huic disciplinae domicilium patere poterat. Sed, ut ego arbitror, in hos viarum anfractus hunc conjecit auctorem, illa Venetorum multitudo, qui in exteris etiam civitatibus et in hac nostra praetoris munere per ea tempora functi sunt, quosque hujusmodi honorem iccirco attigisse putavit, quod legum studiis in publicis academiis diligenter antea vacassent magnosque in iis progressus fecissent. Verum necesse sane non est, tot illustres legumperitos vel peritos vel professores sibi fingere, quot veneti praetores fuerunt. Notum enim est, in hoc munere demandando habitam potius fuisse rationem prudentiae, militaris etiam virtutis et rerum agendarum peritiae, quam juris civilis scientiae, qua quidem praetores valde abundare minime oportebat. Igitur statuendum est, aut paucos admodum ex Venetis jurisprudentiae penitus addiscendae desiderio elatos fuisse, quod probabilius existimo, aut pene omnes, sive multi sive pauci fuerint, Bononiam venisse ad hanc comparandam disciplinam.

V. Rebus sic constitutis, academiae nostrae splendori consultum satis arbitror, etiam per ea tempora, quibus, ut diximus, florere magnopere coeperunt tum in Italia tum extra complures aliae acadamiae. Id vero cuique vel sola et nuda clarorum professorum, de quibus modo ordine agendum erit, nomina percurrenti innotescere statim poterit. Si enim aut multitudinem aut famam in iisdem exposcas, profecto utroque laudis argumento universitatem nostram minime caruisse, agnoscere facile poteris. Est autem, mea quidem sententia, eidem perhonorificum, quod ex ipsa celebriores juris scholae vel prodierint vel certe maximum hic incrementum habuerint, Irnerius sane non paucis ante saec. XII annis in hac nostra civitate suam juris civilis scholam

(1) Sed cur oderant tantopere Romani Pontifices jus illud justinianeum in Gallias invectum, minime vero illud idem traditum in Italiae academiis, et praesertim in hac nostra, quae, legibus riviviscentibus, ipsum in sinum recepit? Haec minus quidem inter se convenire videntur. Verum quae causa odii in Codicem justinianeum Gallias importatum, non eadem sane apud nos. Hic namque ea omnia, quae in eo Codice ad ecclesiasticos et ad Ecclesiae res pertinent, omnino ex juris canonici regulis tradebantur. Itaque timendum minime erat, ne in nostris civitatibus ex justinianeo jure detrimenti aliquid caperent canonicae sanctiones.

(2) *Esprit des loix,* l. XXVIII, c. 42.

aperuit, eaque fama et celebritate, qua major nulla excogitari potest. Sequutus est Accursius, qui etiam apud nos docuit et a quo plenior juris explicatio fluere coepit. In ea vero, de qua loquimur, aetate Bartoli eiusque discipuli Baldi schola emersit, quae altas egit radices et per infinitos pene alumnos ad posteritatem transmissa est, nimirum usque ad magnum Alciatum, qui barbariem in leges inductam dispunxit, veterique nitori et elegantiae easdem restituere conatus est.

VI. Sed jam de claris juris civilis professoribus, qui saec. XIV et XV in nostra floruerunt academia, sermo instituatur. Nascetur autem exordium ex Thaddaeo Pepulo et Brandalisio Gozzadino, qui etsi neque scientiae juris civilis fama ceteris omnibus, qui saec. XIV apud nos inclaruerunt, omnino antecellant, attamen tanta par hoc illustrium virorum rerum gestarum gloria ubique omnium sermonibus celebrari contigit, ut non modo ignoscendum sit mihi, si non habita adamussim ratione temporum de his viris loqui primo instituo, verum etiam fatendum sit hanc operis partem satis auspicato ab iisdem initia ducere.

I.

THADDAEUS PEPULUS.

I. De Thaddaeo Pepulo dum scribere aggredimur, dubitatio subit num hunc virum etsi celeberrimum, inter academiae nostrae professores jure ac merito recensere debeamus. Sed dum ejusdem viri gloriam non modo ex rebus negotiisque in Republica praeclare gestis domi militiaeque, verum etiam ex non mediocri legum peritia profectam scimus, ornamento hujusmodi academiam nostram privari non posse arbitramur. Doctorem in jure creatum intelligimus ex antiquo monumento (1), in quo publicae decernuntur impensae ad Thaddaei doctoratus splendorem augendum; quod quidem amplissimi honoris genus est. Eumdem inter claros jureconsultos adnumeratum voluit doctissimus Guido Pancirolus libro II *De Claris Legum Interpretatibus*, pag. 181 et seqq., hac nixus ratione, quod nempe Thaddaeus non modo prioribus adolescentiae annis legum studiis operam dederit, sed etiam confirmata postmodum aetate, et dum maxime Reipublicae bononiensi gubernandae incumberet, eorumdem laude excelluerit, atque identidem causas ex legum praescripto definierit, quemadmodum testis est Bartolus in lege *Filio praeterito*, Dig. *De injust. rupt. et irrit. testam.*

II. Sed de Thaddaeo contractius scripsit laudatus Pancirolus. Itaque longiore orationis filo rebusque ordine dispositis de eo differamus, omnia ex penitioribus fontibus, iisdemque purioribus derivantes. Ejus vitam pluribus digessit Joannes Garzonius, cujus opusculum de gestis Thaddaei Pepuli senioris ad magnificum Guidonem Pepulum una cum aliis pluribus ejusdem auctoris ms. extat in bibliotheca Instituti Scientiarum Bononiae. Et quamquam minus accurate, et ad severioris criticae regulas res exacta minime sit; attamen multa occurrunt vere diligenterque scripta, non sine quadam sermonis elegantia et venustate. Taddaeus noster patrem habuit Romaeum Pepulum, qui rem suam familiarem magnopere auxit, ita sane ut inter ditissimos sui temporis habitus sit. Cumque opibus et potentia Romaeus maxime floreret, multorum invidiam subiit,

(1) *Vide Appendicem.*

et praecipue nobilium virorum civitatis, qui populi auxilio freti eum e patria excedere coegerunt an. MCCCXXI Caesenam se recepit, ubi comparatis viribus (1), instructaque quadrigentorum equitum acie Bononiam reversus, sed superatus inimicorum factione, iterum discedere coactus est, neque vidit amplius patrios lares et anno MCCCXXIII Avenione extremum diem obiit.

III. Rebus postmodum immutatis, in patriam revocantur Pepuli an. MCCCXXVIII a Bertrando Poggetto Pontificis legato. Hic Bertrandus re male gesta contra Ferrarienses, quos Bononiensium auxilio opprimere decreverat, novum instaurare contra eos bellum cogitavit, atque in hunc finem gravissima vectigalia civitati indixit, Bononienses tanto hinc oneri impares, novamque cladem praeterea extimescentes, conspiratione facta, et duce Brandalisio Gozzadino, Pontificis legatum aggrediuntur, qui cum impetum diutius sustinere non potuisset, tandem civitate occultos excessit Florentinorum auxilio fretus. Rem totam narrat Anonymus in *Historiae Romanae fragmentis,* lib. I, cap. V editis a clarissimo Muratorio *(Antiquit. medii aevi).*

IV. Ejecto adeo turpiter Romanae Sedis legato, pax minime civitati restituta; sed ingenti civium dissidio eo res adductae fuerunt, ut mutuis cladibus se se Bononienses interfecerint, atque ingens nobilium familiarum numerus exilio mulctatus fuerit (2). Haec contigerunt anno MCCCXXXIV. Sed anno MCCCXXXVII Thaddeus noster, civium consensione, post expulsum Brandalisium Gozzadinum, quemadmodum infra dicemus, civitatis praefecturam adeptus est. Totius porro rei gestae series cum delata esset Pontifici, qui tum erat Benedictus XII, graviter tulit tam male de se deque suo imperio Bononienses coegissent. Itaque Pontificis literae graves et minaces Bononiam allatae sunt (3), quibus optimatibus et populo sacrorum communione interdicebatur, nisi in gratiam cum Pontifice redirent et pristinum dominatum restituerent.

V. Dissimulandum hic non est, Thaddeum, etsi populi consensione et plausu elatum, attamen dubitasse identidem tum de voluntate populi, tum de sui dominatus minus juste arrepti soliditate. Itaque animi saepe incertus quodammodo fluctuabat, et modo demisse se gerebat cum Pontifice, modo ad ei obsistendum se comparabat, prout perpensis viribus opportunum judicabat. Id cuique legenti literas Pontificis Romani ad ipsum, ejusque ad Romanum Pontificem, satis patere potest (4). Revera ad sedandam Pontificis iram, una cum Rolando de Fantuciis syndico et procuratore ac nuncio civitatis Bononiae, missi fuerunt legati Paulus de Liazariis, Maccagnanus Azzoguidus et Petrus de Bonpetris, qui celebres habebantur jurisperiti, quibusque onus datum a Bononiensibus ut Pontificis animum lenirent (5). Ii omnes Avenionem profecti, receptique a Pontifice coram pluribus S. Romanae Ecclesiae cardinalibus, nomine civitatis veniam postularunt, et laudatus Rolandus juramento se suosque cives Romanae Ecclesiae iterum addixit (6).

(1) Joan. Villan., lib. V, pag. 31.

(2) *Vide Appendicem.*

(3) *Extant in Cod. Diplom. Civitatis datae anno MCCCXXXVI die XXII Octobris.*

(4) *Vide Appendicem.*

(5) Post literas Benedicti XII supra laudatas, datasque anno MCCCXXXVI, negotium hujusmodi, utpote gravissimum diuturnum examen subiit; nam processum contra Bononienses anno tantummodo MCCCXXXVIII die III Januarii publicari contigit. In eo monentur Bononienses, ut infra duos menses civitatem, eiusque comitatum Sedi Romanae restituant. Praeterea jubet, ut optimates civitatis, quos singillatim nominat, infra trium mensium spatium coram pontifice se sistant, et nisi jussis pareant, eos totamque civitatem anathematis vinculo subjicit. Datae sunt etiam ab eodem Pontifice literae archiepiscopo Ravennae et archiepiscopo mediolanensi, quibus jubet, ut dictum processum contra Bononienses publicent in suis civitatibus et dioecesibus, iisdemque per alias literas onus dat recipiendi Bononiam, si pontificiis jussis obtemperent Bononienses.

(6) *Vide Appendicem.*

VI. Ita in gratiam Pontificis recepta civitate legati dimissi sunt, eodemque tempore datae sunt a Pontifice literae magistro Guidoni de S. Germano Apostolicae Sedis nuncio, quibus ipsi jubet ut Bononiam se conferrat, et ad normam Literarum Apostolicarum, quas eidem transmittit, Bononienses ab ecclesiasticis censuris absolvat, si tamen Bononienses datam Pontifici fidem liberaverint (1). Interea idem Pontifex, ut Bononienses ad obedientiam alliceret, Communi et populo civitatis mites admodum Literas expediri curat; atque in primis cum Thaddaeo agit, ut advenienti nuncio apostolico praesto esse velit eaque qua pollet in concives suos potentia utatur ad suadendam civitatis deditionem. Perhonorificae sunt literae datae ipsi Thaddeo, quibus magnopere laudat illius erga Romanam Ecclesiam fidem, quibusque testatur, se Nuncio Apostolico eum valde commendasse (2).

VII. Sed quamquam in hac tota hujus gravissimi negotii serie Pontificis clementia explendesceret, attamen res e voto minime cessit. Cumque ad recipiendum, audiendumque apostolicum nuncium concionem advocasset Thaddaeus, post recitatas Apostolicas Literas, omnium nomine respondit, nequaquam se et civitatem assentiri posse iis omnibus conditionibus, praescriptisque, quae Apostolicis Literis continebantur. Itaque nuncium impense rogavit ut mitiora postularet a Pontifice, quae nec ipse, nec populus certe recusaret. Damus in Appendice acta hujus concionis (3).

VIII. Cum per aliquot dies Apostolicae Sedis nuncius Bononiae constitisset, et tum Thaddaeo, tum populo obedientiam erga Pontificem suadere non destitisset, re plane infecta discessit, et Pontificem adiit, cui totius rei gestae seriem exposuit. Ad justam indignationem reversus Pontifex, diras iterum Bononiensibus intulit; datisque statim Literis aquilejensi et gradensi patriarchis, eorumque suffraganeis, jussit ut excommunicationem in Bononienses latam, omnibus compertam facerent (4). Interea temporis quid revera actum sit ex utraque parte, nescimus; si tamen locum conjecturis esse velimus, dijudicandum fortasse est, Benedictum Pontificem pacem animo volvisse, aut saltem patienter expectasse meliorem in Bononiensibus voluntatem Garzonius in laudato opusculo de gestis Thaddaei Pepuli refert, quemdam episcopum, cujus ipse nomen ignorat, Bononiam de Pontificis sententia venisse, ut cum Thaddaeo ageret de rebus componendis, eumdemque episcopum humanitate sua et suavioribus verbis ita Thaddaei animum delinisse, ut ipsi facile suaserit urbem Pontifici tradendam. Itaque civibus ad concionem vocatis, episcopus miti ac praeclara oratione usus Thaddaeum summis laudibus cumulavit et Pontificis clementiam erga civitatem pluribus declaravit. Haec multis narrat Garzonius, sed sine ullo teste. Ego arbitror, veram esse Garzonii narrationem, et ignotum illum episcopum fuisse Beltraminum episcopum comensem. Certe anno MCCCXXXX Benedictus XII, qui anno superiore Bononiensibus indignatus, ut diximus, eosdem poenis ecclesiasticis tanta severitate addixerat, anno insequenti, mutato animo, moderationem conditionum expetitam et flagitatam frustra a Bononiensibus, ut supra dictum est, iisdem pro sua clementia concedendam voluit. Extat in Codice Diplomatico civitatis bononiensis LXXXI, n. 10 (5), integer *Processus* apostolicus in consistorio publico habitus pro declaratione et reformatione quorumdam articolorum, qui continebantur in Literis Apostolicis jam pridem expeditis super *Reconciliatione Bononiensium*, et super oblatione census annui 8000 florenorum auri a Bononiensibus

(1) *Dabimus in Appendice.*
(2) *Vide Appendicem.*
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*
(5) *Ibid.*

Ecclesiae Romanae solvendi. Integrum damus in Appendice (1). Jam vero constat, eodem anno, eodemque tempore datas fuisse Literas (2) a Pontifice Beltramino episcopo comensi (3), quibus eidem jubet, ut Bononiam accedens omnia impleat, quae in apostolico *Processu,* quem ipsi trasmittit, continentur. Putandum non est, rem hanc gravissimam repente veluti contigisse ita sane ut Beltraminus cum Thaddaeo et Bononiensibus antea non egerit nomine Pontificis, et medius quodammodo non fuerit ipsos et Pontificem. Quamobrem quae refert Garzonius, oratorem potius agens quam historicum, a veritate tamen non omnino absunt.

IX. Res felicibus auspiciis coepta feliciorem exitum habuit, non resistente, immo adnitente et curante Thaddaeo; et quodam praemii loco plena civitatis administratio ad tres annos eidem relicta est, ex Pontificis ipsius voluntate (4). Romanae Sedi postmodum, quod sciam, Thaddaeus infensus numquam fuit. Extant enim plures Literae Apostolicae sequentibus annis ad eumdem datae, ex quibus cum ejus in Pontificem fides et charitas elucent, tum Pontificis amor et clementia in eum explendescunt. Occurrit tantummodo epistola Pontificis, qui anno MCCCXXXXI Thaddaeum monet hortaturque ut temperet ab injuriis inferendis Albertino et Mastino de la Scala, vulgo Scaligeris, Romanae Ecclesiae vicariis in civitatibus veronensi et vicentina; et quidem ipsum ab his molestis inferendis cessasse, ut Pontifici pareret, satis constare potest ex aliis ejusdem Pontificis Literis ad eumdem annis qui proxime secuti sunt, perscriptis, in quibus non modo querelarum nihil contra Thaddaeum occurrit; verum omnia Pontificis gratiam erga ipsum praeseferunt. Thaddaei laudi in primis dandum est, quod equites peditesque non paucos destinaverit magistro Philippo de Antilla provinciae Romandiolae rectori, ut facilius Romanae Sedis hostes et rebelles, qui plures erant in dicta provincia, compesceret, et ad officium redire cogeret; et praeterea hujusmodi auxilio privare noluerit Romanam Sedem non habita prius Pontificis jussione, etsi pro revocandis militibus provinciae gubernator instaret. Itaque idem Pontifex de hac re plurimum Thaddaeum collaudat, ut constat ex Literis ad ipsum datis (5), quas in Appendice una cum aliis, quae ad Thaddaeum pertinent, quaeque ad historiam civilem illorum temporum augendam et illustrandam conferre possunt exhibemus.

X. Cum igitur, ut diximus, voluntate Pontificis et populi consensione civitatem Thaddaeus ad triennium administraret, anno ejusdem secundo decessit Benedictus XII, atque in ejus locum suffecto Clemente VI statim redditae sunt Thaddaeo a Pontifice Literae admodum honorificae, quibus Pontifex eum hortatur ad bene regendam civitatem, atque ad servandam fidem et obedientiam erga Romanam Sedem. Similes prorsus Literas dedit idem Pontifex Thaddaeo et Communi bononiensi, quibus certiores eos reddit de sua coronatione, hortaturque iterum ad obedientiam (6). Datae sunt Avenion. anno MCCCXXXXII, XII kalendas Junii. Quarto autem idus ejusdem mensis aliae transmissae sunt Thaddaeo Literae a Pontifice, in quibus meminit eorum, quae contigerant sub praedecessores Benedicto XII, et iterum constituit ipsum ad aliud triennium in gubernatorem civitatis, in tamen prius sacramento se addixerit ad obedientiam servandam

(1) *Vide Appendicem.*

(2) *Ibid.*

(3) Hic Beltraminus fuit postmodum episcopus bononiensis, ut constat ex Literis Apostolicis a Benedicto XII, Communi et Populo Bonon. perscriptis an. MCCCXXXX, XIII Novembris. *Cod. Dipl. Civit. LXXXI,* n. 674 et seq.

(4) *Vide Appendicem.*

(5) *Ibid.*

(6) Hae Literae non extant integrae in nostro Codice Diplomatico. Earum tantummodo sylloge habetur, t. II, part. 2 *ms. Ronconi* in Biblioth. nostra publica.

erga Romanam Sedem (1); quod libenter praestitit Thaddaeus et integre et revera nihil contigisse novimus, quod illius obedientiam et obsequium erga Pontificem imminuerit. Constat tantummodo accusatum per id temporis, anno nimirum MCCCXXXXII, Thaddaeum apud Pontificem quod Castrum Lugi minus juste occupasset. Querela ad Pontificem delata est per Nicolinum archiepiscopum ravennatem, ad quem dicti Castri jurisdictio spectabat. Itaque Pontifex statim perscripsit ipsi Thaddaeo, monuitque ut Castrum ravennati Ecclesiae restitueret; sed Castrum hujusmodi vel restitutum non fuit Ecclesiae ravennati, aut si restitutum, iterum ad Pepulos rediit; nam ex chronico estensi apud Muratorium (*Rer. Ital. script.*, t. XV, pag. 458) compertum sit, hujus Castri dominatum habuisse Joannem et Jacobum fratres anno MCCCL, Thaddaeo jam mortuo.

XI. Eodem anno cum Clemens foedus iniisset cum pluribus christianis principibus, in primis vero cum Hugone Rege Cypri, Melitensibus ac Venetis ad comprimendam Turcarum audaciam, qui Romaniam occupare tentabant, saeviebantque plurimum in christianos inibi degentes (2), dedit etiam ad Thaddaeum nostrum Literas, quibus eum rogat, hortaturque, ut, imperata civitati suae pecunia, Christianis contra Turcas dimicantibus opem ferre velit. Has Literas, utpote Thaddaeo ipsi valde honorificas et ad hujus historiae particulam illustrandam aptissimas damus in Appendice (3).

XII. Cum autem idem Clemens Pontifex in ipsis sui pontificatus initiis de instauranda pace, praesertim in civitatibus Italiae, cogitasset, legatum suum in Italiam misit Guilielmum Curti presbyterum cardinalem (4), qui ex auctoritate Pontificis ad discordias

(1) *Vide Appendicem.*

(2) In vitis Romanorum Pontificum apud MURATORIUM, *Rer. Ital. Script.* t. III, part. 2 de hac re fit mentio pag. 564 in secunda vita Clementis VI penes Balutium: « Hoc eodem pontificatus ejus, inquit auctor vitae, anno secundo dn. Henricum patriarcam constantinopolitanum legatum mittit in partibus Romaniae, et fideles hujus atque devoti in illis partibus negotia fidei prosperantur. Per christianos etenim in illis partibus militantes pro nomine Jesu Christi, civitas smyrnensis acquiritur ». MARCUS ANTONIUS SABELLICUS, *Rerum Venetarum*, t. I, decad. II, lib. III, pag. 294 *Collectionis Histor. Venet.* hujus victoriae meminit, affirmatque longas naves sexdecim per venetos instructas ad dimicandum contra Turcas, et Petrum Zenum classis praefectum Smyrnam urbem subita oppugnatione adortum occupasse. « Qui (nimirum Henricus patriarcha) quum solemniter celebraret in campestri quadam ecclesia pro reddendis gratiis de dicta victoria Smyrnarum, qui constantiore animo factus, infidelium armis corpore caeso intrepidum spiritum Domino, et se ipsum humiliter obtulit in holocaustum ». In prima etiam vita hujus Pontificis (pag. 558) de legatione Henrici patriarchae constantinopolitani, et de ejus morte mentio habetur. « Hoc etiam durante tempore (nimirum an. II pontificatus Clementis VI) Turcae cum magno exercitu appropinquabant partes Romaniae et circumvicinas, in tantum quod verisimiliter timebatur, quod ult. rius procederentur et ibi transirent, et demum tam illas, quam partes neapolitanas invaderent et vastarent. Et quia pro eis obviando fuerat prius per dictum Papam missus cum magno exercitu patriarcha costantinopolitanus, sed, Domino sic disponente, negotio imperfecto mortuus erat, idem Papa deliberavit, fore expediens, immo et necessarium, ut alius cum magna potentia illuc ea de causa mitteretur. Fuitque ad hoc per eum deputatus et ordinatus Imbertus Delphinus viennensis.... Sed Deo sic permittente, nihil potuit proficere; sed vacuus rediens deliberavit relinquere mundum et statum mutare, elegitque in habitu regulari Domine deservire. Prius tamen disposuit et ordinavit de suo Delphinatu modo subsequenti, videlicet quod eo ipsum relinquente, sibi in eo succederet Rex Franciae, et sui perpetuo in regno successores, hac adjecta etiam conditione', quod semper remaneret in manibus et regimine Regis, vel filii sui primogeniti, qui erit, vel sperabitur esse in regno successurus. Facta autem hujusmodi ordinatione religiosus effectus est, et habitum Praedicatorum assumsit. Dictus vero Papa ipsum demum, instante et procurante Johanne Rege Franciae memorato, jam suo successore effecto fecit patriarcham alexandrinum, et Ecclesiam remensem sibi perpetuo commendavit. Et causa ipsum magis honorandi ne forte a praemissis in posterum posset resilire, in propria nocte Natalis Domini ipsum ad omnes Sacros Ordines uno contextu ordinavit ».

(3) *Vide Appendicem.*

(4) Auctor primae vitae Clementis IV apud MURATOR. (*loc. cit.*, pag. 551) haec habet: « Dominus Papa audiens guerras, dissensiones et turbationes, quae erant et vigebant quasi communiter in partibus Italiae, ex quarum occasione subversio earum verisimiliter poterat evenire, et etiam ex aliis rationalibus caussis ad hoc animum suum moventibus, per idem tempus (nimirum anno MCCCXXXXII) misit Legatum suum de latere ad partes memoratas dn. Guillelmum Curti, tituli Sancti Quatuor Coronatorum presbyterum cardinalem, qui aliquandiu ibidem permansit, et in multis complevit sibi commissa et quo ab dissensiones et guerras praedictas, ipsas per bonas treguas sedavit ».

componendas armistitia impetravit ad triennium (1). Sed Luchinus de Vicecomitibus, qui Pontificis voluntati se quoque obtemperatum promiserat, contra fidem datam Pisanos et Lucenses aggressus est circa annum MCCCXXXXIV, impetratis etiam militibus a Thaddaeo nostro. Itaque eodem anno, die XXVI Julii, Pontifex Thaddaeo multis scripsit, reprehendens Luchinum, unaque rogavit Thaddaeum, ut ab ipso Luchino se omnino sejungeret, eumque suorum militum praesidio privare statim vellet (2).

XIII. Quamquam vero Thaddaeus, ut arbitramur, Pontifici obtemperaverit, tamen, cum adhuc simultates minime cessarent, praesertim in Longobardiae ac Tusciae civitatibus, Pontifex efficaciore opera utendum ratus, Bertrandum et Guidonem presbyteros cardinales nuncios suos in Italiam (3) ad hujusmodi motus sedandos transmisit; sed ad gravissimum hoc negotium pro votis conficiendum duxit Pontifex, rationem habendam esse Thaddaei, cujus fidei et religioni plurimum tribuere solitus erat, atque idcirco peculiares Literas (4) honoris plenas eidem destinavit, quibus certiorem ipsum facit de re tota; et praeterea ab ipso vehementer petit, ut pro eo temporis intervallo, quo contigerit, dictos nuncios in Siciliam divertere ad graviora ibi negotia conficienda, utatur ipse suis opibus, potentia et fide, ne interea triste aliquid et futurae paci valde noxium accidat, atque in officio continere studeat civitatum inter se diffidentium praefectos.

XIV. Inter haec Thaddaeus in dies magis acceptus Pontifici, de quo bene saepenumero meritus fuerat, honoribus tum a Pontifice ipso, tum aliis augebatur. Et sane cum ad annum MCCCXXXXV civitatis regimen, ad triennium, ut diximus, per Clementem prorogatum, dimittendum ipsi foret Pontifex, ne petente quidem Thaddaeo, administrationem iterum ipsi largitur ad quadriennium usque, ut constat ex Literis (5) ad eum datis eodem anno XIX Februarii, in quibus Pontifex magnopere laudat ipsius doctrinam rerumque gerendarum peritiam, ob quae eumdem iterum civitati cum imperio praeficit. Huic vero tanto beneficio insigne aliud addidit Pontifex eodem anno eodemque die, nam, aliis datis Literis, civitatis gubernium Thaddaei filiis, si intra quadriennium Thaddaeus ipse vita excessisset, conferre voluit (6). In vivis tunc erant ex ejusdem filiis Jacobus, Johannes et Bornius, quos singillatim in sua epistola Pontifex nominat, quibusque conjunctim et eorum cuilibet superstiti post patris excessum, jus regendi civitatem impertitur. Sed qui tertio loco a Pontifice nominatur, nempe Bornius, is paulo ante patris obitum vi pestis sublatus interiit anno MCCCXXXXVII.

XV. Cum autem per haec tempora Bononiam venisset Umbertus Delphinus Viennensis, profecturus tamquam christianorum dux et imperator ad bellandum contra Turcas, Pontificis privilegiis cumulatus, maximi iidem honores adhibiti sunt a Thaddaeo, totaque civitate, ut pluribus referunt historici nostri, atque in primis Ghirardaccius ad annum MCCCXXXXV. Paulo vero antequam Bononiam adventaret illustris hic princeps, datae

(1) Constat id ex Bulla prorogationis treguarum per biennium inter nobiles, civitates, ac terras Lombardiae, quae habetur in *Cod. Dipl. Civit. LXIII,* n. 42.

(2) *Vide Appendicem.*

(3) Haec legatio incidit in an. IV pontificatus Clementis VI, non vero in an. V, ut habet auctor vitae dicti Pontificis apud MURATOR. (*loc. cit.*, pag. 566) qui meminit Bertrandi cardinalis, non autem Guidonis ipsius Bertrandi collegae. Anno superiore, nempe anno III, qui est annus MCCCXXXXV, cum accepisset Pontifex, per summum nefas interfectum Andream Siciliae Regem, qui inaugurandus erat a Guillelmo episcopo carnotensi, in interfectores et rebelles gravissimam sententiam dixit. Itaque ad hujusmodi magnos motus sedandos, quia jam dictus Guillelmus e Sicilia Romam profectus fuerat anno, qui proxime secutus est, nempe MCCCXXXXVI, dictis Cardinalibus negotium dedit consulendi illius Regni rebus, atque idcirco eis imperavit, ut iter maturarent, posthabitis interea et in aliud tempus dilatis negotiis spectantibus ad alias Italiae civitates.

(4) *Vide Appendicem.*

(5) *Ibid.*

(6) *Ibid.*

fuerant a Pontifice Literae ipsi Thaddaeo, quibus de proximo Delphini in Italiam adventu certiorem eum faciebat, quibusque vehementer hortabatur, ut novis subsidiis, collata civium pecunia, juvare vellet christianorum exercitum pro felici et prospero rei successu (1). Biennio post, cum male res cessissent, Umbertus susceptam provinciam deseruit, atque ad patrios lares rediturus iterum Bononiam venit, ut constat ex Literis Pontificis (2) ad eumdem Thaddaeum datis anno MCCCXXXXVII, XIV kalendas Aprilis, quibus dictum Delphinum ipsi commendat ut tuto Bononiensium fines attingere possit.

XVI. Ex integra Literarum Apostolicarum serie, quas hucusque recensuimus, satis cuique constare potest, Thaddaeum nostrum eam aut semper, aut ferme semper majestatis Pontificiae rationem habuisse, ut civitatem quidem pene cum summo imperio tot annos administraverit, sed nihil detractum unquam voluerit de obedientia, qua Pontifici ipsi sancte se addixerat. Id sane dandum laudi tanti, tamque praestantis viri, qui licet opibus et civium suorum gratia, ac praeterea exterorum principum amicitia et conjunctione plurimum posset; his tamen omnibus neque ad tyrannidem in suos exercendam, neque ad deprimenda Pontificis jura, abusus unquam est; et si quid per intervallo temporum incidit, quod justis Romani Pontificis querelis locum praebuerit, id vel non magni momenti fuit, vel certe longioris temporis discordias parere non potuit. Haec adnotata volui, ne quis arbitretur, verum sensisse Pancirolum et etiam incomparabilem Muratorium, quorum alter in Thaddaei vita scripsit (3), *Thaddaeum cum Pontifice ab initio fuisse, sed postea, ut imperium tueretur, ad Caesareos declinasse;* alter vero in Italiae Annalibus subdolum (4), dataeque fidei liberandae haud valde sollicitum Thaddaeum effingit. Ab his porro vitiis criminibusque longissime abfuit vir hic praeclarissimus; et nullo sane fundamento nixi laudati scriptores iisdem Thaddaeum implicitum nobis exhibent. In historia illorum temporum, nisi quis hospes plane fuerit, ignorare non potest, quam acres et perpetuas gesserit inimicitias Ludovicus Bavariae Dux cum Romanis Pontificibus Joanne XXII, Benedicto XII et Clemente VI, a quibus priorem communione pulsus semper est. At Thaddaeum cum Lodovico consensisse et conjunctis quodammodo viribus molestiam injuriasque Pontifici intulisse, postquam Pontificis indulgentia civitati nostrae praefectus fuit, nullo sane argumento suaderi poterit. Immo constat Literas a Pontifice datas fuisse Thaddaeo anno MCCCXXXXVI (5), quibus eumdem rogat, hortaturque, ut Nicolaum tridentinum episcopum juvare velit contra Ludovicum, ejusque filios, ne civitate, aliisque ad eam pertinentibus, ad quae inhiabant, potiantur (6). Idem

(1) *Vide Appendicem.*

(2) *Ibid.*

(3) *De claris legum interpret.*, lib. II, pag. 185.

(4) MURATOR. *Annal. ad an. MCCCXXXXII et MCCCXXXXIII.*

(5) *Vide Appendicem.*

(6) In chronico estensi apud MURATOR., *Rer. Ital. Script.*, t. XV, pag. 247: « Eodem mense (Junio nempe anno MCCCXXXXVI) dn. Luchinus Vicecomes et dn. Mediolani, sciens adventum Domini Imperatoris Ludoyci de Bayveria et filii ejus Marchionis de Brandimburgo, ad civitatem Trenti, ut pacem committeret in partibus Lombardiae, dn. Luchinus direxit gentes suas equestres et pedestres in maxima quantitate dn. Episcopo dictae civitatis Trenti, ut obviaret transitum Imperatoris. Quod sciens dn. Mastinus de la Scala fecit treguam cum Mantuanis, et direxit gentes suas equestres et pedites dn. Xico de Caldinazo et dn. de Castro-Barco amicis dicti Imperatoris, ut damnificarent civitatem et comitatum Trenti », Ad annum vero insequentem (*loc. cit.*, pag. 433) haec narrantur: « Mense Februarii (an. MCCCXXXXVII) Dominus Karolus Rex Bohemiae furtive segregavit Bohemia in habitu peregrini et applicuit civitatem Trenti sub certa spe, quae fefellit, quia aliqui cives civitatis Trenti cum aliquibus forensibus existentes ad stipendium in dicta civitate pro dn. Luchino Vicecomite, dederant dicto dn. Karolo intentionem dominii dictae civitatis contra Dominum Imperatorem antiquum et rectum, ac filium suum Marchionem de Brandiburgo; et nihil fecit. Quamvis dn. Karolus praedictus non erat Augustus, tamen in dicta civitate in ejus favore dn. Luchinus, dn. Mastinus, dn. Mantuae, ibi tenebant gentes suas equestres et pedites ». Pag. 434 haec habentur: « Die Dominico Olivarum XXVII mensis Martii Dominus Karolus Rex Bohe-

flagitaverat Pontifex ab aliis pluribus civitatum Italiae principibus, quos sibi devotos et Ludovico infensos moverat. Cum ergo Thaddaei quoque ratio sit habita a Pontifice in hoc negotio, dubitandum non est de illius erga Pontificem animo. Sed quod mirari quisque debet illud sane est, ut arbitror, Thaddaeum nempe cum omnibus fere Italiae dynastis, qui plures certe erant per ea tempora, ita se perpetuo gessisse, ut eorum amicitia usus semper sit ad patriae felicitatem et gloriam augendam. Ita nimirum sua et prudentia et aequitate res temperavit, ut modo his, modo illis, pro variis temporum opportunitatibus, opem tulerit, sed ea ratione eaque industria, ut aliorum invidiam effugerit eosdemque sibi benevolos pro voluntate semper fecerit (1).

XVII. Sed in primis calamitates a suis civibus magno studio propulsavit; quod cum multa declarare possunt, tum vel maxime id, quod contigit anno MCCCXXXXII. Timor Bononienses invaserat, ne Guarnerius germanus, qui Ariminum jam occupaverat (2), Bononiam etiam aggrederetur, ubi pinguiori praeda frui potuisset. Itaque Thaddaeus, ut suorum civium rebus in tanto descrimine consuleret, foedus junxit cum Estensibus, Scaligeris, Polentanis, aliisque aliarum civitatum principibus ad hostes propellendos, arcendosque a suis finibus. Revera ad anno MCCCXXXXII equitum exercitu comparato, eidem Joannem filium praefecit; qui quidem, copiis ad Faventinorum urbem admotis, positisque castris ad ripam fluminis, vel solo ipso aspectu hostem fugavit, si Garzonio credendum sit. At revera quamquam pugnatum non est, quod quidem dandum prudentiae Thaddaei, attamen pax sancita cum Guarnerio fuit, pacta et numerata pecunia, consentientibus principibus Thaddaei foederatis. Et quidem id contigisse constat sub initio anni MCCCXXXXIII. Scimus enim ex chronico mutinensi apud Muratorium *Rer. Ital. script.*, t. XV, pag. 600, Guarnerii exercitum, quem appellabant *La gran compagnia,* sub fine Januarii ejus anni mutinensem agrum occupasse (3). Vidit ergo Bononia per hos eosdem dies truculentum hunc exercitum Mutinam contendentem, quin ullum coeperit ex eo detrimentum; in quo sane Thaddaei prudentia, atque in suos cives charitas magnopere explendescere potuit. Haec vero magis etiam enituit proximis superioribus annis, quibus tot principes Italiae civitates et haec etiam nostra annonae frumentariae caritate ita laborarunt, ut ad extremum res hujusmodi calamitates, quibus Italiae pars maxima obnoxia fuit, literarum monumentis commendarunt; atque inter eos rem totam ex instituto narrat Anonymus apud Muratorium *Antiquitatum italicarum*

miae electus ab Ecclesia in Imperatorem Romanorum, celebrari missum fecit in civitate Trenti, scilicet in Episcopatu, ubi personaliter exstitit, vestibus indutus imperialibus cum virga aurea et pila rotunda in manibus, significante mundum. Finita missa equitavit per civitatem ». Vide etiam JOANN. VILLAN., lib. XII, cap. LXXXIV.

(1) Anno MCCCXXXXI vix dum scilicet civitatis praefectus constitutus fuerat, ut supra diximus, Florentinos contra Pisanos juvit, eisque subsidio misit tercento equites. Deletis pene a Pisanis Florentinorum copiis, cum Florentini novum instruerent exercitum, quingentos equites eisdem destinavit. Rem totam et hujus belli a Florentinis gesti causam fusius narrat JOANN. VILLANI, lib. XI, cap. CXXXI et seq., quem videbis.

(2) Fuit hic natione germanus, atque, ut illorum temporum historiae testantur, tumultuarius, et ex profugis germanis collectas copias sibi comparaverat, quibus contra jus et fas abutebatur ad perterre faciendas Etruriae primum civitates, alias subinde. Senensibus ingentia damna intulerat, ut ex chronico senensi apud MURATOR. *Rer. Ital. Script.,* t. XV, pag. 105. Pecuniae inhiabat, eaque tantummodo conlata, a molestiis inferendis cessabat. Vide eumdem MURATOR. in *Annal. Ital.*, ad annum MCCCXXXXIII.

(3) Tunc (inquit auctor chronici) die Martis XXIII Januarii et sequenti die Mercurii Theutonici, sive Compagnia, quorum caput et dux erat Dux Garnerius, et Marescallus, et fuerunt numero tria millia quingentae barbutae, et mille meretrices, ragazii et rubaldi satis, venerunt in districtu Mutinae, et castrametati fuerunt in villa Colombarii, Montalis, Mugnani, Formiginis, Casinalbi et Curli superioris, Bazuariae septem diebus; et foenum et alia stramenta, vinum et alia victualia undique consumentes, et dissipantes vestes de dorso et de lectis, et supellectiles, et alia bona rusticorum exinde portantes, plurimos homines furci snspendentes, et nihilominus eis de Mutina victualia portabantur.

medii aevi, qui quidem oculatus testis fuit eorum, quae Bononiae quoque per id temporis contigerunt (1).

XVIII. At inter tot tristia ac infausta incredibile dictu est qua Thaddaeus sollecitudine ac providentia egerit, ut concives sui, quos unice diligebat, tot malorum levamen aliquod a se promptum ac paratum haberent. Et quamvis credendum omnino non sit Garzonio, qui in Thaddaei laudes effusus scribit, illius opera atque industria factum ut civitas *nec annonae nec obsonii caritate vexaretur,* attamen dubitandum non est quin revera Thaddaeus omnem in eo curam posuerit, ut modum aliquem tantis calamitatibus pro virili imponeret.

XIX. Annis, qui proxime sequuti sunt, usque ad annum MCCCXXXXVII etsi identidem Italiae urbes, inter quas haec nostra, iisdem infortuniis vexarentur et revera neque pestilentiae vis omnino et ubique extincta fuerit, neque ulla messium satis ampla copia populos ad solatium erexerit; attamen hominum diligentia hujusmodi morbi aliqua ex parte depulsi sunt, donec anno MCCCXXXXVII et sequenti eosdem ita recrudescere contigit, ut pene oppressae iisdem sint nobiliores Italiae civitates, quemadmodum omnes illorum temporum scriptores pluribus referunt, atque in primis Joannes Villanius, lib. XII, cap. 83 (2), qui et ipse morbi vi interiit anno MCCCXXXXVIII. Bononiae autem ita hic morbus saeviit, ut ingenti civium numero eamdem privaverit et quod maxime dolendum fuit, Thaddaeum idem morbus corripuit. Certe eodem anno MCCCXXXXVII, II kalendas Octobris, tantus hic vir, qui civitatis nostrae bono natus videbatur, vivere desiit, cum ad decem annos (3) urbem difficillimis temporibus integre atque incredibili prudentia administrasset et quando, ut jam diximus, non dominum, non principem, sed potius parentem populi se gesserat, Thaddaeus credendum sane est maximo luctu ipsius morte affectam civitatem et omnium ordinum cives praeconceptae acerbitatis argumenta praebuisse, quod sane pluribus historici nostri declarant. Testatur Garzonius, non modo civitatis primores, quos consules vocat, sed decem quoque hominum millia, Thaddaeo mortuo, vestem mutasse; de quo fides sit apud ipsum. Ad divi Dominici, in sacello Thaddaei ipsius jussu et impensa extructo, humatus fuit.

XX. Tanto huic viro nihil ad immortalitatem defuisse, ex iis, quae hucusque dicta sunt, constare satis potest. Sed illud etiam ad ejus gloriae veluti cumulum accessit, quod ex bonarum artium cultu profectum vix flagitare solemus vel ab Imperatore sub pellibus, vel a civitatum praefecto inter rerum pro Republica gerendarum molem et

(1) « In quello tiempo, inquit ipse (*loc. cit.*), io me trovai in Bologna, e vedeva che quelli de le Ville venevano in Cittate a comperar de lo pane de la Gabella. Deh come tornavano tristi, quanno non ne portavano. Manicava la jente perasche tritate, misticate co la farina, capora, e vientri, e anche lo sangue de li animali. E molte perzone furono trovate morte de fame. Molte e molte perzone givano gridanno de notte, Pane, Pane. De notte givano. Conziderанno, che erano perzone de aicuno lennaio, pe la vergogna non boleano parere; de dic non boleano essere conosciute ». Quae sic apud eumdem Muratorium latine vertuntur: « Tunc temporis ego ipse Bononiae agebam, meisque oculis intuebar rusticos in eamdem urbem venientes, ut panem ex publici telonii loco emtum ad domus suas conveherent. Proh quam tristes animoque dejecti revertebantur, quum panem secum deferre non poterant! Vulgus ac populos marrubiis vescebatur, quae in frusta comminuebat, et farinae immiscebat. Animalium capita, intestina, ac sanguinem etiam mandebant. Multi homines fame absunti interierunt. Plurimi antem noctu vagantes clamabant: Panis, Panis. Ob id vero nocturno tempo se oberrabant, quod talis civilitatis ac tantae essent, ut in publicum prodire ad quaerendum panem erubescerent, per diem nolebant se ipsos, ne agnoscerentur, prodere ».

(2) MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. XIII.

(3) Non conveniunt inter se qui scripserunt de Thaddeo in assignandis annis, quibus civitatem rexit. Alii enim decennium, alii ad undecim annos et amplius, alii ad duodecim civitati praefuisse arbitrantur. Sed revera illius praefecturae initium ducendum esse ab anno, quo Romani Pontificis auctoritate jurium fiscalium administrator est constitutus, arbitramur, quemadmodum superius diximus.

multitudinem. Thaddaeus noster, ut initio diximus, juris civilis scientiam omnium facile principem et didicit et tradidit, ita quidem, quemadmodum conjectando statuere possumus, ut ante annum MCCCXXI, quo Romeus pater, ejusque filii civitate pulsi sunt, pro variis opportunitatibus et per intervallo temporum jurisperitum (1) se gesserit, quod compertum sit ex illorum temporum monumentis, quae extant in Archivo civitatis; post reditum vero in patriam, nempe post annum MCCCXXVIII publice jus civile docuerit, donec Reipublicae negotiis implicitus de ea tradenda disciplina ne cogitare quidem amplius potuerit.

XXI. Vix Thaddaeo exempto, delata civitatis administratio (2) ad filios superstites, nempe Jacobum et Joannem, quos, ut ante diximus, ad id muneris Clemens Romanus Pontifex, ob egregia Thaddaei merita, jam antea elegerat. Sed brevi disparibus dominis dominari se urbs haec persensit. Ipsi enim neque diutius Pontificis gratiam retinere aut potuerunt aut voluerunt, neque suis civibus, mutuata quodammodo a patre prudentia solertiaque, imperarunt; et quidem ingentia mala sibi postmodum totique civitati pepererunt. Post Thaddaei obitum ad biennium usque satis prudenter et sine Pontificis offensione, civitatem gubernarunt, quod satis constare potest ex Literis a Pontifice ad Joannem et Jacobum fratres datis anno MCCCXXXXVII ad integrum annum MCCCXXXXIX, in quibus eosdem appellat modo gubernatores, modo domicellos Bononiae et modo milites bononienses. Extant hujusmodi Literae in Codice Diplom. civitatis, quarum aliquas dabimus in Appendice (3), et praesertim eas, quae spectant ad regni Siciliae negotia, quae magnopere Pontifici cordi erant (4). Sed anno MCCCL simultates ortae inter Pontificem et fratres de Pepulis, quarum justam et legitimam causam pluribus narrat Pontifex in iis Literis, quas dedit hoc eodem anno, secundo kalendâs Augusti, Communi civitatis Perusiae. Occupaverant jampridem Joannes et Guilielmus de Manfredis faventinam civitatem, quos frustra monuerat Pontifex ut ad officium redirent, atque idcirco eosdem ecclesiae communione privaverat. Jam vero Joannes et Jacobus fratres occulte juvare coeperant rebelles Manfredos et postmodum etiam in omnium conspectu. Astorgium enim Romandiolae rectorem, urbem faventinam recuperare cupientem et nitentem, ab inceptis prohibere conati sunt; quod testatum Pontifex in laudatis Literis (5). Sed Astorgius rem contra eosdem feliciter gessit; et primo quidem Joannem ipsum cepit (6),

(1) Jurisperiti dicebantur apud nostros illi, qui Jus civile tractabant vel in foro, vel forte etiam in scholis, antequam doctores crearentur.

(2) GHIRARDAC. *Histor. Bonon.*, lib. XXII. Acta hujus electionis integra exhibet, quae videri possunt.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) Favebat admodum Pontifex Joannae Reginae Andrea marito jam orbatae, ut superius adnotavimus. Itaque aegre ferebat adventum in Italiam Ludovici Hungariae Regis, qui non ulciscendae mortis illatae Andreae fratris causa, sed revera occupandi regni Siciliae gratia iter in Italiam susceperat; quod postmodum rei eventus satis declaravit. JOANN. VILLANI, lib. XII, cap. CX apud MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. XIII, et ipsumet in *Annal. Ital.* ad haec tempora.

(5) *Vide Appendicem.*

(6) Vide *Chron. Estense,* t. XV, MURATOR. *Rer. Ital. script.*, pag. 458 et seq., et *Chron. Caesen.*, t. XIV apud eumdem MURATOR. pag. 1179. In utroque chronico, et praesertim in priore, res ex instituto narratur, iisque coloribus depingitur, ut facile credi possit Astorgium Romandiolae rectorem malo dolo Joannem captivum suum fecisse, amicitiae scilicet simulatione eumdem ad se invitasse, eique nihil tale cogitanti apud Castrum Saleroli, ubi Castra posuerat Astorgius, violentas manus injecisse. Clarissimus Muratorius revera Chronicorum hujusmodi auctoribus integram adtribuit fidem, et libenter nimis in suos *Annal. Ital.* (t. VIII, pag. 266 et seq.) totam hujus historiae particulam transtulit, quaedam etiam de suo pene addidit, quae Clementi Pontifici, ejusque administris dedecori esse possunt. Sed quando ex veteri adagio vim vi repellere licet, Astorgium Pontificis Vicarium, ipsumque Pontificem mali doli et injustitiae non facile est liberare. Ego sane dubitandum non esse arbitror de veritate eorum, quae in laudatis literis commemorat Pontifex, et in aliis, quae eodem anno datae sunt, et in quibus affirmat, Dei immortalis munere factum esse, ut Joannis captionis effectus fuerit eo temporis articulo, quo fraudes atque insidias Astorgio parabat. Id vel maxime constat ex literis ad Lippum et Robertum de Alidoxiis

deinde Bononiam cum exercitu contendit, ut civitatis dominatum utrique fratri eriperet. Rebus in civitate nostra sic turbatis, Jacobus Joannis frater veritus ne Astorgius urbem occuparet, jam enim Castro S. Petri potitus fuerat, ducem Guarnerium, de quo supra meminimus, in auxilium accivit, aliaque subsidia impetravit a Joanne Vicecomite archiepiscopo et principe mediolanensi, a principibus Mantuae et in primis a Malatesta Arimini domino, qui cum suis copiis Bononiam accessit, ut pro virili eam tueretur. Interea libertate donatus Joannes, quibusdam acceptis conditionibus (1), atque inito consilio cum Jacobo, Mediolanum profectus est ad Joannem Vicecomitem archiepiscopum, cui occulte civitatis imperium tradidit, pro eoque pretii loco accepit bis centum mille florenos auri, ut vocant, si Matthaeo Villanio credendum est, qui rem narrat lib. I, cap. 68 et 69.

XXII. Res tam magni momenti in vulgus edita, delataque Romano Pontifici, Joannes de Vicecomitibus justam illico ipsius Pontificis indignationem subiit. Sed cum ditissimae et nobilissimae urbis dominatu privari nollet, nullam prorsus ejus habuit rationem; neque vero, cum viribus suis fideret, valde extimescere potuit aliorum Italiae principum vires, quas contra illum jungere conabatur Pontifex datis pluribus literis ad eosdem sub fine hujus anni MCCCL, quae extant in Codice Diplomat. civitatis.

XXIII. Cum res ita se haberet et Pontifex ne hilum quidem proficeret aut minis aut adhortationibus, tandem insequenti anno, mense Februario, MCCCLI in Joannem ipsum et fratres de Pepulis gravissimam tulit sententiam, iisque omnibus fidelium communione interdixit (2). Hac gravissima poena cum nihil admodum commotus fuisset mediolanensis archiepiscopus, civitatis imperium contra jus et fas adhuc retinuit, donec tandem anno, qui sequutus est MCCCLII, sub fine Aprilis, conciliato sibi Pontifice, qua arte quave ratione ignotum (3), civitatis administrationem ad duodecim annos ab ipso Pontifice impetravit sub certis conditionibus, quae omnes narrantur in Bulla, ut vocant, qua vicarius Pontificis idem Joannes constituitur in civitate nostra. Extat in laudato Codice Diplom. civitatis data hoc anno, III kalendas Maj. Itaque errat in hac epoca definienda Matthaeus Villanius lib. I, et auctor chronici regiensis apud Muratorium *Rer. Ital. script.*, t. XVIII, quorum alter statuit, id contigisse anno MCCCLI, die VIII Maji, alter vero anno quidem MCCCLII, sed Octobri mense (4). Haec autem indicasse sufficiat, neque enim ea longius persequi instituti nostri est. Caeterum Jacobus et Joannes cum male admodum et infausto prorsus omine res suas gessissent, ut ex hucusque dictis compertum sit, parem etiam suis ingenio et moribus exitum vitae sortiti sunt; neque aliquid de paterna gloria ad eos profectum est, quo suam posteris memoriam commendare potuerint. Nobis autem aliquid de eis attingere liquit, non modo ut hinc historiae nostrae particulae lucis aliquid impertiremur, sed etiam vel maxime, quia alter ex his fratribus, Jacobus nempe, jurisperitus et legum doctor (5) fuisse traditur (6).

domicellos imolenses perscriptis die ultima Julii MCCCL, quas una cum aliis ad hanc rem spectantibus dabimus in Appendice. Sed legendus Matth. Villan., *Historiarum*, lib. I, cap. LX et LXI apud Murator. *Rer. Ital. script.*, t. XIV, pag. 60 et seq. Hic enim auctor malum Joannis animum describit, adeoque facile admodum poterat Muratorius hujus scriptoris ope paullum lenire, quae nimis dura et aspera occurrunt in chronico Estensi.

(1) *Vide Appendicem.*

(2) *Ibid.*

(3) Quae refert Murator. in *Annal. Italiae*, t. VIII, pag. 272 et 273, ex Corio in *Histor. Mediol.* nullo, quod sciam, testimonio nituntur et revera fabulam redolent.

(4) Errat quoque Murator. qui in *Italiae Annalib.*, t. VIII, pag. 273, edit. Mediol. MDCCXXXXIV, neque Villanium, neque *Chronicon regiense* sequutus, statuit pacem initam inter Pontificem, et Joannem archiepiscopum an. MCCCLI die XXIV Septemb.

(5) In chronico Petri Azari apud Murator. *Rer. Ital. script.*, pag. 325.

(6) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, c. IV, § XXXXI. — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Pepoli Taddeo seniore.* (C. A.)

II.

BRANDALISIUS ET PINUS DE GOZZADINIS.

I. Post Thaddaeum Pepulum prodeat jam Brandalisius Gozzadinus, quem si fortuna rerum humanarum domina aliquando non deseruisset, nominis rerumque gestarum gloria Thaddaeo parem historiae ipsum fortasse celebrassent. Praesidia certe vel a natura vel ab ingenio profecta, quibus homines ad summam gloriam niti quammaxime solent, Brandalisio non defuerunt; generis enim nobilitate, quod est primum, etsi non maximum, a natura datum bonum, seu potius adjumentum; opibus etiam ingenio doctrinis excultu et gratia apud omnes plurimum valuit, ita sane ut dignissimum ipsum omnes agnoverint, qui melioribus fatis uti debuisset. Sed jam ordine et ratione de eo paucis agendum.

II. Quo anno in lucem editus sit Brandalisius, plane ignotum mihi. Illud certum est, filium fuisse Paganini; quod constat tum ex scriptoribus nostris, tum ex Archivi publici monumentis. In libro, quem vocant, Reformationum, in eodem Archivo signato lit. R. p. 48 ad anno MCCCIII mentio fit Brandalisii, qui dicitur filius Napoleonis, atque huius nomen occurrit in eodem libro Reformationum ad annum MCCCXVI sub die III Novembris (1). Sed hic Brandolisius, de quo in hujusmodi monumentis mentio fit, pater fuit Paganini, ex quo Brandalisius noster genitus est.

III. Ex familiae suae more Pepulis, quorum magna erat in civitate auctoritas, magnopere favit; atque idciroo eorum quoque aversam subiit fortunam. Cum enim anno MCCCXXI exulare jussi fuissent Pepuli (2) aliique, qui eorum partes sequebantur, inter eos etiam fuerunt Gozzadini, quemadmodum compertum fit ex libro Reformationum in Archivo publico ad annum MCCCXXII, quo Maccagnanus Azzoguidi delectus fuit ad consulendum, an Thomas Carnelvarii esset de domo de Pritis, qui exilio mulctari fuerunt una cum Gozzadinis, Blanchinis, aliisque, Pepulis faventibus. Restitutis postmodum in patriam Pepulis anno MCCCXXVIII per Beltrandum Apostolicae Sedis legatum, Gozzadinos etiam hoc beneficio privatos minime fuisse putandum est. Cum enim Beltrandus, qui superiore anno MCCCXXVII Bononiam summo cum imperio venerat, ab ipsis Bononiensibus invitatus et ingenti totius civitatis gratulatione exceptus, insequenti anno Pepulos pluresque alios Pepulorum amicos ab exilio revocasset, eo certe consilio, ut majorem Bononiensium benevolentiam sibi conciliaret; quis dubitet, Gozzadinos ab ipso neglectos, quos et amicissimos Pepulorum et inter illustriores Civitatis esse noverat?

IV. Sed Pepulorum aliorumque in patriam reditum infaustum fuisse ipsi Beltrando, ea, quae postmodum contigerunt, satis declarare possunt. Postquam enim persensit Beltrandus Thaddaei Pepuli et Brandalisii Gozzadini in dies auctoritatem et potentiam in civitate incrementa sumere, ab iis diligenter sibi cavendum duxit, ita tamen ut inimicitias cum iis palam minime gesserit. At cum anno MCCCXXXII a delatoribus accepisset, Thaddaeum et Brandalisium de legato civitate expellendo cogitare, eosdem ad se humaniter vocavit tamquam cum ipsis de publicis negotiis colloquuturus; cumque

(1) Dn. Thomax, dn. Rolandini legum doctor et Jacobus dn. Ubertini de Artenixiis tamquam propinqui Jardini et Leontini filiorum naturalium dn. Napolionis Gozzadini pupillorum petunt a judice potestatis tutorem dictis pupillis, qui assignavit ipsum Napolionem de Gozzadinis.

(2) Joann. Villan. *Chronic. Bonon.*, lib. III, cap. CXXXI apud Murator. *Rer. Ital. script.*, t. XVIII, et *Memor. Histor.* apud eumdem ad an. MCCCXXI.

accessissent, dolum inter blanditias latere minime rati, ipsos per vim detinuit legatus intra Galeriae Castrum, quod incolebat, quodque jam antea munitissimum construi curaverat. Sed hac veluti praeda potitus, eam deserere coactus est ob civium plebisque exortum tumultum.

V. Coeptae ita inter legatum et illustriores cives simultates, id incrementi postea sumpserunt ut partim ob eas partim ob alias causas, de quibus supra in Thaddaeo diximus, anno tandem MCCCXXXIV a Bononiensibus, quibus grave jam nimium videbatur illius in civitate imperium, ejusdem dominatu per summum nefas pulsus fuerit. Brandalisii porro magnae fuerunt, immo principes in hoc negotio partes; quod sane ex nostris chronicis, et ex Ghirardaccio patere satis potest, neque idcirco necesse est, ut hic pluribus narretur. Ita autem res Brandalisio feliciter cessisse initio visae sunt, ut dissimulandum non sit, ipsum in spem imperii civitatis capiundi elatum fuisse. Thaddaeus ipse Brandalisii felicitatem in his gerendis secum animo reputans, ejus magnopere coluit amicitiam, et post hujusmodi tempus Thaddaeus publicis rebus adfuit una cum Brandalisio. Et si quid simultatis inter ipsos per intervallo incidisset, Thaddaeo id in primis curae fuit ut in gratiam statim cum Brandalisio rediret, eumque sibi devinciret. Sed interea ex hac lenitudine et suavitate id boni capiebat Thaddeus, ut et civitati in dies magis acceptum se faceret, et Brandalisio, si forte ad summum ipsius civitatis imperium magnis quibusdam itineribus properaret, moram injiceret.

VI. Revera res deinde cessit, quemadmodum animo Thaddaeus praeconceperat. Cum enim anno MCCCXXXVII, Quintili mense, nova exorta simultate Gozzadinos inter et Blanchos, concursum utrinque esset ad arma, et jam Brandalisius una cum suis in forum urbis venisset, quo sane temporis momento ob injectum in omnes metum civitatem fortasse occupare potuisset, Thaddaeus sese in illius conspectum dedit, eumque amice ad modum interpellans suasit ipsi omnia pro voto successura, si non armis sed consilio et in pacis tranquillitatisque speciem, rem totam agi vellet. Atque in primis pollicitus est, se ei non modo opem laturum, sed etiam ad ipsi obtemperandum se paratissimum fore. His tam dulcibus alloquiis delinitus Brandalisius, opportunam hanc, sed numquam postea redituram, dominatus arripiendi occasionem neglexit, seque Thaddaei fidei et amicitiae totum permisit, unaque cum ipso in paternas aedes se recepit.

VII. Sed paulo post re intellexit Gozzadinus eam, qua usus fuerat, animi docilitatem, ingentem aeternamque calamitatem peperisse. Nam vix post suum in domum reditum adversae Blanchorum factiones una cum aliis foederatis, quae Pepulis favebant, sumptis armis, ad Brandalisii aedes convolarunt easque incenderunt. Brandalisius autem, ne certam mortem oppeteret, fuga sibi in tanto discrimine consuluit et occultu civitate excessit. Ita magnus hic vir tantaeque jam antea auctoritatis et potentiae, veluti et summo, quod pene attigerat, gloriae fastigio ad ima repente depressus est, neque ullo deinceps tempore pristinae dignitatis recuperandae spe saltem aliqua erigi potuit. Auctor Chronici apud Muratorium (1) scribit, Brandalisium patrios lares numquam amplius vidisse; quod equidem verissimum arbitror, neque enim e re Thaddaei, qui eodem anno summa omnium consensione civitati est praefectus, esse potuit Brandalisium in patriam revocare. In Codice quidem Diplomatico civitatis (2) in Literis Apostolicis datis anno MCCCXXXVIII, in quibus singillatim ii nominantur, quibus diras indicit Pontifex, nisi intra definitum temporis intervallum ad pristinam erga Romanam Sedem obedientiam redeant, mentio

(1) *Rer. Ital. script.*, t. XVIII, pag. 373 et seq. (2) *Vide Appendicem.*

fit etiam Brandalisii, quasi nimirum Brandalisius Bononiae tunc temporis esset, quemadmodum alii, qui ibidem recensentur. Sed nihilominus, Brandalisium Bononia abfuisse hoc anno, affirmare non dubito cum laudato auctore Chronici; ex quo compertum quoque sit, eum in Civitate vicinia in his suae fugae initiis substitisse. Cum autem novarum rerum, quae Bononiae Quintili et Sextili mense ejusdem anni contigerant, Brandalisium etiam inter eos nominat, quos in iis Literis (1) ad se venire quamprimum jubet, nisi civitatem intra duorum mensium spatium Romanae Sedi resignaverint.

VIII. Quo vero post annum MCCCXXXVIII se se receperit Brandalisius, ubi tuto esse posset, quot praeterea annos suae superstes fuerit calamitati, mihi sane non constat. In publicis civitatis monumentis, quemadmodum et in laudatis chronicis ac etiam in Literis Apostolicis, quae sequentibus annis Bononiam transmissae fuerunt, nulla prorsus Brandalisii mentio; quod sane declarat, vel fatis, vix post ea tempora, cessisse, vel longius a patria privatam vitam omnino egisse, ne amplius fortunae inconstantiam et iniquitatem ferre cogeretur. Alidosius aliique scribunt anno MCCCXXXXVIII eum obiisse; sed nullo certo fundamento nituntur (2). Ghirardaccius etiam (3) meminit Brandalisii ad anno MCCCXXXXII, quo eum cogitasse ait de reditu in patriam, fretus maxime auxilio copiarum, quibus praeerat Guarnerius, de quo supra in Thaddaeo diximus. Verum hic etiam scriptos nullum profert testem antiquum, cui sit credendum. Immo si de hac re judicandum est ex iis, quae in saepe laudato chronico ad hunc annum longa oratione narrantur de Thaddaei bello contra Guarnerium et Guarnerii foederatos instructo, ne suspicabimur quidem, Brandalisium eidem interfuisse, cum ibi inter alios, qui de occupanda Bononia cum Guarnerio agebant, Brandalisius minime nominetur.

IX. Ut res se habeat, certum illud est Brandalisium numquam in patriam restitutum fuisse. Mirum autem esse non debet, si neque auctores nostri neque exteri de eo non meminerunt post illius e patria excessum. Dandum id nempe fortunae iniquitati, cujus quidem secundo flatu cessante, maximarum etiam virtutum rerumque gestarum splendor quibusdam statim tenebris offunditur, ac pene deletur. Historias vero scribentibus indecorum videri solet ejus, quem semel fortuna deseruit, gesta investigare eademque litterarum monumentis commendare. Plerumque enim summos viros non virtutis, sed fortunae magnitudine scriptores metiuntur; quod quidem minime ferendae injustitiae genus est.

X. Post haec locus esset agendi de Brandalisii in academiam nostram meritis. Sed quamquam dubitandum non est, ipsum juris scientiam professum fuisset, quod testantur illorum temporum monumenta, in quibus semper legum doctor appellatur, attamen dissimulare non oportet ipsum vix fortasse docendi disputandique munus obiisse. Homini namque semper, vel ferme semper, negotiis, iisque gravissimis, implicito satis temporis ad excolenda studia superesse non potuit, sed nihilominus inter claros universitatis professores Brandalisio locus erat dandus, tum quod revera fuit legum doctor, et credibile est easdem publice docuisse, tum vero maxime quod tot aliis excelluit ornamentis, ut vel solo ipso nomine universitatis gloriam augere plurimum possit.

(1) Datae sunt hae literae die III Januarii, eodemque mense allatae fuerunt Bononiam.

(2) In chronico Ghiselliano, superiore saeculo scripto, quod in plura volumina distributum servatur in Biblioth. publ. Instituti Scientiarum, occurrit inscriptio Gozzadino nostro posita, qua obiisse dicitur anno MCCCXXXXVIII. Auctor chronici se eamdem mss. invenisse testatur. Sed meo judicio supposititia omnino est, et saeculo XVII conficta; argutias enim et ineptias scriptorum illius aetatis omnino redolet.

(3) Ghirardacci, lib. XXII.

XI. Fratrem habuit Pinum, quem legum scientia floruisse reperio, et in quadam veteri charta Archivi archiepiscopalis Ravennae (1) dicitur legum doctor Patavii ad annum MCCCXXXXI. Fortassis eo concesserat, ut post suam suorumque calamitatem otio quodam literario frueretur. Papadupolus aliique, qui de gymnasii patavini professoribus scripserunt, nullam prorsus de ipso mentionem faciunt. At laudatum Archivi ravennatis monumentum rem certissime probat.

XII. De hoc Pino meminit chronicon bononiense apud Muratorium (2), ibidemque Pinus vocatur legum doctor, destinatusque dicitur legatus Neapolim ad Regem Robertum una cum Azone de Ramenghis, ut cum illo agerent de pace sancienda inter Bononienses et Romanam Sedem. Incidit haec legatio in anno MCCCXXXV, ad VIII kal. Augusti, quo die, ut refert laudatum chronicon, Pinus et Azo Bononia discesserunt una cum legatis ipsius Roberti, qui ejusdem rei causa huc venerant. Sed ante id temporis, nimirum ad kal. Aprilis ejusdem anni, missi fuerant a Bononiensibus legati ad Pontificem idem Pinus, Richardus de Saliceto, Ferrinus de Galluciis, Partes de Ghisleriis et Fulcus de Borellis; quod constat tum ex Memoriali Historico apud Muratorium loco citato, tum vero ex Codice Diplomatico civitatis Bononiae, in quo extant patentes, ut vocant, Literae Benedicti XII, quibus iisdem civitatis nostrae legatis tutum ad se accessum promptum et paratum esse jubet. Cum autem vel Pontificem revera non adierint (3), vel, si adierint, rem minime e voto confecerint, factum hinc arbitror, ut pro placando Pontifice rebusque componendis, Bononienses Regis Roberti, quem Pontificis amicissimum noverant, opera utendum judicaverint.

XIII. Hactenus de Gozzadinis, qui initiis saeculi XIV floruerunt. De aliis ejusdem gentis nobilissimae illustribus viris occurret alibi disserendi locus; numquam enim in hac familia defuerunt, qui eamdem tum rebus praeclare gestis, tum scientiarum splendore illustraverint.

III.

JACOBUS BELVISIUS.

I. Quotque de Belvisio scripserunt, etsi omnes magnae in juris scientia doctrinae fuisse affirment, non aeque tamen summa consensione Bononiam ipsi patriam fuisse tradunt. Guido Pancirolus libro II *De claris legum interpretibus* Cap. LV, Joannes Albertus Fabricius in *Biblioth. mediae et infimae aetatis* Tom. IV, p. 6 edit. patavinae 1754, et Janus Gravina in Libro *De origine juris,* ut caeteros praeteream, Jacobum nostrum aquensem faciunt; neque hi tamen, aliique satis inter se consentiunt utrum aquensis sit dicendus, quia fuerit ex Aquis pedemontanis, vel ex Aquis in Provincia. Contra, complures alii minoris famae scriptores, et praesertim nostrates, Jacobum bononiensem dicunt. Thomas etiam Diplovataccius in opere inedito *De praestantia doctorum,* de quo plura jam in secunda historiae nostrae parte loquemur, Jacobum Belvisium bononiensem semper appellat. His sane ego assentior, non quidem

(1) *Vide Appendicem.*

(2) *Rer. Ital. script.*, t. XVIII, pag. 364 ad annum MCCCXXXV.

(3) Verisimilius id arbitror; nam in Literis Apostolicis, quae in eodem codice post eas sequuntur, nulla amplius mentio de hujusmodi legatione; quod in re gravissimi momenti agebatur enim de reconcilianda civitate cum Pontifice, fieri potuisse credibile profecto non est.

eorum nixus auctoritate, quae nulla vel fere nulla esset, sed auctoritate veterum monumentorum, que extant in publico civitatis nostrae Archivo. Imposuit autem, ut ego quidem arbitror, Pancirolo aliisque, ut aquensem Belvisium fuisse putaverint, quod ad doctoratum assumptus fuerit Aquis in Provincia; quemadmodum infra dicemus.

II. Natum Belvisium circa annum MCCLXX ex publicis civitatis Actis satis constare potest; ex quibus etiam innotescit, ejus patrem fuisse Guidonem ex Benvenuto, non quidem legum doctorem sed jurisperitum, matrem vero Bartholomeam Picciolpassi. Et quamquam certum sit, Belvisios favisse semper Ghibellinorum sive Lambertacciorum factioni, adeoque adversa multa inter tot civiles dissensiones, ex illorum temporum conditione, tulisse; quia tamen non sine quadam temperantia in hoc negotio se gerebant, contigit sane, ut vel numquam civitate revera pulsi fuerint, vel exilii poenam brevi admodum temporis intervallo sustinuerint. Benvenutus Jacobi nostri avus ad extremam senectutem vitam produxit, et, quod notatu dignum est, uno eodemque tempore tum Guidonem et Albertum filios, tum Jacobum nostrum, Rolandinum et Benvenutum Guidone genitos, emancipationibus jure donavit (1).

III. Patris exemplo sibi proposito, legum studiis operam dedit et ea quidem felicitate, ut paternam gloriam longe superaverit. Nam *Baccalaurei* gradu donatum, publice ad *Extraordinariam,* ut ajebant, legisse annis MCCLXXXXVI et MCCLXXXXVII, ex monumentis nostris scimus. Cumque per ea tempora inter Bononienses et Azonem Estensem magnae essent simultates, inter eos, quibus a militiae muneribus omnino feriari civitatis consensu licuit, fuit etiam Belvisius noster (2). Quamquam vero tanta in academia nostra doctrinae laude floreret, attamen in doctoratus petitione repulsam tulit, non modo quia aucto jam magnopere doctorum juris civilis numero doctores ipsi de sancienda lege cogitabant, qua cautum esset ne quis ex nostris doctoratus honore donaretur, nisi alicujus ipsorum doctorum aut filius aut frater, aut fratris filius esset (3); sed etiam vel maxime, quia, ut diximus, Lambertacciorum partes gens Belvisia sequebatur, et post annum MCCLXXIV nulli prorsus ex ea factione ad hunc honorem, qui maximus in civitate habebatur, aditus patere unquam potuit. Sperandum igitur non erat ut quodam veluti legis privilegio Jacobus noster, etsi ingenio et doctrina praestans, quam qui maxime hac in re frueretur.

IV. Tempori itaque cedendum ratus, ex caeli mutatione meliora sibi fata conquisivit. Adiit autem Carolum II Siciliae Regem, et Provinciae Comitem, eo quidem opportuno consilio, ut quoniam probe sciret Regem hunc Guelphorum in Italia ducem et columen esse, bene sic de suis concivibus mereri posset, vel saltem eorumdem praeconcepti in se odii causas extenuaret. Forte per id temporis Carolus Rex ex Galliis redux (4) Aquis constiterat aliquandiu, ibidem moram facturus. Eo igitur se contulit

(1) Extant hujus rei Acta in *Mem. Com. Bonon. ad an. MCCLXXXXIV sub diem XVIII Maji.* Integra damus in Appendice. Praecedenti anno Jacobus noster in matrimonium duxerat Lambertinam (Bittinam etiam dictam), Jacobi de Artenixiis filiam, Rolandinum et Benvenutum, Jacobi fratres doctores et ipsos fuisse, alterum quidem in jure canonico, alterum in artibus, compertum fit ex nostris monumentis. *Vide Appendicem.*

(2) Vide quae diximus in LAMBERTINO DE RAMPONIBUS.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) Habemus id ex Caroli epistola quae extat, t. IV *Histor. de la Linguadoche,* quaeque est hujusmodi: « Carolus Dei gratia Rex Jerusalem et Siciliae, duarum Apuliae, et Principatus Capuae, Provinciae et Forcalquerii Comes, magnifico viro Comiti Fuxensi amico suo carissimo salutem, et intimae dilectionis affectum. Quod vigore auctoritatis nobis exhitae per literas serenissimi Principis Philippi D. G. Regis Francorum illustris carissimi consanguinei nostris conjunctim suo nomine Regis Majoricarum, et nostro ac literarum Principis incliti Jacobi illustris Regis Aragonum, filii nostri carisssimi,

Belvisius, atque ab Rege perhumaniter acceptus, ita deinde ab eodem in honore est habitus, ut in regiis aedibus doctorem creari voluerit a Petro de Ferrariis [1] cancellario suo; quod quidem contigit vel sub finem anni MCCLXXXXVII, quo sane tempore Carolum Aquis fuisse, certum mihi est, vel sub initio insequentis anni; nam hoc anno jam adulto Carolus in Italiam rediit, ut turbatas Siciliae res componeret, nec aquensem civitatem unquam amplius vidit. Doctoratus insignia ita, ut diximus, Belvisium Aquis obtinuisse ex ipso scimus, qui in praemio operis, quod inscribitur *Praxis Criminalis,* rem totam, prout gesta est, narrat, affirmatque se opus illud, petente et volente Petro de Ferrariis arelatensi archiepiscopo, adornasse. *Ad preces, inquit, reverendi patris, et domini mei domini Petri de Ferrariis J. U. professoris excellentissimi et episcopi arelatensis, illustrissimi Regis Caroli utriusque Siciliae et Jerusalem regis cancellarii, qui me doctoratus honore in aula regia civitatis aquensis ipsiusque praesentia decoravit etc.* Facile ex his intelligimus cur Pancirolus, Gravina, aliique, qui de Belvisio scripserunt, aquensem ipsum dixerint, nimirum, ob doctoratum, quem Aquis obtinuit, ipsum patria aquensem fuisse pinguiore quadam conjectura putarunt.

IV. Quamquam vero hoc honore Belvisius a tanto rege, tantaque celebritate auctus fuisset, attamen doctores nostri eodem nihil admodum commoti, quod ab Rege extero et sine publicae alicuius universitatis suffragio collatum nossent, pro doctore minime ipse habuerunt. Et revera cum per haec eadem tempora in patriam reversus esset, doctorem numquam nominatum videmus in Actis publicis, quibus ipse interfuit. Sed cum apud Carolum gratia et potentia plurimum valeret, eique operam suam navare, non sine ingentis fructus spe, constituisse, haud graviter tulit sui non habitam hic rationem. Neapolim igitur se contulit, ubi literarum studia non mediocriter florebant, quemadmodum tradunt, qui de neapolitanis rebus scripserunt [2]. Nimirum, cum Carolus in id maxime incumberet ut bonarum artium studia Neapoli excolerentur, perhonorificis condictionibus, magnisque propositis praemiis doctiores quosque et illustriores ad docendum invitavit [3].

V. Sed tamen, inter tot tantaqua ornamenta, aliquid sibi ad summam gloriam properanti deesse subinde arbitratus est Belvisius, nisi bononiensi collegio adscriberetur. Itaque a Rege ipso Literas impetravit ad bononiensem magistratum, quibus egregius princeps de Belvisii ingenio et doctrina certiorem eumdem fecit, quibusque ab eo magnopere petiit, ut in doctorum Bononiensium collegium Jacobum cooptari juberet [4].

treguas inter nos, et ipsum Regem Aragonum usque ad annum unum ab instanti festo Resurrectionis Dominicae, in antea numerandum sanciendas duximus et firmandas. Quocirca magnificentiam vestram requirimus, et hortamur attente, quatenus treguas observetis easdem, et factis per vestros valitores et subditos observari, et praesertim ita in terris jurisdictioni dicti Regi Majoricarum vicinis. Datum Aquis in absentia Protonotari Regni Siciliae per M. Petrum de Ferrariis Decanum Aniciensem, Cancellarium dicti Regni anno Domini MCCLXXXXVII die IX mensis Novembris XI indictione Regnorum nostrorum anno XIII ».

(1) Egregius hic vir brevi admodum temporis intervallo multis auctus est ecclesiastici dignitatibus; nam anno MCCLXXXXVII cum esset decanus aniciensis, decanatum ansciensem obtinuit sub finem anni MCCC factus episcopus lactorensis, ad episcopatum novionensem anno MCCCII promotus est, et tandem anno MCCCIII archiepiscopus arelatensis est renunciatus, atque anno MCCCVII, vel MCCCVIII vivere desiit. Corrigendi *Galliae Christianae Auctores,* qui t. I, pag. 578, Petrum hunc de Ferrariis scribunt fuisse fratrem alterius Petri episcopi lactorensis, et regii cancellarii Neapolis anno MCCCI. Credi nec debet nec potest, et idem ipsis nomen fuisse, eodemque cancellarii regii munere functo esse. Itaque dubitandum non est, quin unus, idemque fuerit, qui eas episcopales cathedras occupavit.

(2) Pandulph. Collenut. *Histor. Neapol.,* lib. V. — Angelum Constant., lib. VI. — Anton. Summonte. *Histor. Neapol.,* lib. III, pag. 362.

(3) Laudatus Anton. Summonte, *loc. cit.* testatur, se in *Registro L. G. MCCLXXXXVI,* fol. 195 haec legisse: « Vocavit, nempe Carolus, dn. Dinum de Musellis, ut Bononia ad neapolitanum Studium lecturus accederet cum annuo salario unciarum C auri ».

(4) Extant hic Literae in Archivo publico, qua sintegros dabimus in Appendice.

Frustra porro id tentatum non fuisse et Caroli preces, publica civitatis auctoritate ad collegium delatas, rejectas minime fuisse, ex eo vel maxime constare potest, quod eo ipso anno MCCCI, quo Caroli literae Bononiam allatae sunt, in nostris monumentis, in quibus de Belvisio mentio est, legum doctus semper nominetur.

VI. Non modo autem id Belvisio curae fuit, ut eo, quem diximus, honore in patria non privaretur; sed etiam ut concives suos paulatim sibi conciliaret, quodam, ut arbitror, in patriam revertendi desiderio elatus. Fortasse spem animo praeconceperat, fore, ut veteris in gentem Belvisiam odii vestigia paulatim delerentur, quod sciret, eos, qui gratia et auctoritate plurimum hic poterant, foedus cum Blanchis Florentiae jampridem iniisse (1), et praeterea non paucos ex Lambertacciorum factione ab exilio revocatos, quibus jam tutum et quietum hic erat domicilium. Quidquid vero de hac re sit, illud certum est, Belvisium nostrum sub fine anni MCCCIV Bononiae fuisse, et ita quidem animo comparatum, ut de doctoratus insignibus ex more institutoque collegii bononiensis recipiendis cogitaret. Sed id neque statim, neque sine ingentibus difficultatibus consequi potuit. Collegii enim nostri doctores ratum firmumque adhuc habebant, neminem prorsus collegio adnumerandum; et eodem, quem diximus, anno Thomam Marzalolium, Bonifacium Gallutium et Matthaeum Gaudonum, etsi bene de universitate jam meritos et hujusmodi iccirco honorem suo quodam veluti jure petentes, repellere non dubitaverant. Et quamquam ad hanc doctorum resistentiam superandam publica civitatis auctoritate (2) indictum ipsis fuisset, ut non modo doctoratus honorem iis, quos diximus, conferrent, sed etiam, ut nullum in posterum eodem privare possent, quem satis juris scientia commendaret, attamen vix illud obtineri potuit ut Gallutium et Gaudorum collegio adscriberent. Sed cum res hujusmodi plerisque molesta accideret, et praeterea in academiae cederet detrimentum, tandem universitatis ipsius corpus summa consensione a publico civitatis Consilio postulavit, ut quae de creandis doctoribus sapienter ab eodem jam pridem sancita fuerant, rite sancteque servari juberent, atque in primis doctorum nostrorum collegium ad id cogerent, ut Belvisium, Marzalolium et Petrum de Cernitis inter suos cooptaret. Itaque publico Consilii decreto imperatum doctoribus, ut pro more de ipsorum doctrina cognoscerent, multato ingenti pecuniae summa doctorem collegio, multatisque singulis doctoribus, si forte parere recusassent (3). Res e voto cessit, et doctoratus insignibus donatus fuit Belvisius et Petrus de Cernitis, rejecto iterum Marzalolio (4), quem numquam postea eo honore auctum scimus.

VII. Voti ita compos factus Belvisius, tuto hic et non sine gloria se esse posse arbitrabatur; cum novi civitatis motus, quibus magnopere turbata fuit anno MCCCVI, de caelo mutando Belvisium cogitare coegerunt. Kalendis Martii hujus anni in Lambertaccios, quorum magna jam esse coeperat in civitate auctoritas et potentia, facto impetu, pluribus ex iis interfectis, pluribus exilio multatis, quorumdam domibus incensis, direptis, Belviso nostro jure timendum erat, ne quid triste sibi suaeque familiae eveniret, palam jam et populi consensione Jeremiensibus, sive Guelphis, civitate summo cum imperio administrantibus (5), opem in primis ferente Azone Estensi, cujus in toto hoc negotio principes jam fuerant partes. Cum autem in tanta et tam gravi rerum

(1) ANONIM. *Histor. Pistor.* apud MURATOR.
(2) *Vide Appendicem.*
(3) Totius rei gestae Acta exhibemus in Appendice.
(4) *Vide Appendicem.*
(5) Rem hanc totam ex instituto narrant JOANN. VILLAN., lib. VIII, cap. LXXXIII apud MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. XIII, MATTH. DE GRIFFON. in *Memor. Histor. Rer. Bonon.*, et *Chron. Bonon.* apud eumdem t. XVIII, aliique.

turbatione complures impendentem calamitatem fuga evasissent, inter quos Bonincontrus ab Hospitali, Lambertacciorum in civitate dux et princeps, gens etiam Belvisia sibi suisque fortunis in tanto discrimine consulendum putavit. Itaque Guido Jacobi pater inter Fratres de B. M. V., quos Gaudentes vocabant (1), et Albertus ejus frater inter alios, quos de Poenitentia nominabant, adscribi voluit; ratus nimirum uterque, tuta omnia et quieta fore in nova hac adumbrata religionis pietatisque specie. Sed aliud plane coeptum a Jacobo nostro consilium, qui patria abesse maluit, quam iis uti remediis, quae diuturnam saltem, et vi sua haud nisam tranquillitatem revera parere non possent. Cum hoc ipso anno lethale pene vulnus universitati nostrae inflictum fuisset per Napoleonem Ursinum Pontificis legatum, qui per vim civitate pulsus, Bononiensibus vehementer indignatus, eosdem non modo sacrorum communione, sed etiam publice docendi munere privatos voluit (2); Belvisius noster, etsi academiam non omnino conticuisse, et nonnullos, inter quos Petrus de Cernitis, parum aut nihil hujusmodi tempestate commotus, a tradenda publice juris scientia aut cessasse nosset, attamen tempori cedendum, atque a gravioribus calamitatibus opportune cavendum ratus, patria discessit. Et quando per ea tempora patavina academia florere plurimum, et ex hujus nostrae in angustum adductae veluti spoliis ditescere coeperat, in illius sinum, tamquam in tutissimum portum, se recepit Belvisius. Et quamquam in patavinis horum temporum fastis de eo nulla fit mentio, tamen Patavii ipsum docuisse Quintili mense, anno MCCCVII, ex eo certissime constat, quod per illud idem temporis universitatis rectores a civitatis Consilio postularunt, ut Belvisius Patavio, ubi docebat, Bononiam reverti cogeretur; sperandum enim affirmabant fore ut ipso in patriam restituto magnum sumeret academia bononiensis incrementum, Belvisii disciplinae alumnis huc magna frequentia convolantibus. Sed utrum post tantae laudis acceptum testimonium redierit, nec ne, certe statuere non possumus. Probabilius tamen existimo ipsum huc non rediisse; nam annis, qui proxime sequuti sunt, nulla prorsus in Actis publicis civitatis de eo mentio occurrit. Et quidem si conjecturis locus esse debeat, facile crediderim ipsum aut Patavii constitisse, aut suam Seniensibus fidem obligasse; quod postremum verisimilius puto. Cum enim, testibus Baldo et Diplovataccio, Senis ad aliquod tempus publice docuerit, ubi suae gloriae aemulum Oldradum Laudensem habuit, quem etiam, ob gravem inter eos subortam simultatem, civitate subinde expelli obtinuit; credibile valde est ipsum non alio, nisi eo, de quo loquimur, tempore in ea civitate docendi munus obiisse. Non minimum autem huic conjecturae pondus accedet, si cogitemus Senenses in spem venisse constituendae apud se universitatis, quam ex hujus nostrae dissolutione in verum solidumque corpus coalescere posse putabant. Certum illud est, ipso splendidis admodum condictionibus complures ad docendum invitasse, inter quos Dinum de Garbo, medicinae apud nos professorem, fuisse, ex ipsomet scimus, cujus haec sunt verba: *Reversi sumus ad Studium Bononiae et studuimus continue quatuor annos in scientia medicinae; in quarto vero anno, Dei gratia mihi concedente, fuimus doctorati in ista scientia et legimus duobus annis; postmodum vero quam privatum fuit Studium Bononiae, coacti recessimus a Studio illo, et venimus ad civitatem Senarum, et venimus ibi ad salarium evocati.*

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Commotam adeo graviter civitatem in legatum Pontificis, quod opinio esset, ipsum in specie fictae simulationis favere Jeremiensibus, sive Guelphis, revera autem et ex animo Lambertacciorum, sive Ghibellinorum, partes tueri, omnes ferme illorum temporum scriptores vel affirmarunt, vel suspicati sunt. Cum autem, ne in certum vitae periculum veniret, in Forocorneliensium urbem se recepisset, sua ex ea civitate fulmina Bononiensibus intulit.

Sed brevi admodum Senensis illa universitas vix nata, nondum alta, extincta plane jacuit. Nam rerum paullo post facie immutata, restitutaque Clementis V beneficio in pristinum splendorem academia (1), non modo Dinus ipse, sed alii etiam huc magno Studio redierunt. Et quidem Belvisium sub fine anni MCCCIX, hic fuisse, certum omnino fit ex Memorialibus Communi Archivi civitatis, in quibus ad hunc eundem annum sub die XIX Octobris (2) extat formula contractus irriti a Belvisio cum Philippo Pepulo Zoenis filio de conducendis aedibus, quibus uteretur ad aperiendam scholam ex more aliorum universitatis professorum.

VIII. Rebus sic constitutis, suis jam studiis tranquillitatique in diuturnum tempus satis consultum putabat Jacobus noster; neque fortasse de mutanda amplius sede cogitabat. Sed Henrici VII Romanorum Regis in Italiam adventus, quemadmodum alias civitates, ita et hanc nostram magnopere turbare potuit. Cum enim nullo partium studio implicitus, immo pacis auctor et suasor Henricus initio videretur, paulo post Ghibellinis favere se palam declaravit. Itaque Belvisius, tutum sibi hic amplius domicilium esse non posse animo reputans, qui namque civitatem cum imperio administrabant, adversae Lambertacciorum parti magnopere infensi, gravissimis poenis in eos animadvertere cogitabant, quemadmodum revera contigit sub finem ejusdem anni, plerisque eorum in exilium actis et bonis in fiscum datis (3). Patriam omnino deserere statuit, ne novas perferre calamitates cogeretur. Quo se receperit, definiri facile non potest. In libro Reformationum in Archivo nostro publico ad annum MCCCXI extat *Petitio,* quae plura continet capita; et postremum quidem pertinet ad Belvisium nostrum, qui ibi dicitur Bononia discessisse magno universitati damno, et timendum magnopere ne scholares, atque ii praesertim, qui Belvisii fama commoti et longinquis regionibus huc venerant illius audiendi causa, ipsum sequi velint (4). In eadem autem dictum animadverto multorum tunc opinionem fuisse Belvisium de aperienda schola in aliqua Romandiolae civitate cogitasse; sed revera id non contigisse, certum omnino arbitror; cum enim Bononia discedendum necessarium duxerit, ne triste aliquid sibi eveniret ob eos, quos diximus, civitatis motus; cumque ipsae Romandiolae civitates iisdem perturbationibus et periculis non carerent (5); vix credi potest id consilii coepisse Belvisium ut iis in locis, diutius saltem, consisteret. Itaque facile mihi suadeo ipsum tunc Neapolim rediisse. Cum enim, teste Paride Pateo, Belvisius Neapoli iterum docuerit Roberti Regis temporibus, qui anno MCCCIX Carolo patri successit, credibile valde est id contigisse hoc, de quo loquimur, anno, fere usque ad annum MCCCXVI, quo Perusium se contulit, ut non mox dicemus. Et quidem id conjicere facile possumus ex veteri charta, in qua Jacobi absentis nomine contrahunt Albertus patruus, et Bartholomaea ejus noverca per procuratorias Literas, quas obsi-

(1) Tum ex nostris, tum ex exteris scriptoribus compertum fit, Bononienses egregiam prorsus operam navasse Pontifici ad propulsandos Venetos, qui Ferrariam contra jus et fas occupaverant. Itaque Pontifex justissimi praemii loco civitatem ecclesiastico interdicto per Arnaldum abbatem monasterii tutelensis, et Omphrium de Trebis S. E. Nuntios liberatam voluit an. MCCCVIII, VI Octob. Anno autem MCCCX Pontifex ipse peculiaribus Literis Bononiensium fidem virtutemque in Ferrar. expeditione magnificis laudibus ornavit, eorum magistratus in familiarium Pontific. numerum adscribi, vestesque ipsis ex pontificio aerario perpetuo suppeditari jussit, et, quod maximum censeri debet, civitatem interdicto ecclesiastico a nemine in posterum, nisi ab ipso Romano Pontifice, subjici posse declaravit. De his omnibus vide Appendicem.

(2) *Vide Appendicem.*

(3) *Ibid.*

(4) Integram hanc petitionem, illustrandae illorum temporum historiae accomodatam, damus in Appendice.

(5) In Chronico bonon. apud MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. XVIII, pag. 154 ad hunc annum haec leguntur: « Eodem anno tota Romandiola virtute Regis Roberti, operatione Bononiensium, remansit in manibus Guelphorum, et omnes Ghibellini fuerunt expulsi ».

gnaverat Pandolphus Caldus Regius Scriba [1]. At per ea tempora nullum alium in Italia principem, praeter Robertum ipsum, Regis appellatione donatum scimus. Itaque credi potest et Belvisium tunc temporis Neapoli fuisse, et eas, quas diximus, Literas ab ea civitate Bononiam transmissas esse.

IX. Cum autem per idem tempus floreret magnopere perusina academia, mirum non est, si inter alios complures Jacobum nostrum, de quo ingens erat doctrinae fama, in primis exoptavit. Saepe alias fortasse ad docendum a Perusinis invitatus, tandem circa annum MCCCXVI, ut ego arbitror, illuc accessit, ubi ad diuturnum tempus in magna auditorum frequentiae jus civile explicavit stipendio florenorum CC, si credendum sit Pompejo Pellino. Hic quidem auctor in Historia Civitatis Perusiae, p. I, pag. 352, scribit, Belvisium Paulum ante annum MCCCVIII, honorificis admodum conditionibus a Perusinis suis ad docendum per quinquennium invitatum fuisse; cumque anno MCCCVIII a Bononiensibus in patriam revocaretur, Perusinos omni studio et diligentia egisse, ne tanto privarentur ornamento, atque ex illustrioribus civibus delectos fuisse, quos Bononiam oratum miserunt ut Belvisio Perusii consistere liceret. Refert autem idem scriptor, pag. 385, Belvisium iterum anno MCCCXI a Perusinis conductum fuisse. Sed haec sane, quae a Pellino narrantur, minime componi possunt cum iis, quae de Belvisio ex certis et incorruptis civitatis nostrae monumentis innotescunt, quaeque jam a nobis ratione et ordine disputata sunt. Itaque statuendum est Belvisium primum circa annum, ut diximus, MCCCXVI Perusii docuisse.

X. Quamquam vero anno MCCCXXI extremum pene vulnus academiam nostram tulisse notum est, ita sane, ut parum abfuerit quin deleta omnino et extincta jacuerit [2]; attamen in tanta et tam gravi calamitate non defuerunt optimi cives, qui eam in se curam susceperunt, ut academiae ipsi pro viribus consulerent. Extant in Archivo nostro praeclarissima hujus rei monumenta, ex quibus sane compertum sit, nihil ipsis potius fuisse, quam ut opportunis remediis adhibitis jacentem universitatem erigerent, ejusque splendorem dignitatemque revocarent. Et cum multa id suadere possunt, tum vero maxime quod eodem anno in civitatis Consilio sancitum est de revocandis doctoribus, qui, turbatis rebus, civitate excesserant, atque in primis Belvisio nostro, qui omnium praestantissimus habebatur. Extat in Libro Provisionum Archivi nostri publici amplissima scholarium petitio ad eumdem annum MCCCXXI [3], qua quidem flagitarunt a civitatis Consilio, ut Belvisius a diuturno exilio revocaretur una cum filio, iidemque haberentur tamquam Cives, atque uno verbo in pristinum honoris, et fortunarum statum restitueretur. Ibidem autem illud affirmandum animadverto, longe ante id temporis pro Belvisio exilii poena liberando cum Bononiensibus egisse Philippum principem tarentinum, et fratrem Roberti Regis neapolitani, dum Florentiae esset [4], sed omnino frustra. Cum

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Res est historicis nostris, monumentisque publicis magnopere celebrata. Satis hic erit efferre, quae habentur in Memor. Histor. apud MURATOR. *Rer. Ital. script.*, t. XVIII, pag. 140. Eodem anno dictus dn. Justinellus Potestas fecit capi unum scholarem, vocatum, dn. Jacobus de Valentia, et plures alios scholares ultramontanos; eo quia dictus dn. Jacobus de Valentia una cum pluribus scholaribus armata manu violenter volebant, et voluerunt rapere quamdam filiam Chilini de Zagnonibus de Argele, neptem dn. Johannis Andreae doctoris; de quo perpendit quidem puer Chilini, qui vocabatur Zorginus, ed dixit dicto Chilino ejus patri. Et nisi fuissent boni vicini dicti Chilini, qui adjuvaverunt ipsum, filia sua rapiebatur per dictum scholarem. Tunc dictus potestas capi fecit dictum scholarem, et fecit ipsum decapitari, et merito.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) Adventus Philippi Florentiam pertinet ad an. MCCCXV sub initia mensis Julii, quemadmodum testantur rerum Florentinarum scriptores, et in primis Joannes Villlani apud MURATOR. *Rer. Ital. scrip.*, t. XIII, p. 476.

enim post annum MCCCXI civitas haec nostra, prae aliis omnibus, guelpham factionem tueretur, ab iis maxime abhorrebat, quos contrariae partis esse vel nosset vel suspicaretur. Itaque dum apud civitatis magistratus de Belvisio adsciscendo actum est, id magnopere ab ejus fautoribus inculcatum videmus, adquamcumque suspicionem convellendam, Jacobum nempe ipsum Guelphos semper amasse, ac Neapoli diu substitisse apud Carolum Regem, qui Guelphorum princeps jure optimo haberi poterat.

XI. Universitati tam justa petenti moram gessit civitatis Consilium; cujus quidem amplissimo decreto, et revocatus est Belvisius, et non expectatis honoribus auctus; nam non solum ipsum, ejusque filium inter Jeremienses habendos esse, verum etiam Guidonem et Martinum Benvenuti fratris filios, et Joannem seniore Benvenuto Jacobi patruo genitum, eodem privilegio donandos esse, sancitum est. Et praeterea cautum fuit, ut ejus, et aliorum nomina omnino delerentur ex publicis tabulis, in quibus adscribebantur ii omnes, qui Lambertacciorum adversae parti favebant. En Senatusconsulti (1) huc spectantem particulam: *Pro ipsius Studii firmamento et perseverantia dominus Jacobus de Belvixo legum doctor, qui ad requisitionem Communis Bononiae a Studio civitatis Perusii dimissis honoribus et lucris, quae in ipsa civitate habebat, nuper venit, et Franciscus ejus filius et Guido et Martinus filii quondam magistri Benvenuti et Johannes quondam domini Benvenuti de Belvixo, qui nec banniti nec confinati exularunt et eorum descendentes sint et esse intelligantur, de parte Ecclesiae seu Jeremiensium.*

XII. Belvisius igitur tam honorifice a suis civibus invitatus in patriam rediit; neque amplius, quod sciam, ab ea discessit. Ita autem omnibus non doctrinam modo, sed etiam rerum gerendarum peritiam probare potuit, ut ejus opera in publicis civitatis negotiis usi fuerunt; quod maxime contigit anno MCCCXXVI cum gravis inter nostros et Venetos orta dissensio esset de vectigalibus et mercium transvectione, aliisque; nam legati ad Venetos ex senatusconsulto missi sunt Jacobus Belvisium et Albertus de Panzonibus, ut de concordia agerent cum Venetis (2). Tractatu inito, conventum inter partes est, ut CCC libr. fieret depositum et mutuae fidejussiones darentur. Sed cum a nostris nondum id esset praestitum, neque ulla idcirco superesset via ad firmandam pacem et mutuum commercium aperiendum, propositum in Consilio, ut ea de re deliberatio haberetur. Itaque constitutum, ut depositum simul et cautiones fierent, mandatumque ut Veneti Bononiae tamquam Bononienses, Venetiis Bononienses tamquam Veneti haberentur. Expeditum ita per Belvisium negotium hujusmodi fuit, in quo non mediocri felicitate est usus; atque insequenti anno decretae Jacobo ipsi impensae fuerunt, quas subierat in legatione obeunda. Vix post reditum aedes fraternas, quae erant contra ecclesiam s. Barbatiani, vendidit Petro Salodiensi, qui eisdem emit nomine magistro Guilielmi Brixiensis archiatri pontificii et bononiensis archidiaconi, qui locum illum condendo collegio opportunum judicaverit, in quo alimenta praestarentur scholaribus exteris pauperibus, quod ex suo censu fieri testamento caverat. Inter multa scholarium collegia in nostra civitate extructa, de quibus alibi ex instituto agemus, primum omnium hoc, de quo loquimur, fuisse certum plane est. Nam avenionense collegium, quod anno MCCLVI institui jusserat Zoen Tencararius, nondum per haec tempora veram solidamque collegii formam nactum erat; neque enim scholares commune ullum ad incolendum domicilium habebant, et certa tantummodo ipsis stipes dabatur. Sed e diverticulo in viam.

(1) Integrum dabimus in Appendice.

(2) *Vide Appendicem.*

XIII. Non modo autem apud suos, verum etiam apud exteros Belvisii nostri auctoritas valere potuit; nam inter caetera, quae ipsius vel doctrinam vel in negotiis gerendis dexteritatem commendare possunt, illud sane splendidum arbitror, quod ipsius judicio atque arbitrio commissa ad componendum controversia fuerit, quae in anno MCCCXXXI suborta erat inter Aybericum archiepiscopum ravennatem, et Balneocaballenses, pro turbatis confiniis. Sententiam, quae ab ipso lata fuit, ex membrana Archivi archiepiscopali Ravennae transcriptam dabimus in Appendice (1). Sed inter haec illustrius multo illud arbitror, quod Jacobum tanti fecerit Bertrandus cardinalis, cum hic pro Pontifice legationem obiret, ut ejus et consilio et opera in difficillimis negotiis expediendis uti voluerit. Cum enim anno MCCCXXVIII, recepta jam superiore anno in deditionem civitate, plerosque patria pulsos jam inde ab anno MCCCVI ab exilio revocasset, quemadmodum supra in Thaddaeo diximus, quatuor ex illustrioribus civitatis, nimirum Stephano Ugonetto narbonensi cancellario suo et postmodum Bononiae episcopo, Guidoni Tripolitano archipresbytero pratensi in regiensi dioecesi, Jacobo Belvisio et Bliobarixio Azzoguidi, in mandatis dedit, ut proscriptorum bona, quaenam essent, et qua ratione suum cuique tribui oporteret, inito consilio, decernerent. Belvisii opera usus est etiam, cum anno MCCCXXXII, de novis condendis civitatis statutis Bertrandus cogitaret, eumque ad rem hanc conficiendam delegit una cum Francisco de Liazariis, Jacobo Tederixio et Joanne Baraterio (2). Sed haec statuta, civitate pulso Bertrando anno MCCCXXXIV, aut ad umbilicum, ut ajunt, perducta minime fuerunt, aut suppressa jacere eadem contigit.

XIV. Cum igitur magna nominis celebritate, quam sibi in juris scientia comparaverat, Belvisius in patria doceret variisque publicis muneribus fungeretur, anno tandem MCCCXXXV sub Januarii initio supremum obiit diem. De ejus morte mentio fit in laudato Memoriali Historico apud Muratorium, *Rer. Ital. script.*, tom. XVIII, pag. 154, his verbis, quae integra exscribimus: *Obiit dominus Jacobus de Belvixo de Bononia, doctor famosissimus et domina Missina filia sua uxor Matthaei de Griffonibus, propter maximum dolorem cecidit trasmortita et erat praegnans et fecit abortum et fuit in maximo periculo mortis. Et dictus dominus Jacobus sepultus fuit ad sanctum Stephanum ante sepulchrum Domini Nostri Jesu Christi, ubi est arca sua. Et Franciscus, filius dicti domini Jacobi, fecit sibi fieri magnum honorem et induit se de nigro et similiter indui fecit suis expensis nepotes ipsius domini Jacobi, videlicet Guiduccium et Melinum filios dictae dominae Misinae filiae dicti domini Jacobi et multos alios affines et famulos. Et fuerunt ad funera quasi totus Clerus Bononiensis et Potestas et Capitaneus Populi et omnia alia Regimina Civitatis Bononiae, eo quia erat homo valde dilectus ab omnibus.*

XV. Sed stomachum movent plura, quae ab hoc auctore, etsi pene synchrono, narrantur. Falsum in primis est Franciscum filium patri justa persolvisse, cum certissime constet quatuor ante patris obitum annis ipsum vivere desiisse; anno enim MCCCXXXI, Jacobus, vix vita functo Francisco filio, testamentum scripsit, quo Jacobum fratris filium haeredem ex asse instituit (3). Illud vero, quod idem auctor tradit de Misina, ridiculum plane est et anilibus fabellis amandandum. Neque enim Misina haec Jacobum patrem habuit, sed Matthaeum de Griffonibus seniorem, cujus uxor non Misina sed Bartholomaea nominabatur; et haec quidem parentes habuit Guilielmum Canutum et

(1) *Vide Appendicem.*
(2) *Ibid.*
(3) Integrum dabimus in Appendice.

Rolandinam Belvisiam Jacobi nostri amitam. Totum id compertum fuit ex ipsius Bartholomaeae testamento et ex alio Rolandinae Belvisiae, quod utrumque exhibemus in Appendice (1). Mirum sane est, juniorem hunc Matthaeum de Griffonibus, qui illius Memorialis auctor habetur, adeo turpiter lapsum in iis, quae et domestica erant et vix ab illorum temporum memoria distare poterant.

XVI. Cum tot annos, tantaque fama jus civile variis in locis Jacobus noster professus fuerit, dubitandum sane non est, quin et multos et illustres habuerit auditores, praesertim cum notum sit ex iis, quae superius sunt dicta, perusinam academiam ab uno Belvisio magnum, immo summum mutuasse splendorem et hic apud nostros juris scientiam explicasse coram frequentissimis exterorum nationum scholaribus, qui huc venerant, ut Belvisii praeceptis institutisque proficerent. Sed eorum nomina suppressit longa aetas, neque eadem ex antiquioribus etiam scriptoribus elicere datum est. Unus Diplovataccius Belvisii laudi dedit, ipsum in juris scientia Bartolum instituisse, nempe celeberrimum illum saeculi XIV jurisconsultum, de quo postea agendum nobis. Addit Diplovataccius Bartolum doctoratus laurea donandum Bononiae archidiacono ex doctorum collegio a Jacobo Belvisio praesentatum, ut ajunt, fuisse, eumdemque Belvisium ad experimentum de adolescentis Bartoli doctrina capiendum assignasse illi ad disputandum l. *Illud* Dig. *Quod metus causa.*

XVII. Sed errat Diplovataccius dum haec affirmat. Nam ex Literis collegii jurisconsultorum bononiensium Bartolo concessis post collatam ipsi lauream (2), satis patere potest, non a Jacobo Belvisio promotum fuisse Bartolum, sed a Jacobo Buttrigario, quo per id temporis praeceptore utebatur Bartolus.

XVIII. Excelluit autem Jacobus noster non modo ea laude, quae ex juris scientia et rerum agendarum peritia, sed alia etiam, quae ex rite sancteque institutis moribus proficiscitur, quaeque caeteris omnibus facile praestat. Coluit vero in primis Catharinam Martyrem, cujus ope in difficiliorum rerum investigatione fauste ac feliciter haud raro usum esse, ex ipsomet scimus. Ita enim suum exorditur librum, qui est de *Praxi criminali. In nomine Domini nostri Jesu Christi, ad laudem et gloriam ipsius et beatae Mariae Virginis, matrisque suae, sanctaeque Catharinae Virginis, per quam Deus frequenter intellectum illuminavit et docuit, ego Jacobus de Bellovisu juris civilis professor etc.*

XIX. Belvisii scripta accurate recensuit Hendreichius *Pandectis Branderbungensibus*, pag. 498, apud quem videri possunt (3).

IV.

JACOBUS BUTTRIGARIUS,

LAURENTIUS, BARTHOLOMAEUS ET JACOBUS FILII.

I. Veniamus nunc ad Jacobum Buttrigarium jurisconsultum excellentem, quem parem doctrinae fama Jacobo Belvisio fuisse nemo dubitat. Patre Salvetto, matre Villano Boccadicane (4) natus circa annum MCCLXXIV. Legum studia juvenis admodum

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Eas vide apud Joann. Paul. Lancilottum in *Vita Bartoli*, pag. 8 et seq.

(3) Tiraboschi. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § VIII c IX. — Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Belvisi Giacopo.* — Savigny. *Op. cit.*, lib. VI, cap. XXXXIX. (c. a.)

(4) Utrumque palam sit ex *Memor. Zachariae Rolandi* XXIV Junii MCCLXXXIII. « Dn. Salvittus qu.

sectatus est et anno MCCLXXXXIII artem notariam professus est (1). Cum autem constet, ipsum anno MCCLXXXXVIII adhuc pro ineundis contractibus curatoris (2) auctoritate indiguisse, dubitari non potest, quin ante annum aetatis vigesimum notarii munere functus sit; quae sane non exigua hujus viri laus esse debet.

II. Etsi vero tam magnis, ut ita dicam, itineribus ad summam in legum scientia gloriam properaret Jacobus, attamen doctoratus honore, qui summus in civitate habebatur, multos annos caruit; quod sane totum illorum temporum conditioni tribuendum est, quibus, ut supra in Belvisio diximus, aditus ad eumdem paucis admodum patere poterat. Verum quia et complures eo honore digni habebantur et detrimenti plurimum ad universitatem ipsam ex multorum silentio et otio manare poterat, doctioribus iccirco plerisque licuit (eorum doctrinae tamen experimento antea capto) *ad extraordinarium*, ut ajebant, legere; quas non doctores, sed *bachalaureos* nominabant (3). Hoc titulo, non admodum apud nostros usitato, insignitum adhuc Buttrigarium anno MCCCVII arbitror; nam cum per id temporis universitas haec nostra in eam vel maxime curam incumberet, ut se se contra Napoleonis Ursini sententiam, de qua superius loquuti sumus, aliqua ratione tutaretur, illud a civitate magno studio exposcendum duxit, ut ad jus civile ordinarie tradendum, Bartolucius de Pritis et Jacobus Belvisius a patavina academia, in quam se receperat, idcirco revocandi; ad illud idem autem *extraordinarie* explicandum Thomas Marzalolius, Philippus de Ramponibus et Jacobus Buttrigarius, assignato omnibus, praeter morem, stipendio (4) cogerentur. At vero credendum est doctoratus honore augeri non potuisse Buttrigarium, nisi reconciliata cum pontifice civitate; quod, ut notum sit ex superioribus, contigit tantummodo sub fine insequentis anni MCCCVIII. Cum namque per ea etiam tempora Archidiaconi, vel ejus vicarii, auctoritate doctores crearentur, credi minime potest ullum inter doctores adscitum toto illo temporis intervallo, quo justissimae Pontificis indignationi civitas haec nostra suberat. Privata tantummodo quorumdam auctoritate et contra jus et fas, pauci ex nostris professoribus munus docendi sibi vindicabant. Itaque arbitror Buttrigarium vel exeunte anno MCCCVIII, vel sequenti incepto (5), doctoris insignia accepisse, postquam nimirum academiae pristina jura restituta fuerunt. Certe Quintili mense anno MCCCIX, doctorem ipsum fuisse constat ex Memorial. Commun. in Archivo nostro publico (6).

III. Cum non mediocrem sibi doctrinae famam in ipsis primis adolescentiae annis peperisset Jacobus, mirum non est, si confirmata postmodum aetate eandem non modo retinuit, sed etiam magnopere auxit. Ejus apud scholares magnam fuisse auctoritatem, cum plura declarare possunt, tum illud in primis, quod contigit anno MCCCXXI post

dn. Grimaldi Buttrigarii fecit suum testamentum etc. heredes instituit equaliter suos filios Bertolinum, Thomaxium, et Jacobum etc. ». In *Memor. Petri Vandoli* II Novembris MCCLXXXIII. « Dna Villana mater et tutrix Jacobi filii qu. dn. Salvitti Buttrigarii ». In *Memor. Jacobini Pistoris*, et *Memor. Rumioli de S. Georgio* die I Martii MCCLXXXXVII. « Dna Villana qu. dn. Juliani Boccadecane uxor qu. dn. Salvitti Buttrigarii tutrix Jacobi sui filii etc. ».

(1) In *Matricula Notariorum* creat. ab an. MCCXIX ad MCCC haec leguntur sub die XIX Novembr. anno MCCLXXXXIII. « Jacobus qu. dn. Salvitti Buttrigarii Cap. s. Thomae Str. Major. ».

(2) *Memor. Zachariae de Baxacomatribus* die XVIII Decemb. MCCLXXXXVIII.

(3) In *lib. Reform. L* ad annum MCCLXXXXVII. « Item excusantur doctores ordinarie legentes, et Bachalari legentes extraordinarie etc. Legunt extraordinarie, et vulgo Bachalarii nominantur, dn. Palmerius decret., dn. Jacobus Belvixii etc. ».

(4) *Lib. Reform. G* ad diem XXXI Jul. MCCCVII.

(5) Sub fine mensis Martii an. MCCCVIII in *Memor. Alberti Martelli* occurrit nomen Jacobi non addito doctoris titulo.

(6) In *Memor. Guidonis Bontalenti* die XII Jul. MCCCIX. « Dn. Jacobus, dn. Salvitti de Buttrigariis leg. doct. ».

crudelem illam a Justinello civitatis praetore in exterum universitatis alumnum latam sententiam, quam supra in Belvisio memoravimus. Cum enim omnium Nationum scholares, rem hanc indignati, civitate excessissent, substitissentque interea Imolae, eo postmodum profecturi, ubi honestioribus conditionibus esse possent; ad illos placandos et revocandos missus est Buttrigarius [1], quem apud eosdem gratia et auctoritate plurimum valere opinio erat. Rem porro prospere confecit ipse, quemadmodum omnibus erat in votis et si paucissimos scholares excipias, quos senensis academia, magnae utilitatis spe proposita, ad se pellexit, plerisque aliis huc reverti placuit, ubi ejusdem Jacobi industria omnia ad pacem inter civitatem, et scholares feliciter composita fuerunt [2]. Et ne in posterum novarum querelarum fons relinqueretur, datum ipsi Jacobo et tribus aliis doctoribus negotium fuit, ut ea decernerent, quae et ipsum universitatis corpus pene jam antea resolutum necterent firmius ac copularent, et ad arcendos ab eodem in futurum tempus morbos accomodata videri possent [3].

IV. Sed hujus viri opera et consilio usa est etiam civitas in iis statuendis, quae ad pacem incolumitatemque publicam firmandam pertinerent. Itaque cum hic, pulso jam per vim et summum nefas Bertrando Apostolicae Sedis legato, caelum et terra, ut ajunt, miserentur, Jacobus noster una cum aliis ad id muneris adlectis egit magnopere cum Pontifice de ineunda pace, rebusque in pristinum restituendis. Verum cum frustra prorsus tentatum id fuisset et praeterea, conspirantibus omnium ordinum hominibus, Thaddaeo Pepulo anno MCCCXXXVII civitatis imperium delatum esset, in eo adlaboravit deinde Jacobus, ut civitati sua constarent libertatis jura, quin ulla relinquerentur pontificiae indignationis vestigia, immo omnia diuturnioris tranquillitatis speciem praeseferrent; quae sane e voto ipsi evenisse, compertum fieri potest ex iis, quae in Thaddaeo de hac re tota ex instituto disputavimus.

V. Nunc de illius in juris scientia fama paucis agendum. Illud autem certum est, vita functo Belvisio, Buttrigarium nostrum jurisconsultorum principem in nostra academia habitum fuisse. Et quidem in monumentis nostris sive publicis sive privatis [4] numquam de ipso mentio incidit, quin magnificis admodum et ad ejus singularem quamdam in legum scientia doctrinam declarandam aptissimis titulis augeatur. Itaque Baldus ipse *lumen legum* eum fuisse dixit [5]; quod magni sane faciendum arbitror, summa enim his verbis eum laude eademque assentationis suspicione prorsus vacua cumulavit. Et praeterea ejusdem in juris civilis libros *Commentaria* in ea apud omnes, vivo adhuc ipso, commendatione fuerunt, ut certatim eos non nostrates modo, sed etiam exteri conquisierint summoque in pretio habuerint [6]. Magna etiam et facilitate et festivitate usus est in difficilioribus legibus explicandis. Cum enim interpretatus legem [7], *Nam et si fur*, Dig. *De rebus creditis*, inter suae disciplinae alumnos deambulando in forum civitatis venisset, conspexissetque forte apud anum venales ficus canistro contentas, easdem pro semisse, pacto pretio, mercatus est. Sed cum singulas, prolato cultro, velle se medias scindere finxisset, ut dimidia ficuum potiretur, a proposito eum mulier

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Hujus rei acta damus in Appendice.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) In *Memor. Cazanimici de Fantutiis* III Januarii MCCCXXXXIII. « Eximius legum cingulo decoratus dn. Jacobus de Buttrigarii etc. ». In *Memor. Auliverii de Magistris* XIV Octobr. MCCCXXXXI. « Immensae sapientiae vir dn. Jacobus qu. dn. Salvitti de Buttrigariis etc. ».

(5) Panzirol. in *Jacobo Buttrigario.*

(6) *Memor. Pauli Francisci de Puteo* VI Octobr. MCCCXXXV.

(7) Panzirol., *loc. cit.*

magno conatu prohibuit, testata se dimidiam partem ficuum non ad corpora ipsa, sed ad numerum respectu habito vendidisse; itaque Jacobus leniter subridens, facili hoc et quodammodo a natura ipsa petito exemplo et expresso, suis auditoribus legem explicuit, quae jubet nummos, qui communes sint, etiam quoad singula corpora, si alteruter dominus sibi vindicare voluerit, non ad ipsa corpora habita ratione, sed ad eorum numerum, dividi oportere.

VI. Jacobi nostri gloriae dandum praeterea est, quod inter multos Bartolum quoque in legum scientia instituerit, sive potius perfecerit et subinde doctoratus honorem, ex more institutoque academiae, eidem contulerit, quemadmodum ex Lancillotto diligentissimo vitae Bartoli scriptore agnoscimus. Errant igitur qui affirmant Bartolum a Belvisio doctorem creatum; Belvisius enim, ut ex eodem Lancillotto constat, de Bartoli doctrina, antequam ad doctoratum assumeretur, privatum tantummodo, ut mos ferebat, experimentum sumpsit.

VII. Cum autem ita, ut diximus, in academia nostra prae ceteris omnibus floreret Buttrigarius, anno MCCCXXXXVII, quo in mortalium exitium huc et in aliis Italiae civitatibus pestilentiae vis furere coepit, eadem implicitus ipse et oppressus interiit. Pancirolus scribit, nullam illius mortis et sepulcri memoriam superesse. Sed scimus, humatum fuisse ad divi Francisci ante altare, quod ejus impensa constructum fuerat in capitulo ejusdem ecclesiae (1). Cum autem labentibus annis veteri prostrato novum excitari oportuerit aedificium, Jacobi cineres conditi fuerunt intra sacellum, quod est in exteriore Odei ambitu, quodque de juribus est Buttrigariae gentis. Inscriptio, non admodum vetus, in eodem sacello posita nullum de his dubitandi locum relinquit. Est autem hujusmodi.

D · O · M

JACOBI · FILII · SALVETI · DE · BOTTRIGARIIS

LEGUM · DOCTORIS · CELEBERRIMI

EX · ANTIQUO · MONUMENTO

HUC · ASPORTATI · CINERES · REQUIESCUNT

NOMEN · AD · HANC · USQUE · MEMORIAM · TRANSLATUM · EST

FAMA · PER · AMPLUM · ORBEM · DIFFUSA

GLORIOSA · VAGATUR

EJUS · FUIT · DISCIPULUS · BARTOLUS · DE · SAXOFERRATO

NUMQUAM · OBITURUS

OBIIT · DIE · IX · APRILIS · ANNI · DOMINI · MCCCXXXXVII

AETATIS · VERO · SUAE · LXXIII

In propilaeo etiam conventus ad sinistrum ejusdem latus bina cernuntur monumenta media inter Buttrigariae gentis insignia; et ea quidem antiquioribus ejusdem familiae professoribus nostrae hujus universitatis posita esse communis fert opinio. At revera, quod inferiore loco occurrit, monumentum prodit Alexandrum Buttrigarium celebrem causidicum, qui anno MDX diem obiit; aliud vero, quod superius est, quodque anaglypho

(1) Constat id ex testamento Laxiae filiae Laurentii de Buttrigariis, quod extat in *Memor. Commun.* ad diem XXV Martii MCCCLXII. Ibi enim haec habentur: « Dna Laxia filia qu. dn. Laurentii olim b. m. dn. Jacobi de Buttrigariis excellentissimi legum doctoris, uxor dn. Nicolai de Savignano fecit suum testamentum etc. heres dn. Nicolaus ejus maritus, et eo fine liberis decedente reditus bonorum pervenire debeant ad altare quod fecit construi supradictus dn. Jacobus in capitulo ecclesiae s. Francisci.

opere exhibet senili et deformi vultu doctorem ex subsellio disputantem, nihil prorsus ad Buttrigarios pertinet. Annus enim et dies emortualis, quorum utrumque in eo ita adnotatur.

ANNO · DOMINI · MCCCXXVIII · DIE · SEXTA · FEBRUARII

neque Jacobum nostrum, neque ex ejus gente ullum alium doctorem indicare potest; certum est enim tum Jacobum ipsum tum alios, qui ex eadem familia ea aetate in nostra universitate docuerunt, eo anno eaque die minime vita excessisse. Itaque totum id optime cadit in Michaelem de Bertalia celebrem medicinae professorem, quem scimus eo ipso anno, eaque ipsa die prout fert lapis ille vivere desiisse, ibique sepultum (1); atque omnino credendum est, illius monumenti frontem tantummodo conspicuam esse et ipsas, quas cernimus, insculptas literas, partem esse inscriptionis, quam integram vidit et tradidit Alidosius (2).

VIII. Plura literarum monumentis commendavit; quae quidem apud Pancirolum in vita ejusdem, Hendreichium *Pandect. Brandeburg.* pag. 811 et Mazzucchellium lit. B, vol. II, part. III, videri possunt.

IX. Jam vero pauca de Jacobi filiis, Laurentio nimirum, Bartholomaeo et Jacobo, qui omnes ingenuis artibus imbuti, legum in primis scientia non mediocriter excelluerunt, Laurentius et Bartholomaeus inter doctores adnumeratos scimus; eorum enim nomina occurrunt in albo doctorum anno MCCCXXXIV cum ageretur de assumendo ad hunc honorem Bartolo (3). Neuter patri superstes fuit; et Laurentius quidem vitam deposuit anno MCCCXXXXIII, ut habemus ex libris dati et accepti apud Minores Conventuales hujus civitatis ad eundem annum, Bartholomaeus vero, licet minor natu, maturius tamen decessit, nempe anno MCCCXXXIX, ut ex iisdem libris colligitur. Uterque nuptias iniit; et ex monumentis nostris publicis notum fit, Laurentio traditam in matrimonium Placidiam Ghisleriam (4), alteri autem Gesiam, idest Agnetem, filiam magistri Anselmi a Turre medicinae professoris et Bergomi claro genere orti (5). Bartholomaeum jam inde ab ineunte aetate doctrinae laude inclaruisse, magnifice testatur celeberrimus Joannes Andreae, qui in addit. *ad Specul.* lib. III, rubr. *De accusatione,* juvenem doctorem magnae scientiae ipsum appellat.

X. Jacobus tertio loco genitus propius etiam ad patris gloriam accessit. *Sapientiae enim multae vir, ac sapientissimus et eloquentissimus legum doctor* dicitur in actis publicis illorum temporum. Et praeterea dum adhuc in vivis esset pater, disputatas ab eo in jure quaestiones in pretio habitas fuisse conjicere possumus ex ipso Joanne Andreae, qui in addit. *ad Specul.* lib. I, rubr. *De Accusatore,* dum laudat quamdam Jacobi Buttrigarii quaestionem: *Videatur, inquit, quaestio domini Jacobi Buttrigarii patris.* Supremum diem obiit anno MCCCXXXXVIII quo etiam testamentum condidit, quod videris in Appendice (6).

(1) In *Libris redit. et expens. Conventus s. Francisci* an. MCCCXXVIII ad diem VI Februarii: « Pro anima mag. Michaelis de Bertalia etc. ».

(2) In libro qui inscribitur: *Dottori bologn.*, p. 137: « Sepulcrum dn. mag. Michaelis de Bertalia doctoris in scientia medicinae et suorum descendentium qui obiit an. domini MCCCXXVIII die VI Februarii ».

(3) In vita ejusd. scripta a Lancillotto.

(4) In *Memor. Thomaxii de Blanchittis* VII Augusti MCCCXXXXIII: « Nobilis et honesta dna Placidia etc. ».

(5) *Mem. Juliani Ramenghi* V Sept. MCCCXXXVII.

(6) TIRABOSCHI. *Op. cit.*, lib. II, cap. IV, § X. — FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Bottrigari Giacomo.* — SAVIGNY. *Op. cit.*, lib. VI, cap. XXXXIX. (C. A.)

V.

PETRUS DE CERNITIS.

I. Miror sane Diplovataccium et Pancirolum, qui de claris jureconsultis ex instituto scripserunt, vix Petri de Cernitis mentionem fecisse; cum tamen constet, ipsum per haec tempora magna sui nominis celebritate jus civile Bononiae docuisse et quaedam etiam literarum monumentis commendasse, Diplovataccius quidem illius meminit honorificentissime in vita Joannis Andreae celeberrimi illius sacrorum canonum interpretis, inquiens: *Petrus de Cernetis* (omnino tamen legendum *de Cernitis,* quod satis declarant monumenta nostra bononiensia) *divinarum et humanarum legum fidissimus interpres bononiensis, qui plures quaestiones disputavit, de quo per Joannis Andreae in add. Specul. in tit. De inquis. etc.* Pancirolus autem, lib. 2, pag. 152, postquam egit de Jacobo Ardicione veronensi, haec subdit: *Post Jacobum in feuda praeclare Petrus Cernitis, alias Cerulus* (nescio unde auferat Pancirolus hanc aliam denominationem) *bononiensis scripsit, cujus aliud ad posteros non pervenit. Is Bartholo lauream doctorum petenti et doctrinae periculum facturo, recitandam assignavit L. 1 C. Quemad. test. aper.*

II. Sed revera dignus erat Cernitus, ut laudati scriptores locum et quidem non postremum inter clariores legum interpretes, de quibus scribendum susceperunt, eidem facerent. Paucis nunc de ipso agemus. Quo tempore natus sit, non constat; certum tamen est, ipsius ortum ad saeculum XIII pertinere, cum sub ipsa sequentis saeculi initia, nempe anno MCCCIV postulatus fuerit per scholares universitatis ad doctoratus honorem una cum Jacobo Belvisio et Thoma de Marzaloliis [1], qui omnes erant scholares et ut ajebant, *bachalarii,* quique non nisi extraordinarie legere poterant. Crediderim autem, vel statim post hanc petitionem, eo honore auctum fuisse Petrum, vel certe exiguo post tempore; nam ad annum MCCCVI in Memorialibus Communi vocatur *legum doctor* [2]. Eum porro magna in aestimatione apud omnes fuisse, illorum temporum Acta satis declarare possunt, in quibus saepe numero ejus mentio occurrit; ejusque doctrinae et integritati graviora ad expediendum negotia fuisse commissa, ex iisdem novimus. Cum gravis nimis atque etiam injusta ea lex videretur, qua scholaribus jubebatur, ut post adeptam doctoratus lauream sacramento se obstringerent de non docendo in alia civitate nisi Bononiae, anno MCCCXII, scholaribus ipsis petentibus, res in consultationem adducta est. Et Petrus quidem noster, cujus sapientiae et scholares et civitas plurimum tribuebant, sententiam tulit, qua nullam esse hujusmodi legem pronuntiavit. In Petri sententiam itum est ab omnibus et lex omnino abrogata; quemadmodum constat ex Libr. Provis. in Archivo nostro publico. Hujus rei Acta dedit Ghirardaccius tom. I, lib. XVII. Nos quoque eadem accuratius transcripta dabimus in Appendice [3]. Sed amplissimum de illius fama et doctrina testimonium, si quid sentio, habemus anno MCCCXXII; cum nimirum Petro de Cernitis datum fuit ex S. C. negotium de universitate instau-

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Ex *Memor. Deotefe de Ranfredis* die XIX Octobris MCCCVI. « Dn. Fulchus et dn. Johannes fratres et filii qu. dn. Thomaxii Horaboni de Imola ex parte una ex dna Olia uxor Henrici Hospitatoris ex altera in presentia dn. de Cernitis leg. doct., Nicolai de Lanciis et dn. Jacobi de Buttrigariis etc. prorogaverunt compromissum etc. in predictos dn. Petrum Nicolaum et Jacobum etc. ».

(3) *Vide Appendicem.*

randa; quod quidem suscepit una cum aliis illorum temporum illustribus doctoribus, Macagnano de Azzoguidis, Joanne Andreae et Jacobo de Buttrigariis (1).

III. Numquam alio profectum fuisse ad docendum certum pene arbitror, cum ab anno MCCCIV, quo tempore, ut diximus, inter doctores connumeratus fuit, usque ad annum MCCCXXXVIII, quo excessit, ejus saepissime in Actis publicis mentio occurrat et quidem apud Ghirardaccium (2) anno MCCCXXV legimus, Petrum de Cernitis centum libras stipendio docuisse una cum Raynerio de Forolivio aliisque, de quibus infra; quemadmodum constat ex Libr. Provisionum in Archivo nostro publico (3). Et praeterea in aliarum Italiae universitatum historiis nihil umquam occurrit, ex quo conjectari possit, ipsum extra patriam juris scientiam professum fuisse.

IV. De illius anno emortuali dubitandum non est, cum adhuc extet in peristylo divi Jacobi Majoris inscriptio, quam referunt historici nostri quaeque hujusmodi est:

HIC · JACET · VIR · MEMORIOSUS
DOMINUS · PETRUS · DE · CERNITIS
LEGUM · DOCTOR · LEGALISSIMUS
SEPULTUS · MCCCXXXVIII · XIII · DECEMBRIS

Ex hac inscriptione apparet, Petrum memoriae vi plurimum valuisse, atque idcirco in illo sepulcrali titulo appellari *virum memoriosum;* neque enim aliam notionem nobis ea verba, ut arbitror, exhibere possunt.

V. Oculis ipsum laborasse constat. Haec enim occurrit ipsius nomine facta petitio ad annum MCCCXXI, die XIII Novembris in libro Provis. C. *Cum domino Petrus de Cernitis legum doctor inceperit legere de mane, superveniente oculorum aegritudine, hortatu medicorum petit, ut legere possit extraordinarie horis commodioribus, quae sibi placuerint, minus frigidis, quoniam matutinis non posset sine periculo.* Fortasse hoc morbo invalescente, vel omnino, vel ferme omnino hoc sensu destitutus, Petrus jus memoriter deinceps explicavit; atque hinc a memoria, qua plurimum valuit, *memoriosus* est dictus.

VI. Plura scripto reliquit, contra ac visum est Pancirolo, qui ei tantummodo tribuit *Lecturas* in *Libros feudorum;* nam praeter has extant illius *Consilia* edita Lugduni, *Quaestiones juris* et *Commentaria* super Codice impressa Bononiae (4).

VI.

THOMAS ET PHILIPPUS DE FORMAGLINIS.

I. De utroque meminit Diplovataccius in vita Guidonis de Baysio; et Thomam quidem appellat eruditissimum utriusque juris professorem. Pancirolus eumdem non ignoravit sed nomen vix recitat; aitque nihil extare quod ejus memoriae illustrandae inservire possit. Nos vero hic paucis dabimus, quae de ipso ex monumentis nostris haurire potuimus.

(1) *Ibid.*
(2) GHIRARDAC., lib. XX.
(3) *Vide Appendicem.*
(4) *Biblioth. legalem Augustini Fontana,* t. I, p. 214. [TIRABOSCHI. *Op. cit.,* lib. I, cap. III, § IV. — FANTUZZI. *Op. cit.* art. *Cerniti* o *Cernetti Pietro*]. (C. A.)

II. Patrem habuit Rolandinum; quod constat in primis ex ipsius tabulis testamentariis, quae extant in Memorialibus Communi, Archiv. publici ad annum MCCCXVIII, sub die XXV Augusti (1). Ex iis compertum fit haud mediocres ipsi opes fuisse; nam praeter alia jubet aedem construi in honorem B. M. V. in Castro Vetranae, ita ut in ea unus sacerdos cum clerico morari possit. Grandaevum ipsum fuisse oportet sub initia saeculi XIV, cum in Actis publicis illorum temporum saepe occurrat illius mentio, eumque variis negotiis interfuisse constet. Itaque floruit in scholis et civitate etiam sub fine saeculi XIII, una cum Guidone et Jacobo de Baysio, prout statuit Diplovataccius, ejus tamen illustriora facta pertinent ad saeculum XIV.

III. Hic quoque, quemadmodum celebriores academiae nostrae professores, Rempublicam attigit, variisque pro civitate legationibus functus est, splendida sane ea fuit, quam anno MCCCXXVI obivit una cum Jacobo de Artinixiis et Bambajolo de Bambajolis, ut constat ex Libr. Reform. in Archivo publico ad hunc annum, quo quidem profectus dicitur Brixiam, Regium, Parmam et ad legatum Pontificis Beltrandum, pro arduis negotiis; et ne hujus rei suspicio esset aliqua, iter hujusmodi per inhospitas occultasque vias confecisse narratur (2). Arbitror autem, de recipiendo in urbem legato actum in primis fuisse, quod sequenti anno contigit. Sed et aliis subinde honorificis functus est legationibus ad Pontificem; anno enim MCCCXXXI cum Beltrando illud in votis maxime esset, ut Pontifex certior fieret de optima Bononiensium voluntate erga Romanam Sedem, quod sane legatus suae augendae dignitati, sibique Pontificis benevolentiae conciliandae plurimum conducere posse arbitrabatur, ex Senatusconsulto delecti fuerunt legati Thomas noster et Rolandinus de Galluccis, quibus negotium datum fuit, ut Pontificem adeuntes civitatis erga ipsum obedientiam testarentur, ac cum ipso magnopere agerent de Pontificis Sede Bononiae constituenda, totaque Curia huc transferendo, de quo per Beltrandum spes nostris injecta fuerat. Egregie suo functos munere legatos constat vel maxime ex Pontificis Literis datis Communi Bononiensis anno MCCCXXXII, XIII kalendas Julii, quas vide in Appendice (3).

IV. Quoniam vero Pontificis plurimum intererat, ut ea, quam diximus, spe allicerentur Bononienses, legatos ipsos diutius penes se retinuit, novis semper causis emergentibus, quibus suum ad civitatem nostram adventum differre cogeretur. Thomas tamen ex Pontificis indulgentia per aliquod temporis intervallum suum deseruit munus, atque in patriam rediit, fortasse domesticorum negotiorum causa (4), sub finem anni MCCCXXXI Avenionem sequenti anno reversus, magno studio cum Pontifice egit, ut datam fidem liberare tandem vellet; sed frustra prorsus, nam Pontifex aliis atque aliis curis negotiisque impeditus Bononiensium votis satisfacere non potuit, legatosque anno MCCCXXXII Junio mense ob se dimisit, sui accessus spe non quidem sublata, sed in incertum omnino tempus producta. Constat tamen legatos statim non discessisse; eodem enim anno sub finem Sextilis mensis datae sunt a Pontifice Bononiensibus Literae, ex quibus compertum fit Thomam nostrum et Rolandinum de Galluciis civitatis nomine iterum a Pontifice summa contentione petiisse, ut suum Bononiam adventum maturare vellet ne triste aliquid civitas pateretur (5).

(1) *Vide Appendicem.*
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*
(4) De hoc ejus regressu constat ex patentibus, ut vocant, literis Pontificis datis an. MCCCXXXI, XVII kal. Oct. Sunt in *Cod. Diplom. Gymn. Bonon.,* n. 83.
(5) *Vide Appendicem.*

V. Ex his constare satis potest Thomam magnae in rebus agendis prudentiae dexteritatisque fuisse. Sed ejus laudi dandum est, quod ita publica negotia gesserit, ut suam universitati operam impendere minime neglexerit. Diplovataccius loco, quem supra diximus, affirmat plura ipsum in legum scientia scripsisse ejusque plures extare *Disputationes,* quarum exempla rara esse dicit (1). Magnam fuisse de illius doctrina famam, satis ostendunt summi illi legum et canonum interpretes, qui per ea tempora floruerunt, quique in suis operibus saepe laudant ejus sententias, ut Joannes Andreae, Bartolus et Baldus (2); quod testatur idem Diplovataccius, Orlandus in suo libro *De doctoribus bononiensibus* scribit, quaedam Thomae *Opuscula* adhuc suo tempore extitisse; de quo fides sit penes ipsum.

VI. Sed et scholas proprias pro more celebriorum doctorum ipsum habuisse, notum fit ex Libro Reform. in Archivo publico ad annum MCCCXVII, ubi Conradus quidam nominatur, qui juri addiscendo vacabat in scholis domino Thomae de Formaglinis. Fatendum tamen est ipsum, postquam publicas ad Pontificem legationes obire coepit, de augenda re familiari deque honoribus captandis potius quam de studiis cogitasse. Cum enim a Pontifice, ad quem missus fuerat, et diligi et plurimi etiam fieri intelligeret, opportunam hanc minime neglexit occasionem; ab eoque tum annuum V floren. auri reditum impetravit, tum immissionem in bona Maxolini de Guastavillanis, quae ex laesae majestatis crimine, in quod Maxolinus inciderat (3), Fisco Principis obvenerant, tum denique praeturam in aliqua ex Romandiolae civitatibus impetravit. Haec omnia innotescunt ex Literis Pontificis ad Beltrandum Bononiae legatum datis anno MCCCXXXII, quas vide in Appendice (4). Utrum autem his Pontificis beneficiis uti revera potuerit, incertum mihi est, cum ex laudatis Literis constet, omnia Beltrandi arbitrio et voluntati permissa fuisse, Ghirardaccius, *Hist. Bonon.,* lib. XXI, ad annum MCCCXXXIII narrat, Ordelaphios ghibellinarum partium fautores, occupato per vim Forolivio et civitate pulsis omnibus, quos eidem regendae Beltrandus praefecerat, Thomam de Formaglinis civitatis pro ipso Beltrando rectorem in vincula dedisse. Quod sine teste tradit Ghirardaccius, fidem mutuare potest ex iis, quae laudatis Pontificis Literis continentur; egregie namque congruunt tempora, cum Thomas sub finem praecedentis anni, sua jam functus legatione, in patriam reversus fuisset. Qua deinde fortuna usus fuerit Thomas incertum est. Constat in vivis adhuc ipsum fuisse annum MCCCXXXVIII cum ejus nomen occurrat in Literis Apostolicis illius anni, quibus Bononiensibus jubetur ut ad pristinam ergo Romanam Sedem obedientiam redeant; de qua re alibi diximus. Post id temporis nulla amplius de ipso in monumentis nostris mentio; et crediderim sane eum circa haec tempora diem supremum obiisse; sed nihil certi statui potest.

VII. Philippi mentio fit in Libro Provis. in Archivo civitatis ad annum MCCCXXVI, ubi inter eos annumeratur, qui ante adventum Beltrandi Pontificis legati plura sanxerunt ad pontificiam auctoritatem firmandam valde accommodata. Acta hujusmodi, quae apud

(1) Diplovataccii haec sunt verba: « Thomas de Formaglini patria bononiensis, utriusque juris eruditissimus atque supremus, per hoc tempus clarus existens, in legibus plura composuit, et ipsius plures extant disputationes, quarum copia rara est. ».

(2) De eo cum laude loquuntur JOANN. ANDREAE in *Addit. ad Spec.,* tit. *De cess. action.,* rubr. in *Addit. magna,* et in tit. *Statu monach.,* rubr. *Circa medium;* BART. in l. 1 *De tutel. et rationib. distrahen.;* ALBERIC. in l. 44 *Deo nobis. De Episc. et Cleric.,* et BALDUS in l. *Cum te,* C. *De donat. ante nupt.* etc., ubi ipsum appellat egregium et famosum doctorem.

(3) De hac re altum apud scriptores nostros silentium; dubitari non potest, quin Maxolinus iste aliquid contra legatum tentaverit, ut civitatem in libertatem vindicaret.

(4) *Vide Appendicem.*

Ghirardaccium aliqua ex parte referentur, integra dabimus in Appendice (1); illustrandae enim illorum temporum historiae non parum apta videntur. Fuisse eum Thomae de Formaglinis fratris filium, tradit idem Ghirardaccius, lib. XXI; quod tamen affirmare non ausim, cum mihi de hac re non suppetant antiqui testes.

VIII. Ejus maximam fuisse in juris scientia doctrinam; memoriae tradidit Joannes Andreae, celebris ille canonum professor, de quo pluribus agemus inter juris canonici professores. Loca omnia, in quibus Joannes Andreae hujus Philippi cum laude meminit, diligenter collegit Diplovataccius in vita ipsius Joannis pag. 194, in codice bibliothecae Instituti scientiarum. Ex iis autem simul junctis praecipua hujus professoris suo aevo admodum celebris, gesta intelliguntur, etsi de eo scriptores nostri vix mentionem fecerint, exteri vero nullam omnino. Laudatus Joannes Andreae eum appellat generum suum, tum saepe alibi, tum *Comment. in Sex. Decret. c. Decet,* ubi agens de immunitate, seu vacatione a publicis muneribus, quae simul alicui concessa ob filiorum numerum, minime cesset secuta morte unius vel plurimum de familia, laudat pro hac sententia etiam Philippum de Formaglinis; ejusque haec sunt verba notatu digna: *Pro hac, inquit, secunda parte* (nimirum pro opinione illorum, qui censent immunitatem haud tolli imminuto numero liberorum) *fuit hic per dominum Mauritium* (2) *disputatum, solutum et jamdudum per solemnes doctores in facto consultum et nuper iteratum per bonae memoriae generum meum Jo. Philippum de Formaglinis legum doctorem.*

IX. Exilio ipsum una cum uxore mulctatum esse et in exilio extremum diem obiisse, narrat idem Joannes Andreae in addit. *Specul. De secundis nuptiis* (3), ubi ait, quod sibi tristitiam auxit ejus relegatio secundum calamitatem italicam; ex qua secuta fuit mors ipsius et filiae. Arbitror autem, iis verbis *secundum calamitatem italicam* indicari Ghibellinorum et Guelphorum inimicas factiones, ita sane ut anno MCCCXXXVI, quo vel maxime in civitate nostra pars guelpha, sive jeremiensis, labefactata est, pulso per summum nefas Beltrando Apostolicae Sedis legato, ut saepe jam diximus, Philippus, quem satis constat partem guelpham secutum fuisse (4), exilii poenam sustinere coactus sit. Ibidem autem Joannes Andreae magnopere extollit generi sui in disputando copiam et subtilitatem; quod etsi dandum aliqua ex parte sit necessitudini quae inter ipsum et Philippum erat, adhuc tamen idoneum et illustre satis de illius doctrina testimonium in iis quae ex Joanne Andreae allata sunt, habemus. In primis autem dubitare non possumus, quin plura in legibus disputaverit, quae non mediocris auctoritatis habita sunt, quaeque postmodum interiere, Diplovataccii tamen aetate illius in jure quaestiones adhuc extabant; quod conijcio ex verbis ejusdem Diplovataccii, qui ait: *Floruit anno Domini MCCCXXXV, ut in finem suarum disputationum apparet;* quod etiam ostendit, Philippi *Disputationes* in unum collectas fuisse.

X. Quo anno mortuus sit, non constat; sed putandum est, circa anno MCCCXXXX. Cum enim Joannes Andreae, qui vivere desiit anno MCCCXXXXVIII, nam in *Speculum* Durantis additiones scribens, loco nuper laudato affirmet, Philippum longo ante tempore extinctum fuisse, facile est intelligere, ipsum vel ante vel paullo post annum MCCCXXXX in vivis amplius non fuisse (5).

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Innotescit hic Mauritius, cujus ne nomen quidem in nostris et exteris scriptoribus occurrit. Illustrem tamen et magnae auctoritatis fuisse, vel ex solo Joannis Andreae testimonio satis comprobatum.

(3) *Specul.* l. 4, pag. 482, edit Venet. an. 1602.

(4) *Vide Appendicem.*

(5) TIRABOSCHI. *Op. cit.*, lib. II, c. IV, § XXXI. — FANTUZZI. *Op. cit.*, art. *Formaglini Filippo e Tommaso.* (C. A.)

VII.

RAYNERIUS ARISENDUS FOROLIVIENSIS.

Ex nobili Arisendorum gente natus est Raynerius sub fine saeculi XIII; nam adulto nondum saeculo sequenti, nimirum ante annum MCCCXXIV inter auditores Sacri Palatii litibus judicandis in Romana Curia assedit; ut omnes pene, qui de hoc celebri jureconsulto scripserunt testantur (1). Ex quibus etiam intelligimus, ipsum aliis quoque honestatum dignitatibus, ex quo quidem de ejusdem fama judicium ferri potest (2). Illud certum est, ex monumentis publicis anno MCCCXXIV, a nostris conductum C libr. stipendio (3), ut in academia jus civile explicaret; in quo quidem munere obeundo omnium, quae de eo erat, expectationem facile vicit. Ad plures annos hic substitisse, nec sedem mutasse usque ad annum MCCCXXXVIII arbitror; hoc enim anno, quo inter magnos civitatis motus, praeter alia, interdictae etiam fuerunt a Pontifice scholae, Raynerius, Thaddaei de Pepulis, qui tum civitati imperabat, voluntate et consilio in Castrum S. Petri, tamquam in tutissimum portum, se recepit, eo accedentibus aliis professoribus, multisque praeterea scholaribus. Habemus id ex Memoriali Matthaei de Griffonibus, apud Muratorium, *Rer. Ital. script.*, tom. XVIII, pag. 163, *De mense Aprilis dominus Raynerius de Forlivio doctor legum et sex scholares electi ad legendum et tenendum studium in Castro S. Petri propter interdictum studii, iverunt ad dictum Castrum dicta occasione et multi scholares iverunt ad intrandum ibi dicta de causa.*

II. Sed brevi admodum tempore huic veluti novae universitati vel praefuit vel praesidio fuit, ipsa nimirum statim, vel pene statim dissociata. Nam eodem anno MCCCXXXVIII Pisas profectus est, ubi docuit usque ad annum MCCCXXXXIV, quo tempore a Carrariensibus invitatus, Patavium se contulit. Quanta esset illius doctrinae fama, ex eo certe intelligi vel maxime poterit, quod ad docendum in patavina academia conductus fuerit aureis DC (4), quae summa tunc temporis pro thesauro habebatur, ut ait Jacobus Facciolatus in historia academiae patavinae. Susceptum tanta cum dignitate munus in celebri illa universitate, numquam postea deseruit, donec anno MCCCLVIII vivendi finem fecit et honorifice admodum ad divi Antonii tumulatus fuit, apposita inscriptione, quam Pancirolus, Marchesius aliique referunt. Diplovataccius eum senem admodum fuisse affirmat. Narrat enim, ipsum supremo vitae tempore ita viribus debilitatum fuisse ut, cum saepenumero media in ipsa lectione deficeret, cibi aliquid degustare, ad revocandas vires in ipso subsellio ex quo lectiones habebat, omnibusque inspectantibus, cogeretur (5).

(1) PANCIROL. *De cl. leg. interpr.*, l. II, cap. LXII; MARC. MANT. *De viris illustr.*, cap. CCXXI; FABRIC. *Biblioth. mediae et infimae latinit.*, lib. XVII, pag. 45; MARCHESIUS. *De viris illustr. Foroliv.*, lib. II, cap. II, et ante hos omnes DIPLOVAT., pag. 202 et seq. in Cod. Instit. Scient. Bonon.

(2) Iisdem scriptoribus affirmantibus fuit Raynerius eques auratus et Caroli Caesaris a Consiliis.

(3) In *lib. Provis. V in Archiv. publ.*

(4) In *Histor. Cortusiorum*, l. 8, cap. XIV apud MURATOR. *Rer. Italic. script.*, t. XII; « Eodem anno MCCCXXXXIV et mense (Septembris) dn. Umbertinus habuit ad salarium DC florenorum Raynerium de Forlivio doctorem legum egregium, qui vere Studium fama et opere decoravit ».

(5) « De ipso (Raynerio) memini dn. Franciscum Bultinium doctorem neapolitanum legendo, lib. II, cap. *De edend.*, dixisse, quod Rayn. de Forliv. senio ductus, cum amplius legere non posset, in medio lectionis comedebat in cathedra legendo ». DIPLOVAT. in *Vita Raynerii*, pag. 203 in cod. Instit. Scient. Bonon.

III. Magnum illius fuisse ingenium laudatus Diplovataccius memoriae prodidit et omnes deinde, qui de ipso scripserunt, atque in primis Marchesius, qui de hoc professore concive suo ex instituto egit. Sed memorat etiam, ipsum immodicum quandoque sui ipsius aestimatorem fuisse, neque si quis contra ejus opiniones disputasset patienter id ferre potuisse. Pisis cum esset ibique una cum Bartolo, quem olim Bononiae auditorem habuerat, jus civile profiteretur, acriter disputavit contra ipsum, non quidem veritatis inquirendae studio elatus sed metu quodam gloriae amittendae (1). Gessit etiam inimicitias cum Signorolo de Homodeis jurisconsulto eximio (2); de quo infra agendum erit.

IV. Multa ipsum in varias juris partes scripsisse, testatur in primis Diplovataccius, qui inter cetera ait, se vidisse antiquum librum cujus initia ita exscribit: *In Christi nomine, totiusque caelestis Curiae. Amen. Anno Domini MCCCLV indictione VI. Incipit lectura Dig. vet. tradita per illustrem et egregium doctorem dominum Raynerium de Arexentis de Furlivio tunc inchoantem XXXVI annum suae lecturae, ac legentem in nobili studio paduano in contractu Donius Dei die Martis XX mensis Octobris, quam ejus lecturam voluit nominari .... cujus nominis rationem ponit in fine lecturae.* Sed diligenter admodum Raynerii scripta recenset Marchesius et ante ipsum Augustinus Fontana in sua *Bibliotheca legali,* part. II, pag. 143 et 153, 154; apud quos haec videri possunt. Indicat Marchesius codicem bibliotheca Collegii Hispani bononiensis, in quo extant quaedam Raynerii opera; aitque, optandum esse, ut eadem publicae et privatae utilitati profutura in lucem proferantur. Nos hujus codicis excerpta dabimus in Appendice (3). Hactenus de hoc extero professore, de quo ea solum attingere satis fuerit, quae vel non omnino nota vel ab aliis minus diligenter excussa videri poterant. Paucissimis nunc de ejus filio Arsendino.

V. Hunc Bononiae ad aliquod saltem tempus docuisse, et fortasse sub finem vitae scripsit Pancirolus ex testimonio Pauli Cast. in l. I, Dig. *De acq. poss.* De eo tamen altum in monumentis nostris silentium. Arsendini mentionem facit Diplovataccius in vita Raynerii patris (4), eumque prae omnibus sui temporis jureconsultis excelluisse affirmat auctoritate Andreae Sicul. in c. I in penult. colum. *Dè judic.* Paternam gloriam in juris scientia tradenda, vivente adhuc ipso patre, aemulatus est; ac defuncto patre, non doctrina modo, sed prudentia etiam et rerum usu plurimum valuisse dicitur, ita sane ut Franciscus de Carraria Patavii dominus pro expediendis difficillimis negotiis ejus opera uti voluerit. Id proditum est in historia patavina Gatororum apud Muratorium, *Rer. Ital. script.,* tom. XVII, pag. 65, 66, 80, 97, ubi Arsendinus nominatur Argentinus de Forolivio. Si autem verum sit, Arsendinum Bononiae docuisse, arbitror id referendum esse ad annum MCCCLXXII. Eo namque tempore, docente eadem historia, a Francisco Carrariensi missus est Bononiam una cum Bonifacio Lupo, ut cum legato Pontificis agerent de propulsandis injuriis, quas Veneti Carrariensibus inferebant. Cum autem Arsendinum suo jam functum munere Bononiae substitisse, compertum fiat ex eadem historia pag. 100, cumque ipsius haud amplius mentio in ea

(1) Rem narrat JASO in l. *Omnes populi in repetit. ticinen.,* Dig. *De justitia et jure,* additque, id tentatum a Raynerio, ne a Bartolo superatus in legum scientia videretur. Marchesius autem veritus fortasse, ne Raynerii sui gloriae id officiat, ipsum hac culpa liberare nititur. Sed frustra prorsus; eam enim in Raynerio agnoverunt, praeter laudatum Jasonem, alii, qui nullo partium studio tenentur.

(2) De hac nota controversia vide apud laudatum MARCHES., *loc. cit.*

(3) *Vide Appendicem.*

(4) In Cod. Diplovataccii in *Biblioth. pub.* non Arsendinus, sed Argentinus nominatur. Sed erratum plane, et Arsendini nomen retinendum.

occurrat annis insequentibus, verisimile est Arsendinum in litterario quodam otio apud nostros conquiescere voluisse, tot rixarum et negotiorum pertaesum. Et quoniam in patavina ditione bellorum tumultus rerumque omnium perturbatio haud brevi tempore cessarunt, credibile est Arsendinum de suo Patavium reditu amplius non cogitasse et hic vivendi finem fecisse. Diplovataccius in Arsendini vita ait ipsum praeclarissima *Commentaria* in jure scripsisse; quae modo certe non extant. Addit, se vidisse quoddam *Consilium* manu ipsius Arsendini subscriptum (1).

VIII.

PETRUS DE BOMPETRIS.

I. Hujus genus ignotum; sed tamen nulli suorum temporum in civitate nostra illustriori vel in legum scientia vel in rerum agendarum peritia cessisse, compertum est. Et miror sane neque Diplovataccium neque Pancirolum hujus vel leviter meminisse. Ejus fama increbuit adulto jam saeculo XIV; nam illius primo mentionem reperio in monumentis nostris publicis ad an. MCCCXXXIV; quod argumentum est, ipsum sub ejusdem saeculi initio adolescentiorem adhuc fuisse. Anno igitur MCCCXXXIV in Lib. Reform. XXI Septembris mentio habetur Petri de Bompetris, qui ibidem vocatur legum doctor, quique una cum Thoma de Pacibus jurisperito eligitur a Communi bononiensi judex et arbiter in controversia, quae ipsi Communi erat cum haeredibus Petri de Blanchittis (2). Singulis porro annis, qui post hunc sequuti sunt, pene usque ad annum MCCCLXXXXVII, quo extremum diem obiit, ejus nomen occurrit in monumentis nostris; et ita sane ut gravissima et difficillima negotia eidem delata intelligamus; quod quidem cum ejus summam fuisse doctrinam declarat, tum illud etiam ostendit mirari neminem posse, si in universitatis muneribus obeundis temporis parum impenderit, nihilque in juris scientia scriptum post se reliquerit.

II. Rempublicam igitur opera et consilio juvit Petrus; atque inter caetera illud constat an. MCCCXXXVI ab antianis et consulibus delectum ipsum una cum Francisco de Liazariis ad expendenda jura illorum qui damnatorum et rebellium bona (3) sibi vindicabant. Est etiam ipsi perhonorificum, quod pro novis civitatis statutis condendis inter alios legum doctores ad id muneris electus fuerit. Immo potiores fuisse illius partes in hoc negotio, ex eo conjicio, quod anno MCCCXXXVI inter horum statutorum conditores primus nominatur Petrus de Bompetris, et deinde Joannes de Gusbertis, aliorum nominibus praetermissis (4). In his autem statutis notatu digna est *Rubrica*, qua cavetur, ne ullo unquam tempore civitas quempiam sibi in dominum assumat. Sed cum insequenti anno MCCCXXXVI Taddeus civitatis dominatum arripuisset, lex hujusmodi, ne civitati et statutorum auctoribus dedecori esset, abrasa est, non ita tamen ut peritos oculos effugiat. Viderat igitur ea, qua erat, sapientia et prudentia Petrus noster quantum communi bono obesse posset unius in civitate imperium

(1) Tiraboschi. *Op. cit.,* lib. II, cap. IV, § XIX. — Savigny. *Op. cit.,* lib. VI, cap. LIV. — Brandi. *Vita e dottrine di Raniero da Forlì.*

(2) *Vide Appendicem.*

(3) *Ibid.*

(4) In *lib. Reform.* ad hunc an. XI Septembris. Extant haec Statuta in Armario, ut ajunt, in Archivo publico. Sunt in iis quaedam ad Studium spectantia, quae dabimus in Appendice.

adeoque hujusmodi calamitatem, quam fortasse jam jam impendentem persentiebat, a patria procul arcere, ea lege rogata, pro viribus conatus est.

III. Sed turbatis etiam rebus, postquam, ut diximus, imperium arripuit Thaddaeus, civitati prodesse non destitit Petrus, qui medius quodammodo inter Thaddeum et Pontificem omnia componere studuit. Itaque saepe civitatis nomine orator ad Pontificem profectus est. Et quidem anno MCCCXXXVIII Avenionem concessit, ut cum Pontifice ageret de reconcilianda civitate; quod ipsi, aliisque una ad id muneris delectis e voto successit; ut constat ex serie Literarum Apostolicarum, quae extant in Codice Diplomatico civitatis Bononiae, n. 80 [1] ad annum MCCCXXXVIII. Sed cum posmodum allatis Bononiam Pontificis literis, quaedam in ipsis contenta Bononiensibus minus arridere potuissent, et hinc perturbatae iterum res in civitate, biennio post anno nimirum MCCCXXXXIV Aprilis totius civitatis voluntate destinatus iterum ad Pontificem est Petrus, una cum magistro Bonaventura Jacobini, ut a clementissimo Pontifice et errati veniam et postulata impetrarent. Illud vero animadversione dignum est, quod cum in priore legatione, quam anno MCCCXXXVIII obivit Petrus, nihil aliud ipsi ejusque Collegis nisi preces demandatae essent (fidem enim civitatis in se susceperat Rolandus Elephantutius, quem iccirco syndicum et procuratorem constituerant Bononienses), in hac altera integrum delatum est negotium Petro et Bonaventurae Jacobini; qui sane in eo expediendo tanta sunt usi felicitate, ut et Pontificis animum lenierint pacisque dinturnitati optime consuluerint [2].

IV. Rebus sic pacatis, tantaque prudentia compositis, hoc eodem anno in patriam reversus est Petrus; cumque ob negotia tam bene gesta acceptus quammaxime esset Thaddaeo, qui pro Pontifice civitatem cum imperio administrabat, ejus fidei dexteritatique plura, eaque gravissima negotia annis insequentibus commisit Thaddaeus; ut constat ex Actis publicis illorum temporum [3], in quibus usque ad annum MCCCXXXXV ejus fit mentio. Petrum obiisse ex peste anno MCCCXXXXVII, scribunt Ghirardaccius, lib. XXI, et Alidosius, pag. 173; quod quidem est admodum verisimile, cum eo anno ingens numerus civium, et quidem illustriorum, illius vi morbi magno reipublicae detrimento sublatus sit. Eorum nomina recitat Ghirardaccius (loc. cit.), apud quem legi possunt. Vitam ad senectutem non produxisse existimo; quoniam, ut superius dictum est magni nominis in civitate esse coepit circa anno MCCCXXXIV, neque, quod sciam, ante id temporis publicis negotiis interfuit.

(1) De his vide in THADDAEO.

(2) *Vide Appendicem.*

(3) An. MCCCXXXXI Romam ivit cum mag. Thura Medico pro reconcilianda civitate cum Ecclesia. Videtur autem Romae permansisse; eodem enim anno decernuntur illi CL floreni aurei. An. MCCCXXXXIII legatus Florentiam missus est ad ducem una cum Minio de Garisendis. An. MCCCXXXXV cum decreta essent stipendia doctoribus, inter eos nominatur Petrus de Bompetris, cui lib. LXXX assignantur, quique legatus Veronam missus dicitur cum Richardo Fantuccio notario. Constat haec omnia ex Provis. sub Thaddaeo. *Vide Appendicem.*

IX.

PHILIPPUS FUSCHERARIUS.

I. Ex praenobili gente Fuscheraria, e qua Aegidius celeberrimus canonum interpres extitit, de quo uberrime actum est in altera hujus operis parte, Philippum etiam, de quo scribere aggredimur, ortum fuisse dubitandum non est. Patrem habuisse Provenzalem nomine testantur monumenta nostra. In Memorialibus enim Communi in Archivo civitatis ad annum MCCCV, XXIII Martii, Philippum filium domini Provenzalis nominatum reperio, et praeterea in *Lib. Reform.* ad annum MCCCXXXII, XXIV Febr. occurrit dominus Philippus legum doctor, filius domini Provenzalis de Fuscherariis, ubi illud notatu dignum est quod Provenzalis dicitur octogenarius, adeoque natum hunc scimus anno MCCLII.

II. Philippum nostrum magnum sibi in civitate nomen comparasse, ex eo vel maxime constare potest, quod in gravissimis civium opportunitatibus ratio habita sit doctrinae et prudentiae ipsius. Itaque varias pro civitate legationes obivit, eamque saepe juvit consilio et opera; atque, ut alia minus ad narrandum necessaria praeteream, cum anno MCCCIII bellum a nostris ageretur cum Pistoriensibus, atque iccirco, turbatis in civitate nostra rebus, timendum esset ne quid detrimenti Respublica caperet IV viri ex sapientioribus delecti sunt, qui tutandae civitatis pacisque conservandae curam in se susciperent; inter quos reperio Philippum nostrum. Cum ergo saepe adeo, tantaque diligentia publicis negotiis incumberet Philippus, credibile est ob eandem abductum pene omnino ab academiae muneribus fuisse. Atque hinc fortasse petenda ratio, cur neque Diplovataccius neque alii, qui de claris jureconsultis scripserunt, hujus professoris ne nomen quidem recitaverint maxime cum nihil in juris scientia ab eo literarum monumentis commendatum, aut fando audiverint, aut viderint. Nihilominus locus ipsi inter nostros professores jure decernendus, cum ex Actis nostris publicis constet (1), eum anno MCCLXXXXVII legisse. Putandum ergo est, ipsum saltem per aliquot annos, ante nimirum quam publica negotia capesseret, non sine laude in academia nostra docuisse, neque enim credibile esset, tanta ipsum auctoritate in Republica valuisse, nisi primam a doctrina commendationem apud suos accepisset; quod aliis illorum temporum professoribus contigisse novimus, qui post comparatam sibi in juris scientia famam ad Rempublicam gerendam accesserunt.

III. Quousque vitam produxerit, incertum mihi est. Philippi mentio fit in Codice nostro diplomatico civitatis, n. 42, ad annum MCCCXXXX, XIV Jun., quo Philippus una cum aliis legum doctoribus interfuit publicae reconciliationi civitatis cum Pontifice, de quo vide in Thaddaeo. Cum vero post id temporis nullibi, quod sciam, Philippi nomen occurrat, putandum est ipsum circa haec tempora fatis cessisse.

IV. Alium hujus nominis in gente Fuscheraria iisdem temporibus legum scientia floruisse, indicare videntur monumenta nostra. In Memorialibus enim Communis ad annum MCCCXIII, VI Octobris, nominatum reperio dominum Philippum filium olim domini

(1) *Lib. Reform. A.* — GHIRARDACCI, lib. I.

Petrizoli de Fuscherariis legum doctorem. Suspicatus eram errorem irrepsisse et loco *Petrizoli* legendum *Provenzalis.* Sed cum ibidem Philippus dicatur filius domini Petrizoli, intelligimus sane anno MCCCXIII Philippi patrem in vivis amplius per id temporis non fuisse. Provenzalis vero anno MCCCXXXII, ut paulo superius diximus, octuagesimum aetatis annum agebat. Philippi autem Fuscherarii non semel mentio est apud Ghirardaccium. In primis ad annum MCCLXXXIX refert, ex publicis monumentis, Philippum Fuscherarium inter eos delectum fuisse, quibus a nostris magistratibus delatum fuerat negotium expedendi ea, quae Guido Aldrovandinus, urbis Ravennae aliarumque civitatum Romandiolae nomine, a Bononiensibus postulaverat. Ad annum etiam MCCCII narrat Philippum Fuscherarium una cum Lambertino de Ramponibus legatum profectum fuisse ad Pontificem, qui tum erat Bonifacius VIII, et Carolum Valesium Galliarum Regis fratrem, qui ex Pontificis voluntate Florentiam venerat pro componendis Florentinorum dissidiis. Sed utrum haec vera sint nec ne, et spectare possint ad Philippum Fuscherarium, de quo modo egimus, definire non ausim (1).

---

(1) Fantuzzi. *Op. cit.*, art. *Foscherari Filippo.* (c. a.)

JURIS CANONICI PROFESSORES.

I. Nunquam defuisse apud majores nostros sacrorum canonum et ecclesiasticarum regularum studium manifesta res est. Non defuere etiam jam inde ab antiquioribus saeculis qui collectiones canonum et sacrarum legum fecerint. Sed non semper fuit haec quaedam peculiaris doctrina quae certa ratione, ut reliquae facultates, traderetur in scholis. Erat jus canonicum cum theologia conjunctum seu potius erat una eademque doctrina, quae et credendi et agendi leges ac praecepta tradebat, quaeque ad usum populi christiani ex Sacris Literis et ex Pontificum et conciliorum constitutionibus ac Patrum sententiis ducebatur. Medio circiter saeculo XII in hac sacra disciplina facta est professionum discretio et jus canonicum a theologia avulsum. Ac primam hujus novae facultatis scholam vidit academia nostra. Hic primum juris canonici professores, a theologis discreti, et doctores decretorum audiri coepti; atque hic paulatim in omnes Europae academias haec nova disciplina pervagata est. Ejus auctor Gratianus monachus, qui corpus legum ecclesiasticarum, quantum ea aetas ferebat, absolutissimum condidit et ad usum scholae accomodavit. Degebat ille ad s. Felicis, celebre olim civitatis nostrae monasterium, ubi scholas instituendae juventuti perantiquas fuisse existimo, ut erant ad nobiliora quaeque monasteria et cathedrales ecclesias. Ibi prima juris canonici incunabula fuere ac diu etiam post Gratianum in eo monasterio ejus facultatis studia viguisse videntur, ubi Omnibonus Gratiani discipulus et Huguccio Pisanus (1), aliique juris canonici professores floruerunt (2).

II. Praeiverant multi Gratiano et amplas legum ecclesiasticarum collectiones instruxerant, sed parum felici successu. Nemo enim ita secundo populi rumore in scenam prodiit ut omnibus placuerit, quemadmodum contigit Gratiano, quem deinceps omnes jurisprudentiae ecclesiasticae studiosi ejus facultatis quasi auctorem et parentem agnoverunt. Habemus plurimas antiquorum canonum collectiones, quarum aliquae typis editae sunt, pleraeque ineditae. Ex ineditis autem perpaucae sunt viris doctis notae, ut illa,

(1) De Omnibono et Huguccione infra dicendum est.

(2) Innocentius III an. MCCIV Lanfranco abbati s. Felicis causam commisit, quae agitabatur inter canonicos rhenanos et Angelicam fundatricem ecclesiae sanctae Mariae Montis Guardiae. Rursum abbati s. Felicis et Gratiae canonico bononiensi, illustri canonum professori, in difficili juris quaestione Sedem Apostolicam consulentibus respondit idem Innocentius, datis ad eos literis, ex quibus est c. *Oblatae de Appellat.* inter decretales communes.

quae Polycarpus dicitur, illa, quae Deusdedit cardinalem, illa demum, quae s. Anselmum episcopum lucensem auctorem habet (1), quibus usi sunt Correctores Romani in emendando Gratiani codice ex auctoritate Gregorii XIII Pontificis. Reliquae ignotae latent in ditiorum bibliothecarum pluteis ac multas vidi in codicibus Vaticanis (2), nec reticenda est illa, quae auctorem habet Laborantem Romanae Ecclesiae cardinalem (3), cujus autographum vidi olim in bibliotheca canonicorum basilicae Vaticanae, et synopsim ab se accuratissime factam communicavit mihi nuper Nicolaus Antonellus cardinalis amplissimus, optimarum disciplinarum et cultor et patronus eximius.

III. Ex editis vero, post collectiones Isidori, Reginonis Prumiensis et Burchardi Vormaciensis, maxime celebris est duplex illa, quae prodiit Ivone Carnotensi episcopo auctore; quarum alteram Decretum Ivonis, alteram dixere Panormiam, de quibus multa disputantur ab eruditis. Sed Decretum falso Ivoni tributum suspicati sunt aliqui, inter quos Guido Grandius professor pisanus, cum ob alias conjecturas, tum ob hanc praesertim, quod canonum collectio ab Ivone concinnata tantae molis non fuerit, quantae videmus esse illam, quae Ivonis Decretum appellatur. Auctor est enim Vincentius Bellovacensis, Ivonem, ut studiosorum commoditati consuleret, in librum, qui facile parari posset, contulisse summa veluti capita ecclesiasticarum legum, quae prius ab Isidoro in magnum volumen redacta sine magno sumptu comparari non poterant (4). At enimvero Ivonis Decretum, quod nunc habemus typis editum, magno et spisso volumine continetur, et adeo non est Isidori collectione brevius et Burchardi etiam, qui Isidorum secutus est, ut utramque vel aequet vel excedat (5). Non igitur legitimus Ivonis partus esse videtur. Itaque Panormiae quidem auctorem Ivonem agnoscit Grandius, Decreti non item.

IV. Ego Decreti quidem auctorem Ivonem censeo, sed non ejusmodi ut nunc typis editum habemus. Hoc enim quod curante Joanne Molinaeo typis editum est, aliena manu interpolatum et multis partibus auctum existimo. Habemus Romae in locupletissima bibliotheca corsiniana genuinum, nisi ego magnopere fallor, Ivonis Decretum in vetusto codice membranaceo, qui Ivonis ipsius aetatem praesefert. Totum opus est in partes XVI tributum eo ordine, quo in libris editis cernimus. Deest pars XVII, quae

(1) Dubitant aliqui num collectio canonum, quae s. Anselmi nomine insignitur, huic sancto viro reipsa tribuenda sit. Dubitandi causam praestant aliqui canones Paschalis II et aliorum Pontificum, qui post s. Anselmum Lucensem vixerunt. Sed eos recentiori manu additos censeo. Haec collectio in codice Barberino eximiae antiquitatis initio habet catalogum Romanorum Pontificum, qui definit in Urbano II. Quatuor Pontifices, qui consecuti sunt, nempe Paschalis II, Gelasius II, Calixtus II et Honorius II, scripti sunt alia atque alia manu, ut appareat post scriptum eum librum additos fuisse. Ad calcem codicis scriptae sunt duae Innocentii III epistolae, quae pertinent ad canonicos s. Frigdiani lucensis. Hujus collectionis specimen in Appendice damus.

(2) Ex earum numero est illa, de qua supra dictum est in IRNERIO, § XVII, de qua vide Appendicem.

(3) Est in codice Canonicorum Basilicae Vaticanae *Collectio canonum per Laborantem cardinalem libris VI ad Petrum praesulem pampilonensem*, spissum opus et prolixum, in quo nihil fere est quod ejus auctor a Gratiano habere non potuerit, ut collatione singulorum capitum comperiit eminentissimus Antonellus. Ad calcem haec verba leguntur: « Opus explicit Laborantis ad Petrum presulem pampilonensem. Annus hoc opus edidit integer ab illius inceptione vicesimus, Christi vero millesimus CLXXXII et ultima dies Aprilis ». Quo in opere non aliud egisse videtur Laborans, quam ut ex dissutis Gratiani Distinctionibus et Causis, in quas ecclesiasticas leges et sanctiones conjecerat, novum ipse canonum corpus conficeret juxta veterem formam, quam Ivo, Burchardus aliique canonum collectores secuti fuerant, et quam, ut arbitror, aegre ferebat a Gratiano rejectam. Sequuntur in eo codice alia opuscula Laborantis cardinalis; quae recenset Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis ad an. MCLXXXII.*

(4) « Hic inter alia laudabilia, quae fecit, Decreta Apostolica abbreviando compilavit et ordinavit. Quod quidem prius Isidorus in unum maximum volumen redegeraf, nec sine magno sumptu transcribi poterat ». VINCENT. BELLOVAC. *Spec. Histor.*, lib. XXV, c. LXXXIV.

(5) GRANDI. *Nuova disamina della storia delle Pandette* sub ficto nomine Bartholi Luccaberti, p. I, cap. VII.

in editis inscribitur *De speculativis sententiis,* quaeque nihil pertinet ad leges ecclesiasticas et non paucas paginas occupat. Singulae autem partes multo sunt breviores quam in impressis exemplaribus; nam pars I, quae in codice corsiniano habet capitula CLIV, in impressis est plusquam duplo major, habet enim capitula CCCXI. Quarta pars, quae in editis complectitur capitula CCLVII, in codice corsiniano capitulis CXXXV absolvitur; ac reliquae partes totius operis semper in libris editis exuberant. Hanc igitur canonum collectionem, quam habemus in codice corsiniano, verum ac genuinum Ivonis foetum esse existimo, non illam quam Joannes Molinaeus emisit in lucem. Qua de re, ut eruditi melius judicare possint, accuratam codicis corsiniani descriptionem in Appendice dabimus, in quo cum alia multa animadversione digna reperient tum illud etiam quod plures Pandectarum leges ab Ivone afferuntur; ex quo apparet libros Pandectarum Ivonis aetate satis notos fuisse, ac novum argumentum elicitur ad refutandam illorum opinionem qui eos libros dicunt a Pisanis apud Amalphim repertos, atque inde in doctorum hominum cognitionem perductos annis multis post Ivonis obitum (1). Neque suspicari licet leges romanas ex libris Pandectarum Ivonis libro alia manu assutas fuisse; obstat enim codicis antiquitas, quae etiam inde apertius deprehenditur quod Calixti II et Honorii II decreta in libri margine alia manu scripta sunt. Ex decretis autem Urbani II duo sunt in libri corpore inserta, reliqua in libri margine, ut de Calixti II et Honorii II decretis diximus. Vixere autem Calixtus et Honorius post Ivonem, Urbanus autem cum Ivone ipso vixit. Itaque vix dubitari posse videtur, quin codex corsinianus scriptus sit ante Calixti II et Honori II tempora, fortasse adhuc sedente Urbano II, ex cujus decretis aliqua potuere libro ipsi ab auctore inseri, alia autem postmodum adjecta sunt.

V. Multi igitur Gratiano praeiverunt in canonum collectionibus adornandis. Sed ipse novam rationem tradendi juris ecclesiastici invexit, quae ceteris palmam praeripuit. Tentaverat quidem aliquid etiam in hoc genere Ivo Carnotensis. Cum enim ceteri ante Ivonem nuda tantum decreta legesque ecclesiasticas in unum collegerint ac nihil addiderint de suo, probe intellexit Ivo Carnotensis plerumque haesitare posse ecclesiasticum doctorem et judicem, cum in leges et decreta in speciem adversantia, vel suorum temporum moribus minime consentanea incideret. Hic longa oratione, quam prologi loco suae collectioni praemisit, demonstrare agressus est quam rationem inire liceat in interpretandis, conciliandis, et pro loco et tempore moderandis ecclesiasticis legibus et institutis. Vel ipse ivoniani prologi titulus ostendit, quod ejus consilium fuerit in sua decretorum sylloge concinnanda: *Incipit prologus domini Ivonis Carnotensis episcopi ante collectiones ecclesiasticarum regularum (tam) de convenientia quam dispensatione earumdem;* quae verba, sive ab Ivone ipso scripta sive ab alio addita, satis ostendunt Ivonis mentem in eo prologo fuisse ut tentaret antiquos canones vel inter se vel cum novis committere, et, quoad fieri posset, ad concordiam revocare. Sed Gratianus, quasi ab Ivone excitatus, majorem operam in eo collocandam censuit. Itaque non paucas aliquot generales regulas Ivonis exemplo praemisit, sed in tota decretorum collectione suum judicium adhibuit, quaestiones juris ecclesiastici proposuit et dissolvit, causae egit et actiones proposuit ad earum exemplum, quae tractari solent in foro ecclesiastico; uno verbo, sua veluti manu ducere tentavit studiosos ad jurisprudentiam eccle-

(1) Obiit Ivo Cartonensis episcopus anno MCXV, ut ostendit Joannes Molinaeus ex necrologio carnotensi; Pandectarum autem libros apud Amalphim repertos tradunt anno MCXXXVII.

siasticam addiscendam. Cum autem ad sui saeculi gustum aliquantulum se accomodaverit, quo maximo in pretio erant disputationes scholasticae, ob hanc quoque causam ceteros canonum collectores e gradu dejecit et unus in scholis audiri coepit Gratianus, Decretorum Magister propterea appellatus, ut Petrus Lombardus, ob collectas in re theologica Patrum sententias, dictus est Magister Sententiarum.

VI. Neque vero Gratianus indiguit aut Romani Pontificis oraculo aut ulla publica auctoritate ut hanc jurisprudentiae ecclesiasticae scholam institueret et decretorum librum ab se editum publice interpretari posset, ut multi falso tradiderunt (1). Solo doctorum hominum consensu juris canonici principatus Gratiano delatus est, eique ad illum adipiscendum suffragata est in primis academiae nostrae celebritas, ad quam unam cum ex omni Europa permagnus fieret studiosorum concursus ad jus civile perdiscendum, facillimum fuit nascentem juris canonici scholam statim initio frequentari et apud exteras quasque nationes inclarescere. Et quoniam non alium juris canonici auctorem ac magistrum quam Gratianum noverat schola nostra bononiensis, atque hunc unum glossis et commentariis illustrabant doctores nostri, propterea non tamquam privati monachi opus sed quasi sacrum ecclesiasticae jurisprudentiae codicem omnes deinceps academiae Gratiani librum exceperunt.

VII. Haec prorsus plana et perspicua sunt. Illud autem magis ingeniose quam vere excogitatum censeo, quod nuper vir doctus et eruditus protulit de origine et causis hujus ecclesiasticae jurisprudentiae, de qua hactenus disseruimus. Longam ille disputationem de jurisconsultorum controversiis instituit earumque originem et causas studiose inquirit. Cum autem de antiquis jurisconsultorum sectis pauca dixisset, recentioribus postea temporibus ortas ait legistarum et decretistarum sectas, quarum originem repetit a factionibus Ghibellinorum et Guelphorum, quae saeculo XII maxime efferbuerunt. Cum enim Ghibellini Imperatorem sequerentur, Guelphi Pontificem, horum veluti propagines fuerunt legistae et decretistae, hi nimirum Romanis Pontificibus, illi autem Imperatoribus perpetuo addicti. Et quoniam legistae imperatoriam majestatem tuebantur pro viribus et extollebant, decretistae pontificiam, propterea illi ab Imperatoribus, hi autem a Pontificibus honorati et magnis privilegiis aucti. Quare, ut doctores legum Imperatoris auctoritate creabantur, ita, postquam Gratianus regnare coepit in scholis, doctores decretorum auctoritate Pontificis creari coeperunt (2).

VIII. Sed facile est indulgere ingenio in ornanda antiqua historia et excogitandis causis rerum, quae procul recedunt a memoria temporum nostrorum. Ego sic mihi persuadeo, etiam si nunquam exortae fussent Ghibellinorum et Guelphorum factiones, tamen decretistas non defuturos fuisse, qui, si qua in re a legistis dissentientes erant, non erat ejus dissensionis causa quod hi faverent Pontificibus, illi Imperatoribus; sed quod de quibusdam rebus, quarum tractatio aeque ad legistas atque ad decretistas pertineret, aliter leges civiles aliter ecclesiasticae statuissent. Neque prorsus duae jurisconsultorum sectae habendae videntur legistae et decretistae, qui non tam opinione aliqua dissentiunt, ut qui in eadem schola aut gente aut familia dissidia alunt, quam re tota inter se differunt. Sunt enim duae veluti civitates Respublica et Ecclesia, quarum utraque suis legibus informatur et regitur. Illae jus civile constituunt, hae jus canonicum. Non igitur expectanda fuerant Ghibellinorum et Guelphorum tempora, ut essent

(1) *Vide infra in* GRATIANO.

(2) CAROLUS FERD. HOMMELIUS professor lipsiensis *Literatura Juris,* lib. I, cap. XV. Lipsiae MDCCLXI.

aliqui qui legibus ecclesiasticis colligendis, interpretandis et illustrandis, hoc est juri canonico excolendo vacarent, atque hanc, de qua dicimus, ecclesiasticam jurisprudentiam constituerunt. Id multi ante Gratianum aggressi erant ut supra dictum est; et iis ipsis temporibus, cum leges romanae propemodum intermortuae jacebant, non defuere qui leges ecclesiasticas colligerent et in ordinem redigerent ut Regino, ut Burchardus, ut Anselmus, ut alii plures fecerunt antequam Irnerius aut mortalium quispiam de restituendis civilis jurisprudentiae studiis cogitaret. Et Gratianus ipse ante excitatas Ghibellinorum et Guelphorum factiones librum decretorum edidit et suam ecclesiasticae jurisprudentiae scholam instituit; quae neque auspicantibus neque faventibus ac tantum non adversantibus Romanis Pontificibus et instituta et celebrata est. Quare ne illud quidem verum est doctores decretorum ex auctoritate Romani Pontificis post Gratianum creari coepisse, ut antea doctores legum Imperatoris auctoritate creabantur. Nam neque doctores legum unquam in academia nostra ex auctoritate Imperatoris creati sunt, nec ante Honorium III constat Romanos Pontifices in creandis sive decretorum sive aliarum facultatum doctoribus auctoritatem suam contulisse. Sed Honorius III hunc honorem archidiacono bononiensi detulit, ut nemo in scholis nostris facultatem ullam publice docere posset quin librum ex ejus manu accepisset, hoc est in doctorum numerum ejus auctoritate cooptatus esset (1). Privilegia vero, quae dicunt doctoribus decretorum concessa a Pontificibus ut hos *Pontificiae potentiae praecones*, sic enim appellant, remunerarentur, nulla novimus (2); nec alia mihi nota sunt privilegia legum professoribus concessa ab Imperatoribus Romanis post restituta per Irnerium legum studia, quam quae habemus in constitutione Friderici I (Auth. *Habita*, Cod. *Ne filio pro patre*) quae licet edita sit praecipue pro legum studiosis, aliarum quoque facultatum professores amplectitur (3).

IX. Non recte igitur perspexit legistarum et decretistarum originem eruditus auctor, a quo haec nuper accepimus. Sed ne Fontaninus quidem verum vidit, cum a Gratiano non tam institutam quam ab excidio vindicatam et restitutam jurisprudentiam ecclesiasticam existimavit. Haec enim ejus opinio fuit, repertis in direptione amalphitanae urbis Pandectarum libris, sic homines excitatos ad studia legum civilium ut leges ecclesiasticae negligi coeperint. Itaque Gratianum eo consilio librum decretorum edidisse ut jus canonicum ab interitu vindicaret, atque ob hanc causam gradus scholasticos a Gratiano excogitatos, auctoritate Eugenii III inter professores juris canonici inductos, ut iis honoribus illecti sacri juris perennitati consulerent. Sed, ut nihil dicam de fabuloso Pandectarum invento deque excogitatis a Gratiano gradibus scholasticis, quae nulla ratione nituntur, demonstrare prius debuisset Fontaninus ante restituta per Irnerium legum civilium studia juris ecclesiastici studia magnopere floruisse, quod nunquam efficiet. Itaque adeo non nocuere ecclesiasticis legibus leges civiles, ut potius profuisse videantur. Cum enim ubique perstreperent leges civiles ab Irnerio et nostris doctoribus scholis et foro commendatae, non commoveri non poterant ecclesiastici viri, ut ipsi quoque magnam operam collocarent in perdiscendis et illustrandis suis legibus.

(1) Extant apud Sigonium, *De Episc. Bonon.* lib. II, in *Henrico a Fracta* literae Honorii III ad Archidiaconum Bonon. dat. Reate IV kal. Julii, pontificatus anno tertio; item apud Ghirardaccium, *Histor. Bonon.*, lib. V ad annum MCCXIX.

(2) Pro theologiae professoribus et studiosis habemus insignem Honorii III constitutionem, qua eorum commodis et honoribus abunde prospicitur. C. *Super specula. De magistris.* At pro canonum professoribus nihil in toto juris canonici corpore statutum reperio.

(3) Vide supra in *Praefatio ad professores legum*, § XXVI.

Id itaque in se suscepit Gratianus. Quare non canones tantum et Patrum decreta collegit, ut alii antea fecerant, sed aemulatus legum civilium professores, sacras leges ad fori ecclesiastici contentiones perduxit et ad scholae usum aptavit, quod nemo ante illum tentaverat.

X. In hunc modum natum et propagatum est, Gratiano auctore, novum hoc jus canonicum; novum, inquam, non re ipsa sed tradendi ratione, quam ipse omnium primus excogitavit, ut ante dictum est. Nam quod aliqui hujus juris novitatem accusant, quod eo exorto et Gratiani ejusque interpretum opera ubique recepto jus vetus ecclesiasticum sanctissimum extinctum sit, et sublatis disciplinae repagulis aditus apertus fuerit magnis corruptelis, quae in novo hoc jure praesidium habere dicuntur, haec est pervulgata querela hominum partim pontificiae majestati et auctoritati palam adversantium, partim importuno quodam antiquitatis amore omnia nostrorum temporum instituta fastidientium, quasi vero non ea sit rerum humanarum natura ut mutationi subjaceant; nec potuerit Ecclesia, quod omnis bene constituta civitas et respublica semper potuit, aliquid immutare in antiquis legibus et novis moribus vetera instituta accommodare.

XI. Sed omnes homines, qui hanc querelam in Apostolicam Sedem jactarunt, audacia et temeritate superavit nuper larvatus quidam scriptor, qui sub Justini Febronii jurisconsulti nomine (1) anno superiore in Germania prodiit (2). Hic omnia summo studio collegit, quae unquam excogitata sunt ad Sedis Apostolicae dignitatem labefactandam et evertendam Romani Pontificis auctoritatem. Et quamquam ubique crambem recoctam apponat et nihil in medium afferat, quod centies a nostris scriptoribus refutatum non sit, tamen videri potest magnam iniisse gratiam apud osores pontificiae majestatis, quod ea omnia quae in infinitis voluminibus et libellis dispersa jacebant, in hoc uno centone collecta habentur. Hic sibi animo fingit et quasi monstrum horrendum, ingens, quod Christiani omnes perhorrescant, tetris pingit coloribus pontificium quoddam imperium monarchicum et tyrannicum, sub quo oppressa Ecclesiae libertas et episcopalis ordo dura servitute premitur. Ex hoc fonte manasse ait corruptelas omnes quae institutam a Christo Ecclesiae politiam everterunt et prorsus immutarunt exteriorem Ecclesiae statum. Itaque totus est virulentus hic auctor in exaggeranda infinita, et effreni hac Romani Pontificis auctoritate; quam ut in invidiam trahat, non veretur multa ex veteri historia et priscorum temporum monumentis perperam interpretari et veritatem fallacibus et captiosis ratiunculis, ut ejusmodi veteratores solent, ad id, quod sibi propositum est, detrudere. Neque abstinet a fabulis (3) et jocis, imo a dicteriis et scommatibus

(1) « Justini Febronii jurisconsulti de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis ad reuniendos dissidentes in religione christianos compositus ». Bullionii, apud Guillielmum Exrardi, MDCCLXIII.

(2) Bullionii in Gallia editus fingitur Justini Febronii liber, sed omnino in Germania editus et vulgatus est. Ipsa libri forma ferme quadrata et typorum crassities quaedam, quae germanicarum officinarum propria est, librum in Germania editum demonstrant. Notum etiam est auctor natione germanus, qui in superioribus comitiis ad eligendum Regem Romanorum celebritas hunc praeclarum ingenii sui foetum magna fiducia emisit et per omnium manus ire jussit, sperans Germaniae proceres se duce conspiraturos ad comprimendam Romani Pontificis auctoritatem. Sed inania fuere ejus vota et vel ipsi protestantes ejus ausibus obstiterunt.

(3) Scripserat Nicolaus Clemangius in libro *De corrupto Ecclesiae statu*, cap. XIV, cardinalibus sui temporis conferri solere « centena, ducentena et interdum usque ad quadringenta, vel quingenta » beneficia ecclesiastica. Assentitur jurisconsultus noster; ac « dubito, inquit, an quod de immenso omnigenorum beneficiorum a cardinalibus obtineri et possideri solitorum numero queritur Nicolaus de Clemangiis, hodie emendatum sit. Sane vidi Romae anno MDCCXXV omnia per obitum cardinalis Francisci de Aquaviva vacantia beneficia a Benedicto XIII P. M. defuncti nepoti tunc abbati, postea etiam cardinali, Trojano Aquavivae simul et semel conferri, et erant numero centum et undecim ». Just. Febron. *De statu Ec-*

undecunque corrasis vel ex suo penu depromptis ut hoc etiam artificio lectores alliciat. Et quoniam pontificium hoc imperium novo jure canonico stabilitum existimat, quod Gratianus docuit, quod a nostris doctoribus propagatum est, quod academiae reliquae ab scholis nostris acceperunt, propterea graviter irascitur Gratiano et antiquis illis doctoribus, quod tantam labem christianae religioni intulerint; et de hoc novo jure canonico abolendo ad stuporem sollicitus, fines ipse tantulus homo praescribere audet pontificiae potestati, et post excitatos longa oratione non solum episcopos ad pristina jura vindicanda, sed etiam Reges et Principes ad coercendam Romani Pontificis auctoritatem novo hoc Gratiani jure suffultam, tandem ad theologiae et juris canonici doctores, qui ubique gentium sunt, convertitur, a quibus magnum causae suae praesidium pollicetur, si eos tandem veteres errores ex Gratiani libro et schola bononiensi haustos ejurare contigerit. Itaque eos ad id sedulo hortatur et post longam paraenesim, *valete,* inquit, *et Ecclesiam Christi sponsam sincere et prudenter, idest Papam, propter eam amate, et primorum vetustorum bononiensium magistrorum errores in hoc cultiori aevo emendate.... iterum valete* (1). Ita scilicet jurisconsultum, qualem se in fronte libri pro-

clesiae, cap. VII, § IX, pag. 512. Sed validum esse oportet hujus jurisconsulti stomachum, qui haec monstra concoquere possit, nam si CXI beneficia Trojano Aquavivae clerico conferri potuere, quid primariis Romanae Curiae praelatis? Quid cardinalibus? Ego, inspectis diligentissime Datariae tabulis, ne unum quidem eo tempore collatum beneficium reperio Trojano Aquavivae. Et audivi etiam hujus nobilissimi cardinalis, Ducis Hadriae filii, pertenues fuisse census ecclesiasticos antequam legati munere fungeretur pro Rege Catholico apud Sedem Apostolicam et archiepiscopatum Montisregalis in Sicilia obtinuisset. Sed scopulum video, in quem impegit Febronius. Trojano Aquavivae abbatia muscianensis et aliquot alia beneficia numero fere XX, quae simul conjuncta non admodum magnos habent reditus, quaeque ob mortem Francisci cardinalis vacaverant, attributa sunt. Ea nunc obtinet Paschalis Aquaviva Camerae Apostolicae clericus, et Maris, ut vocant, commissarius et jure optimo obtinet; sunt enim et abbatia muscianensis et beneficia illa juris patronatus Aquavivae familiae, eaque non a Dataria Apostolica, cui minime addicta sunt, sed ab episcopis, in quarum dioecesibus sita sunt, institutione canonica conferuntur. An igitur Romani Pontifices, quod sua jura patronis Ecclesiarum libera relinquant? Hoc uno exemplo intelligi potest quae fides habenda sit huic scriptori in priscorum temporum factis narrandis, cum in iis, quae se vidisse dicit, ita sit et deceptioni ipse obnoxius et ad decipiendum comparatus.

(1) Haec habet Febronius in ipso limine sui operis, satis quidem inverecunde, sed non ita tamen ut pudorem omnem et omnem pietatis et religionis sensum, quemadmodum ad operis calcem, abjecisse videatur. Capite IX, quod est extremum libri sui, quasi classicum canere videtur ut mortales omnes excitet ad bellum Pontifici Romani inferendum. Episcopos in primis hortatur ut nihil non audeant: « vos oro » inquit « quidquid sentietis, id audeatis » quae sunt M. Tullii verba in re admodum dissimili. Proponit hoc capite « media recuperandae libertatis ecclesiasticae ». Haec sunt inter cetera « concilium generale liberum » (liberum scilicet, ut Lutherani aliique haeretici loquuntur) « concors constitutum catholicorum principum, retentio bullarum apostolicarum, appellatio ab abusu, legitima resistentia contra Pontificum ausus »; nec verendas esse censuras nec schismatis periculum fore. Ita scilicet homo iste, cui satis pensi esset divinis officiis in choro cum suis sodalibus celebrandis interesse, et coram Deo tantis Ecclesiae calamitatibus ingemiscere, est enim ordinis ecclesiastici, licet jurisconsulti larvam sumpserit, tam ingentes turbas ciere et totam Ecclesiam commovere posse suis clamoribus putat. In ipsa libri fronte scripserat, se hoc opus suscepisse ad componenda religionis dissidia, hoc est reducendos in Ecclesiae Romanae gremium eos, qui desciverant; sed nulla pagella est, in qua non ostendat id unum sibi proposuisse ut catholicos omnes, ac praesertim episcopos, a Romani Pontificis obsequio avertat, haereticos autem contra Ecclesiam Romanam magis magisque irritet. Quare inter « media recuperandae libertatis ecclesiasticae » ab eo reponitur etiam « instructio apta populi ».

Audivimus nuper Franciscum Fitz-James episcopum suessionensem, simile aliquid de apta populi institutione edicentem in epistola pastorali, quam Suessione dedit die XXVII Decembris an. MDCCLXII ad clerum saecularem et regularem suae dioeceseos. In ea enim ab animarum curationibus ceterisque sui pastoralis officii administris id requirit, ut populum inter cetera accurate erudiant in doctrina quatuor propositionum cleri gallicani « quam pertinere » ait « ad revelationem et esse partem sacri depositi, quod Christus Dominus Apostolis commisit et quasi per manus traditum decursu omnium saeculorum ad nos pervenit, atque ob hanc causam ferendum non esse ut ea doctrina a fidelibus ignoretur ». Cum pauci aliquot episcopi in conventu cleri gallicani, anno MDCLXXX celebrati, quatuor illas propositiones definierunt, quibus apertissime impetitur auctoritas Romani Pontificis, magni motus ubique excitati sunt contra horum episcoporum audaciam. Hinc in Hispania Aguirraeus monachus doctissimus, postea cardinalis, et Roccabertus archiepiscopus valentinus, inde in Belgio theologi lovanienses, in Hungaria archiepiscopus strigoniensis, ex omni Italia theologi plures summi Ecclesiae Hierarchae majestatem tuendam susceperunt, et ipse Romanus

fitetur, sed mimum et joculatorem agit larvatus iste Febronius. Quis enim haec serio agat? Aut quis ex jurisconsultorum ordine Gratiano et nostris antiquis doctoribus ac multo magis Romano Pontifici, ut cetera tollantur, saltem tam longi temporis praescriptionem non relinquat?

XII. Sed nihil a Gratiano et scholae nostrae magistris novatum est in jure ecclesiastico, praeter totius doctrinae ordinem et docendi rationem ut supra exposuimus; neque privati monachi erat tantum facinus aggredi, ut in rebus maximi momenti disciplinam ecclesiasticam inverteret. Neque vero id taciti tulissent eorum temporum episcopi et sacrae doctrinae studiosi; erant autem Gratiani aetate in ordine ecclesiastico plures viri doctissimi, qui Gratiano, si quid novare ausus esset, obstitissent. Neque vero cul-

Pontifex acta ejus conventus irritavit. Cum autem, qui Romani Pontificis dignitatem tuebantur, Gallos accusarent quasi schismaticos vel ad schismas proclives, ad amoliendam tanti criminis suspicionem, doctissimi Gallorum theologi aperte professi sunt, quatuor illis propositionibus contineri opiniones, quae minime ad fidem pertinerent et essent in utramque partem disputabiles. Ita Bossuetus centenis locis, sed praesertim in *Gallia Ortodoxa*, § VI, LXXXVII, LXXXVIII, LXXXX etc. Natalis Alexander, *Histor. Eccl. saec. XV et XVI*, ubi agit de Concilio Constantiensi, schol. VIII. Quid ergo nunc audet episcopus suessionensis? Aut quae nova lux tandem affulsit huic homini, ut intelligeret has opiniones, quae antea sine piaculo ignorari imo et negari potuerant, nunc ad fidem pertinere, ut necesse sit earum doctrinam fideli populo diligenter exponi?

Pertinet una istarum propositionum ad libertates Ecclesiae gallicanae. Sed quis credat nondum convenire inter Gallorum theologos in his tam decantatis libertatibus definiendis? Vulgo docent praecipuam regulam libertatum Ecclesiae gallicanae hanc esse, ut concilii oecumenici auctoritas potior habenda sit Romani Pontificis auctoritate. At repugnat vir doctissimus Petrus de Marca, qui illam statuit hoc fundamento niti, « expendendum esse an nova constitutio vel novum rescriptum rebus gallicanis consulat vel noceat. Ac fruatur licet Summus Pontifex aut aequo jure cum conciliis generalibus aut superiore, nihil hoc ad libertatem, cum ea perinde utamur » inquit « erga conciliorum ac erga Pontificum nova decreta ». Ita Petrus de Marca archiepiscopus parisiensis, *De concord.*, lib. III, cap. VII, n. 1. Sed repugnat vehementer Bossuetus, cui id in primis displicet quod archiepiscopus parisiensis non ad solius Romani Pontificis, sed etiam ad conciliorum nova decreta hanc libertatum gallicanarum regulam extendat. At militant contra Bossuetum exempla concilii basileensis et tridentini, quorum decreta non indiscriminatim et sine delectu ab Ecclesia gallicana recepta sunt. Quid ad haec Bossuetus? Negat, haec exempla in consequentiam esse trahenda. Bossuet, *Defens. declarat. Cleri Gallic.*, p. III, lib. XI, cap. XV. O inconstantem doctrinam! Ubi non placet Papae definitio, ad concilio eundum est. Si concilii decreta non placeant, haec ipsi expendere volunt ut suo judicio amplectantur vel rejiciant. Interim minime conveniunt in hoc praecipuo capite libertatum Ecclesiae gallicanae constituendo, quod una ex quatuor propositionibus cleri gallicani continetur. Et putabit episcopus suessionensis ex doctrina tam incerta, ambigua, et, ut aliarum gentium theologi existimant, falsa, novum fidei dogma constituere, quod ignorari a quoquam non liceat? Si quatuor illae propositiones cleri gallicani « ad revelationem pertinent et sunt partes depositi sacri, quod Christus Ecclesiae tradidit », dogmata fidei sunt, quae negari imo ne in dubium quidem verti a quopiam possunt. An ergo vera fides, quae una est, apud solos harum propositionum assertores consistit? An ceteri mortales, quibus harum propositionum doctrina non probatur, a vera fide alieni dicendi sunt et ab Ecclesia extorres? An vero Galliarum finibus Ecclesia continebitur? Sed quid, quod haec doctrina non est gallicanae Ecclesiae, sed paucorum tantum episcoporum, ceteris contra sentientibus, ut invicte ostendit auctor librorum *De hodierna Ecclesiae Gallicanae doctrina circa supremam Romani Pontificis auctoritatem*. Avenione MDCCXXXXVII? Videat igitur quid agat episcopus suessionensis, ne dum nova dogmata cudere nititur, apertum schisma conflare videatur, seque ab ea petra, in qua vera Ecclesia fundata est, abscindere. Sed quoniam non puto tam male animatum esse hunc episcopum contra Romanam Ecclesiam et summum ejus moderatorem ut declinet schismatis suspicionem, patietur sibi ab aliis recte sentientibus objici illud Apostoli (I ad Cor. XV) « Inanis est praedicatio nostra.... invenimur autem et falsi testes Dei ».

At Justini Febronii malus animus ubique se prodit. Et quod attinet ad instructionem aptam populi, quam proponit tamquam necessariam ad recuperandam Ecclesiae libertatem, vult ille magistros et doctores populi christiani in id sedulo incumbere, ut populum doceant « de genuina origine jurium ecclesiasticorum »; quod quorsum spectet, nemo non intelligit. Vult scilicet unumquemque certo cognoscere, quae vera sint Romani Pontificis jura, quae autem juxta regulas ab eo traditas usurpata. Atque ita cerdones et sellarii, nedum episcopi, in judicium vocabunt summum Ecclesiae moderatorem, eique terminos praescribent, quos ultra citraque ejus auctoritas consistere nequeat. Haec sunt pestiferae seditionis semina, quae spargere nititur larvatus iste jurisconsultus, qui dum populum christianum ab obsequio summi pastoris abducere nititur, id agit quantum in se est, ut religionem omnem funditus evertat. Satis enim compertum est ea regna ac provincias novis erroribus atque haeresibus minus pervias esse, quae arctiori vinculo charitatis et obsequii primo Ecclesiae Pastori consociantur; contra vero nutare fidem ac religionem aperto in discrimine versari apud eas gentes, apud quas ejus auctoritas vilescit.

pandus est Gratianus, quod multa ex apocryphis decretalibus ab Isidoro, vel sub Isidori nomine, vulgatis acceperit. Fecerant id ante Gratianum Ivo Carnotensis, Anselmus Lucensis, Burchardus Wormaciensis, Regino Prumiensis, et quotquot instruendis canonum collectionibus ad illud tempus insudaverant. Et si quis librum decretorum Gratiani conferat cum collectionibus Anselmi et Burchardi, facile judicabit monachum hunc parcium usum esse iis decretalibus quam duo illi spectatissimi viri, licet episcopali ordine insignes. Erat igitur jam tum pervulgata et ubique recepta earum decretalium doctrina, nec querebantur tunc episcopi jugulatam ab iis decretalibus eorum auctoritatem, et Ecclesiae libertatem oppressam, uti nunc, serius quam par est, conqueritur Febronius aliique ejusdem ingenii homines. Quinam ergo sunt errores Gratiani et doctorum bononiensium de auctoritate Pontificis, quos nunc tandem optat Febronius noster ab sacrae theologiae, et juris canonici nostrorum temporum doctoribus ejurari? Si errores sunt, quae ii tradidere de suprema Romani Pontificis in universam Ecclesiam auctoritate, de ejus inerrantia in rebus fidei et morum, de appellationibus ad Sedem Apostolicam, de causis quas vacant majoribus, de judiciis episcoporum, deque aliis id genus multis, hí jam non sunt nostrorum doctorum, sed omnium gentium et totius Ecclesiae errores, quorum certe doctores bononienses numquam pudebit. Dum autem doctores bononienses dico, qui omnium primi jus canonicum a Gratiano acceptum perfecerunt et in reliquas Europae academias propagarunt, non homines intelligo Romanis Pontificibus addictos, eorumque potestatis amplificandae studiosos, aut qui Bononiae aut in civitate aliqua pontificiae ditionis nati sint, quo etiam nomine doctores nostros suspectos habent [1], sed Hispanos, Gallos, Anglos, Germanos, ac multos etiam Italos, sed longe a finibus pontificiae ditionis natos, quos temere quispiam suspicetur Pontificum Romanorum assentatores fuisse. Ac tales certe fuerunt primi, qui post Gratianum huic juri canonico interpretando et glossis ornando in scholis nostris incubuerunt [2]; quos cum videam in aliarum opinionum delectu liberrimos, ut etiam quandoque contra Gratianum ipsum recalcitrare audeant [3], at in iis, quae spectant ad supremam Romani Pontificis auctoritatem, magnopere consentientes, id etiam argumento est hanc non fuisse scholae bononiensis, sed omnium gentium et omnium Ecclesiarum doctrinam.

XIII. Non igitur novo jure canonico quod Gratianus invexerit nec decretalibus isidorianis, a Gratiano adoptatis, auctoritas et potestas Romani Pontificis nititur, qua universam regit Ecclesiam, sed nititur jure primatus quem Petrus a Christo Domino accepit, ut apertissima Scripturarum testimonia demonstrat et perpetua Ecclesiae traditio confirmat [4]. Sed quid, quod noster iste germanus jurisconsultus hoc ipsum vel invitus fatetur? Pronunciat hic quasi ex tripode, quae vera sint pontificii primatus jura, arcta quidem et admodum angusta, ut primatus Romani Pontificis non tam sit *jurisdictionis quam ordinis et consociationis* [5]. Sed undenam tantum incrementum acceperunt successu temporis jura primatus? Multis ex causis, inquit Justinus Febronius, praesertim *ob dignitatem Sedis Apostolicae, ob sanctitatem episcoporum ejus Sedis, ob qualitatem matris*

(1) Vide HOMMELIUM, *De literatura juris,* lib. I, cap. XV cit., etc. etc.

(2) De his infra suo loco dicemus.

(3) Id apparet ex Glossa Decreti, in qua saepe afferuntur antiquiores doctores contra Gratianum opinantes. Id praecipue notatum est de Huguccione Ferrariensi.

(4) In hoc sita est Romani Pontificis monarchia istiusmodi scriptoribus tam invisa. Sed ego nolim de hoc nomine pugnare, dummodo de re constet et maneat inconcussum, summam et supremam esse Romani Pontificis auctoritatem potestatemque in Ecclesia universa jure primatus, quem Petrus a Christo accepit, « certum est enim summam rerum ex ejus deliberatione pendere » ut inquit Bonifacius I Romanus Pontifex (ep. XV ad episcopos Illyrici, edit. P. Constant).

(5) Sic definit JUSTINUS FEBRONIUS, cap. III, § XI.

et magistrae, quae Romanae Ecclesiae propria est (1). Haec si vera sunt, multo ante isidorianas decretales aucta oportet jura primatus pontificii, nam et Sedis Apostolicae dignitas summa semper fuit et Ecclesia Romana semper reliquarum mater et magistra fuit et primis saeculis, quo propius ab origine sua distabat, eo sanctiores episcopos habuisse videtur. Multo igitur ante isidorianas decretales et jus canonicum Gratiani permagnam accessionem juribus primatus factam oportet. Non abnuit Justinus Febronius et jam inde ab secundo Christi saeculo aliquid innovatum aut tentatum a Victore I. Post autem a saeculo III a Stephano, ac multo etiam magis saeculo V a Bonifacio, seu Zosimo, a Caelestino I, Leone Magno et Gelasio; saeculo demum VI a Gregorio Magno, *jam tum enim*, inquit, *aegre intra suos fines se continebat pontificia auctoritas* (2). Ita petulanter, ut solet, jurisconsultus noster; qui non veretur sanctissimis Pontificibus, ac praesertim Caelestino (3) et Leoni Magno (4) superbiae et ambitionis notam inurere, ut amplificata ab ipsis contra jus fasque pontificii primatus jura ostendat. Sed is tamen dum eruditus videri vult et antiquitatis peritus suam causam prodit, nisi potius haec vis est veritatis ut etiam ab adversariis suis vel invitis et repugnantibus suffragium quandoque extorqueat. Si enim jam inde ab secundo Christi saeculo jura primatus augeri coeperunt, si s. Caelestinus « *formam monarchici regiminis imitari* » conabatur (5), si s. Leo Magnus *disciplinam continua serie custoditam praetergressus, pro humana infirmitate, suae sedi plus aequo studebat* (6), *si jam tum aegre intra suos fines se continebat pontificia auctoritas* (7), non expectandae fuerunt novae decretales isidorianae nec Gratiani Decretum ut jura primatus augerentur. Sed jura primatus semper eadem fuerunt a Christo Domino constituta, licet pro varia temporum conditione non eodem modo exercita. Hinc aliqua in disciplina et regimine ecclesiastico varietas extitit sed jura primatus neque aucta sunt neque minuentur unquam. Itaque sic existimo non ob novas decretales isidorianas eam disciplinae immutationem factam, quam Febronius aliique exaggerant, sed potius, quod talis eo tempore esset saltem quoad praecipua capita, Ecclesiae disciplina, propterea decretales illas fuisse confictas. Hac enim pia fraude et objectis tot sanctissimorum Pontificum nominibus putavit aliquis conciliari posse auctoritatem iis disciplinae capitibus, quae consuetudine et moribus, absque lege scripta, servabantur. Ita decretales illas natas existimo. Sed valeat tandem Justinus Febronius si suis furiis agitatus valere potest, ac piis manibus Gratiani et antiquorum scholae nostrae magistrorum insultare desistat.

(1) JUSTIN. FEBRON., loc. cit.

(2) « Talium augmentorum (loquitur de incrementis jurium primatus ab eo suppositis) haud pauca, sive attentata sive in effectum redacta hoc ipso tractatu exhibemus ex saeculo II in VICTORE cap. IX, § VII, n. 2; saeculo III in STEPHANO cap. IV, § IX; saeculo V in INNOCENTIO I cap. V, § II, n. 2; in BONIFACIO I seu potius ZOSIMO cap. V, § V, n. 5; in COELESTINO cap. I, § VIII, n. 5, et cap. IV, § IV, n. 3; in LEONE MAGNO cap. IV, § III, n. 2, et cap. V, § IV, n. 3; in GELASIO cap. V, § VII, n. 1, saeculo VI; in GREGORIO MAGNO cap. V, § IV, n. 9 ». *Ibid.*, cap. VII, § II.

(3) Cum Coelestinus Papa frequentiore executorum in Africa missione, rationes suas ita constitueret, ut monarchici regiminis formam imitari velle videretur, scripserunt ad eum africani patres e generali synodo anni MXXV « ne fumosum typhum saeculi in Ecclesiam » inquiunt « videamur inducere ». *Ibid.*, cap. I, § VIII, n. 5, pag. 40.

Haec maligne, ut solet, interpretatur Febronius. Si quemadmodum gesta sunt quis nosse cupiat, adeat eminentissimum URSIUM in *Histor. Eccles. an. MXXV.*

(4) « Leo disciplinam continua serie custoditam praetergressus suaeque sedi, quae sanctorum etiam virorum infirmatas est, plus aequo studens, in hoc negotio vel ab ipsorum etiam sardicensium canonum, quorum maxime auctoritati incumbebat, sanctione recessit ». *Ibid.*, cap. IV, § IV, pag. 214. Loquitur de depositione Hilarii Arelatensis.

(5) JUSTIN. FEBRON., cap. I, pag. 40 cit.

(6) *Ibid.*, cap. IV cit.

(7) *Ibid.*, cap. VIII cit.

XIV. Sed Gratianum mitto ejusque censores; et ad nostram juris canonici scholam redeo. Haec primum in uno Gratiani libro interpretando occupata fuit. Postmodum accessere decretales Pontificum, qui post Gratiani tempora Petri sedem tenuerunt. Cum enim pro varietate negotiorum ecclesiasticorum novae in dies ederentur constitutiones Pontificum, quas ignorari non licebat ab iis, qui jus canonicum profitebantur in scholis vel in foro ecclesiastico judicia exercebant, novam legum ecclesiasticarum collectionem fieri oportuit, quae esset veluti Gratiani supplementum et leges ecclesiasticas extra librum decretorum vagantes complecteretur. Itaque hanc provinciam primus suscepit magister Bernardus Papiensi, qui Alexandri III tunc adhuc in Petri cathedra sedentis, et superiorum aliquot Pontificum decretales collegit, adjectis canonibus concilii lateranensis nuper sub Alexandro III celebrati, et aliquot aliis antiquiorum Pontificum et conciliorum decretis, quae Gratiani diligentiam fugerant. Atque haec prima fuit collectio sive primus liber decretalium, cui aliae subinde plures adjunctae sunt, etenim cum aliae atque aliae in dies prodirent Pontificum constitutiones, magister Gilbertus Bernardi Papiensi exemplo novam collectionem edidit, et aliam rursus, haud magno spatio interjecto, magister Alanus; deinde magister Bernardus archidiaconus compostellanus, aliquandiu Romae moratus, ex registris, quae vocantur, Innocentii III decretales hujus Pontificis exscripsit et novam rursus decretalium collectionem in publicum emisit. Tancredus archidiaconus bononiensis, qui haec narrat, istam Bernardi Compostellani collectionem appellatam ait romanam a nostris doctoribus; quod non frustra a Tancredo adnotatum censeo; qui enim hanc unam alibi, quam Bononiae, factam dicebant, superiores tres Bononiae et in academia nostra factas, ni fallor, indicare volebant. Sed neque Gilberti, neque Alani, neque postrema haec Bernardi Compostellani collectio admodum fausto omine prodiit. Quid causae fuerit cur Gilberti et Alani collectiones diu probatae non sint, me latet. Illud constat Gilberti et Alani collectiones a Joanne Gualensi eorum conterraneo, omnes enim Angli fuisse videntur, disjectas fuisse, et quasi ex eorum ruinis, ut inquit Tancredus, novam conflatam esse collectionem, quae liber secundus decretalium sive secundae decretales olim dicebatur. Sed quia in Bernardi Compostellani collectione erant decretales aliquae, quas Romana Curia rejecerat, propterea Innocentius ipse Pontifex, usus opera magistri Petri Beneventani notarii sui, qui antea jus canonicum in scholis nostris professus fuerat, decretales suas usque ad annum pontificatus duodecim collegit et in ordinem redegit. Atque haec prima fuit legum ecclesiasticarum collectio Romani Pontificis auctoritate facta, quam ipse Innocentius Pontifex ad academiam nostram misit, dati ad doctores et scholares nostros honorificentissimis literis, quas habemus in fronte hujus collectionis ab Antonio Augustino editae. Est autem haec tertia antiquarum decretalium collectio, sive tertius liber, cui quartus paulo post additus est, qui coaluit ex decretalibus Innocentii III post annum duodecimum editis et canonibus concilii lateranensis sub Innocentio ipso celebrati[1]. Denique Honorius III cum multas constitutiones edidisset, easdem in unum

(1) Quae hactenus dicta sunt de tribus decretalium collectionibus, quas scholae receperunt, deque tribus item, quae rejectae sunt, Gilberti nimirum, Alani et Bernardi Compostellani, ea omnia habemus ex prefatione Tancredi archidiaconi bononiensis ad commentaria ab se edita in tertiam collectionem, ex cujus postremis verbis intelligimus, Tancredum ad calcem illius tertiae collectionis adjecisse et suis scholiis illustrasse constitutiones concilii lateranensis anno MCCXV celebrati, et decretales Innocentii III post annum duodecimum editas, ex quibus postmodum quarta decretalium collectio coaluit. Ita igitur inquit Tancredus: « Post compilationem decretorum factam a Gratiano multae a Romana Curia decretales epistolae emanaverunt, quae magister Bernardus tunc prae-

redegit et Tancredo archidiacono bononiensi misit, ut ejus opera in scholis nostris vulgatae toto orbi christiano communicarentur (1). Neque vero doctores nostri indiligenter hanc novam juris canonici partem pertractarunt, sed singulas ex his quinque collectionibus statim ac in lucem editae sunt parcioribus primum glossis mox amplis commentariis sive apparatibus instruxerunt, excepta duntaxat collectione decretalium Honorii III, quae, quia brevi tempore viguit, non alium interpretem, cujus quidem memoria supersit, habuisse dicitur quam Jacobum Albigaunensem faventinum episcopum (2). Reliquae autem collectiones habuerunt prae ceteris clarissimos Richardum, Rodoicum, Alanum anglos, Laurentium, Vincentium hispanos, Joannem teutonicum, Tancredum bononiensem scholarum nostrarum professores, de quibus infra suo loco dicetur. Hinc primum in academia nostra audiri coepere decretalistae, hoc est, decretalium professores, a decretistis, sive professoribus decretorum, discreti, qui et primam sedem inter professores juris canonici progressu temporis obtinuerunt.

XV. Sed haec decretalium doctrina in tot collectionibus dispersa ac veluti dissipata, novam lucem accepit cum Gregorius IX ex superioribus quinque collectionibus unam confecit in libros quinque distributam, in qua, praeter multas Gregorii ipsius constitutiones, habemus utiliora quaeque legum ecclesiasticarum capita, quae iis collectionibus continebantur. Usus est sapientissimus Pontifex ad novum hoc corpus juris canonici perficiendum studio et opera sancti Raymundi de Pennafort, qui jus canonicum in scholis nostris professus fuerat, antequam in Praedicatorum Ordinem reciperetur. Atque hae sunt decretales communes, quibus nunc utimur quasque Gregorius IX, Innocentium III et Honorium III imitatus, ad doctores et scholares academiae nostrae (3)

positus, postmodum episcopus papiensis, ad studentium utilitatem sub competentibus titulis compilavit, quaedam antiqua jura interserendo, et vocatur compilatio prima. Post illarum compilationem quaedam aliae decretales a diversis Apostolicis emanaverunt, quas magister Gilbertus ad instar primae compilationis sub titulis collocavit. Post illum magister Alanus suam similiter compilationem effecit. Tandem magister Bernardus Compostellanus archidiaconus, in Romana Curia moram faciens aliquantam, de registris domini Papae Innocentii III unam fecit decretalium compilationem, quam Bononiae studentes romanam compilationem aliquando vocaverunt. Verum quia in ipsa compilatione quaedam reperiebantur decretales, quas Romana Curia refutarat, sicut hodie quaedam sunt quas Curia ipsa non recipit, idcirco felicis recordationis dominus Innocentius Papa III suas decretales usque ad annum duodecimum editas, per magistrum Petrum Beneventanum notarium suum in praesenti opere compilatas Bononiae studentibus destinavit. Post illarum receptionem, magister Galensis decretales omnium Apostolicorum, qui praecesserunt Innocentium, de ruinis compilationis Gilberti et Alani extrahens, quandam compilationem ordinavit, quae hodie mediae sive secundae decretales dicuntur, super quarum expositionibus plures doctores Bononiae glossas scripserunt. Et quia de dictis apparatibus opiniones studentium erant diversae sententiaeque confusae, idcirco ego Tancredus bononiensis, canonicus s. Petri, qualiscumque decretorum magister, ad multam instantiam sociorum meorum meliora et utiliora de dictis apparatibus colligens, ex ingenio meo quaedam interserendo, sicut et signis glossularum singularum demonstratur, primas et secundas decretales, prout melius potui, glossulavi, sed super praesenti tertia compilatione non apparatum feci, seu audiendo atque legendo quaedam in libro notavi quae scholares quidam absque conscientia mea de libro meo extraxerunt et pro apparatu tertiarum illum mihi intitulaverunt. Nunc autem docendi officio ad multorum instantiam reassumpto, praesentem tertiam compilationem cum diligentia, Domino favente, glossabo et constitutiones concilii proxime celebrati et jura a domino Innocentio Papa III post duodecimum annum edita, tam in apparatibus a me factis quam in hoc, quem indicare dispono, diligentissime collocabo ». Edidit Bosquetus in *Adnotatis ad epistolas Innocentii III,* lib. I, ep. 71.

(1) Edidit hanc collectionem decretalium Innocentius Cironius, in cujus fronte est Honorii epistola ad Tancredum. Ac nuper satis prolixam disquisitionem de hac decretalium collectione vulgavit vir clarissimus M. Jos. Ant. Rieggerus in *Bibliotheca Juris Canonici,* p. I.

(2) Vide inter *Professores Juris Canonici,* de quibus infra, ubi de Jacobo Albigaunense.

(3) In libris editis decretales gregorianae inscriptae sunt « Doctoribus et scholaribus universis Bononiae commorantibus », et ita habent codices omnes antiqui, quotquot a me visi sunt. Sed ajunt tamen esse aliquos codices, in quibus legitur *Bononiae et Parisiis,* et unum etiam in quo legitur *Parisiis* tantum. Ego non abnuerem, utrique scholae bononiensi et parisinae Gregorium IX suas decretales commendasse. Sed obstare videtur glossa, quae Parisios silet et ideo Bononiam mittendas fuisse docet « propter studium, quod est Bononiae communius et generalius, praecipue in utroque jure et ibi quasi de omnibus partibus mundi sunt studentes ». *Glos.* in *Prooem. Decretal.*

misit, ut eorum opera facilius toto orbe promulgarentur. In eas multi ex doctoribus nostris erudita scripserunt; et in primis Bernardus Parmensis, canonicus bononiensis, ampla commentaria edidit, glossa ordinaria vulgo noncupata.

XVI. Idem honos habitus est academiae nostrae ab Innocentio IV et Gregorio X, quorum alter primi, alter secundi concilii lugdunensis constitutiones ad magistros et scholares nostros misit, mandans ut earum singulas sub congruentibus titulis inter decretales communes inferi curarent (1). At negat Engelbertus abbas admontensis (2), et cum eo Facciolatus (3) aliique, constitutiones II concilii lugdunensis ad academiam nostram a Gregorio X missas. Anno enim MCCLXXIV, quo celebratum est concilium secundum lugdunense, civitatem nostram bellis civilibus prope eversam existimant atque ob hanc causam constitutiones concilii lugdunensis ad scholas patavinas, nostris nimirum scholis desertis, missas narrant. Sed hoc inane commentum esse facile existimaverim. Magna quidem clades civitati nostrae accidit eo anno ob factiones Jeremiensium et Lambertacciorum, de quibus alio loco diximus; neque dubium est quin scholis nostris admodum perniciosae fuerint, praesertim cum doctoribus omnibus, qui Lambertacciorum partes sequebantur, Lambertacciis ipsis devictis et civitate pulsis, exulandum fuerit; sed superfuerunt reliqui doctores, qui Jeremienses sequebantur, et alii praeterea multi, praesertim exteri et ab omni partium studio alieni, qui numquam ab scholis nostris discesserunt. Ut igitur Engelberto concedi possit constitutionum lugdunensis concilii exemplum aliquod a Gregorio missum etiam ad Patavinos, bononiensis tamen academiae rationem in primis esse habitam, docet inscriptio earumdem constitutionum, quam ex vetustissimi codicis fide Bohemerus nuper vulgavit, nimirum, *Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis et Universitati Magistrorum et Scholarium Bononiae commorantium* (4).

XVII. Sed exeunte saeculo XIII cum rursus post collectionem gregorianam plures constitutiones editae essent, quarum copia juris canonici studiosos sollicitos habebat, et dubitari etiam poterat numquae inter legitimas et authenticas spuriae et apocryphae laterent, doctores nostri Bonifacium VIII exorarunt, ut novum decretalium Codicem edendum curaret, qui constitutiones ad illud usque tempus post Gregorium IX editas complecteretur; atque ea de re legatus est ad Pontificem Jacobus Castellius (5) canonum professor, de quo suo loco dicemus. Annuit autem libentissime Bonifacius et novam decretalium collectionem edidit destinavitque nostris professoribus; quae, quia quinque libris gregorianae collectionis adjecta est, sextus liber decretalium vulgo appellatur. Haud multis post annis Clemens V constitutiones ab se in concilio viennensi et alibi promulgatas unico volumine complexus est, quod in juris canonici corpus reciperetur. Clementinae in scholis et in foro dicuntur, quas morte interveniente cum in lucem emittere Clemens ipse non potuisset, apostolica auctoritate firmatas vulgavit ejus successor Joannes XXII misitque ad academiam nostram, superiorum Pontificum vestigia persecutus. Et huic libro vix dum edito glossas aptavit summus apud nos canonum professor Joannes Andreae, qui etiam sextum decretalium librum, post Guidonem de Baysio

(1) Extat Innocentii IV epistola in codice diplomatico manuscripto Archigymnasii bonon. in bibliotheca publica bononiensi, saepe etiam typis edita, ac nuper etiam a Bohemero, *Juris Canonici,* t. II, pag. 353.

(2) Apud Pezium, t. I, pag. 430.

(3) Facciol. *Fastis Gymnas. Patav.,* t. I, p. VI.

(4) Bohemer., *loc. cit.*

(5) Vide infra inter professores, ubi de Jacobo Castellio.

bononiensem archidiaconum et clariores alios pontificii juris interpretes, luculentis commentariis illustraverat.

XVIII. Neque dispar studium in scholas nostras professus est novissimis temporibus Benedictus XIV sapientissimus et optimus Pontifex, praeclara juris canonici intelligentia cumprimis nobilitatus. In enim apostolicas literas et sanctiones, quas sui pontificatus tempore de rebus gravissimis plurimas ediderat, cum in unum redigi typisque mandari Bullarii titulo placuisset, commemorato veteri Pontificum instituto, bononiensium professorum ac scholarium coetui dicavit. Hunc scilicet academiae nostrae praecipuum honorem habere voluit, ex qua et primum haec orta esset legum ecclesiasticarum scientia et cultorum ejus ac interpretum permagnus ad hanc usque aetatem numerus extitisset. De singulis servato temporum ordine dicendum erit, nunc de iis qui a Gratiano ad exitum usque XIII saeculi in scholis nostris floruerunt.

I.

GRATIANUS.

I. Male de hoc insigni viro meriti sunt antiquae historiae scriptores, qui vix ejus nomen posteritati commendarunt. Si quid ab iis quaeras de ejus vita et rebus gestis, de doctrinae studiis, de aetate qua vixit, de iis denique rebus quas in claris viris maxime optamus cognoscere, vel omnino silent vel fabula narrant et commenta vel perpetuo inter se dissentiunt, ut nihil certi constituere liceat. Debet igitur ipse sibi quod tantopere celebretur, nam ad ejus famam parum aut nihil historia contulit.

II. Primum autem de ejus natalibus fabulosum est quod olim vulgo ferebatur nec minimo scriptorum consensu traditum erat, Gratiano duos fratres fuisse, Petrum Lombardum et Petrum Comestorem. Eos omnes mater adultera ex nefario complexu suscepisse dicebatur, quae cum aliquando ad sacerdotem accessisset ut admissum crimen confessione expiaret, graviter reprehensa et admonita ut pro peccati magnitudine doleret ac poenitentiam ageret, respondisse fertur non ignorare se quam grave crimen adulterium esset, sed cum probe intelligeret tria se clarissima Ecclesiae lumina peperisse, facti poenitere non posse. Sed haec olim rudibus saeculis facile credita nos liberrime ridemus. Constat autem eo consilio conficta ut esset aliquid in magnis viris admirabile, quo a vulgo et cetera hominum turba distinguerentur. Tale aliquid accidisse novimus Accursio, qui jurisconsultorum et Thaddaeo Alderotto qui medicorum princeps aliquando est habitus. Accursium enim aliqui tradidere ex aetate accessisse ad scholas, qua homines obdurescente jam ingenio minus apti esse solent doctrinae studiis, Thaddaeum autem natura stupidum fuisse scripserunt ac repente, post exactam non minimam aetatis partem in summa ignavia et vilissimis occupationibus, veluti a somno excitatum, ad secretiora philosophiae ac medicinae arcana excurrisse.

III. Sed ut falsa haec, quae de Gratiani natalibus, ita incerta admodum, quae de ejus patria dicuntur. Clusii in Thuscia natum plerique prodiderunt. In his est Dominicus Bandinus, antiquus auctor, in libro *De viris claris* (1); eique consentiunt Diplo-

(1) Dominicus Bandinus, cujus excerpta vide in Appendice.

vataccius [1], Pancirolus et ingens recentiorum numerus. Sed Justus Fontaninus Gratianum patria urbevetanum fuisse scribit, natum in oppido Carraria prope Ficullas, ad VI ab Urbeveteri lapidem [2]. Id porro habuit Fontaninus ex libro nondum typis edito *De viris illustribus,* quem manu exaratum reperit in bibliotheca casanatensi, auctore, ut ipse quidem existimat, Joanne Columna archiepiscopo messanensi, viro ob alia etiam scripta admodum celebri, qui floruit circa medium XIII saeculum [3]. Est autem omnino singularis hujus auctoris opinio; reliqui enim aut clusinum aut etruscum dicunt aut patriam silent ac monasticam tantum professionem indicant. Urbevetanum certe nemo fuisse dixerat praeter Joannem Columnam. Sed hic auctor, primum a Fontanino in scenam productus, nec tantae antiquitatis est quantae censuit Fontaninus, et admodum dubiae fidei mihi videtur in his, quae de Gratiano scribit; quibus de rebus postea dicetur.

IV. De Gratiani professione constat, monachum fuisse Ordinis s. Benedicti et diu vixisse in bononiensi monasterio s. Felicis, ubi suum decretorum volumen edidit. Neque audiendi sunt, qui in s. Proculi aut s. Stephani monasterio vixisse autumant; obstant enim perspicua monumenta [4] et veterum scriptorum auctoritas [5]. Neque etiam magni facienda est conjectura Joannis Doujatii, qui Gratianum aliquam sui operis partem in monasterio classensi apud Ravennam exegisse putat ob hanc rationem, quod in formulis quibusdam libellorum, quas exhibet, capellanum inducit s. Apollinaris, cui dicatum est monasterium classense, et episcopum bononiensem ac ravennatem archiepiscopum, de qua formula infra dicemus [6]. Sed inanis est haec Doujatii conjectura; erat enim Bononiae Gratiani aetate parochialis ecclesia, sive, uti tunc dicebatur, capella s. Apollinaris, postmodum disjecta cum novum popoli bononiensis palatium constructum est, et episcopus bononiensis erat archiepiscopo ravennati ut metropolitae suo subjectus. Itaque homini Bononiae scribenti facile occurrere poterant et capellanus s. Apollinaris et episcopus bononiensis et archiepiscopus ravennas, quorum nomina in formulam conjiceret, quam exempli loco exhibebat.

V. Sed quamquam dubitare non liceat, Gratianum s. Benedicti monachum fuisse et in bononiensi monasterio s. Felicis suum edidisse decretorum volumen, tamen non aeque certum est ubinam monasticum institutum susceperit atque undenam ad civitatem et academiam nostram venerit. Guilielmus de Pastrengo veronensis, qui medio circiter saeculo XIV librum scripsit *De originibus rerum,* cujus non minima pars est *De viris illustribus,* Gratianum fuisse scribit alumnum monasterii classensis apud Ravennam urbem [7]. Trithemius quoque classensem dicit [8] et s. Antoninus [9]; ut facile suspicari liceat, ex corrupto classensis monasterii nomine factum esse, ut aliquis clusinum pro

(1) « Gratianus monachus s. Benedicti, doctor insignis, natione etruscus, patria clusinus etc. ». DIPLOVAT. in *Gratiano.*

(2) FONTANINUS in *Praefat. ad Decretum Gratiani, Turrecrematae,* § IV.

(3) « Gratianus monachus abbatiae Montis Orbetanae dioecesis ex oppido Carraria prope Ficullas, studiosissimus fuit. Hic presbyter et monachus existens librum decretorum per diversa volumina sparsum in unum recollegit ». Jo. COLUMNA. *De viris illustribus* apud FONTANIN., *loc. cit.*

(4) Vide inscriptiones ad Gratianum pertinentes, quae infra damus.

(5) « Dicimus rubricas decretorum non esse authenticas, quia alii fecerunt textum, scilicet ss. Patres, et alii rubricas, ut magister Gratianus, qui stabat ad monasterium s. Felicis ». ODOFRED. in l. *Bene est,* Dig. *De rebus credit.* — GUILIEL. DE PASTRENGO, de quo infra etc.

(6) In § *Forma sub,* C. *Post appellationem II,* q. VI.

(7) « Gratianus monachus monasterii de Classe, quod prope Ravennam est.... Bononiae apud s. Felicem commorans decretorum librum composuit, qui toto orbe, ubi fides catholica viget, insignis habetur ». GUILIEL. DE PASTRENGO. *De origine rerum,* pag. 35.

(8) TRITHEM. *De script. eccles.,* cap. CCCLXXIII.

(9) S. ANTONIN. *Chronic.*, p. III, tit. XVIII, c. VI.

classensi dixerit, qui error librariorum imperitia facile propagari potuit. Confusa autem fuisse haec duo classis et Clusii nomina, manifeste, ni fallor, ostendit locus ex libro, qui inscribitur *Pomarium Ecclesiae Ravennatis,* allatus a correctoribus romanis in praefatione ad Gratiani decretum, auctoritate Gregori XIII emendatum, ubi Gratiani dicitur *Monachus de Classa civitate Thusciae.* Multo igitur verisimilius existimo Gratianum scriptorum oscitantia pro classensi dictum esse clusinum, quam contra accidisse ut Classis pro Clusis irrepserit, ut hariolatur Oudinus (1).

VI. Verum sive urbevetanus fuerit sive clusinus, aut unde unde oriundus, haec nihil impediunt quominus apud classenses monasticen profiteri potuerit. Cum autem per illud idem tempus, quo Gratianus floruit, in utroque monasterio, bononiensi nimirum s. Felicis et classensi, ut conjecturae rationesque non leves ostendunt, idem camaldulense institutum viguerit, facillimum fuit monacho literarum cupido a suis praelatis impetrare ut a classensi monasterio ad bononiense nostrum commigrare posset. Quod autem ad monasterium classense attinet, certum est a Gualterio archiepiscopo ravennati illud anno MCXXXVIII Ordini Camaldulensi fuisse attributum (1), mihique perhonorificum reputo quod in tam illustri monasterio hoc ipsum camaldulense institutum amplecti contigerit. At monasterium s. Felicis, quamquam pluribus ab hinc saeculis ab Ordine Camaldulensi defecerit, saeculo tamen XII, quo vivebat Gratianus, ad illum pertinuisse non vanis argumentis assequimur. Habemus enim Paschalis II diploma datum anno MCXIII, quo Camaldulensium monasteria recensentur. In hoc haec duo sunt, quae sita dicuntur in episcopatu bononiensi, nimirum s. Archangeli juxta castrum Britti et s. Felicis (3). Utrumque monasterium et alia insuper, quae postea Ordini Camaldulensi accreverunt, recensentur in diplomatibus Eugenii III (4), Alexandri III (5) et Urbani III (6). Deinceps autem in aliis Romanorum Pontificum diplomatibus, quae saeculo XIII data sunt, s. Felicis monasterium non occurrit, ex quo apparet desiisse Camaldulensium instituta sequi; quod nemo mirabitur nisi qui monasticam historiam et eorum temporum mores omnino ignoret.

VII. Sed quoniam nullum aliud monasterium unquam fuisse constat vel in agro vel in civitate bononiensi, quod s. Felicis nomine diceretur, quam celebre illud Gratiani incolatu nobilitatum, ex quo et pulcherrima viarum elegantissimae civitatis et porta qua Mutinam et in Insubres itur s. Felicis nuncupationem accepit, non temere dicimus hoc idem monasterium esse, quod saeculo XII inter camaldulensia censebatur. Neque vero tantam suspicati licet supinitatem et oscitantiam in pontificiorum diplomatum scriptoribus, ut novum aliquod s. Felicis monasterium comminisci potuerint, quod in diplomata illa intruderent, neque credibile est Camaldulenses laturos fuisse ut in suorum monasteriorum censum unum aliquod referretur, quod ad illos minime pertineret. Quandiu igitur non erit qui demonstret fuisse aliquod aliud bononiense monasterium s. Felicis a suburbano illo diversum quod Gratianus incoluit; tandiu licebit asserere illud ipsum ad Ordinem Camaldulensem saeculo XII pertinuisse. Quoniam autem monasterium illud

(1) CASIM. OUDIN. *De script. eccles.*, dissert. *De Gratiano,* cap. I.

(2) Vide *Annal. Camaldul.* ad eum annum, et HIER. RUBEUM, *Hist. Ravenn.*, lib. V, pag. 327.

(3) « In episcopatu bononiensi monasterium s. Archangeli juxta Castrum Britti, s. Felicis ». *Ex diplom. Paschal. II Annal. Camaldul.*, t. II, pag. 325.

(4) *Ex diplom. Eugenii III dat. anno MCLIII. Ibid.*

(5) *Ex diplom. Alexandri III dat. an. MCLXXV. Ibid.*

(6) *Ex diplom. Urbani III dat. an. MCCLXXXV. Ibid.*

eo saeculo erat extra pomoerium, nondum civitate ad eam amplitudinem provecta quae nunc est, propterea in iis Pontificum Romanorum diplomatibus recenseri potuit inter ea monasteria, quae erant non in civitate sed in episcopatu bononiensi; id enim solemne est in hujusmodi diplomatibus, ut dum monasteria, ecclesiae, aliave religiosa loca in iis recensentur, quae in civitate sita sunt quaeque extra civitatem sive in episcopatu seorsim describantur.

VIII. Sive igitur Gratianus camaldulense institutum susceperit in monasterio classensi, quod accidere debuit si post annum MCXXXVIII Bononiam venit, sive illud repererit in monasterio s. Felicis cum ad illud accessit, quod fieri oportuit si ex monasterio classensi Bononiam venerit ante eum annum, qua de re nihil definiri potest, vix dubitari posse videtur quia Gratianus inter camaldulensis instituti professores recensendus sit. Minime igitur audiendi sunt qui Gratianum benedectinum quidem faciunt sed ex Cluniacensium familia, in quo etiam lapsus est Oudinus (1). At obstat Joannis Columnae auctoritas, qui Gratianum urbevetani monasterii alumnum fuisse narrat ac de classensi monasterio silet. Sed huic ego scriptori Guilielmum de Pastrengo aliosque supra memoratos possum objicere, qui aperte classensem dicunt. Plurimi autem facienda est auctoritas Guilielmi de Pastrengo, tum propter ejus antiquitatem, tum quod notissimum ei esse debebat monasterium classense, tum quod vel Bononiae, ut mihi videtur, studiorum causa fuerat, vel rerum nostrarum certe scientissimus erat, ut in eo libello, quem supra indicavimus, ostendit. Fuit autem ipse quoque jurisprudentiae professor audivitque Oldradum de Laude (2), celebrem legum interpretem eorum temporum, qui etiam in scholis nostris docuit. Neque vero credibile est scriptorem hunc et accuratum et prudentem tam disertis verbis scripsisse Gratianum et classensis monasterii, quod est prope Ravennam, monachum fuisse et Bononiae in monasterio s. Felicis decretorum librum edidisse, nisi constantem et pervulgatam ejus rei famam sua aetate reperisset. Verum ne Joanni Columnae omnem prorsus fidem abnegemus, haec ita componi fortasse possunt ut Gratianus quidem in urbevetano monasterio primum sit professus, dein autem ad Classenses migraverit. Neque id erat praeter eorum temporum consuetudinem ut monachi, aut severioris disciplinae aut literarum amantes, in alia atque alia monasteria migrarent, quae suis studiis opportuniora judicassent. Quod si Joannes Columna de monasterio classensi silet, altum quoque de bononiensi s. Felicis monasterio silentium habet, de quo nullum esse potest dubium, quin in eo diutissime vixerit Gratianus suumque ibi decretorum librum ediderit.

IX. Quamquam, ut verum fatear, non parum mihi suspecta est hujus auctoris fides in his quae de Gratiano narrantur. Primo enim de Gratiani patria et monasterio, in quo ascesim professus est, ea dicit quae sunt contra reliquorum omnium scriptorum sententiam. Deinde silet id quod maxime dicendum fuerat et quod a nemine praetermissum est, Gratianum scilicet Bononiae decretorum volumen composuisse, in qua una civitate privatus monachus idonea habere poterat subsidia ad tantum opus perficiendum. Illud vero falsum a doctis hominibus reputatur, quod narrat Joannes Columna, Gratiani librum ad Eugenio III approbatum et mandasse Pontificem, ut ex eo libro jus canonicum in omnibus scholis traderetur, qua de re postea dicemus. Nullam autem veri speciem habet, quod ait, Gratianum, cum vellet librum suum Eugenio offerre, nec misello monacho pateret aditus ad Pontificem, perfugium habuisse ad magnum quemdam

(1) Oudin., *loc. cit.*

(2) Vide Scip. Maffei. *Verona illustr.*

Romanae Curiae praelatum, qui cum librum vidisset agnovissetque quanto in pretio esset habendus, pauperculi monachi opes sibi usurpavit et librum quasi suum Pontifici obtulit. Qua cognita fraude, tandem impetrasse ait Gratianum importunis precibus ut Pontifici sisteretur, cui et praelati plagium aperuit et ita in se librumque suum probavit, ut Eugenius librum quidem sua auctoritate munitum ubique gentium in scholis, ut ante dictum est, recipi mandaverit et Gratianum ipsum ad clusinum episcopatum evexerit, in quo, ut auctor iste ait, *multa scribens et dictans diem clausit extremum* (1).

X. Nihil hic dicam de episcopatu clusino, de quo postea, ac nihil etiam de multis Gratiani scriptis, quae edidisse dicitur post adeptum episcopatum, quae aliunde ignota omnino sunt et prorsus inaudita. Illud supra omnem fidem esse judico ut quisquam non plane fatuus potuerit vivente et praesente auctore ipso tantam fraudem animo concipere, quae facilissime detecta maximam illi infamiam attulisset. Videtur igitur Joannes Columna vanos vulgi rumores secutus cum de Gratiano scriberet, nisi potius ejus commentaria *De viris illustribus* a nugatore aliquo, qui ea interpolaverit et fabellis infarserit, labem contraxerint.

XI. Sed quid si auctor ipse nec tantae antiquitatis sit quantae dicitur, et alius omnino sit a Joanne Columnensi, qui medio saeculo XIII messanensis archiepiscopus est creatus? Vidi ego ejus librum in bibliotheca casanatensi, quem produxit Fontaninus cum de Gratiano scriberet (2), ac miror virum emunctae naris et criticae artis cum primis peritum larvam huic scriptori non detraxisse, quod facile fieri poterat si in eum paulo curiosius inquisivisset. Sunt in eo recentioris aetatis certissima indicia neque ex scriptura ullum de antiquitate auctoris fieri potest judicium; est enim recenti admodum manu forsitan hoc ipso saeculo exaratus. Constat tamen ex antiquiore libro exscriptum. Sed quidquid de scriptura sit, liber ipse multa continet quae auctorem habere non possunt Joannem Columnam Messanensium antistitem, nisi Nestoris anno vixerit. Primo enim postquam ex instituto suo de vita ac gestis Innocentii III, quem jure inter *Viros illustres* recensuit, non pauca dixerat, digreditur ad laudandum Joannem de Comite, ejusdem Pontificis agnatum et concellitam suum, quem dicit primum a Bonifacio VIII creatum episcopum pisanum, dein a Clemente V archiepiscopum nicosiensem, in Cypro insula primatem. Atque hunc ait anno MCCCXXII ex hac vita migrasse magnis virtutum meritis illustrem (3). Rursum de s. Thoma Aquinate non solum ait anno MCCLXXIV, vivendi finem fecisse, sed anno MCCCXXV in Sanctorum album a Joanne XXII relatum (4). Mitto cetera novitii scriptoris indicia, quae sunt in eo libro, qui quamquam

(1) « Hic presbyter et monachus existens librum decretorum per diversa volumina sparsum in unum recollegit et dicta reducens. Et cum opus sic compositum summo vellet Pontifici praesentare, nec per se ipsum posset habere ingressum quia monachus et pauper erat, cuidam magno praelato adhaesit, qui librum respiciens et insipiens pauperculi monachi sibi librum attribuens, librum Summo Pontifici praesentavit, attribuens sibi opus. Quod cum Gratianus percepisset, cum magna instantia introductione alterius Papae se fecit praesentari .... et facta diligenti examinatione et veritate inventa, quod opus tam utile et proficuum Ecclesiae Dei Gratianus ediderat, et per summum pontificem generaliter approbatum, facto quoque mandato, ut per omnes scholas universaliter legeretur, ipsum ad episcopatum clusinum promovit, in quo multa scribens et dictans diem clausit extremum ». Jo. Columm., *loc. cit.*

(2) Fontanin., *loc. cit.*

(3) « Ex hujus Pontificis clara prosapia, quae usque nunc domus Comitum vocatur Romae, originem traxit ille recolendae memoriae fr. Joannes de Comite Ordinis Praedicatorum, qui in suo Ordine post parisiense studium factus est primo lector urbevetanus, postea senensis, de qua lectura assumptus est ad provincialem provinciae romanae .... ex quo officio assumptus est ad episcopatum pisanum per Bonifacium pp. VIII. Postea per Clementem V factus est archiepiscopus nicosiensis, qui est primas regni Cypri .... Mortuus est autem Cypri anno Domini MCCCXXII die ultima Julii, ad cujus tumulum multi diversis infirmitatibus sunt curati ». *Ex Cod. Biblioth. Casanat.*

(4) *Ibid.*

Joannis Columnae nomen praeferat (1), non eum tamen auctorem habet, qui medio saeculo XIII Messanensium archiepiscopus creatus est. Quisquis autem sit Joannes iste, multo sane recentior est quam ut ejus auctoritas valere debeat contra reliquorum scriptorum sententiam, quorum nullus est, qui Gratianum montensi apud Urbevetanos monasterio adscribat, et tam parum credibilia narret de ejus accessu ad Eugenium III Pontificem. Vidi nuper aliud exemplar hujus operis in bibliotheca Barberina, quod ostendit mihi vir clarissimus Simon Ballerinus ejus bibliothecae praefectus, cujus eruditionem plurimi facio et humanitatem saepissime sum expertus. Est hoc exemplar omnino antiquum, in membranis scriptum et casanatensi, praeter antiquitatem scripturae, simillimum, ut dubitari non possit esse legitimum foetum Joannis Columnae multo recentioris, quam fuerit ille Messanensium antistes, cui Fontaninus hunc librum attribuit.

XII. De tempore, quo Gratianus in academia nostra floruerit, certa prorsus monumenta non suppetunt. Sed tamen aliquid ex conjectura statui potest. Proponit Gratianus quamdam appellationis formulam, ex qua apparet illum scribendo decretorum volumini vacasse temporibus Gualterii archiepiscopi ravennatis et Adelini regiensis episcopi. Inducitur in ea formula Adelinus Regii Lepidi episcopus appellans ad Sedem Apostolicam a sententia Gualterii archiepiscopi ravennatis (2). At Gualterius cathedram ravennatem tenuit ab anno MCXIX ad MCXXXXIV (3), Adelinus autem regiensem ab anno MCXXIX ad MCXXXIX aut initium MCXXXX (4). Per haec igitur Gualterii et Adelini tempora Gratianus scripsisse videtur. Aliud indicium suppeditat Huguccio, antiquissimus Gratiani interpres, ad tempus utcumque definiendum quo Gratianus suae decretorum collectioni concinnandae incumbebat. Ait enim id accidisse cum Jacobus Bononiae jus civile interpretabatur et Rolandus Bandinellus, qui postmodum creatus Pontifex dictus est Alexander III, sacras literas docebat (5). Est Jacobus ille legum interpres illustris, quem Irnerii discipulum ferunt et in cathedra successorem. In recenti autem memoria tantorum virorum sat fuit Huguccioni eos nominasse in scholis nostris docentes, ut quivis intelligere posset quo tempore Gratianus decretorum librum scripserit. Nunc perinde non est, sed tamen cum anno MCLIX Rolandus Bandinellus ad Petri cathedram sit evectus, annis circiter novem postquam cardinalis creatus fuerat, commodissime ejus schola bononiensis recidere potest in ea, quae diximus, Gualterii archiepiscopi ravennatis et Adelini regiensis episcopi tempora (6).

XIII. Si ea, quam diximus, appellationi formula a Gratiani proposita mendosa non esset in notis chronicis, quas adjunctas habet, certius indicium suppeditaret ad definiendum tempus quo scriptum est Gratiani volumen. In editis Gratiani libris, quos viderim, scripta fingitur *prid. kal. Maji anno MCXXXXI, indict. IV.* Et ita quidem in editis post emendationem gregorianam. In aliis adscriptus erat annus MCLXI. At in duobus antiquissimis Gratiani exemplaribus, quae non multo post Gratiani aetatem scripta videntur, ea formula scripta fingitur *prid. kal. Maji anno MCV, feria IV* (7). Eumdem

(1) « Liber de Viris illustribus christianis, editus a fr. Joanne de Columna Ord. Praedicatorum ». Ita initio libri legitur. Ad calcem vero: « Explicit liber de Viris illustribus christianis, editus a fr. Joanne de Columna romano Ordinis Praedicatorum ». *Ex Cod. Biblioth. Casanat.*

(2) C. *Post appellationem*, II, q. VI.

(3) Ughell. in *Archiep. Ravenn.*

(4) *Id.* in *Episc. Regii Lapidi.*

(5) Huguccio in C. *Post appellationem,* de quo infra.

(6) De hoc vide inter *Theologiae professores.*

(7) Forma appellationis haec est: « Ego Adelmus (lege Adelinus) s. Regine Ecclesie minister indignus, sentiens me pregravati a dn. Galterio s. Ravennatis Ecclesie archiepiscopo, Sanctam Sedem appello ». Si vero post datam sententiam appellare voluerit hic erit modus appellandi. « Ego A. s. Regine Ecclesie minister, licet indignus, contra sententiam dn. Galterii s. rav. Eccl. ar-

annum habebat in exemplari, quo utebatur Huguccio pisanus, Gratiani interpres, quem supra memoravimus. Sed cum is probe intelligeret eum annum retineri non posse, *Credo,* inquit, *hic esse falsam literam, nec credo quod tantum tempus effluxerit ex quo liber iste compositus est, cum fuerit compositus domino Jacobo bononiensi jam docente in scientia legali et Alexandro tertio Bononiae residente in cathedra magistrali in divina pagina ante episcopatum ejus* (1). Haec habet Huguccio Gratiani interpres ad illam appellationis formulam, quae si apud Huguccionem ipsum legissent viri docti, qui Gratiani librum et auctoritate Gregorii XIII emendarunt, non ea Huguccioni tribuissent, quae numquam dixerat (2). Eos nimirum decepit glossa, quae est in libris editis ad eam Gratiani formulam, quae sic habet: *Dicit H.* (idest Huguccio) *quod hic est falsa litera, quia non sunt tot anni, quod liber iste compositus fuit. Fuit enim editus docente Jacobo Bononiae in legibus et Alexandro in theologia, qui postea fuit Papa Alexander III et fuit anno Domini MCL, ut chronicis patet* (3).

XIV. Mitto quam inepte haec glossa ex Huguccionis verbis consarcinata sit, postrema certe verba non sunt Huguccionis sed Joannis Teutonici aut Bartholomaei Brixiensis, qui post Huguccionem vixerunt et vulgatas decretorum glossas ediderunt, quod a Correctoribus Romanis animadversum non est. Cum igitur emendare vellent notas chronicas ei formulae adscriptas pro anno MCLXI, qui erat in libris editis, reponendum censuerunt annum MCXXXXI, quod haec emendatio commodissima visa sit, quae notarum tantum transpositione fieri poterat quaeque congruebat cum indictione IV ei formulae adscripta; cadit enim indictio IV in annum MCXXXXI, non cadit autem in annum MCLXI (4). Sed neque ratio ulla habenda fuerat librorum editorum, qui contra veterum exemplarium fidem habebant annum MCLXI, neque ulla hic indictio adnotata fuerat a Gratiano, qui diem quidem ei formulae apposuit, nempe feriam IV, at indictionem omisit. Ad annum igitur definiendum, quo lucem aspexit novum juris canonici corpus a Gratiano compositum, nihil certi attulerunt Correctores Romani. Sed quoniam ex ea ipsa formula constat Gratianum ei adornandae occupatum fuisse per ea tempora, cum Gualterius ravennatem et Adelinus regiensem Ecclesiam administrabat, ut ante dictum est opportune autem accidit ut initio anni MCXXXX Gualterius archiepiscopus apud Regium Lepidi moram egerit (5), et judicia etiam in ea civitate exercuerit (6); facillimum fuit Gratiano cogitanti de formula libelli in appellatione usurpandi exemplum ex re nota et praesenti desumere. Annum igitur in Gratiani formula indicatum vix alium esse posse existimo quam annum MCXXXX aut MCXXXXI, nempe illum ipsum, quem Correctores Romani non bonis rationibus admiserant.

XV. At Gratiani formula scripta fingitur pridie kal. Maji, feria IV, qui duo characteres designat annos MCXXX, MCXXXXI et MCXXXXVII, ut ex chronologorum

chiep. injuste in me latam pridie kal. Madii, anno Incarnationis, Dominice MCV, feria IV, Romanam Sedem appello... ». C. *Post appellat.* in Cod. mss. Palatino-Vaticano 621, 622 de quibus vide Appendicem.

(1) Huguccio ad C. *Post appellationem* in Cod. Vatic. mss. 2280, de quo vide Appendicem.

(2) « Idem testatur Huguccio, vetustissimus hujus Codicis (Gratianei) interpres, C. 41, q. VI, cap. *Post appellationem*, anno scilicet MCLI editum fuisse Gratiani Decretum ». Ita Correctores romani in *Praefationem ad Gratianum.*

(3) *Glos.* in C. *Post appellationem* cit.

(4) In vulgatis erat MCLXI, qui numerus, ut recte in glossa dicitur, constare non poterat. In manuscriptis autem, cum varia sit lectio, haec visa est melior, quae notarum tantum transpositione restitui potuit, et quarta indictio cum hoc anno concurrit. Correctores romani ad cap. *Post appellationem* cit.

(5) Vide Muratorium, *Antiquit. med. aevi*, dissert. LXII.

(6) *Ibid.*

tabulis patet. Anno autem MCXXX nondum fortasse decretorum volumini scribendo manum admoverat, in quo aliquot canones concilii lateranensis, anno MCXXXIX celebrati, reperiuntur, anno autem MCXXXXVII et Gualterius Ravennae archiepiscopus et Adelinus Regii Lepidi episcopus jam obierant. Neuter igitur ex his duobus annis ei formulae adscribi poterat. Sed ne annus quidem MCXXXXI, quia eo anno pridie kalendas Maji Adelinus jam obierat (1). Non igitur Gratianus illum adhuc viventem inducere poterat in ea formula. Restat igitur ut insanabili vitio laborent notae chronicae ei formulae a Gratiano adscriptae. Sed enimvero necesse non erat ut Adelinus adhuc viveret cum Gratianus eam formulam proposuit. Sed quoniam et Gualterius et Adelinus eodem tempore vixerant et alter erat alteri subjectus ut metropolitae suo, quare ut ab eo judicari poterat, sic poterat ab ejus judicio appellare ad Sedem Apostolicam, si se contra jus fasque gravari existimasset ac fortasse etiam id acciderat in aliqua insigni causa tunc temporis notissima, pronum Gratiano fuit ut hic suam appellationis formulam componeret. Scribenti autem elapsis mensibus aliquot post Adelini obitum ignoscendum est, si feriam unam pro altera adnotarit aut in die mensis designandò erraverit; cujusmodi errores vel diligentissimis etiam quandoque irrepere solent. Stat igitur annum MCXXXX aut MCXXXXI ei formulae adscriptum fuisse, atque adeo per illud tempus novam jurisprudentiae ecclesiasticae scholam in academiae nostra exortam.

XVI. Sed num Gratianus reliquum vitae suae tempus Bononiae transegerit, id etiam incertum est. Monstrabatur olim in monasterio s. Felicis cellula Gratiani, in qua divinum, ut tunc appellabatur, decretorum opus perfecerat, quae cellula cum novis aedificiis obruta fuisset, Bartholomaeus ejus monasterii abbas anno MCCCLXXIV alio loco et Gratiani et ejus cellulae memoriam restituit, hac posita inscriptione in tabula marmorea, quae olim in claustro monasterii post autem in ecclesiae sacrario fuisse dicebatur, nunc autem omnino periit.

Hanc aulae partem lector reverenter adito.
Namque loci monachus Decretum hic condidit hujus
Divinum Gratianus opus quantumlibet arcto
Contentus septo, quod jam reparando caducum
Et vetus hoc claustrum tolli fuit inde necesse.
Id tamen abbate et constructum est Bartholomeo,
Mille trecentenis decies septem atque quartenis
Annis a Christo pura de Virgine nato (2).

At de sepulcro tanti viri nulla Bononiae memoria superest. Neque ullam fidem Pancirolus meretur cum Bononiae defuncto Gratiano positum dicit epitaphium, quod postea, sepulcro ipso disjecto, in aede principe divi Petronii restitutum fuerit. Superest adhuc in divi Petronii templo monumentum Gratiano positum, quod est hujusmodi:

(1) Ughell. in *Archiep. Ravenn.*

(2) *Ex Chronic. Bonon. fr. Hieronymi de Bursellis bononiensis, ad an. MCLI. Extat in Bibliotheca s. Dominici Bononiae.*

D · O · M
GRATIANI · CLUSINI
CAESAREI · JURIS · ET · PONTIFICII
ENUCLEATORIS · PROPE · DIVINI
QUI · MONACHUS
IN · MARTYRUM · FELICIS · ET · NABORIS · AEDE
ABSOLUTISSIMUM · IBIDEM · OPUS · DECRETORUM
ANNO · GRATIAE · MCLI
COMPILAVIT
MONUMENTUM · QUOD · ILLIC · CARIE · RUDERIBUSQUE
OBSORDUERAT
HIC
MAGNIFICENTIUS · RENOVATUM
JOANNES · FRANCISCUS · ALDROVANDUS
BONONIENSIS
IV · DICTATOR
AERE · PUBLICO · INSTAURAVIT
ANNO · SALUTIS · MCCCCLXXXXIX
IDIBUS · JUNII
JOANNE · BENTIVOLO · II · P. · P.
REM · P. · FELICITER · GUBERNANTE

Hic nulla sepulcri mentio. At in exemplo hujus inscriptionis, quod Pancirolus edidit, haec leguntur: *Sepulchrum, quod illic curiae ruderibus obsorptum, hic magnificentius renovatum etc.* Miror fuisse hominem adeo indiligentem, qui monumentum, celeberrimo civitatis loco positum, tam oscitanter exscribere potuerit. Id porro Pancirolum decepit.

XVII. Accedit quod Gratianus a quibusdam dicitur clusinus episcopus fuisse, ex quo factum censeo ut alii patria clusinum crediderint; quod si verum fuerit, frustra ejus sepulcrum Bononiae quaeretur. Robertus abbas s. Michaelis de Monte in Normannia, probatus auctor et Gratiano synchronus, eum certe episcopum clusinum appellat (1). Consentit Joannes Columna, de quo supra diximus, quisquis tandem fuerit et cujusque auctoritatis. In supplemento etiam chronicorum mundi clusinus episcopus dicitur. Sed quoniam nulla apud Ughellum Gratiani mentio inter episcopos clusinos, credibile est vel numquam revera episcopum fuisse, vel brevi admodum tempore episcopatum illum ab eo administratum, quo factum sit ut nullum ejus monumentum repererit Ughellus inter clusinae Ecclesiae antistites.

XVIII. Hic igitur incerta omnia. Illud vero manifeste falsum reputo, quod Albericus Trium Fontium monachus in Chronico Gratianum scribit cardinalem fuisse, atque anno MCCIV fecisse vivendi finem (2). Ac mirum mihi videtur Justum Fontaninum virum doctissimum fidem omnem his Alberici commentis non abnegasse. Gratianus cardinalis, qui ad finem properante saeculo XII et initio etiam saeculi XIII magna celebritate nominis fuit, non video quid habere potuerit cum Gratiano nostro commune,

(1) Vide infra Roberti locum, ubi de Omnibono Gratiani discipulo.

(2) Alberic., *loc. cit.*

praeter nomen. Neque Gratianus, qui circa annum MCXXXX vel edidit vel de edendo jam cogitabat decretorum volumine, videtur ad annum usque MCCIV vivere potuisse, et quidem integris viribus ut Ecclesiae negotia tractare posset, uti Gratianum cardinalem fecisse constat. Et sane ejusmodi est opus illud quod a Gratiano habemus, ut ei perficiendo plures annos ac magnam fortasse vitae suae partem devovere debuerit. Gravi igitur aetate fuisse oportet Gratianum, cum novum hoc juris canonici Corpus in publicum emisit, neque abhorret a vero ut ei perficiendo annos plurimos, sic etiam tradendo et exponendo in scholis diutinam operam ab auctore ipso fuisse impensam. Neque vero brevi et perfunctoria opera egebat novum opus ut scholae commendaretur, et omnium, qui juris pontificii studiosi essent, suffragia sibi compararet. Igitur ad multam aetatem Gratianus in scholis nostris degere debuit, nec videtur, habita ratione temporum, vitam producere potuisse ad annum usque MCCIV, ut tradit Albericus. Aeque igitur ignotum est et quo loco et quo tempore Gratianus obierit.

XIX. Sunt qui dicant morem a Gratiano inductum creandi doctores; quem morem potea secuti sint et legum et aliarum facultatum professores (1). Sed id etiam falsum judico. Nam doctores legum ante Gratianum fuisse manifestum est, sed decretorum doctores multo serius audiri coepere in scholis nostris. Ita nuncupatos reperio professores canonum Innocentio III Pontifice (2). Antea non alio quam magistri titulo gaudebant. Habemus insignem Alexandri III epistolam ad episcopum et canonicos ac *legis doctores ceterosque magistros Bononiae commorantes* (3). Ad eos scribebat Alexander vix dum creatus Pontifex, ut eos preoccuparet sibique obstringeret in ferali schismate, quod tunc in Ecclesia conflari videbat, non omissurus in epistolae inscriptione doctores decretorum, si qui Bononiae per illud tempus fuissent eo nomine et honore insigniti. Quis autem non miretur Justum Henningum Bohemer, quem criticae artis usu exercitatissimum praedicant, praelongam orationem projicere, ut hoc praeclarum Gratiani inventum exponat? Gradus scholasticos a Gratiano excogitatos ait, Eugenii Pontificis auctoritate inductos, juxta morem usitatum academiae nostrae conferendi honores ejusmodi scholasticos in aliis facultatibus. Itaque triennio exacto baccalaureos creari coepisse, quadriennio licentiatos, quinquennio denique absoluto doctores; quae omnia ita falsa sunt, ut falsa, inepta, ridicula sunt monumenta quibus nituntur (4). Neque vero felicior est Justi Henningi conjectura, cum ait suasu atque hortatu s. Bernardi abbatis clarevallensis Gratianum decretorum librum scripsisse. Debere se fatetur hanc animadversionem Manriquio Annalium Cisterciensium auctori (5). Sed adeo levia sunt quae Manriquius affert ad id comprobandum, ut cordatum virum movere non possint. Difficile, inquit, impetrasset Gratianus ab Eugenio, qui monachus cisterciensis fuerat, docendi veniam, nisi Bernardo, et cisterciensi et summae apud Pontificem auctoritatis, monente et suadente scripsisset. Sed quid opus erat Pontificis venia ut Gratianus scriberet et doceret, qui suo marte ad scribendum et docendum se contulit? Aut qui poterat Gratianus ab Eugenio veniam petere, qui multo ante Eugenii pontificatum debuit manum admovere magno operi, quod plurium annorum vigilias et labores requirebat? Habemus Laborantis

(1) Panchirol., lib. III, c. II aliique plures.

(2) Extat epistola Innocentii III « ad doctores decretorum scholarum bononiensium » ex qua sumptus est C. *Inter alia. De sentent. excommunic.*

(3) Edita est a Baronio haec epistola in *Annal. Eccles.*, t. XII ad an. MCLIX.

(4) Bohemer. *De varia Gratiani fortuna,* t. I *Juris Canon.* p. XIV ex apocrypho kalendario Universitatis Bononiensis, cujus excerpta viderat in adnotatis ad libros Histor. Bonon. Caroli Sigonii, nuperae edit. mediolanen.

(5) *Idem, ibid.* § X, p. VIII ex Manriquio, *Annal. Cistercien.*, t. II ad an. MCLI, n. 6.

Ecclesiae Romanae cardinalis collectionem canonum, de qua supra diximus, quamque auctor ipse non minori quam XX annorum spatio se absolvisse fatetur. Ea tamen scripta est multo post editum Gratiani librum, ac nihil fere continet quod a Gratiano peti non potuerit. Quid ni ergo pari saltem, ni mavis majori tempore eguerit Gratianus ad suum opus multo majoris moliminis et difficultatis perficiendum? Si ergo sedente Eugenio III, ut vulgo existimant, Gratianus decretorum volumen in lucem emisit, non potuit Pontifice eodem auspicante illud idem opus inchoare. Mitto cetera, his etiam leviora, quae Justus Henningus ex Manriquio accepit et bona fide probavit.

XX. Extenuat Gratiani laudes Albericus Trium Fontium monachus, cum scribit decretorum volumen, quod Gratiano tribuimus, ab alio auctore non modo adumbratum sed magna etiam ex parte perfectum. Ait Omnibonum, doctum hominem qui floruit Friderico I imperante, librum edidisse *De concordia discordantium canonum*, in duas partes tributum; qui ex auctoris nomine Omne Bonum sit appellatus. Huic Gratianum monachum multa superstruxisse et quasi in alieno fundo aedificasse; quae si vera sint, Gratianum dicere oportebit, potius quam novi operis auctorem, invasorem alieni (1). Sed hoc inane commentum est, eo auctore dignum qui et multo post Gratianum vixit et fabulosa multa in suum chronicon invexit (2). Vel ipsa haec narratio de Omnibono et Gratiano hominis ingenium prodit. Quis enim fando unquam audivit de hoc libro, qui Omne Bonum diceretur? Fieri vix posset ut tam utilis libri aliquod exemplum tandem non apparuisset in tanta veterum codicum copia, qui aetate nostra innotuerunt. Tempora etiam non recte componit Albericus. Ait hunc librum ad Omnibono editum anno MCLVI anno V Friderici Imperatoris; quae quam male consuta sint manifestum est ex iis quae ante diximus. Gratianus enim decretorum volumen composuit multo ante quam Alexander III Pontifex creatus sit, cum adhuc privatus sacras literas in academia nostra docebat. Rursum Gratianum nostrum cardinalitia dignitate auctum dicit, quod nullam fidem meretur. Gratianus enim cardinalis, Eugenii III nepos, qui inclinante saeculo XII vixit et initium attigit saeculi XIII, nihil commune habuit cum Gratiano nostro, praeter nomen. Vivebat nimirum Albericus medio circiter saeculo XIII et quidem procul ab Italiae finibus. Et cum aliquid audivisset de Omnibono quodam Gratiani discipulo, ac postmodum episcopo veronensi, qui etiam ferebatur Gratiani librum in compendium redegisse, de quo postea dicemus, perverso prorsus judicio libri decretorum praeformatorem credidit hominem illum, qui ejus tantum epitomator fuerat. Similiter et Gratiani cardinalis, qui et diutissime vixit et assiduam operam Ecclesiae Romanae tractandis negotiis impendit, adhuc aetate sua vigentem famam cum reperisset, facile fuit scriptori minus cauto, ut eumdem Gratianum cardinalem existimaverit libri decretorum auctorem. Sed neque constat Gratianum ss. Cosmae et Damiani diaconum cardinalem, hunc enim titulum habuit, monachum fuisse; nec verisimile est potuisse eumdem hominem, qui circa annum MCXXXX aut MCXXXXI, aetate jam maturus et doctrina

(1) « An. MCLVI. Item in eodem anno, idest Frederici Imperatoris quinto, quidam magister egregius Omnibonus nomine librum *De concordia discordantium canonum* diligentissime ordinavit in duas partes. Primam partem in XXVI distinctiones, secundam in causas XXXVII per quaestiones diversas satis artificiose propositas. Hic liber a nomine authoris Omnebonum; et hunc secutus est tempore Alexandri Papae Gratianus cardinalis, qui multa addidit, ita quod de XXVI distinctionibus centum distinctiones fecit, sed per ipsum ista doctrina facta est magis authentica ». ALBERIC. in *Chron.* edit. Leibnit. in *Accession. Histor. Script. Rer. Germ.*, t. II, pag. 328.

(2) Chronicon Alberici monachi Trium Fontium, quod habemus a Leibnitio editum, definit ad annum MCCXXXXI, sed mutilum in fine videtur, ac fortasse post illum annum ab auctore productum fuerat. Vide LEIBNITII Praefactionem.

celebris, decretorum volumen, in quo annis plurimis insudasse debuit vel in publicum emisit vel emittere parabat, in vivis esse post initium saeculi XIII et quidem viribus integrum, ut ecclesiasticis negotiis vacare potuerit.

XXI. Non igitur unus idemque homo fuit Gratianus monachus, scholae bononiensis juris canonici auctor cum Gratiano ss. Cosmae et Damiani cardinali, neque informatam ab Omnibono canonum collectionem perfecit Gratianus monachus, sed suo marte inchoavit ipse et absolvit. Non dubium tamen est quin plurima ab aliis canonum collectionibus acceperit, nimirum Reginonis Prumiensis, Burchardi in primis et Ivonis, ac fortasse etiam Anselmi Lucensis. Cum autem superiores illi collectores ac praesertim Burchardus, non semper satis accurati fuerint in delectu canonum habendo verisque eorum fontibus indicandis, Gratianus, cum eorum vestigiis insisteret, in errorem prope necessarium sepius abductus est. Bona enim fide ab iis accepit quae in rem suam facerent; nec potuisset unus homo, quantumvis accuratus et diligens, singulos conciliorum canones et decreta Pontificum et Patrum sententias ad trutinam revocare in summa librorum raritate, quae erat iis temporibus, et paucis admodum subsidiis ad tantum opus perficiendum instructus. Sed tamen saepissime constat illum fontes ipsos ecclesiasticarum legum adiisse nec hausisse omnia ab infectis superiorum collectionum rivulis. Exemplo esse potest id, quod Baluzius animadvertit in praefatione ad epistolam Rabani Mauri ab Heribaldum. Burchardus canonem protulerat ex concilio ilerdensi (1). Ivo Burchardum secutum, eumdem canonem totidem verbis quasi ex eodem concilio recitavit (2). Sed Gratianus eumdem canonem, ne una quidem literula immutata, producens, falsa inscriptione, quam apud Burchardum et Ivonem viderat, minime deceptus est eumque canonem esse dicit uti revera est, ex epistola Rabani ad Heribaldum. Est c. 34 *De his vero,* dist. L. Non dubitat Sirmondus Gratianum reprehendere, quod c. *Quaesitum,* I, q. 3, et c. *Sane quia,* XVI, q. 2, ex concilio avernensi retulisset, cum ii canones non in avernensi sed in nemausensi concilio editi essent. Itaque eos canones concilio nemausensi restituendos monuit, eorumque inscriptionem apud Gratianum emendandam (3). At postea compertum est eos canones primum editos in celebri concilio arvenensi sive claromontano, quod anno MLXXXXV celebratum est praesente Urbano II, dein totidem verbis inter canones concilii nemausensis relatos (4).

XXII. Non possum hic praeterire c. *Sponsus,* dist. XXXIII. Hic nullam habebat inscriptionem in antiquis exemplaribus Gratiani ante Democharem et Contium, qui primi adnotarunt, esse ex concilio IV carthaginensi, quare eamdem inscriptionem retinuerunt Correctores Romani. Haec Baluzius (5). Sed quid est, quod canon iste apud Burchardum et Ivonem dicitur sumptus ex cap. CI concilii apud Valentias? Si Gratianus consuevisset Burchardum et Ivonem pecudis instar sequi, non haesitasset hunc canonem valentino concilio tribuere. At illum repererat inter canones concilii carthaginensis, ex quo concilio plura aliis locis deduxerat, ac videbat etiam a Reginone carthaginensi concilio tributum (6). Quid ergo ageret in hac varietate et dissidio codicum? Cum nulla tunc illi certa ratio succurreret ad hanc dissensionem tollendam, maluit nullam suo canoni inscriptionem, quam non certam ac dubiam apponere. Atque in hoc minus certe

(1) Burchard, lib. XIX, cap. CL.
(2) Ivo. *Decreti,* p. IV, cap. CCCC.
(3) Sirmond in *Antirrhet I advers. Aurel.,* p. 79.
(4) *Vide Appendicem ad Concil. Claromont,* t. X *Concil. Labbe.*
(5) Baluz. in not. ad *Gratian.* post dialog. Ant. Augustin, pag. 455.
(6) Regino, l. II, c. 153.

cautus fuit vir longe alias doctissimus et diligentissimus Labbeus. Is enim post concilium valentinum, celebratum anno DXXIV, fragmenta quaedam edidit, *quae citantur,* ut ipse inquit, *ex concilio valentino, sive id hispanum sit sive gallicum* (1). In his est c. *Sponsus,* totidem verbis ac apud Gratianum ac sumptus dicitur a Burchardo (2). Sunt alii etiam tres canones, qui concilio valentino tribuuntur apud Labbeum, qui oblitus erat eosdem ab se editos inter canones concilii carthaginensis (3). At Gratianus unum et alterum ex his tribus, nempe c. *Qui oblationes,* XIII, q. II, et c. *Irritam,* XI, q. III, quos Burchardus (4) cum Ivone (5) et ex Burchardo Labbeus (6) tribuunt concilio valentino, carthaginensi quarto recte adscribit. Sed aliqua tamen venia dignus est Burchardus, a quo Ivo et Labbeus decepti sunt. Non ipse primus carthaginenses canones cum valentinis miscuit. Antiquior Burchardo fuit ipse error, si tamen hic verus est error, fieri enim posset ut aliqua synodus valentina plerosque ex canonibus carthaginensibus sibi sumpsisset, ut in aliis conciliis actum quandoque videmus. In antiqua illa canonum collectione, cujus specimen in Appendice dabimus, plusquam triginta canones afferuntur ex concilio valentino (7), qui iisdem verbis reperiuntur in carthaginensi IV. Sed haec viderint conciliorum editores. Ad Gratianum quod attinet, plura ex genere hoc afferri possent, quae satis ostendunt, illum non solas Burchardi aliorumque collectiones caeco modo expilasse, sed ad primigenios ecclesiasticarum legum fontes, quoad licuit, accessisse.

XXIII. Itaque ut multa omisit, quae in Burchardo aliisque collectoribus canonum viderat, minime necessaria, ita ipse multa congessit ab iis praetermissa, quibus juris ecclesiastici studiosos carere non posse intelligebat. Plura etiam, quae Gratiano et superioribus collectoribus sunt communia, saepe apud Gratianum brevis et enucleatius sunt expressa, ut facile comperiet quisquis Gratianum patienter velit cum Burchardo et Ivone aliisque collectoribus canonum componere. Quis autem, exempli causa, in Ivonis Decreto librum integrum et quidem admodum prolixum ferre possit contra Berengarium? Liber vero postremus qui de speculativis sententiis inscribitur, si quidem Ivonis est nec alia manu additus, quid commune habet cum canonibus et ecclesiasticis regulis? In reliquis vero Decreti ivoniani libris quam multa sunt ad historiam, ad liturgiam, ad eruditionem pertinentia quibus nemo inter decreta Patrum et leges ecclesiasticas locum concesserit? Nihil dicam de incondita Burchardi farragine, ex qua si quaecumque sunt vana, insulsa, inutilia demas, nimium magna illa moles decrescet.

XXIV. Quamvis autem optandum esset ut canonum collectio, quae sola in scholis et judiciis obtinuit, meliori delectu facta fuisset, fatendum tamen est eam, quam adornavit Gratianus, ceteris, quae ante illud tempus prodierant, multis modis antecellere. Itaque nemo post Gratianum ausus est aliquid in eo genere; et si quis forte tentavit, prodire non potuit in scenam, captis omnibus Gratiani fama, quasi metam attigisset quam superare nemo posset. Unam novi canonum collectionem post Gratianum editam a Laborante cardinali, sed ea nullo plausu excepta est et semper in tenebris jacuit. Quis autem eam collectionem expeteret, in qua nihil erat quod in Gratiano non haberemus, deerant autem multa, quae maxime in Gratiano placebant? Hoc enim maxime praestat Gratiani collectio Laborantis et superiorum omnium collectionibus, non solum quod uberiorem legum ecclesiasticarum copiam ad scholae et fori usum suppeditat,

(1) Labbeus. *Concil. gener.,* t. IV, pag. 1619.
(2) Burchard., l. IX, c. 5.
(3) Labbeus. *Op. cit.,* t. II, pag. 1200.
(4) Burchard., l. III, c. 142, et l. eod., c. 170.
(5) Ivo, p. III, c. 28, et p. II, c. 94.
(6) Labbeus, *loc. cit.*
(7) « Ex Concil. habito civitate Valentia, vel ex Concil. habito Valentia ». Sic iis canonibus adscriptum est.

sed quod nova quadam et ante illud tempus inusitata forma instructa fuit, quae ecclesiasticae jurisprudentiae studiosis commodissima videbatur. Neque enim Gratianus id solum egit quod ceteri collectores, ut canones in ordinem certasque classes redigeret, sed certis quaestionibus propositis, quid in utramque partem ex canonibus, qui inter se nonnumquam pugnare videbantur, dici posset, afferret ipse et explicaret, ut inquiunt Correctores Romani in praefatione ad Gratiani Decretum ex auctoritate Gregorii XIII emendatum. Itaque et distinctiones adhibuit Gratianus et causas proposuit, quibus explicandis et tractandis jurisprudentiam ecclesiasticam disputatricem fecit et ad gustum sui saeculi accomodavit, quod maxime scholasticas disceptationes et ingeniorum certamina amabat. Atque hinc nata est, quam diximus, nova juris canonici schola, in qua tandiu regnavit Gratianus, quaeque modum docuit tractandi causas ecclesiasticas, ab reliquis Europae scholis subinde receptum. Ex hoc fonte profecta est illa forensis eloquentia, quam bononiensem appellabant, de qua est locus insignis apud Giraldum Cabrensem, hic minime praetereundus. Cum enim Giraldus aliquando Parisiis quaestionem quamdam ex jure canonico disputasset magno eloquentiae et doctrinae apparatu, a docto viro, qui diu in nostris scholis bononiensibus jurisprudentiae studiis vacaverat, interrogatus est quandiu Bononiae studuisset, ratus nimirum non potuisse alibi quam in bononiensi academia tam exquisitam disputandi artem addiscere. Ejus autem praeceptor, qui disputationi praesens fuerat, *Nollem*, inquit, *pro placito centum solidorum, idioma namque bononicum erat, quin hodie in tanto consistorio tantoque scholarium conventu tam egregie locutus fuisses.* Erat autem quaestio proposita, *num judex secundum allegata judicare debeat, an juxta conscientiam* (1). Haec Parisiis acta sunt circa annum MCLXXIX (2), annis haud plurimis post editum a Gratiano decretorum volumen; et tamen ejus disputandi ratio ita celebris evaserat ut vel in ipsis scholis parisinis tantundem esset optime excellenterque ac bononiensem in morem disputare, et causas ecclesiasticas agere. Si quis autem unam vel alteram ex Gratiani causis legerit, facile comperiet ad novum illud disputandi genus, ab illo invectum in tractandis juris canonici quaestionibus, omnes eo rudi saeculo commoveri debuisse cum ne nostris quidem ingeniis displicere possit. Quis enim hanc disputandi rationem non probet, in qua ad definiendam quaestionem propositam non inanes ratiunculae et captiosae argutationes inducuntur, sed canonibus et decretis, quae in utramque partem afferri possunt bona fide discussis, sententia profertur? Haec porro est disserendi forma a Gratiano inducta.

XXV. Ob hanc vero causam, quod ejus maxima cura fuit conciliandi canones in speciem aut revera diversos plurimi existimant hanc canonum collectionem ab auctore ipso appellatam *Concordantiam discordantium canonum.* Sed verisimilius est hanc inscriptionem Gratiani libro additam ab interpretibus, nuspiam enim in antiquioribus Gratiani exemplaribus apparet. Ea certe carebant exemplaria, quae usui fuere Correctoribus Romanis (3). Ea carent duo vetustissima exemplaria bibliothecae Palatino-Vaticanae, quorum alterum *Paleas* habet sub initium alia manu descriptas, alterum nullas omnino habet (4). Carere etiam debuit exemplar illud quo usus est Huguccio, primus, ut fertur, Gratiani interpres, quique non multo post Gratianum floruit et in nostra academia jus canonicum ex Gratiani libro diu est interpretatus. Is enim in prolixis admodum commentariis

(1) GIRALD. CAMBREN. *De rebus a se gestis*, l. I, c. II in *Anglia sacra*, t. II, pag. 477.

(2) *Ibid.*, pag. 478.

(3) *Vide praefationem ad edit. roman. Decreti, jussu Gregorii XIII factam.*

(4) Codex Palat. Vatic. n. 621-622.

quos ad Gratiani librum scripsit, in quibus nullum apicem praetermisit, ac sine interpretatione et glossa, ut ajunt, reliquit, de illa inscriptione et titulo libri verbum non habet. In prooemio tamen commentariorum, ut ceteri interpretes solent, multa dicit de universo Gratiani opere, de ejus materia et partibus, de Gratiani mente et consilio in eo opere scribendo, ubi haec praesertim habet verba, quae ex manuscripto codice Vaticano adscripsimus. *Ne igitur ex tanta varietate canonum aut diversa viderentur adversa, aut varia viderentur contraria, magister Gratianus communi consulens utilitati dispersos canones in unum colligere, et si qua videbatur inesse contrarietas, proposuit solvere* (1). Ex hoc Huguccionis aliorumque veterum interpretum judicio natam existimo inscriptionem illam Gratiani libro postea adjectam.

XXVI. Contulit Gratianus interdum in suas disputationes et quaestiones, quas tractat, nonnulla ex theologicis disciplinis, ex quibus apparet non mediocriter in ea facultate ac in doctrina Scripturarum et Patrum versatum fuisse. Ubi illud obiter animadvertere licet, de praescientia Dei et praedestinatione Sanctorum disserentem, nihil definire ac dicere nisi ex Augustini sententia, ut theologi omnes olim solebant. Sed quoniam plerumque paria in Gratiano et in Magistro Sententiarum de rebus iisdem leguntur, dubitari potest uter alteri praeluxerit, nisi forte uterque eadem ex iisdem fontibus hauserit. Dicemus alio loco de Magistro Sententiarum, Petro Lombardo, quem ostendemus theologiam in nostris scholis didicisse; nec dubium esse posse videtur quin uterque aliquandiu in iisdem scholis nostris una vixerit. Idem autem fuit, quod sane mirum est, utriusque consilium in suis libris adornandis. Ut enim Gratianus jus canonicum ex monumentis ecclesiasticis collectum in unum redegit volumen, quod corpus decretorum appellatum est, sic Petrus Lombardus ex Scripturarum et Patrum sententiis theologicam doctrinam expressit (2). Par etiam fuit utriusque fortuna, ut enim Gratianus quasi parens et auctor juris canonici deinceps habitus est, sic principatum in schola theologica gessit Magister Sententiarum.

XXVII. Sed in aliquo tamen dispar fuit Gratiani et Petri Lombardi fortuna. Petrus enim vix dum emissis Sententiarum libris acerbos reprehensores habuit. Itaque plures ejus errores, qui incaute exciderant, gravi censura notati. Ipse vero male audiit apud multos et unus ex *labyrinthis Franciae* cum Petro Abaelardo et Gilberto Porretano appellatus. At Gratianus jurisprudentiae ecclesiasticae regnum, quod sibi in schola et foro constituerat, multis saeculis pacatissimum obtinuit, theologis aliarumque facultatum professoribus ad ejus majestatem conservandam conspirantibus. Sed ipse quoque suos passus est manes. Quamquam in hoc etiam Magistro Sententiarum felicior fuit, quod illius vix ulla nunc ratio habetur apud theologos, quotusquisque enim hoc tempore ex libris Sententiarum theologiam addiscit? At Gratiani magna adhuc est auctoritas, et parum admodum ex pristina ejus dignitate decessit.

XXVIII. Habuit autem Gratianus triplex reprehensorum genus. Primo enim quotquot ab Ecclesia Romana defecerunt, quotquot religionem, quam vocant reformatam, sequuntur Gratiano infensos esse oportet. Qui enim nihil non agunt, ut Sedem Apostolicam et sanctissimam divi Petri monarchiam funditus evertant, non possunt non

(1) Codex Vatic. n. 2280, de quo vide Appendicem.

(2) Exponit ipse mentem suam in prologo ad libros *Sententiarum* in hunc modum: « In labore multo ac sudore volumen, Deo praestante, compegimus ex testimoniis veritatis, in aeternum fundatis, in quatuor libris distinctum, in quo majorum exempla doctrinamque reperies.... brevi volumine complicans Patrum sententias, appositis eorum testimoniis, ut non sit necesse quaerenti librorum numerositatem evolvere, cui brevitas collecta quod quaeritur offert sine labore ».

execrari Gratianum, qui ejus jura dignitatemque tuetur. Hinc illae Lutheri furiae, qui decretorum volumen aliosque juris canonici principes libros, extructa pyra et ad spectaculum invitatis sectariis ejus, sua ipse manu in ignem conjecit (1). Verum id adeo in Gratiani dedecus non cessit, ut ei potius gloriosum fuerit ab iis damnari quibus non posset nisi criminosum placere.

XXIX. At vero inter eos etiam, qui bene animati sunt erga Romanam Ecclesiam, reprehensores habet Gratianus sed modestos et prudentes. Hi libenter eum sinunt regnare in scholis et judiciis, sed non ita ut in singula ejus verba jurare oporteat. Cum homo esset et opus a nemine tentatum exequeretur, non mirum est offendisse in multis. Sunt autem ejus errores partim in doctrina et opinionibus, quas sequitur, partim in monumentis et decretis, quae producit. In doctrina et opinionibus quae magis reprehendenda sint enumerat diligenter s. Antoninus, et multo accuratius Antonius Augustinus in dialogis *De emendatione Gratiani* (2). Sed quoniam decursu temporum studia quoque et opiniones mutantur, plura nunc sunt in Gratiani Decreto reprehensioni et censurae obnoxia, quae facile tolerari poterant aetate illa, qua vivebat Gratianus. Itaque multa ex Gratiani erratis potius tribuenda videntur aetati, qua vixit, quam Gratiano ipsi. Multa etiam sunt, quae magnam absurditatis speciem habent, sed tamen diligentius perpensa benignas interpretationes patiuntur, quibus errores Gratiano imputati vel plurimum extenuantur vel tolluntur omnino. Unum est Gratiani erratum, quod nulla excusatione defendi posse videtur. Ajunt disputasse illum utrum necessaria sit oris confessio an sola sufficiat cordis contritio ab abolendum animae peccatum, ac multis in utramque partem allatis quaestionem in ambiguo reliquisse, quod liberum unicuique credere quam vellet ex duabus sententiam amplecti. Verum enimvero si publica luce donata essent Huguccionis ferrariensis episcopi commentaria in Gratiani volumen, facile meo judicio fuisset hujus erroris suspicionem a Gratiano avertere. Vixit Huguccio non multo post Gratianum, ut supra dictum est, ac fortasse illum audivit in academia nostra docentem, in qua ipse postmodum diu jus canonicum interpretatus est; neque dubitari potest quin probe intellexerit, in quo ea maxime quaestio sita esset. Eam igitur praeclare exponit et diserte affirmat non modo se dubium non haerere, uti Gratianus; sed pro certo et explorato habere peccatum deleri sola cordis contritione sine confessione oris, quamvis oris confessio sine piaculo omitti non possit. Qui hujus rei cognoscendae cupidus sit, videre poterit specimen commentariorum Huguccionis, quod in Appendice damus (3).

XXX. Quod attinet ad monumenta et decreta, ex quibus Gratiani volumen coalescit, optandum esset ut omnia ex incorruptis fontibus manassent. Sed in hoc etiam magis magisque fraudi fuit Gratiano saeculi infelicitas. Erat Gratiani tempore summo in pretio spuria merces apocrypharum decretalium a Pseudo-Isidoro invecta. Ex iis plurima decerpsit, non tam Ivonis, Anselmi, Burchardi, Reginonis omniumque juris ecclesiastici collectorum exemplum, quam commune judicium omnium hominum secutus, nemo enim per illud tempus, et diu etiam postea, de illarum decretalium authentia dubitare audebat. Multis modis etiam peccavit Gratianus in falsis canonum inscriptionibus, vel in canonibus ipsis et decretis mendose descriptis, in historia etiam et ratione temporum, quae errata olim non animadversa nunc in hac luce literarum in omnium

(1) Pallavicini. *Storia del concilio di Trento,* lib. I, c. XXII.

(2) S. Antonin., p. IV, tit. XI, c. 8. Vide Dialog. XVI et seq. — Ant. Augustin. *De emendat. Gratiani.*

(3) *Appendix.* — Vide etiam super hac re s. Thom. in IV, dist. 17 et Natal. Alexander, dissert. XIV post *Hist. saec. XIII,* § XXXV, quorum sententia Gratianus ab haeresis nota defenditur.

oculos incurrunt. Sed propter ejusmodi maculas nemini visum est Gratiani volumen repudiandum. In eo potius emendando viri doctissimi incubuerunt, ac Romanorum etiam Pontificum haec cura fuit ut hic praecipuus legum ecclesiasticarum codex quam emendatissimus prodiret (1). Itaque abjecta sequioris aevi rubigine, quae Gratiani Decreto ab ipsa sui origine inhaeserat, habemus in eo copiosissimum promptuarium ecclesiasticae doctrinae, non solum ad fori usum sed ad disciplinam moresque informandos. Dolendum est autem consuli plerumque Gratianum in iis solum, quae ad forum et judicia pertinent, in aliis ecclesiasticae institutionis partibus negligi. Haec multorum querela est, quam instauravit nuper vir omnium judicio doctissimus et purioris juris canonici peritissimus, qui nullum agnoscit post sacros codices utiliorem librum; quem si rite exponerent juris pontificii interpretes, diligenterque studiosae juventuti praelegerent, non dubium est, inquit, quin aliud de ecclesiastica disciplina existimarent homines, quam vulgo nunc existimare solent (2).

XXXI. Habet Gratianus alios reprehensores, qui catholici cum sint et optimum se habere animum dicant in Romanam Ecclesiam, toti tamen sunt in ejus juribus et privilegiis extenuandis et evertendis. Eos intelligo qui gallicis opinionibus imbuti Romanorum Pontificum auctoritati et potestati novos ex ingenio suo terminos praescribere nituntur. Quamquam hi non tam Gratianum reprehendunt quam jus quoddam novum exagitant, quod sibi animo fingunt sequiori aevo exortum et libenter ab iis susceptum, *qui transalpinae potestatis amplificationem affectabant et rerum omnium impunitam libertatem tenere cupiebant,* ut ait gallus scriptor, acerbus novi hujusce juris insectator, qui transalpinae potestatis nomine Sedis Apostolicae auctoritatem intelligit (3). Ajunt autem novo hoc jure veteres constitutiones, idest, venerandos priscorum conciliorum canones et authentica veterum Apostolicae Sedis Pontificum decreta suffocata et oppressa fuisse (4), ac tanto sanctissimi juris antiqui excidio ultimam manum a Gratiano datam, cum novi juris corpus in publicum emisit. Sed haec quam falso et invidiose dicta sint et alii scriptores doctissimi demonstrarunt et nos quoque alio loco paucis ostendimus.

XXXII. Sed novae rursum censurae obnoxium esse coepit Gratiani volumen. Non solum enim multis scatere erroribus creditum est, sed sunt qui velint carere nos genuino et incorrupto Gratiani codice, quaeque ad aetatem nostram pervenere Gratiani exemplaria interpolata fuisse et aliorum scriptorum manu vitiata. Hanc opinionem provexit Diomedes Brava in libello, quem edidit, de interpolato Gratiani codice, si quidem is est genuinus auctor ejus libelli nec personatus aliquis vir doctus sub eo nomine latitat, de quo non multum laboro. Quisquis igitur ille sit, in eo libello demonstrare nititur centum sexaginta octo, ut minimum, locis Gratiani librum esse interpolatum, additis recentiori manu legibus et canonibus, de quibus Gratianus numquam cogitaverat. Consuluit nimirum veteres codices aliquot manu exaratos eosque cum editis contulit; cumque plures deesse canones in illis cerneret, qui in istis leguntur, hos omnes aliena manu intrusos existimavit. Conjectura etiam quosdam canones expunxit, ex jure civili petitos, quos nec satis prudenter ab imperito aliquo excerptos, nec opportuno loco collocatos in Gratiani libro censuit. Haec intelligere potui ex Guidone Grandio, nam Bravae

(1) Anno MDLXXX prodiit Gratiani Decretum a doctis viris emendatum ex auctoritate Gregorii XIII. Sed ante illum Pius IV et V item idem consilium ceperant. Vide praefationem ad *Decretum Gratiani* edit. Romae ad annum supra indicatum.

(2) Van Espen. *Tractat. histor. canon.,* p. I, c. I, § 4.

(3) Baluzius in *Praefat. ad dialog. Anton. Augustin,* § III.

(4) *Ibid.,* § II et seq.

libellus incassum quaesitus est[1]. Multa autem habet de hoc argumento Grandius eum auctorem secutus[2]; ac nuper etiam vir doctissimus Joannes Baptista Bartholus episcopus feltriensis, juris pontificii olim professor primarius in scholis patavinis, in Bravae sententiam ivisse visus est, saltem quoad leges civiles, quas post Gratianum censuit libro decretorum insertas[3].

XXXIII. Num bona fide egerit Diomedes Brava in nova hac censura libri decretorum non disputo; tantum dico non videri mihi quod in aliquo vetusto exemplari definit canones aliquot, qui habentur in ceteris, propterea istos omnes repudiandos esse, quasi aliena manu intrusos. In Gratiani libro vetustissimo bibliothecae Palatino-Vaticanae, qui Paleis et glossis omnino caret quique ad Gratiani aetatem dubio procul accedit[4], deest distinctio LXXIII, in qua exempla formatarum, quas vocant, epistolarum proponuntur. Ita autem ad libri marginem adnotatum est: *Di. LXXIII deficit et non legitur.* Cum enim quae in ea distinctione continentur, in scholis non legerentur, qui eum librum describendum sibi curaverat, iis carere voluit quae inutilia reputabat. Ob eamdem vero causam facile potuit accidere ut in quibusdam Gratiani exemplaribus aliqui canones sint omissi, praesertim qui ex jure civile sunt excerpti. Sic etiam in alio Vaticano libro admodum antiquo, quo Gratiani decreta cum solis Joannis Teutonici glossis, non admodum spissis, continentur[5], ad c. *De propinquis,* ca. XXXV, q. 2 haec adnotata reperio: *Quae dicuntur in hac quaestione fere per totum sunt correcta per constitutionem novam, quae incipit:* « *Non debet* » *nec est opus ea legi.* Est constitutio concilii lateranensis anno MCCXV celebrati, quae nunc habetur in gregorianis decretalibus, tit. *De consanguin.* Cum igitur ea non legerentur in scholis, poterant etiam sine piaculo omitti in libris, qui post novam illam constitutionem scripti sunt. Possum hic etiam repetere quod alio loco dictum est de Justiniani Codice in antiquissimo libro Vaticano, in quo non solum desunt aliquae ex Authenticis, quas nunc habemus Codicis legibus admixtas, sed plures etiam desiderantur leges, quas ex industria ejus libri scriptor omisit, incertum qua ex causa. Manifestum est igitur non plane firmissimum esse argumentum, quod a Diomede Brava ex antiquis libris peritum est ad expungendos tot canones ex libro decretorum Gratiani. Valeret hoc argumentum si nancisci contingeret exemplar aliquod, quale a Gratiano ipso editum est, aut saltem quod Gratiano ipso vivente et probante scriptum esse constaret. Sed quis hoc sperare audeat?

XXXIV. Unus mihi Huguccio Pisanus Gratiani interpres, quem supra memoravi, optimam rationem suppeditare posse videtur secernendi genuinos Gratiani canones ab adscititiis si qui sunt in libro decretorum. Cum enim, ut non semel dictum est, Gra-

(1) Disquisitionem criticam Diomedis Bravae patricii tranensis *De interpolatione Gratiani Bononiae*, ut fertur, editam MDCLXXXIV videre non licuit. Sed cum haec scripta essent, et prope jam sub praelo Bononiae sudarent, ostendit mihi vir clarissimus mihique multis nominibus maxime colendus Emmanuel de Roda prolegatus Regis Catholici apud Sedem Apostolicam in sua ditissima bibliotheca, quam sibi non ad ornatum aedium vel ad aliorum commodum, ut plerique magnatum, sed ad sui eruditionem comparavit, hanc Diomedis Bravae disquisitionem Bohemeri primum, ac nuper clarissimi Rieggeri cura recussam, in dissertatione de Gratiani Decreto, quam Vindobonae vulgavit anno MDCCLX. Et quamvis et Bohemerus et Rieggerus de interpolato Gratiani libro cum Diomede Brava consentiant, iis tamen assentiri non possum, saltem quoad pauca illa capita, quae speciminis loco exposui. Audivi etiam auctorem ejus disquisitionis fuisse ipsum Guidonem Grandium, qui sub larvato Diomedis Bravae nomine latere voluit, qua de re alii viderint.

(2) Guido Grandi. *Nuova disamina della storia delle Pandette pisane,* sub ementito nomine Bart. Lucchetti, p. II, c. I seq.

(3) Joann. Bapt. Barthol. *Instit. Juris Canon.*, cap. LXXVII, pag. 501.

(4) Codex Palat. Vatic. n. 622.

(5) *Id.*, n. 624.

tiani librum, haud magno temporis intervallo postquam ab auctore ipso editus fuerat, in nostris scholis exposuerit et Gratianum ipsum videre et docentem audire potuerit; prudens nemo dubitabit quin incorrupto et integerrimo usus sit Gratiani exemplari. Cujusmodi vero fuerit exemplar illud, nullo negotio intelligimus ex amplissimis Huguccionis ipsius commentariis ad Gratianum, quorum specimen aliquod in Appendice producimus. In his commentariis quasi ad lydium lapidem exigere licet Gratiani canoni, ut intelligi possit quinam genuini sint quinam posteriori cura assuti. In his enim commentariis ita scrupulose partes omnes magni operis attingit, ut ne jota quidem aut apicem unum, ut dici solet, sine glossa praetereat. Ne ipsas quidem rubricas canonum ac titulos distinctionum, causarum et quaestionum intactos dimittit, in quibus cum multa omittat ex iis, quae sunt in libris editis, id argumento est plures ex rubricis et canonum inscriptionibus, quae nunc in Gratiani libro habemus, non fuisse a Gratiano ipso scriptas, quod etiam saepissime adnotatum est a Correctoribus Romanis. Atque ob hanc causam ne ipsa quidem prima rubrica, seu libri titulus *Concordia discordantium canonum,* videtur a Gratiano apposita. De illa enim verbum non facit religiosus iste interpres qui eam nequamquam omisisset si reperta esset in fronte libri quo utebatur. De reliquis vero rubricis et inscriptionibus, quorum multae falsae sunt et imperite admodum adjectae [1], neque omnes neque nullae sunt a Gratiano perscriptae, ut aliqui existimant [2]. Singulos autem canones eo ipso ordine, quo nunc habentur in emendatis Gratiani libris, ab Huguccione expositos video; et cum plures ex eorum numero, quos Brava et Grandius aliena manu assutos Gratiani libro existimant, diligenti collatione facta investigassem, ne unum quidem ab Huguccione praetermissum comperii. Ex iis paucos hic indicare juvat, nimis enim longum et operosum esset de singulis dicere.

XXXV. Primo igitur occurrit can. *Infamis,* III, q. 7, qui paucis omnino verbis ex synodo romana sumptus dicitur. Si Diomedem Bravam audimus, in vetustis codicibus statim sequuntur haec verba, *Idem testatur Felix Papa,* omissa nimirum illa legum civilium farragine, quae in libris editi ibi inserta habetur. Non solum autem ex veterum codicum silentio sed etiam ex conjectura non levi eam legum civilium congeriem praeter Gratiani consilium eo loco intrusam ostendit Brava et qui Bravae consentiunt doctissimi viri Grandius [3] et Bartholus [4]. En canonis verba: *Infamis persona nec procurator esse potest, nec cognitor.* Hoc proposito canone, digreditur Gratianus ad ejus sententiam quodammodo exponendam ex jure civili, ac multa profert ex libris Digestorum et Codicis, in quibus illud est extremum, quod habet *De infamia facti,* qua notantur *exercentes improbum foenus et illicite exigentes usuras usurarum, et mulier, quae intra tempus, quo moris est lugere maritum, contrahit matrimonium et qui sciens eam uxorem duxerit.* Post haec in editis Gratiani libris ita legitur: *Idem testatur Felix Papa et iisdem verbis:* « *Item in Evangelio: qui trabem portat in oculo etc.* ». An vero, inquiunt, ita stupidum fuisse Gratianum putamus, ut post coacervatas tot legum civilium periochas scribere potuerit *idem testatur Felix Papa et iisdem verbis,* quasi una prorsus sententia fuerit Felicis Papae et legum civilium, quas ibi congesserat? Protulerat igitur Gratianus Felicem Papam consentientem cum synodo romana, ex qua, ut ipse putabat,

(1) « Rubricae Decretorum non possunt allegari, neque jus ponunt, tum quia sunt falsae, ut in cap. *Curae* XI, q. 3, et XVI, q. 3. Placuit huic, tum quia alius fuit conditor decretorum et alius rubricarum ». CEPOLLA. *De cognit. librorum jur. canon.* inter *Tract. Univ. Juris,* t. I, n. 16.

(2) Vide ODOFREDI locum supra allatum, et GUID. GRAND., *loc. cit.*

(3) GRANDIUS, *loc. cit.*

(4) BARTHOL., *loc. cit.*

canon ille, *Infamis persona nec procurator esse potest, nec cognitor,* excerptus fuerat. Quare statim post illum canonem subiecerat ea verba, *Idem testatur Felix Papa,* quibus significaret, illum canonem conceptis verbis contineri in una ex epistolis Felici Papae attributis. Quis igitur non videat haec postrema verba ab eo canone divulsa per imperitum aliquem hominem, qui eam legum civilium farraginem in eum locum intrusit?

XXXVI. In eumdem modum existimant Brava et Grandius, post can. *Testes autem,* IV, q. 2, 3, ingentem illum legum civilium acervum, qui in libris editis habetur, Gratiano inscio intrusum fuisse. Et sane in codicibus manu exaratis, a Brava visis, nullae ibi leges civiles allegantur, sed statim haec verba subjiciuntur: *Sed objicitur illud Beati Bricii, qui voce pueri.... innocens probatus est;* quae verba ut egregie quadrant post can. *Testes autem,* quo cavetur ne quis annis XIV minor ad testimonium admittatur, ita locum habere non possunt post illas Codicis et Digestorum leges. Eodem argumento utuntur, ut Gratiano abjudicent can. *Placuit sancto,* qui ibidem legitur in editis Gratiani exemplaribus.

XXXVII. Sed nullibi magis Gratiani interpolatio apparet, quam in can. *Qui saccum,* XXXXV, dist. L. Canones novem, qui praecedunt, et sex, qui sequuntur, sunt *De homicidio;* hic autem unus *De furto.* Post canones igitur novem *De homicidio* ita legimus in vulgatis Gratiani libris: *De eodem: Item* Digest., tit. *De furtis: Qui saccum habentem pecuniam surripuerit, furti actione etiam sacci nomine tenetur, quamvis non sit ei animus sacci surripiendi.* At in manuscriptis libris a Brava inspectis deest canon iste; quem deinde clarissimus Grandius contra Tanuccium ostendere multis argumentis nititur inscite admodum eo loco intrusum esse, neque ullo modo congruere cum antecedentibus et consequentibus canonibus, qui omnes ad homicidium pertinent (1).

XXXVIII. Canones quoque, qui habentur Ca. I sub finem q. I post c. CXXV *Sunt quidam,* audacia alieni scriptoris intrusos contendit Brava, eo quod in suis codicibus desiderentur (2). Atque ob eamdem causam ex genuinorum censu excludit can. *Crimen,* I, q. IV, et can. *Prohibenter accusare,* II, q. 1 (3). Sed et can. *Si quem poenituerit,* II, q. III, genuinum agnoscit cum Brava Grandius usque ad § *Notandum quoque.*

XXXIX. Sed ego canones istos, ut ante dixi, in Huguccionis commentariis expositos reperio. Sunt etiam in geminis codicibus Palatino-Vaticanis venerandae antiquitatis (4), quorum alter et glossis omnino caret et Paleis, alter Paleas initio descriptas habet, et quidem alia manu glossas autem rarissimas habet et brevissimas, utpote interlineares; quos codices non uno loco memoravimus. Si igitur quaestio haec de Gratiani interpolatione et antiquitate et integritate veterum codicum dirimenda sit, causa profecto cadent Brava et Grandius; codices enim illo antiquiores et magis integros, quo utebatur Huguccio, a Brava inspectos, nemo mihi persuadere poterit, ut nihil de duobus illis Palatino-Vaticanis dicam, qui summam antiquitatem et integritatem ostendunt. Etiam Correctores Romani codices antiquos manu exaratos et multos et praestantes consuluerunt, nec abesse in illis compertum est tot canones, quot Diomedes Brava in suis codicibus defuisse ait. Et cum viri illi doctissimi summa diligentia adnotaverint quidquid varietatis occurrebat in antiquis et recentibus Gratiani libris, nihil unquam de eorum interpolatione suspicati sunt. Paleas quidem a legitimis et primigeniis Gratiani canonibus egregie discreverunt, quas vero simillimum est posteriori opera Gratiani libro

(1) Barthol., pag. 120 seq.
(2) *Ibid.*, pag. 126 seq.
(3) *Ibid.*, pag. 128, 129.
(4) Codex Palat. Vatic. n. 621, 622.

assutas. Et sane in vasto Huguccionis volumine ex tam multis Paleis, quae Gratiani libro infartae sunt, nullam reperio, nisi unam tantum, quo moveor, ut credam Huguccionis aetate vel paucos admodum ex ejusmodi canonibus, quibus Paleae nomen adscriptum est, in decretorum librum fuisse intrusos vel nondum tanti aestimatos fuisse, ut Gratiani interpretes eorum rationem habere debuerint. Sed nihil hoc ad interpolationem, quam Diomedes Brava et Grandius propugnant. De Paleis enim fere consentiunt esse aliena manu intrusas; quamquam de auctore non constet neque de tempore, quo Gratiani decretis sunt adjunctae, nec quisquam adhuc, ecquod Paleae etymon sit, divinare potuerit [1].

XXXX. Ad conjecturas quod attinet, quas afferunt qui Gratiani interpolatum volunt, eae quamquam in speciem graves videantur, levissimae tamen sunt et vix ullius momenti reputandae contra genuinorum codicum auctoritatem. Nam quod ajunt de canone *Infamis,* illum fuisse divulsum ab eo Gratiani lemmate, *Idem testatur Felix Papa* et eisdem verbis, interjectis nimirum multis Digestorum et Codicis legibus, hanc ego inanem divinationem reputo. Correctores Romani disertis verbis docent et verba illa *Infamis persona nec procurator esse potest nec cognitor,* et quae subinde habet Gratianus de causis, propter quas impediri quispiam potest ne judicis officio fungatur et leges Digestorum et Codicis, quae ad ea omnia comprobanda ibi afferuntur, *in antiquioribus* Gratiani *codicibus conjuncte haberi* [2], idest, unum solidum atque integrum canonem sive capitulum efficere, secus ac nunc in libris editis in quibus leges illae civiles canonem sive capitulum unum efficiunt sejunctum a can. *Infamis.* Atque in hunc etiam modum se res habet in duobus codicibus Palatino-Vaticanis, quos supra indicavi. Non male igitur Gratianus post praelongum hoc capitulum scribere potuit, *Idem testatur Felix Papa,* appellando scilicet prima illa verba, *Infamis persona nec procurator esse potest nec cognitor,* in quo tota canonis sententia consistit.

XXXXI. Quod attinet ad can. *Testes autem,* IV, q. 2, 3, eadem valet responsio. Hic etiam, ut est a Gratiano editus, uno contextu procedebat cum legibus civilibus ibidem congestis, ut apparet ex utroque codice Palatino-Vaticano, ubi can. *Testes autem,* absque ulla distinctionis nota, perducitur usque ad verba illa *Sed objicitur.* At in libris editis res aliter habet. Primo enim post can. *Testes autem,* sequitur can. *Placuit,* dein can. *Si testes,* qui ex solis legibus civilibus coalescit. Post illum denique habentur verba illa *Sed objicitur.* Sed can. *Placuit* est ex illis, qui Paleae dicuntur. Hic igitur posteriori cura intrusus post can. *Testes autem,* in causa fuit, ut leges civiles, quae ibi congeruntur, divulsae ab ipso can. *Testes autem,* novum capitulum per se constituerent. Sublata igitur Palea *Placuit,* et legibus civilibus cum can. *Testes autem* conjunctis, ut sunt in antiquioribus libris, verba illa *Sed objicitur* minime sunt extra locum posita. Cum enim contra doctrinam ejus capituli, quod partim ex verbis carthaginensis concilii, partim ex legibus civilibus constabat, aliquid objici posset ex actis beati Bricii,

(1) De Paleae nomine conjecturam nuper proposuit clarissimus Bartholus *Instit. Jur. Can.,* cap. LVII, cui libenter subscriberem, nisi hoc ipsum Paleae nomen perantiquum esset, utpote Huguccioni, primo Gratiani interpreti, notum. Cum librarii canonum ignari librum Gratiani exscriberent, in quo, ad canones indicandos posteriori cura adjectos, haec adnotatio: *Post alia,* et compendii causa, *P. alia,* in extrema pagina scripta erat, omissa interpunctione, *Palia* legerunt, atque inde vox *Palea* enata est. Ita conjicit vir doctissimus. Sed nimis multo tempore opus erat, ut vox, in eum modum enata, palam a doctis reciperetur; neque id assequi potuisse videtur Huguccionis aetate, quem constat non multo post Gratianum floruisse.

(2) Ita Correctores romani ad cap. *Infamis.*

hoc ipsum extremo loco diluit Gratianus. Stat igitur can. *Placuit* utpote Paleam intrusum fuisse, leges autem civiles a Gratiano ipso in eum locum congestas.

XXXXII. Neque etiam licet inter adscriptitios referre can. *Qui saccum,* de quo multa ingeniose disputat Grandius, ut eum ostendat non esse genuinum sed recentiori cura adscriptum. Hunc habent Vaticani codices, habet et Huguccio, qui quasi divinando ejus vindicias praeoccupavit. Ideo enim maxime capitulum hoc praeter Gratiani mentem in eum locum inductum dicunt, quia repugnat antecedentibus et consequentibus capitulis. At nullam hic esse repugnantiam ostendit Huguccio (1). Dixerat Gratianus etiam homicidium non ex animi voluntate perpetratum secundum ecclesiasticas leges poenae obnoxium esse. Ne quis autem id injustum reputaverit, exemplum affert petitum ex l. *Qui saccum,* Digestorum lib. XXXXVII, tit. *Furtis,* qua decernitur actione furti teneri eum, qui saccum surripuerit in quo nummi essent, quamvis non ei animus fuerit sacci surripiendi. Post haec aliam adducit legem ex libro Codicis IX, quae item est de homicidio casu perpetrato. Recte igitur et suo loco positum est capitulum *Qui saccum,* neque suspicari licet fuisse aliena manu intrusum.

XXXXIII. Idem dicendum est de capitulis ex jure civili petitis, quae sunt post c. *Sunt quidam,* I, q. 1. Eorum enim nullum deesse video vel in Huguccione vel in codicibus Vaticanis. Eadem ratio est de c. *Crimen,* I, q. 4, et de c. *Prohibentur accusare,* II, q. 1. Etiam c. *Si quem poenituerit,* integrum reperio fuisse apud Huguccionem, qui non solum primam ejus partem interpretatur, quam a Gratiano scriptam fatentur, sed reliquas etiam, quas novitii scriptoris licentia insertas existimant. Num integrum habebant hoc capitulum codices Palatino-Vaticani dicere non ausim, cum enim ad manus erant animo non succurrit ut id etiam in iis perquirerem.

XXXXIV. Non est igitur cur quispiam suspicetur Gratiani codicem demptis Paleis, de quibus hic non quaerimus, fuisse interpolatum. Sed quoniam video capitula omnia quae Grandius, Bravam secutus, aliena manu adjecta existimat, sumpta esse ex jure civili, credibile est scrupolosum aliquem juris canonici studiosum, cui parum placebat haec civilium cum canonicis legibus permixtio, Gratiani librum sibi scribendum curasse abque iis capitulis, quae ex jure civili decerpta fuerant; cujusmodi antiquum librum cum Brava vidisset, hinc natam ejus opinionem de interpolato Gratiani decreto, quam Grandius contra Tanuccium disputans non levi opera propugnavit.

XXXXV. Est totum Gratiani volumen distributum in partes tres. Primam absolvit distinctionibus C, alteram causis XXXVI, tertiam, quam *De consecratione* inscripsit, distinctionibus V. In parte prima *De ecclesiasticis ministeriis,* ut inquit Gratiani interpres Huguccio ferrariensis episcopus, in secunda *De ecclesiasticis negotiis,* in tertia *De ecclesiasticis* tractat *sacramentis* (2). Hanc partem tertiam appellarunt olim *Tractatum ordinandorum.* In parte secunda insertus est tractatus *De poenitentia,* quem aliqui Gratiano abjudicant, sicuti et tractatum *ordinandorum,* sive *De consecratione.* Sed Huguccionis auctoritas omnem mihi scrupulum hac de re adimit. Ea enim aetate vixit Huguccio, qua ignorari non poterat quaenam a Gratiano scripta, quaenam alia manu ejus libro assuta fuissent. Is autem utrumque tractatum ut legitimum Gratiani partum agnoscit (3). Fateor autem, tractatum *De poenitentia* importune admodum assutum esse causae XXXIII. In

(1) « Per similem legem probatur, quod dictum est in capit. praemissis super aliquem praeter voluntatem interficiendi teneri de homicidio etc. ». Hugucc. in c. *Qui saccum.* — *Vide Appendicem.*

(2) Hugucc. in *Prooem. ad secundam partem Decret.* — *Vide Appendicem.*

(3) Vide Huguccionis excerpta loc. cit.

ea hanc facti speciem proposuerat: *Quidam vir maleficiis impeditus, uxori suae debitum reddere non potuit. Alius interim clanculo eam corrupit. A viro suo separata, corruptori suo publice nubit, crimen, quod admiserat, corde tantum Deo confitetur.* Capta autem occasione ex his postremis verbis, prosilit ad tractandum *De poenitentia,* et hanc quaestionem proponit, quae est tertia ejus causae; in qua tam multa congerit, ut ejus interpretes unam illam quaestionem in distinctiones VII partiri potuerint. Ejus, inquam, interpretes id fecisse existimo, in antiquis enim exemplaribus tota illa quaestio nullam divisionem admittit. Itaque non levis mihi suspicio oboritur longam hanc disputationem *De poenitentia* primum a Gratiano seorsim editam et fortasse etiam in schola expositam, quam deinceps, cum decretorum corpus conficeret, integram in eum locum, quem diximus, intulerit ne quis suarum vigiliarum fructus periret.

XXXXVI. Gratiani auctoritatem, qui minus aequo animo et benevolo sunt erga Ecclesiam Romanam, ii tanto majorem apud nos esse existimant, quanto ipsis minor est ac plane nulla. Itaque id libentissime concedunt, quod aliqui ex nostris scriptoribus nulla ratione tradiderunt, Gratiani Decretum auctoritate pontificia confirmatum (1). Invidiose scilicet. Ita enim Gratiani quoque errores a Romanis Pontificibus approbatos evinci posse confidunt. Sed enimvero Gratiani librum schola universa juris pontificii studiosorum communi consensu admisit, ejus doctrina in foro ecclesiastico ubique est recepta, vel ipsi Romani Pontifices leges ecclesiasticas tamquam ex codice juris canonici (corpus decretorum appellarunt) in Ecclesia ubique recepto allegare non dubitarunt (2). Hinc tanta huic codici auctoritas accessit, quanta poterat maxima doctorum hominum, imo totus Christianae Reipublicae consensu et suffragio. At neque Gratianus publica auctoritate ad scribendum se contulit, nec ullus ex Romanis Pontificibus ejus librum ejusve doctrinam approbavit confirmavitque. Id ingenue fatentur antiqui doctores, Joannes Andreae (3), Antonius Butriensis (4), Abbas Siculus (5) aliique. Vulgo tamen dicere amabant Gratiani Decretum esse approbatum sed non verba Gratiani (6), ejus enim opiniones non semel in glossa communi reprobatas novimus (7) et accurati quique Gratiani interpretes non dubitarunt identidem a Gratiano palam dissentire ejusque judicium reprobare (8).

XXXXVII. Sed tamen inventus est aliquis, qui non solum dixerit Gratiani Decretum ab Eugenio III approbatum fuisse, sed diploma etiam a Pontifice ea de re editum fidentissime commentus sit et annum ac diem dati diplomatis, quasi rem certam atque exploratam, indicaverit. Et fuit qui has nugas aliasque in eadem officina procusas nihili non aestimavit, iisque elegantissimos Sigonii libros *De historia bononiensi* infarcire ausus est (9). Itaque de Gratiani auctoritate id jam viri docti constituunt, quoniam in ejus volumine duo continentur, ecclesiasticae nimirum leges et decreta, et Gratiani

(1) Trithemius. *De script. ecclesiasticis,* confirmatum dicit ab Eugenio III. Assentiuntur Guil. Cave, Casimir. Oudin., aliique.

(2) Innocentius III in epistola *Ad Archiep. Compostellanus.*

(3) Joann. Andreae in c. II *De rescript.*

(4) Anton. de Butr., *ibid.*

(5) Abbas in *Prooem. Decretal.* circa fin.

(6) « Liber Decreti non invenitur approbatus.... Tacite tamen approbatum dicunt propter longam observantiam, et quia publice lectus, in scholis communiter dicitur Decretum Gratiani esse approbatum, non verba Gratiani, et ideo ejus opinio saepe reprobatur per Glos. ». Diplovat. in *Gratiano.*

(7) Indicat Felinus in c. II *De rescript.* quot locis Glossa Gratiani opinionem rejiciat.

(8) « Magister Hugo, doctor antiquus et episcopus ferrariensis in c. *De Syracusanae,* dist. XXIV, dicit quod Gratianus aliquando determinat secundum suum pessimum judicium ». Diplovat., *loc. cit.*

(9) Vide Sigon., *Histor. Bonon.,* edit. Mediol.

ipsius argumentationes disputationesque et positiones variae; haec quidem non majoris auctoritatis esse quam gravissimi scriptoris et doctoris opiniones et placita. Cetera vero revocanda esse ad suos fontes nec eamdem omnibus decretis et sanctionibus a Gratiano collectis auctoritatem esse tribuendam, sed majorem minoremve, prout locus unde decerpta sunt, requirit. Quis enim non videat multo majori auctoritate pollere canonem, qui ab oecumenico concilio quam qui a provinciali synodo sit petitus? Sed haec juris canonici professoribus diligentius explicanda relinquimus.

XXXXVIII. Innumeros habuit interpretes Gratiani liber; quorum qui antiquissimi fuere vel nomine vix noti sunt vel prorsus ignoti. Et iis tamen debet nova juris canonici schola, auctore Gratiano excitata, suum incrementum et profectum. Horum aliquis fortasse Gratiani ipsius auditor, non solum interpretando sed augendo etiam et locupletando Gratiani libro incubuit, additis iis canonibus quibus Paleae nomen est inscriptum. Sed quoniam antiquiora Gratiani exemplaria non tantum habent Palearum numerum quantum in minus antiquis observamus, dubitare licet num Paleae omnes ab uno auctore in Gratiani librum sint ingestae. Porro qui Gratiani librum in scholis nostris interpretari coeperunt vel nullas scripto mandarunt adnotationes vel breves admodum, et, ut ajebant, interlineares, in eum prorsus modum, quem primi legum civilium interpretes irnerianae scholae alumni tenuerunt. Vidimus aliqua Gratiani exemplaria perantiqua perpaucis ejusmodi adnotatiunculis sive glossis, quae vocant, interlinearibus instructa, et libera ab immani illa glossarum farragine, qua exemplaria cetera minus antiqua vel manu exarata vel impressa onerantur. In his eximium est Vaticanae bibliothecae unum ex duobus, quae saepe antea memoravi, quodque Gratiani ipsius aetate, aut non multo post, scriptum arbitror (1). Ex his porro priorum interpretum exilissimis glossis posteriorum commentaria et apparatus paulatim creverunt.

XXXXIX. Sed dolendum est ne nomine quidem notos jam esse primos illos Gratiani interpretes, qui statim, et eo fortasse adhuc vivente, decretorum librum interpretari coeperunt. Eos enim quasi parentes alteros et fundatores bononiensis nostrae scholae reputare possumus. Ab iis enim effectum est id, quod ne Gratianus quidem ipse, si vir sapiens erat, optare potuisset, ut ex ejus libro, quamvis privata auctoritate editus fuerit nec ulla Pontificum auctoritate munitus, omnes Europae academiae omnisque Latina Ecclesia jurisprudentiam canonicam acceperint. Nam quotquot nunc celebrantur veteres Gratiani interpretes, et Huguccio, Joannes Teutonicus, Bartholomaeus Brixiensis, ii eo tempore vixerunt, cum adulta et celebris jam erat haec schola bononiensis, quae eos ipsos homines exteros ob hanc celebritatem suam ad se invitaverat. Nec Rufinus et Silvester et Joannes Hispanus, qui ante Huguccionem memorantur decretorum interpretes, ii fuere primi qui hanc spartam ornandam susceperint, vixisse enim videntur exeunte saeculo XII et aliqui etiam ex iis XIII saeculum attigisse. Habemus in antiquis tabulis Ecclesiae bononiensis plures ejus Ecclesiae canonicos magistri titulo insignes, qui medio circiter saeculo XII vivebant; quos pro certo habeo in suis aedibus apud ipsam Ecclesiam civitatis principem, ubi vitam canonicam agebant, sacras disciplinas docuisse, quod magistri appellatio demonstrat. Ex his autem plerosque juris canonici reliquos sacrae theologiae professores fuisse existimo, quas facultates sacrati viri iis temporibus soli fere colere solebant. Hos ego ex primis fuisse censeo, quorum studio et industria juris canonici disciplina, a Gratiano tradita, ex privatae

(1) Codice Palatino-Vaticano n. 622.

scholae angustiis ab eam claritatem perducta est, ad quam brevi prorsus tempore pervenit. Iis porro alii deinceps bene multi ex eodem canonicorum corpore successere, a quibus magis magisque in dies juris canonici doctrina propagata est, inter quos maxime floruerunt Bazianus, cujus aliqua sunt in vulgata decretorum Glossa, Gratia et Tancredus archidiaconi, Bernardus Parmensis, cujus est Glossa decretalium, et Guido Baysius archidiaconi nomine notissimus et alii plures.

L. Natam igitur in monasterio s. Felicis novam hanc juris canonici disciplinam statim excepit Ecclesia bononiensis, apud quam illustres cultores habuit. Sed non propterea natale solum reliquit. Etiam post Gratianum in monasterio s. Felicis haec disciplina viguit, et Paucapalea et Omnibonus, qui postea veronensis episcopus fuit, et Huguccio vir aetate sua celeberrimus, quantum conjectura assequi possumus, in eo monasterio docuerunt; qua de re alio loco diximus. Horum igitur omnium hic illustranda est memoria et multorum etiam ab interitu vindicanda, praesertim antiquiorum, quorum praeclare mecum actum putassem si vel sola nomina, in tanta antiquitate et monumentorum penuria, detegere licuisset. Sed num nobilis ille Gratiani primus interpres Raynerius Bellapecora illaudatus praeteribitur? Atqui illum non siluit Justus Henningius Boehmer, qui illum tradit cum Gratiano ipso juris canonici scholam Bononiae tenuisse. Habuit id Boehmer ex eodem fonte, ex quo alia plura commenta putidissima hausit, qua dissertationem suam de varia Gratiani fortuna infarsit. Tam nullus interpres fuit Gratiani hic Bellapecora, quam nullus homo fuit [1].

II.

PAUCAPALEA.

I. Fuisse Gratiani discipulum qui Paucapalea diceretur, non ita facile aliquando passus essem mihi suaderi. Commentitium plane videbatur hoc nomen et movebar etiam ejus varietate. Nam esse videbam qui hunc Gratiani discipulum, a quo Palearum nomen accepisse dicuntur multi canones Gratiani libro adjecti, Paucapaleam, Protopaleam [2], Quotapaleam [3], Paleam [4] denique appellarent. Accedebat quod neminem ex antiquis scriptoribus reperiebam, qui hunc Gratiani discipulum agnovisset, praeter Joannem Andreae, qui cum annis ducentum post Gratianum vixerit, non videbatur testis omni exceptione major in hac controversia esse reputandus [5]. Sed redire in gratiam mihi coepit Paucapalea, hoc enim verum fuisse ejus nomen existimo cum in pervetusto exemplari decretorum Gratiani conventus s. Mariae supra Minervam, nunc in bibliotheca casanatensi asservato, quo Correctores Gregoriani usi sunt, quodque mihi evolvendum permisit vir doctissimus fr. Joannes Baptista Audiffredus Ordinis Praedicatorum

(1) TIRABOSCHI, *Storia della letteratura italiana*, lib. IV, c. VII, § XXXIII - XXXX, e lib. II, c. IV, § XXXIII, XXXIV. — SAVIOLI, *Annali Bolognesi*, anno MCXXXXI. — CASSANI, *Dell' antico Studio di Bologna e sua origine*, c. X, XIII. Bologna, R. Tipografia, 1888. (C. A.)

(2) Apud CORRECTORES ROMANOS ex IMOL. in rubr. *De verbor. obbligat.* — ALEXANDR. in *Prooem. Decretal.* — JASON. in *Rubr.*, tit. *Action.*

(3) Vide CAROL. MOLIN., *Consuetud. Paris.*, tit. I n. 77 etc. etc.

(4) PANCIROL., lib. III, c. II.

(5) Nec Correctores Gregoriani in praefat. ad *Gratiani Decretum*, nec Ant. August. lib. I, dial. II *De emendat. Gratiani*, auctorem Joanne Andreae antiquiorem producunt, qui de Paucapalea Gratiani discipulo aliquid scriptum reliquerit.

ei bibliothecae praefectus, hanc adnotatiunculam antiquis admodum literis scriptam reperi in libri margine ad C. XX, q. 1, post can. *Illud statuendum.* « *Et vocatur Palea a suo auctore, scilicet discipulo Gratiani, qui Paucapalea vocabatur secundum Hu. Jo.* ». Qui hinc citantur Hugo, sive Huguccio, et Joannes Teutonicus, omnino audiendi sunt, praesertim Huguccio, qui paulo infra Gratiani aetatem vixit.

II. Sed habet Paucapalea majoris etiam antiquitatis et auctoritatis suffragatorem Sicardum cremonensem episcopum, qui floruit ante Huguccionem, et Gratianum ipsum audire in scholis nostris potuit, de quo postea dicemus. Memorat hic in sua decretorum Gratiani epitome Paucapaleam; at quamquam non dicat Gratiani discipulum fuisse et Paleas ab eo additas Gratiani libro, majus tamen aliquid de eo narrat. En ejus verba: *Distinguitur liber iste* (Gratiani) *in tres partes. Prima est usque ad primam causam. Secunda usque ad consecrationem. Tertia usque ad finem. Primam divisit, ut quidam ajunt, Paucapalea in C et I distinctiones. Secundam Gratianus in XXXVI causas.... Tertiam quoque, ut ajunt, Paucapalea* (1). Vides Sicardum hic dicere de Paucapalea tamquam de homine tunc temporis notissimo, ut dubitari non possit quin cum Gratiano vixerit et aliquid operae contulerit in Gratiani libro utcumque perficiendo.

III. Sed parum placuere Palearum additamenta, quae Gratiani libro a Paucapalea facta sunt. Id manifestum est primo ex antiquioribus Gratiani exemplaribus, in quibus vel omnino desiderantur Paleae ut in utroque Palatino-Vaticano, de quo alibi diximus, vel ad marginem aut in ima pagina recentiori manu appictae sunt ut in Casanatensi aliisque multis, quae viri docti observarunt (2). Perpaucae autem in antiquioribus libris sunt adscriptae et ab antiquioribus interpretibus, a quibus tamen minime ignorabantur (3), plerumque omissae (4). Deinde, ut animadversum est ab Antonio Augustino, Bernardus Papiensis in primam collectionem decretalium aliqua congessit ex iis, quae inter decretorum Paleas habemus (5). At Bernardi Papiensis ea mens unice fuit, ut canones et ecclesiasticas regulas, quae vagabantur extra decretorum corpus vel a Gratiano omissas vel post Gratianum promulgatas, in unum colligeret (6). Censebantur igitur extranei a decretorum corpore Bernardi tempore illi canones et sententiae Patrum, ex quibus decretorum Paleae consarcinatae sunt, et serius apud doctores auctoritatem obtinuerunt.

III.

OMNIBONUS

EPISCOPUS VERONENSIS.

I. Ex primis, qui nuper exortam in academia bononiensi decretorum doctrinam propagarunt, Omnibonum quemdam fuisse non dubito, virum aetate sua clarum sed cujus ad nos fama admodum obscura pervenit. Quantum conjectura assequi possum

(1) Ex Codex Palat. Vatic. n. 653, cujus specimen in Appendice damus.

(2) Vide CORRECTORES ROMANOS in praefat. ad *Decret. Gratiani,* et JOS. ANTON. RIEGGER. *Biblioth. Juris Canonici,* p. II, cap. XII, pag. 181 etc. etc.

(3) Non ignotas fuisse Huguccioni Paleas constat tum ex adnotatiuncula illa codicis casanatensis, quam supra attulimus, tum vero maxime quia unam saltem Paleam ab eo relatam et expositam in ejus Summa Decretorum reperire licuit. « Hic ponitur » inquit « una Palea ».

Porro dum hanc affert et exponit reliquas non ignorasse sed contempsisse videtur.

(4) Vide insuper ANTON. AUGUSTIN. *De emendat. Gratiani,* loc. cit.

(5) ANTON. AUGUSTIN. *Ibid.*

(6) Vide infra in BERNARD. PAPIEN.

decretorum scholam a Gratiano Bononiae excitatam in monasterio s. Felicis rexit Omnibonus cum Huguccione celebri pontificii juris interprete, de qua postea dicemus. Sed Omnibonus aetate superior videtur Huguccione, ac fortasse obeunte Gratiano ejus scholam moderandam suscepit; cui tandem inclinante saeculo XII succedere potuit Huguccio, in eadem schola ac disciplina educatus. Reperimus utrumque praesentem cuidam electioni in monasterio s. Felicis, ut ex veteri charta, quam in Appendice producimus, de qua etiam in Huguccione dicemus (1).

II. Narrat Albericus, monachus Trium Fontium, Omnibonum Friderici I temporibus scripsisse librum *De concordia discordantium canonum,* quem, cum nactus esset Gratianus cardinalis, supplevisse dicit et in eam formam perduxisse, qua nunc est (2). Id non improbat Fontaninus (3), et Fabricius etiam Alberici testimonium libenter admittit (4). Sed enimvero cur unus hic audiendus sit Albericus in tanto scriptorum omnium silentio de re tam digna, quae in hominum notitiam perduceretur, haud satis intelligo, praesertim cum Albericus, exterus homo et procul ab Italiae finibus natus, multo post Gratiani aetatem vixerit. Accedit, ut supra etiam in Gratiano animadvertimus, quod in tanta codicum manu scriptorum copia, qui in bibliothecarum pluteis asservantur, quorum uberrimos indices et catalogos passim editos habemus, nullum vestigium appareat, nulla lacinia antiquae ejus collectionis, quam adornarit Omnibonus et de suo nomine nuncuparit.

III. Sed in his tamen Alberici aberrationibus aliquid veri sublucet. Cum haec in Gallia scriberet Albericus, vigebat adhuc Omniboni fama. Aliquid audierat de ejus laboris in enucleanda decretorum doctrina. Sed quia Gratianum decretorum collectorem eumdem putavit cum Gratiano cardinali, qui multo serius vixit, quique, ut ex innumeris ejus monumentis constat, saeculum XIII attigit, propterea Omnibonum Gratiano ipso antiquiorem putavit, quo constituto, consequens erat non jam Omnibonum ex Gratiano sed Gratianum ex Omnibono proficere potuisse. Quamquam igitur fabulosa sit haec Alberici narratio, egregie tamen conducit ad restituendam Omniboni memoriam paene deletam, numquam enim ejusmodi fabulae de nihilo existunt. Quod si in nova illa decretorum doctrina, ac fortasse etiam in ipso decretorum libro multum operae non contulisset Omnibonus, vix credibile est potuisse talem de illo fabulam conflari. Narrat Robertus de Monte in appendice ad Sigibertum, sive quisquis alius qui Robertum interpolaverit, cujus rei non levia habentur indicia magistrum Omnebonum episcopum veronensem, qui fuerat Gratiani auditor, Gratiani librum in epitomen redegisse (5). Id autem multo verisimilius est quam quod scripserat Albericus, quamquam non id temere concesserim, quod suspicatur Justus Henningius Boehmerus, Omnibonum ex Gratiani volumine compendium concinnasse ut auctoris ipsius nomen et famam extingueret (6).

IV. Commisit Eugenius III Cardioni Romanae Ecclesiae subdiacono et magistro Omnibono causam quamdam episcopi bononiensis cum paduano abbate, ut ex ejus de-

(1) Vide infra in Huguccione.

(2) Alberic. in *Chron. ad an. MCLVI,* edit. Leibnit. in *Access. Histor. Scriptor. Rer. German.*, t. II, pag. 328. — Vide supra in Gratiano.

(3) Fontanin. in *Praefat. ad Gratiani compilat.* Card. Turrecrem, p. IV.

(4) Fabric. *Biblioth. med. et infim. latin.*, lib. XIV, pag. 481.

(5) « Hoc postmodum abbreviavit magister Omnebonus episcopus veronensis, qui fuerat ejus (Gratiani) discipulus ». Robert. de Monte, edit. Dachery, ad an. MCXXX.

(6) « Si anno MCLVI Omnibonus scripsit, ergo post Gratianum et forte eo consilio, ut Gratiani famam extingueret sibique nomen faceret, saltem probabile est ex diffusiori Gratiani opere compendium sibi comparasse Omnibonum, alias ignotum hominem ». Bohemer. *Dissert. De varia Gratiani fortuna,* § X.

cretali epistola in Appendice ad Concilium Lateranense anno MCLXXIX celebratum [1]; ex quo apparet Omnibonum jam inde ab Eugenii III temporibus Bononiae moram traxisse. Neque vero gratis confingere licet Omnibonum alterum et canonum peritia ac magisterio celebrem et Bononiae degentem, qui sub Eugenio III decretorum librum a se informatum Gratiano perficiendum reliquerit, et alterum, qui statim post Gratianum in eo opere vel poliendo vel enucleando in eadem bononiensi schola insudarit. Facile igitur potuit Omnibonus sub ipsa Gratiani disciplina eruditus, nam is etiam sub Eugenio III decretorum librum edidit, post Gratiani decessum in ejus schola moderanda succedere; at suppeditasse illum Gratiano prima ejus operis rudimenta nulla ratione defendi potest.

V. Pro Cardione subdiacono Romanae Ecclesiae codex Barberinus habet Arduinum [2]. In prima collectione decretalium Bernardi Papiensis, quam vulgavit Antonius Augustinus, legitur *Arditioni Ro. Ecc. subdiacono* [3]. In decretalibus vero communibus, inter quas hujus decretalis excerpta inserta sunt, legitur *Ordinatori Ro. Ecclesiae subdiacono* [4]. At in Omniboni nomine nulla varietas.

VI. Sed Omnibonus a schola bononiensi ad cathedram veronensem gradum sibi fecit gessitque episcopatum veronensem regnante Friderico Aenobarbo, cui acceptissimum fuisse ferunt. Hughellus electum episcopum scribit anno MCLVII, eamque sedem tenuisse ad annum usque MCLXXXV, de quo plura adhuc monumenta Veronae existunt. Et anno certe MCLVIII jam erat episcopus veronensis inauguratus, quo anno cum aliis praelatis et magnatibus celeberrimo conventui ad Roncalliam celebrato interfuit [5].

IV.

SICARDUS

EPISCOPUS CREMONENSIS.

I. Bernardus Pezius vir doctus et de scriptoribus sequioris aevi optime meritus, in suis *Anecdotis* vetustum codicem memorat ex bibliotheca monasterii Benedictoburani superioris Bajoariae ad Alpes tyrolenses in dioecesi frisigensi, scriptum, ut ipse judicat, saeculo XIII, quo continetur *Summa canonum Sigehardi,* in tres partes distributa; quarum prima in *Distinctiones* divisa est, altera in *Causas*, tertia *De consecratione* inscribitur. Ejus initium tale est: *Diligite justitiam qui judicatis terram.* Auctor suum nomen ad libri calcem prodit, seque Sigehardum dicit, patria cremonensem sed Ecclesiae moguntinae filium; inter clericos, opinor, ejus Ecclesiae servitio mancipatos, adscriptum [6]. Clarissimus Guido Grandius, qui haec apud Pezium legerat, Sigehardum hunc contribulem suum canonum collectionem confecisse existimavit, ei similem quam a Gratiano

(1) « Item Eugenius Tertius Cardioni Ro. Eccl. subdiacono et magistro Omnibono. In causa episcopi bononiensis G. ». In Appendice ad Concil. Lateranen. anno MCLXXIX, p. XXIII, c. II. Extat haec Decretalis in collectione gregoriana, tit. *De juram. calumn.*, lib. II, sed ibi perperam tribuitur Honorio II.

(2) Ex adnotat. ad c. *Literas, De juramento calumniae*, lib. II Decretal. edit. Coloniae Munatianae MDCCXXXXVI.

(3) In collect. *I. Decretal.* edit. Ant. August. lib. I, tit. XXXV, c. III.

(4) C. *Literas,* lib. II Decretal. *De juram. calumn.*

(5) A Radevico inter Episcopos, qui conventui ad Roncallia celebrato interfuerunt, recensentur « Veronensis, Omnebonensis » quae verba mendosa sunt, neque enim aliter scribendum fuerat, quam « Veronensis Omnebonus ». Radevic. *De gestis Friderici I,* lib. II, cap. III.

(6) Bernard. Pezium, t. III, p. III, pag. 623.

habuimus (1). Sed res aliter habet. Haec canonum Summa nihil aliud est quam Gratiani epitome, studiosorum commodo concinnata. Ejus auctor, apud Pezium Sigehardus appellatus, est Sicardus episcopus cremonensis, doctrina et rebus gestis clarissimus, a quo plura scripta accepimus, quae Arisius (2) et Muratorius recensent (3). Quamquam Muratorius magnopere errat cum Sicardi librum, qui mitralis nomine celebrabatur, chronicum quoddam fuisse dicit (4). Vel ipsa mitralis appellatio repugnat et infelices Muratorii conjecturas evertit. Est mitralis liber Sicardi ei similis quem postea edidit Guilielmus Durantis, *Rationale divinorum officiorum* ab eo appellatus. Eum vidimus in perantiquo codice Vaticano, cujus specimen in Appendice exhibemus (5).

II. Sed ignota prorsus fuit Arisio et Muratorio *Summa canonum*, sive synopsis libri decretorum Gratiani, quam Pezius descripserat. Porro hunc esse genuinum Sicardi foetum liquet ex pervetusto codice Vaticano, in quo haec eadem Gratiani synopsis magistri Sicardi episcopi cremonensis nomen praefert (6). Neque dubium est quin idem homo sit Sicardus sive Sikardus, sic enim habet codex Vaticanus, ac Sigehardus ille a Pezio vulgatus. In codice bibliothecae caesareae vindobonensis, quo chronicon Sicardi Cremonensis continetur, ejus auctor Sighardus dicitur (7), a quo vix una literula differt Sigehardus quem habet liber a Pezio indicatus.

III. Scripsit hanc Gratiani synopsim Sicardus annis multis antequam creatus sit episcopus cremonensis; eum enim episcopatum obtinuit anno MCLXXXV, ut ipse narrat in chronico ab se edito, quod habemus inter *Rerum italicarum Scriptores* a Muratorio editum (8). At in scribenda Gratiani epitome occupabatur, quantum ex conjectura assequi possumus, extremis Hadriani IV et primis Alexandri III annis; siquidem in synopsi *Causae II* duas profert formulas, quarum una scripta dicitur sedente Hadriano, altera sedente Alexandro Pontifice, utraque regnante Friderico (9). Obiit autem Hadrianus IV anno MCLIX, eodemque anno creatus est Alexander III, Friderico Aenobarbo regnante. Quare manifestum est Sicardum paulo post editum Gratiani librum, ejus synopsi concinnandae insudasse. Cum autem profiteatur Sicardus, se illud opus suscepisse ut *sociorum* utilitati consuleret, nec alios sociorum nomine antiqui professores intelligi vellent quam auditores suos, ut alibi demonstravimus, dubium non est quin docendi munere functus sit; quod etiam magistri appellatio eidem tributa confirmat. Itaque facile mihi suaserim illum in Gratiani schola eruditum et Gratiani libro interpretando in academia nostra vacasse. Post autem in Germaniam abductus apud Ecclesiam moguntinam jus canonicum ex Gratiani libro exposuisse videtur, atque eo tempore extremam manum suae synopsi imposuisse. Atque hic apparet, quam cito extra Italiae fines nova juris canonici doctrina, a Gratiano tradita, propagata sit.

IV. Declarat Sicardus ipse, quid sibi proposuerit in eo opere scribendo, *diffusum* scilicet *Gratiani pratum in sertum compingere, et immensus ejus pelagus in rivum de-*

(1) Guido Grandi. *Nuova disamina della storia delle Pandette pisane*, p. II, c. III, pag. 137.

(2) Francisci Arisii. *Cremona literar.*, t. I ad an. MCLXXXV.

(3) Murator., *Rer. Ital. Script.*, t. VII, pag. 523.

(4) *Ibid.*, pag. 525 in praefat. ad *Sicardi Chronic.*

(5) « Tractatus grandis utilitatis. Opus mitralis Sycardi cremonen. episcopi de officio et ordine ecclesiastico per anni circulum ». Hunc titulum habet mitralis liber in Cod. Vatic. 1135.

(6) Est Cod. Palat. Vatic. 635, de quo vide Append.

(7) « Sighardi episcopi cremonensis chronicon incipiens a creatione mundi pertingit usque ad A. C. MCCXXI ». *Ex catalogo librorum nondum editorum biblioth. Caesar. Vindobon. apud* Muratorium, *loc. cit.*, pag. 524.

(8) « Anno MCLXXXV Imperator in Italiam rediens.... quo anno ego Sicardus praesentis operis compilator et scriba, Cremonae, licet indigne, electus sum ad episcopale officium ». Sicard. in *Chronic.* apud Murator., t. VII, pag. 603.

(9) *Vide in Appendice.*

ducere[1]. Sed aliquid tamen adjecit ex suo penu, aliquid etiam ab aliis juris ecclesiastici peritis se accepisse fatetur, ut non meri epitomateris officio functus sit. Multa de hoc viro clarissimo sunt apud Muratorium[2] et Arisium[3], Ughellum[4] quoque et Zaccariam[5], quos hic expilare non vacat.

V. Iisdem Alexandri III et Friderici Aenobarbi temporibus, sacris disciplinis in academia nostra vacabat magister D. canonicus londinensis; de quo tamen, quemadmodum et de aliis multis ecclesiasticis viris magistri titulo insignibus constituere non licet, num sacros canones an theologiam profiterentur, facta jam illarum facultatum discretione, de qua supra diximus. Sed plerosque tamen jus canonicum professos censeo, quod academia nostra veluti proprium et suum reputabat. Sed anglus iste Canonicus discessit aliquando a scholis nostris, ut legatione pro Anglorum Rege apud Alexandrum III fungeretur. Sic autem suam operam Pontifici probavit, ut is honorificentissimas ad Regem literas miserit; quibus et egregium de hujus viri meritis testimonium profert, quem ceteris legatis regiis, qui ad se venerant, anteferre non dubitat; et impense rogat, ut canonicatum lincolniensem, quem primum vacare contigerit, eidem conferat, quem non canonicatu solum sed etiam episcopatu dignissimum praedicat. Obtinebat ille jam tum canonicatum in Ecclesia londoniensi, sed tenui censu quem arctabat etiam canonicorum londoniensium sodalium suorum tenacitas, qui nullam ad eum pertingere partem sinebant eorum proventuum, qui communiter inter canonicos dividebantur. Bis Bononiae fuerat anglus iste Canonicus, et bis apud Pontificem sui Regis negotia tractaverat; primo quidem solus, mox autem cum duobus aliis Regis legatis. Atque haec omnia intelligimus ex epistolis Alexandri III ad Regem Angliae, quas in Appendice damus.

V.

ANSALDUS.

URSO. ANSELMUS. BUTIRUS. ALBERTUS DE CORNAZO. ALBERTUS ALTER. RAYNERIUS. PETRUS. PETRUS ALTER. GERARDUS. RAYNERIUS ALTER.

I. Plures habemus duodecimo saeculo canonicos Ecclesiae bononiensis magistri titulo insignes, quorum plerosque, ut supra dictum est, jus canonicum, nuper Bononiae ex Gratiani institutione tradi coeptum, docuisse verisimillimum est et facem praetulisse ceteris doctoribus, qui ampla commentaria postmodum ediderunt in Gratiani librum. Eorum hic non tam illustrare aggredimur, quam revocare memoriam ne prorsus intereat. In his primum occurrit magister Ansaldus, diaconus et canonicus Ecclesiae bononiensis, qui eo ipso tempore vivebat quo Gratianus decretorum volumen emisit. In anno MCCLI praesens fuit, cum Gerardus episcopus bononiensis lapidem rite inauguratum Alberto archipresbytero bononiensi tradidit, qui eumdem dedit abbati sancti Michaelis apud Medicinam, ad novam ecclesiam aedificandam[6]. Subscripsit quoque magister

(1) Sicard. in prooem. Summae. *In Appendice.*
(2) Murator., *loc. cit.*
(3) Arisius, *loc. cit.*
(4) Ughell. in *Episc. Cremon.*
(5) Zaccaria in *Episc. Cremon.*
(6) *Ex tabulis in libro Assium in archivo Eccl. Bonon.*, pag. 45.

Ansaldus canonicus et diaconus diplomati Gerardi episcopi pro nostro monasterio camaldulensi s. Christinae ad Septemfontes; quod nuper in Annalibus camaldulensibus editum est, ac pertinet ad annum MCLIV (1). Est etiam Ansaldi mentio in tabulis canonicorum regularium sancti Victoris ad annum MCLXXIV (2).

II. Nominatur in iisdem tabulis magister Urso, qui cum Ansaldo honoris causa iis scribendis interfuit, praeter alios testes ex legum praescripto rogatos. Neque ex quo in iis tabulis scriptum sit Urso magister, Ansaldus magister, postposito magisterii titulo, inferre licet eos fuisse artium mechanicarum professores. Quamvis enim aliquando sic fere distingui solerent mechanicarum artium ab liberalium professoribus (3), id tamen neque omnino constans nec perpetuum fuit. Et sane Walfredus ille Lotharii Imperatoris judex, et jurisconsultus non ignobilis, de quo suo loco diximus, quique his ipsis temporibus et aliquanto ante vixit, non aliter fere in antiquis tabulis dici consuevit quam Walfredus magister.

III. Bononiae florebat ad annum MCLX Anselmus, quem Ecclesiae bononiensis canonicum fuisse arbitror, virum certe ecclesiasticum fuisse non dubito. Eo praesente lata est sententia in controversia, quae jamdiu agitabatur inter archipresbyteros plebis Gurgugnani et S. Mariae, cujus finiendae causa profectus videtur ad Castrum Britonum cum Scellio canonico et magistro Butiro. Extant ea de re tabulae anno MCLX scriptae in archivo abbatiae ss. Gregorii et Syri (4), quam nunc commendatam habet Flavius Chisius cardinalis amplissimus, is, qui eodem jure obtinet abbatiam hanc s. Gregorii in Monte Coelio, cujus ego monastico regimini, licet tanto impar muneri, praesum. Donatur autem in iis tabulis Anselmus magistri titulo (5), quo theologiae vel juris canonici professorem, ubi de sacrato viro sermo sit, mihi certum est demonstrari. Quare utrius facultatis professor fuerit Anselmus, definire non licet, quod aeque dubium de aliis non paucis esse censeo. Sed videtur tamen potius inter juris canonici professores recensendus, quippe qui legitimo judicio in causa forensi interfuit.

IV. Anselmo Butirum jungimus, qui cum eo primum innotuit ex tabulis supra indicatis. Ejusdem rursus mentio est ad annum MCLXIV, quo interfuit testamento Alberti de Manzoni, qui haeredes instituit Canonicos Regulares sancti Victoris (6). Interfuit autem non tamquam testis, casu et sine delectu rogatus, ut fere sit in similibus, sed tamquam spectabilis vir et minime vulgaris et honoris causa adhibitus, ut ex testamenti tabulis apparet (7). Atque hunc etiam puto juris pontificii magistrum fuisse.

V. Cum Ildebrandus s. Eustachii cardinalis, judex delegatus ab Anastasio IV, anno MCLIV sententiam ferret in celebri quadam causa monachorum s. Stephani, interfuere primarii quique viri et nobilissimi academiae nostrae professores. In his ante

(1) *Annal. Camald.*, t. III. — *App.*

(2) *Ext. in arch. s. Joann. in Monte ad eum annum.*

(3) « Ut si dicitur magister Petrus in literatoria, intelligitur scientia; si vero dicitur Petrus magister intelligitur de carpentario ». Osti, tit. *De pactis vel quae sint divisiones.*

(4) *Extat archivum istud Bononiae penes abbatiae procuratorem Cyprianum Walterum.*

(5) « Actum in solario hospitalis monasterii s. Michaelis de Castro Britti. Presentes fuerunt presbyter Guido, magister Anselmus, Scellius canonicus, magister Butinus et alii plures ». *Ex charta archivi ss. Gregorii et Syri.*

(6) Inter cetera mandat Albertus certam pecuniae summam « expendi in opere paradisi s. Victoris ». In id opus etiam magister Jacobus Britonoriensis, de quo suo loco dicemus, non pauca contulit.

(7) « Actum in presentia dni episcopi Gierardi et dn. Alberti prepositi et aliorum fratrum, canonicorum scilicet s. Victoris, et magister Butirus ». Sequuntur testium nomina. *Ext. in archivo s. Joannis in Monte*, fasciculo VI.

reliquos magistros et doctores occurrit magister Albertus de Cornazo (1), sed quisnam is fuerit et num canonum an theologiae professor id plane non constat. De viri tamen praestantia et dignitate dubitare non licet.

VI. Habemus et magistrum Albertum diaconum Ecclesiae bononiensis, qui anno MCLXXIV occurrit in charta monachorum s. Stephani. Hunc alterum a superiori fuisse non dubito.

VII. Magistri Raynerii canonici bononiensis non infrequens mentio est in antiquis tabulis Ecclesiae bononiensis et s. Victoris ab anno MCLXXII ad MCLXXXI, eodemque tempore vivebant inter eosdem Ecclesiae bononiensis canonicos magister Petrus unus et alter, et magister Gerardus, quorum memoria extat in iisdem tabulis ad annum MCLXXXIX. Est alter magister Raynerius canonicus s. Mariae ad Rhenum, qui vivebat anno MCLXXXXVII. Horum nomina servarunt nobis antiquae contractuum tabulae, neque inutile erit ea hic indicasse, ut saltem appareat quam multi jam tum in clero Ecclesiae bononiensis essent, qui doctrinae laude praestarent.

VI.

RUFINUS. SILVESTER.

I. Venimus jam ad eos canonum professores, qui non raras, perbreves, easque, ut arbitror, fere interlineares glossas in librum decretorum scripserunt, quod fecisse aliquos ex superioribus censeo aliosque plures, quorum memoria extincta est, sed uberiores glossarum apparatus et commentaria in Gratianum ediderunt. Id enim accidisse oportuit in jure canonico interpretando quod in civili. Primum breves adnotatiunculae ad difficiliora loca adjectae; deinceps autem, crescente interpretum numero et aemulatione, magni glossarum apparatus coaluerunt, quibus decretorum liber obrutus est. Vidimus in aliquot antiquissimis Gratiani exemplaribus prima haec glossarum rudimenta ac praesertim in duobus Vaticanis, in quibus paucissimae eaedemque interlineares glossellae conspiciuntur. Eorum specimen in Appendice damus (2). Inter primos autem, qui glossas plena manu in Gratianum congerere coeperint, numerari solet Rufinus. Hic commentaria in Gratianum scripsit, quae olim *Summa decretorum Rufini* (3) dicebantur, in quibus nullam decretalem allegat, ut Joannes Andreae animadvertit (4). Hinc aliquod judicium de ejus aetate facere licet; videtur enim scripsisse antequam ullae decretalium collectiones prodirent in publicum, quarum prima, Bernardo Papiensi auctore, circa annum MCLXXXX lucem aspexit. Ac certe in librum decretorum scripsit ante Huguccionem Ferrariensem, qui amplissima commentaria in eumdem librum edidit, quique paulo post annum MCLXXXX e scholis nostris ad episcopatum ferrariensem evectus est. Is enim saepe Rufini auctoritatem usurpat, eumque magistrum Rufinum appellat.

II. Multa ab Rufino acceperunt ceteri juris pontificii professores, qui postmodum floruerunt, atque in primis Joannes Teutonicus, qui glossam, quam dicimus ordinariam,

(1) Habes eam sententiam in Appendice.

(2) *Vide Appendicem.*

(3) In indiculo librorum, quos Benedictus abbas petroburgensis, exeunte, ut videtur, saeculo XII, exscribendos curavit, recensentur *Decreta Gratiani*, *Summa Rufini de Decretis*, *Summa Joannis Faventini de Decretis* etc. Apud SELDEN, *Judic. de decem Scriptor. Angl.*, n. 8.

(4) JOANN. ANDREAE in prooem. *Spec.*

edidit quam in libris impressis habemus, ubi saepius inter antiquos interpretes Rufini nomen occurrit. Sed existimarunt aliqui Rufinum diu vixisse postquam in Gratiani librum scripserat, et vidisse aliquas decretalium collectiones et glossas in eas scripsisse [1]. Hinc dubitari potest num hic ille Rufinus doctor decretorum sit, qui florebat in scholis nostris Honorii III temporibus, ad quem sunt ejusdem Pontificis literae anno MCCXXII scriptae, quas in Appendice producimus. Erat ille in magna existimatione apud universitatem scholarium. Cum enim ingentes turbae in academia nostra excitatae essent, ob leges quasdam a Communi Bononiensium latas, quae contra scholarium et professorum libertatem esse videbantur, qua de re alibi diximus, Rufinus decretorum doctor legatus ad Honorium III pro universitate scholarium profectus est, ut Pontificem, qui inani opera de abrogandis iis legibus cum Bononiensibus diu egerat, in sententia retineret et ad negotium perficiendum impelleret [2].

III. Vel duo igitur fuere nobiles canonum professores Rufini nomine appellati, quorum alter in Gratiani librum scripsit ante editas ullas decretalium collectiones, alter autem post initium saeculi XIII temporibus Honorii III floruit [3]; vel unus idemque, cum celebrari coepisset ante editas decretalium collectiones, quarum primam prodiisse diximus circa annum MCLXXXX, ad multam aetatem provectus honoriana tempora attigit; qua de re difficile est aliquid statuere.

IV. Silvester etiam ex primis est Gratiani interpretibus, quibus incrementum debet schola juris canonici a Gratiano instituta. Scripsit in decretorum librum antequam ulla decretalium collectio prodierit, quemadmodum de Rufino diximus. Sed hunc etiam vidisse aliquam decretalium collectionem et in eam glossas edidisse, narrat Joannes Andreae. Multa ex ejus glossis corrasit Joannes Teutonicus, quo factum est ut non plane extincta sit ejus memoria. Sed ejus tamen nihil ad nos pervenit, nisi nomen et fama.

VII.

JOANNES FAVENTINUS.

Joannes Cavalerius, ex hac enim familia fuisse dicitur [4], patria faventinus, antiquioribus Gratiani interpretibus adnumerandus est. Floruit ante editas decretalium collectiones, cum omnis ecclesiastica jurisprudentia ex Gratiano petebatur. Id manifestum est ex eo quod nullam in suis ad Gratianum glossis decretalem allegat, ut animadvertit Joannes Andreae, qui ejus scripta vidit [5]. Multa ex ejus glossis in Joannis Teutonici commentaria, sive in Glossam quam dicimus communem, migrarunt [6]. Sed in impressis exemplaribus ejus nomen mendose, ut plurimum, scriptum est; alicubi enim pro Joanne Faventino Joannem Fabrum reperio aut Joannem Fantutium. Et Fantutius revera pro Faventino facile reponi poterat, nam is etiam in perficiendis commentariis decretorum laboravit, sed multo serius ac duobus fere saeculis post Joannem

(1) JOANN. ANDREAE, *loc. cit.*

(2) Vide quae diximus in ROFR. BENEVENTANUS.

(3) Erat Patavii « mag. Rufinus decretista » anno MCCXXVI.

Vide FACCIOL., *Syntag.*, I, pag. 3.

(4) « Joannes Faventinus patria, gente de Cavaleriis, canonista summus. Ejus facit mentionem Glo. etc. ». DIPLOVAT. in *Joann. Faventinus.*

(5) JOANN. ANDREAE in prooem. *Spec.*

(6) Vide Glos. in c. *Nervi,* dist. XIII, et in c. *Quod interrogasti,* dist. XXVII, et in c. *Cum non ab homine. De sent. excom.*

Faventinum. Manifesta est haec nominum permutatio in glossa ad c. *Cum ordinatio, IX, q. I,* ubi haec verba in libris editis leguntur: *Dicit Joannes Faber et Rufi. quod qui recipit ultimam manus impositionem, idest ordinem episcopalem in ecclesia ordines confert, sed non executionem ordinis.* Hunc errorem habent exemplaria, quae vidi tam ante correctionem gregorianam quam postmodum impressa. At vetusta exemplaria manuscripta casanatensis et Vaticanae bibliothecae habent: *Dicit Jo. Fav. et Rufi.* Et sane quis unquam Joannem Fabrum cum Rufino conjungeret, inter quos tantum aetatis discrimen fuisse constat? Aut qui poterat Jo. Teutonicus Glossae auctor, aut Bartholomaeus Brixiensis, qui Glossam emendavit, Joannem Fabrum in scenam producere, qui centum amplius annis post eos floruit? Multa etiam a Joanne Faventino mutuatus est Hugo, sive Huguccio Pisanus, clarissimus academiae nostrae professor (1). Summam sive tractatum egregium in Gratiani Decretum composuit, cui initium fecit iis Apocalypseos verbis: *Sub throno Dei* (2). Hunc librum haud magnae molis sed magnae utilitatis asservatum suo tempore dicit Diplovataccius Faventiae apud Fratres mendicantes s. Francisci (3). Eum ego frustra inter codices Vaticanae aliarumque bibliothecarum quaesivi; quem si videre licuisset, aliquid fortasse melius de hoc praestanti sacrorum canonum professore cognoscere potuissem. Floruit Bononiae cum Rufino et Silvestro, Friderico I regnante, ut tradit Diplovataccius (4). Sed Rufinus, de quo postea dicemus, aetatem produxisse videtur usque ad Honorii III tempora, qui anno MCCXVI Romanus Pontifex creatus est.

VIII.

JOANNES HISPANUS.

JOANNES ALTER. PETRUS HISPANUS.

I. Est etiam antiquioribus Gratiani interpretibus adjungendus Joannes Hispanus, qui glossas in decretorum librum scripsit antequam ullae prodierint decretalium collectiones (5). Id ex eo conjiciunt, quod nullas in suis glossis decretales allegavit. Hunc recte Diplovataccius scribit vixisse cum Rufino, Silvestro, Joanne Faventino aliisque antiquioribus decretorum interpretibus. Floruit igitur decurrente XII saeculo, nec XIII attigisse videtur; cujus anno circiter XX Bononiae degebat magister Joannes Hispanus, alter a superiore, de Petesella vocatus. Atque hunc etiam existimo canonum professorem fuisse. Interfuit hic anno MCCXXIII cum Tancredo archidiacono bononiensi et magistro Petro Hispano aliisque viris clarissimis cuidam compromisso, de quo in tabulis monachorum s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis (6).

(1) Plurima etiam loca indicat Diplovataccius ex *Summa Huguccionis,* in quibus laudatur Joannes Faventinus.

(2) « Scias quod hanc auctoritatem, *sub throno Dei* (qua Speculator initio sui operis usus est), habere potuit auctor ex Joanne Faventino, qui in sua lectura Decreti, quae illo tempore Summae nomen arripuit et hucusque servavit, in operis principio hanc auctoritatem assumpsit, quam tamen ipso plenius auctor iste prosequitur ». Joann. Andreae in prooem. *Specul.*

(3) Diplovat. in *Joann. Faventino.*

(4) *Ibid.*

(5) « Rufinus, Silvester et Joannes Hispanus fecerunt lecturas super Decreto, in quibus nullam decretalem allegant ». Joann. Andreae in addit. ad prooem. *Specul.*

(6) « An. MCCXXIII die ult. exeunte Mart. Indict. XI.... presentibus magistro Tancredo canonic. bonon., magistro Petro Hispano magistro decretorum, magistro Joanne Hispano de Petesella etc. ». *Ex charta archivi s. Stephani, nunc Senatus Bonon.*

II. Celebratur etiam inter antiquiores juris canonici professores Petrus Hispanus; cujus glossas aliquot in Gratiani librum (1) servavit nobis Joannes Teutonicus, sive Bartholomaeus Brixiensis, qui *Apparatum Decretorum* a Joanne Teutonico concinnatum perfecit. Laudant Petrum Hispanum Guilielmus Durantis (2) et Joannes Andreae (3) aliique antiqui doctores. Eum scribit Diplovataccius vixisse circa annum MCLXXX, temporibus Friderici I, Alexandri III et Lucii III (4). Pancirolus vix ejus nomen agnovit et Colbolum sive Boliatum appellavit (5). Prae oculis nimirum habuit haec Joannis Andreae verba ad c. *Literas. De restit. spoliat.* in Novella: *Dixit hic Vincentius, quod haec ultima opinio fuit Petri Hispani, quem vocat de Corbolis, sibi non placet quem Ostiensis vocat Petrum de Bolio.* Posset aliquis ex his verbis conjicere Petrum Hispanum canonum professorem non alium esse a Petro de Corbolio, viro celebri, qui exeunte saeculo XII et initio saeculi XIII floruit, quemque ajunt praeceptorem fuisse Innocentii III, a quo cameracensis episcopus creatus est anno MCLXXXXIX, et anno MCCXXII archiepiscopus senonensis decessit (6). Sed Corbolium, unde Petrus iste agnomen sumpsit, non in Hispania situm est sed in Gallia. Igitur nihil certi elucet. Sed quis editis Novellae exemplaribus fidem habeat, quae mendosissima sunt, ut cetera fere veterum jurisconsultorum scripta typis impressa? In codice Vaticano manuscripto optimae notae hic locus ita se habet: *Dixit hic Vincentius, quod haec ultima opinio fuit Pe. Isp. sibi non placet, quem Osti. vocat P. de Bolio, vel de Boliato* (7). Nihil hic de Corbolio, ut suspicari liceat hanc vocem novitia manu in Novellam fuisse intrusam. Ostiensis vero in antiquo item codice Vaticano manu exarato ad c. *Literas. De restit. spoliat.* ita inquit: *Tertiae opinioni, deficiente jure, opinio quaedam magistri Petri de Bolio adnotatur* (8). At apud Vincentium in commentariis decretalium anecdotis, ad citatum c. *Literas.* sic legitur: *Haec opinio est mag. Petri de Corbol. nec eam recipio* (9). Rursum autem in c. *Super eo. De cognat. spirit.* sic lego: *mag. P. Hispanus dicit* (10). Haec scribendi varietas indicare videtur non de uno eodemque doctore loqui utroque loco Vincentium, sed in primo quidem Petrum de Corbolio inducere in altero autem Petrum Hispanum, illum theologum satis nomine ipso notum, hunc canonum professorem, quod cum non animadverterint Ostiensis, Joannes Andreae aliique, propterea cespitasse in Petri Hispani agnomine investigando.

III. Erat Bononiae anno MCCXXIII Petrus Hispanus decretorum professor non obscuri nominis, qui cum Tancredo et magistro Joanne de Petesella aliisque claris viris interfuit cuidam compromisso, de quo supra diximus. Extant literae, quibus eum ad scholas patavinas Guilielmus Guascus decretalium doctor invitabat, loci amoenitatem, rerum venalium copiam, auditorum, qui ad ipsum confluxuri essent, multitudinem ostentans (11). Minus a vero abhorret hunc ipsum esse Petrum Hispanum, quem inter antiquiores canonum professores numerant. Eum certe Guilielmus Durantis post Hugo-

(1) Vide Glos. in c. *Nemo,* XI, q. III, et in c. *Si quis acceperit,* XXXIII, q. I etc.

(2) In prooem. *Specul.*

(3) Joann. Andreae in addit. ad *Spec. Juris* in prooem.

(4) Diplovat. in *Petro Hispano.*

(5) Panciról., lib. III, c. VIII.

(6) *Gallia Christ.* in *Ep. Camer.* et *Archiep. Senon.*

(7) Codex Vatic. 1455.

(8) *Ibid.* 1444.

(9) In Cod. Barberino 402, p. 339.

(10) *Ibid.* in c. cit.

(11) « Paduae habebitis multitudinem auditorum, ubi loci viget amoenitas et venalium magna copia reperitur ». Descriptum habetur epistolae exemplum in Summa dictaminis magistri Guidonis Fabae, quem codicem manuscriptum servat bibliotheca Einsidl. plut. XXVIII, n. 4. Vidit, nobisque indicavit clarissimus Garampius.

nem, sive Huguccionem, nominat, qui saeculum XIII attigit; nec certam ullam rationem secutus, scripsit Diplovataccius illum vixisse circa annum MCLXXX.

IV. Praeter glossas in Gratiani librum, videtur etiam Petrus Hispanus librum scripsisse *De ordine judiciorum,* quem Petri Hispani nomine insignitum recensuit in sua *Bibliotheca codicum manuscriptorum* Antonius Augustinus, ut observat Nicolaus Antonius in *Bibliotheca Hispanica.*

IX.

STEPHANUS TORNACENSIS.

HERACLIUS

PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS.

I. Ex tornacensi episcopatu, quem gessit, Tornacensis agnomen Stephano haesit. Fuerat primum s. Crucis apud Aurelianos in patria sua canonicus, dein abbas s. Evurtii, postmodum s. Genovefae; atque inde ad cathedram tornacensem evectus est, quam tenuit usque ad annum MCCIII, quo vitam cum morte commutavit. Nihil attinet dicere qua doctrinae, pietatis et prudentiae fama vixerit. Habentur ejus epistolae CCXXXX in *Bibliotheca Patrum* editae, quae ejus vitam moresque exprimunt et praeclara facta demonstrant. Ex iis illud etiam intelligimus Stephanum Summis Pontificibus et Galliarum Regi Philippo Augusto, cujus filium Ludovicum e sacro fonte levavit, carissimum fuisse. Est inter eas epistolas una ad Heraclium caesariensem archiepiscopum, in qua commemorat anteactae aetatis jucunda tempora, cum una Bononiae fuerunt studiorum causa. *Jocosas,* inquit, *confabulationes nostras fructuosis oro saepius orationibus expiari. Togatorum advocationes, mercimonia, litigantium conflictus, coecorum pugnam, Bononiensium auditoria, fabriles diximus officinas* (1).

II. Habemus hinc alterum academiae nostrae alumnum Stephani sodalem, postea caesariensem archiepiscopum, de quo postea dicemus. Sed cum Heraclius archiepiscopatum obtinuerit post Ernesium, sive Ernestum, qui obiit anno MCLXXIV (2), et antequam archiepiscopus creatus sit, archidiaconatum gesserit in Ecclesia hierosolymitana, probabili conjectura statuere possumus Stephanum cum Heraclio Bononiensium auditoria frequentasse ante anno MCLXX vivente adhuc Jacobo, quem ferunt Irnerii successorem fuisse in cathedra juris civilis. Hunc igitur in ea facultate praeceptorem habere potuit, vel potius Albericum de Porta Ravennate illustrem ejus aetatis professorem, cum quo illum familiariter vixisse intelligimus ex epistola ad eum scripta, qua illi commendat Hugonem clericum aurelianensem, Bononiam ad studia literarum venientem (3). Illum porro non mediocriter versatum fuisse in jure civili, plures ejus epistolae demonstrant.

III. Est alia Stephani Tornacensis epistola ad *Dominum Willermum* bononiensem legum professorem, qui procul dubio est Guilielmus de Cabriano juris civilis professor

(1) Steph. Tornac. epist. LXXXII in *Biblioth. PP.* edit. Lugdun., t. XXV, p. 18.

(2) Le Quien, *Oriens Christianus,* t. III, p. 1288.

(3) « Domino Alberico bononiensi legisperito pro Hugone aurelianensi clerico. Absentiam vestram supplet mihi frequens nominis vestri memoria, et suavis morum vestrorum recordatio jucundum animae meae plausum excitat etc. ». Steph. Tornac., *Biblioth. PP.,* t. cit., p. 9.

in scholis nostris, post autem archiepiscopus ravennas. Hunc Stephanus Bononiae agnovit juvenem adhuc nec ea fama et celebritate quam postea consecutus est; qua de re illi gratulatur per literas (1). Alium quoque professorem bononiensem memorat in epistola CCXXII, quem ait relictis scholis apud magnum quemdam episcopum se recepisse, qui simul legatus esset et cancellarius, causis judicandis et tractandis negotiis adlectum. Sed quisnam fuerit iste scholarum nostrarum professor clam me est; manca enim est haec Tornacensis epistola, quae inscriptione et initio caret. Sed episcopus qui una esset et legatus et cancellarius, legatus nimirum Apostolicae Sedis et Regni Cancellarius, vix alibi fuisse videtur quam in Anglia.

IV. In jure canonico Gratianum ipsum audire potuit, qui non ita pridem suum decretorum volumen ediderat, aut aliquem ex ejus discipulis. Huic autem doctrinae, nuper in scholis nostris exortae et magno hominum plausu exceptae, ita se dedit Stephanus Tornacensis, ut in ipsum decretorum volumen commentaria scripserit jure propterea numerandus inter primos juris pontificii interpretes (2). Alia ingenii sui monumenta reliquit Stephanus Tornacensis, de quibus multa apud Oudinum, qui hujus clari viri memoriam non levi opera illustrat (3). Multa etiam de illo in Gallia Christiana (4) et apud plerosque historiae literariae scriptores; sed de ejus accessu ad scholas bononienses, quantum ego investigare potui, altum ubique silentium.

V. Laudat Stephanus Tornacensis plures viros doctos amicos suos in suis scriptis. Atque in his maxime spectandi sunt Petrus s. Chrysogoni cardinalis et Urbanus III P. M., quos in scholis sodales habuisse gloriatur (5). Eos igitur non temere quispiam adscripserit academiae nostrae alumnis, praesertim cum Itali fuerint, ut facillime cum iis studia literarum Stephanus Tornacensis in scholis nostris sequi potuerit.

VI. His certo adjungimus Heraclium Stephani sodalem et amicum et ejusdem nationis, ad quem est ejus epistola quam supra indicavimus. Perrexerat ille in Asiam ad bellum sacrum cruce accepta, *secutus Calvariam Crucifixi*, ut ait Stephanus, qui propterea *beatam* vocat *ejus peregrinationem, quae culpas expiat et ad sublimia cum extollit* (6). Et sane Heraclio bene vertit haec peregrinatio nam primo archidiaconatum hierosolymitanum (7), mox autem archiepiscopatum caesariensem in Palaestina consecutus est anno MCLXXIV (8). Quo munere cum fungeretur, sedit inter Patres concilii lateranensis anno MCLXXIX Alexandro III Pontifice celebrati. Denique anno MCLXXX Hierosolymorum patriarcha inauguratus est, malo tamen omine, eo enim thronum patriarchalem obtinente sancta civitas a Salahadino Aegypti soldano capta est, profligato Christianorum exercitu et Guidone rege in servitutem redacto. Et Heraclii quidem ambigua fama fuit, de quo ea narrantur quae nimium dedecebant hominem in tanto fastigio dignitatis sacrae constitutum. Plura de illo diligentissimus Le Quien in *Oriente Christiano* inter archiepiscopos caesarienses et inter patriarchas hierosolymitanos ritus latini (9).

(1) Vide supra in GUILIEL. DE CABRIANO inter *Professores juris civilis*.

(2) Hujus operis duo exemplaria manuscripta sunt in Biblioth. reg. Paris. n. 1111MCMXII et 11MCMXIII, t. III Catalog. p. 527 et unum etiam Biblioth. s. Victoris.

(3) OUDIN., t. II, p. 1647.

(4) *Gallia Christ.*, t. VII, p. 720.

(5) STEPH. TORNAC., epist. CXXXX et CLXI.

(6) « Inter haec diversa secuti studia sumus: ego, quod irriseram, carpentariam vulgare (*legere malim* vulgi) vos Calvariam Crucifixi. Beata peregrinatio vestra, quae et culpas expiat et ad sublimia vos extollit ». STEPH. TORNAC., epist. cit., pag. 18.

(7) « Per idem tempus dominus Ernestus bonae memoriae caesariensis episcopus defunctus est, in quo loco ejus dominus Heracleus, jerosolymitanus archidiaconus, electus et consecratus est ». GUILIEL. TYR., *De bello sacro*, l. XXI, c. X, edit. Basileae an. 1564.

(8) LE QUIEN, *Oriens christian.*, t. III, pag. 1288.

(9) *Ibid.*, pag. 1252.

X.

BAZIANUS.

I. Bazianum memoriae lapsu omisit Guilielmus Durantis, cum antiquiores decretorum interpretes recenseret, licet non semel ejus glossae in decretorum librum occurrant (1). Eum itaque supplevit Joannes Andreae (2), nec Diplovataccius celebrem hunc doctorem ignoravit (3). Eum saepe laudatum reperio in *Summa Decretorum* Huguccionis, et apud Rofredum *De libellis et ordine judiciario secundum jus canonicum* (4); nec dubito quin Bavarius ille, qui in *Summa poenitentiae* s. Raymundi cum aliquot aliis antiquis juris canonici professoribus laudatur, idem sit ac Bazianus noster, cujus nomen duobus literulis compendio expressum, cum quale esset ab amanuensibus imperitis ignoraretur, pro Bazianus, Bavarius emerserit (5). Et sane in codice Palatino Vaticano admodum antiquo, quo s. Raymundi *Summa* continetur, nitidissime Baziani nomen expressum est (6).

II. Sed in ejus aetate assignanda erravit Diplovataccius, qui eum vidisse ait scripta Jacobi Balduini, qui floruit regnante Friderico II, saeculo nimirum XII jam provecto. Erravit etiam cum scripsit Bazianum apud Gallos in Provincia docuisse. Nam neque XIII saeculum attigit nec alibi jus canonicum docuisse constat, quam in scholis nostris; atque inter paucos numerandus est ex vetustissimis canonum professoribus, qui bononiensis fuerit (7). Sed non satis hic sibi consentit Diplovataccius ipse, ac postquam asseruit Bazianum in Provincia docuisse et scripta vidisse Jacobi Balduini, suspicatur, hunc esse Bazianum alterum a superiore, qui post Jacobum Balduinum vivere potuerit. Videtur autem inter canonicos Ecclesiae bononiensis adscriptus fuisse, et, quod permirum eo saeculo fuit, non solum canonici sed civilis etiam juris scientia excelluit et in sacris literis egregie versatus est. Decessit Bononiae anno MCLXXXXVII, VIII kalendas Februarias, et honorifice tumulatus est in principe divi Petri ecclesia, sculptis ad ejus tumulum his versibus qui adhuc in grandi marmore extant:

Hoc tumulata jacent Basiani (8) membra lapillo.
Quis sit metra docent quae subscribuntur in illo.

(1) Vide Glos. in c. *Qui crimen*, VI, q. I, et in c. *Pastoralis*, VII, q. I, etc. etc.

(2) « Bazianum miror per auctorem (Guilielmum Durantis) omissum, de quo multae glossae loquuntur ». JOANN. ANDREAE in addit. ad prooem. *Specul.*

(3) « Bazianus, de quo multae glossae loquuntur. Et Joann. Andreae in prooem. *Specul.* et Hugo doctor antiquus. Vide omnino Abba. antiquus in c. *Raynutius* in fin. de testam. ubi dicit quod Bazianus regebat in provincia et vidit scripta Jac. Balduini ». DIPLOVAT. in *Baziano.*

(4) ROFRED., tit. *De jure Archid.* etc.

(5) Editores *Summae s. Raymundi,* quae paucis ab hinc annis Veronae prodiit, Bavarium illum existimant esse Bernardum Compostellanum; quod difficile admiserim, nimis enim haec duo nomina inter se differunt, ut unum pro altero usurpari potuerit. Vide praefationem ad *Summae s. Raymundi,* edit. Veronae.

(6) « Nam pro homicidio justitiae .... nec invenio, nec dico poenam aliquam imponendam excepta sola irregularitate .... Et hoc secundum Baz. ». S. RAYM., lib. II, tit. *De homicid.* in cod. Palat. Vatic. 703.

(7) Nititur Diplovataccius auctoritate Abbatis antiqui in C. Raynutius *De testam.*, ubi dicit Bazianum rexisse in Provincia et vidisse scripta Jacobi Balduini, ut supra adnotatum est. Atque ita scriptum esse debuit in exemplari Commentariorum Abbatis antiqui, quo Diplovataccius utebatur. At in libris editis aliter habet. In excellenti edit. veneta apud Juntas MDLXXXVIII ita legitur: « Dominus Bar. aliquo tempore fuit in opinione Jacob. Bald. Postmodum dum regeret in Provincia, contrarium tenuit ». Sed reipsa in lectura Abbatis, quae est in cod. Vatic. 2542, legitur *Dominus Baz.* Divinabunt alii, quis ille fuerit; a nostro enim Baziano diversus esse debuit.

(8) Quamvis vetus hic Gratiani interpres, Bazianus tam in editis, quam in manu exaratis codicibus dici

Huic legum latis patuit victoria castris,
Nunc cedens fatis socialibus insidet astris.
Canonice coluit scripturae plenius hortum (1);
Qua duce promeruit celestem cernere portum.
Hic erat Italiae sidus, reverentia fratrum (2),
Flos roseus patriae (3), decus orbis, gloria patrum.
Obsequiis promptus et in omni dogmate certus,
Consiliis cautus, humilis, jocundus, apertus.
Si tres excipias annos de mille ducentis
Terminus occurrit mortis quo jura subivit.
Invidus e medio Basianum (4) finis ademit,
Cujus membra brevis hic sita petra premit.
Summus in alterutro doctoris jure peregit
Hactenus officium, quem lapis iste tegit.
Jura duo potuit naturae jus superare,
Haec duo de proprio mors fugat una lare.
Istius meruere sinu duo jura locari;
Solus in Italia qui fuit absque pari.
Non sibi sed vitae moritur fons juris et aret,
Non is ea sed eo vita moderna caret.
Quisquis in istius cathedram succedere querit,
Fontis respectu rivus ineptus erit.
Hunc sociat summis Pauli conversio turmis (5).

III. Attulit hos versus in historiarum bononiensium quarto libro Ghirardaccius, eosque pertinere existimavit ad Joannem Bassianum, quem ipse Bosianum appellat, insignem legum professorem et Azonis magistrum. Ignorabat scilicet Bazianum hunc nostrum, quem et Montalbanus et Orlandius aliique scriptores nostri non satis agnoverunt. Sed Joannes Bassianus patria cremonensis fuit, nec unquam jus canonicum interpretatus est, nec *canonicae scripturae,* hoc est divinarum literarum cultorem fuisse constat. Quae igitur de Baziano in iis versibus leguntur, nulla ratione convenire possunt Joanni Bassiano; neque is in civitate nostra dici poterat *flos roseus patriae,* quae verba ostendunt Bazianum illum nostrum civem fuisse.

IV. Memorantur Baziani scholae in vetusta charta canonicorum s. Salvatoris anno MCLXXXXIV, V nonas Maias scripta, quam clarissimus abbas Trombellius communicavit. Sententiam continet a Baziano ipso et Lanfranco pro clericis, sive canonicis s. Salvatoris, coram multis doctoribus et magistris pronunciatam (6). Scripsit Bazianus glossas in decretorum librum, quarum aliquae in apparatum decretorum, sive glossam

soleat; tamen in *Summa* Huguccionis, quae est in codice Vaticano 2280 Basianus appellatur, ut in hoc titulo sepulcrali. Basianus tamen distinguit Huguc. in c. *S. Romana* XXV, q. I, pag. 254 tit. cod. Vatic. cit.; Ghirardaccius, *Hist. Bonon.,* lib. IV, pag. 105 legit contra autographi fidem *Bosiani.*

(1) Canonicam scripturam hic intelligere malim Sacras Literas, minime vero jus canonicum; vix enim alio, quam decretorum nomine jus pontificium tunc dicebatur; unde extremis Baziani ipsius temporibus sacrorum canonum professores appellari coeperunt doctores decretorum.

(2) Idest, clericorum et canonicorum Ecclesiae boniensis, in quorum coetu vivebat.

(3) Id non recte de homine alienigena diceretur.

(4) Hic etiam Ghirardaccius *Bosianum* habet.

(5) Desideratur hic versus apud Ghirardaccium.

(6) « In nomine .... anno ab incarnatione Domini MCLXXXXIV quinto non. Madii. Cum dn. mag. Lanfrancus et mag. Bazianus exjudices existerent in judicio audiverunt quoddam privilegium legi a Rainerio sindico, qui judices dixerunt et statuerunt, quod per illam legituram nullum fieret prejudicium clericis s. Salvatoris nec suis adjutoribus, et apte dixerunt quod inchomberet eis. Actum fuit hoc in schol. mag. Baziani, et ibi erant presentes mag. Bartholomeus Stu. Dominus Lotharius (Lotharium Cremonensem arbitror, celebrem jurisconsultum) Geremia de Ubertis, mag. Guido Aretinus, mag. Oddo et quamplures alii

» Ego Leo Imper. Not. interfui ».

Ex archivo s. Salvatoris, fasc. XXIII, n. 24.

communem, qua utimur, a Joanne Teutonico invectae sunt, quas ex apposito ejus nomine agnoscere licet. Saepe etiam ejus auctoritatem usurpat Huguccio in *Summa Decretorum,* qui Basianum appellat, quemadmodum etiam in titulo sepulcrali scriptum vidimus. Sed quoniam in versibus ad ejus tumulum positis haec praecipua et singularis laus ejus fuisse dicitur, quod *summus in alterutro doctoris jure peregit officium,* quodque *duo jura* ejus *sinu meruere locari,* quamobrem *solus in Italia fuit absque pari;* non dubito quin etiam aliquando docendis legibus vacaverit, prius inter legum doctores post autem inter doctores decretorum cooptatus. Ac leges quidem docuisse credibile est, cum adhuc laicus esset, canones autem cum ad clericalem militiam transiit; nam clericum fuisse, imo bononiensis Ecclesiae canonicum ex iis ipsis versibus ad ejus sepulcrum positis intelligi posse existimo; nam et Divinae Scripturae studium, quod coluisse dicitur, clericorum proprium erat aetate illa et ejus fratres, qui in iisdem versibus memorantur, non alios interpretari scirem quam bononiensis Ecclesiae clericos et canonicos, qui eo etiam magis fratrum nomine digni erant, quod per illud tempus regularem, hoc est re et nomine canonicam vitam agebant.

XI.

GANDULPHUS.

Baziano subjiciendus est Gandulphus, qui eodem tempore vixisse videtur. Hunc saepe laudatum reperio in *Summa decretorum* Huguccionis, ex quo ejus antiquitatem agnoscimus. Reliquit uberes glossas in Gratiani librum, ex quibus multa derivavit Joannes Teutonicus in *Apparatum decretorum.* Videtur autem Gandulphus ingenio interdum indulsisse et quasdam opiniones secutus, quae non facile probari possent (1). Guilielmus Durantis, cum initio *Speculi* veteres canonum professores recenseret, memoria lapsus hunc omisit, cujus tamen auctoritatem in *Speculo* usurpaverat, ut animadvertit Joannes Andreae.

XII.

RODOICUS MODICI-PASSUS.

Habemus inter canonum professores, qui primas collectiones decretalium interpretati sunt, Rodoicum cognomento Modici-Passus (2). Sed quia Bononiae diu viguit familia, quae de Piccolpassis dicebatur, ex qua natus est Franciscus Piccolpassus, doctor

(1) Vide Gloss. in c. *Quoniam,* dist. XXXI, ubi haec verba leguntur: « Istud est contra Gandulphum et alios, qui dicunt, quod vir quolibet loco, etiam in ecclesia et quolibet tempore tenetur reddere debitum uxore petenti ». Et in c. *Institutum,* XXVII, q. II, haec habentur: « Ex hoc loco habuit tam Gandulphus quam Gratianus causam sui erroris, dicentes verum conjugium non fuisse inter Mariam et Joseph ». Et in c. *Licite,* XXXII, q. I: « Gandulphus dicit non esse mortem ubi resuscitatio sit secuta, sed potius divinam quamdam vocationem, ideoque nec matrimonium dissolvitur nec cetera amittuntur ». In c. *A quodam Judaeo,* dist. IV *De cons.:* « Dicit ergo Gandulphus concessum fuisse apostolis (ut baptizarent in solo Christi nomine) propter Christi nomen ampliandum ». Atque ita legit in elegantissimo Gratiani codice Palatino-Vaticano, qui est n. 624 cum solis Jo. Teutonici glossis. At in libris editis, quos viderim, pro Gandulpho Gratianus intrusus est. In his enim lego: « Dicit ergo Gratianus ». Alias Gandulphi opiniones vide in c. *Detrahe,* I, q. I: in c. *Non licet,* XI, q. III: in c. *Dixit Dominus,* XXXII, q. I, et in c. *Honorantur,* q. II, ibid. etc. etc.

(2) « Rodoicus habuit cognomen Modici-Passus, de ipso dixi post Vincentium *De sepulturis,* c. *Fraternitatem super III gl.* ». JOANN. ANDREAE in addit. ad *Specul.* in prooem.

decretorum, primum canonicus bononiensis dein archiepiscopus mediolanensis, propterea Alidosius censuit Rodoicum ex hac familia fuisse, eumque inter doctores bononienses reposuit, qui ad annum MCC vivebant. Et de tempore quidem recte judicavit Alidosius. Fuit enim Rodoicus Rofredi Beneventani magister, quemadmodum non uno loco indicat Joannes Andreae et Rofredus ipse testatur [1]. At Rofredus paulo post initium XIII saeculi florere coepit, ut suo loco demonstratum est. Restat igitur ut Rodoicus circa annum Christi MCC inter professores academiae nostrae meruerit. Sed de patria Rodoici quod habet Alidosius falsum reputo. Videtur enim omnino anglus fuisse, ut ex Joanne Andreae intelligi potest, cujus haec verba sunt in Novella [2]: *Dicebat in Ro. et Ala* [3], *quod ibi loquuntur secundum consuetudinem Anglorum, et dicebat Tan.* [4], *quod eis ut Anglicis erat credendum* [5].

XIII.

HUGUCCIO

EPISCOPUS FERRARIENSIS.

I. Pauca omnino de Huguccione Pancirolus inter juris pontificii interpretes, eademque non admodum certa. Edidisse ait glossas in Gratiani librum decretorum, Vercellis, in patria sua, jus pontificium docuisse, denique creatum esse episcopum ferrariensem. Eum etiam nominat inter eos, qui decretales Romanorum Pontificum commentariis illustrarunt [6]. Aliquanto plura de Huguccione Diplovataccius, qui eum non modo juris pontificii professorem sed et theologum illustrem appellat, aitque Bononiae maxime floruisse circa annum MCLXXVIII *ut colligitur,* inquit, *ex adnotatis per ipsum multis locis et melius in c. Libellorum* circa initium. Hinc, teste eodem Diplovataccio, saepe usurpat Bulgari et Martini auctoritatem, quorum recens erat fama in scholis nostris, quo tempore in iis florebat Huguccio, qui eos etiam audire potuit cum jus civile docerent. Et vero Huguccionem docendi munere in scholis functum esse manifeste liquet ex epistola Innocentii III ad eum scripta, quae in hunc modum incipit: *Idem Ferrariensi Episcopo. Quanto te magis novimus in canonico jure peritum, tanto fraternitatem tuam amplius in Domino commendamus, quod in dubiis quaestionum articulis ad Apostolicam Sedem recurris, quae disponente Domino cunctorum fidelium mater est et magistra, ut opinio, quam in eis quondam habueras, dum alios canonici juris peritiam edoceres vel corrigatur per Sedem Apostolicam vel probetur. Sane tua nobis fraternitas suis literis intimavit quod altero conjugum ad haeresim transeunte, qui relinquitur ad secunda vota transire desiderat et filios procreare, quod utrum possit fieri de jure nos*

(1) « Jacobus (Balduinus) alternative .... et Rodoicus praeceptor Rofredi, ut ipse Rofredus no. in tit. ne vis fiat ei ». JOANN. ANDREAE in addit. ad *Specul.*, tit. *De primo decreto,* § *Jam de effectu.*

« Quod placet Rofredo, rub. *De actione oneris adversi,* ubi dicit etiam hoc placuisse Rodoico suo praeceptori etc. ». JOANN. ANDREAE ad *Spec. De Locato,* § *Jam dicendum.*

(2) Tit. *De sepulturis*, c. *Fraternitatem.*

(3) Rodoicus et Alanus.

(4) Tancredus.

(5) Is locus est, ad quem provocat ipse Joannes Andreae agens de Rodoico in addit. ad *Speculum.*

(6) « Altera collectio decretalium Joannis liber vocabatur, in quem Hugo ferrariensis episcopus et Bernardus major Compostellanus glossas ediderunt ». PANCIROL. *loc. cit.*

An recte, alii viderint. Huguccionem certe inter antiquarum compilationum adnotatores Joannes Andreae non commemorat.

duxisti consulendos. Rescriptum Innocentii III ad quaestionem sibi propositam ab Huguccione episcopo, suo olim magistro, ex hac epistola excerptum, extat in collectione gregoriana c. *Quanto. De divort.*, sed integram epistolam habemus in tertia collectione antiqua decretalium ab Antonio Augustino editarum (1), unde sumpsimus hoc ejusdem epistolae exordium. Quod autem Pancirolus Huguccionem, sive Hugonem, ut ipse appellat, Vercellis docuisse narrat, ita falsum judico, uti falsum est patria vercellensem fuisse; quod item a Pancirolo traditum est. Docuit procul dubio in scholis nostris Huguccio, diuque in civitate nostra versatus est, ibique suam celebrem decretorum Summam scripsit et vulgavit, prolixum opus et multarum vigiliarum. Sunt enim multae in ea Summa formulae, quae Bononiae scriptae finguntur, et se Bononiae vixisse non semel in eo libro commemorat (2). Recte autem constituit Diplovataccius Huguccionem circa annum MCLXXVIII in scholis nostris floruisse; hunc enim annum adscriptum habet forma quaedam delationis, quam in excerptis ejus Summae decretorum ex codice Vaticano in Appendice damus (3).

II. De patria Huguccionis minime audiendus est Pancirolus, qui Vercellensem fuisse tradit, ut supra indicatum est. Diplovataccius, in scrutandis veterum jurisconsultorum scriptis et monumentis diligentissimus, Rosellum doctorem antiquum secutus, Huguccionem patria pisanum dicit. Fuit Rosellus Antonii Roselli pater, viri aetate sua in primis celebris et docti sed ambiguae famae, qui librum scripsit *De monarchia*, a Goldasto et ejus similibus reputatum omni laude majorem (4). De quo quidem non pauca collegit Diplovataccius, Pancirolo aliisque ignota, qui vix ejus nomen inter claros juris interpretes recitant (5). Sed de Huguccionis patria audiendus etiam Franciscus Petrarca, sive quisquis est auctor chronotaxis Romanorum Pontificum et Imperatorum sub Petrarchae nomine editae, ubi sub Caelestino III Huguccionem Pisanum, ferrariensem episcopum, floruisse dicit (6). Consentit Ricobaldus ferrariensis in sua, quam dicunt, *Compilatione chronologica*, et qui teste Muratorio Ricobaldum expilavit Franciscus Pipinus (7). Sed quid juvat aliorum explorare sententias, cum Huguccio ipse pisanum se dicat in proemio sui *Etymologici*, sive *Derivationum* libri, de quo postea dicemus? Igitur de Huguccionis patria dubitare non licet.

III. Sed quoniam Joannes Andreae non uno loco memorat Hugonem Vercellensem canonum professorem, quem etiam episcopum novariensem fuisse dicit (8), hunc pro Huguccione nostro accepit Pancirolus, ac propterea et patria vercellensem et Vercellis docuisse putavit. At Diplovataccius alterum ab altero optime distinxit et aetatem Hugonis Vercellensis recte constituit; hunc enim vixisse ait cum Accursii filiis, cum Rolandino Passagerio, Thoma de Piperata et Abbate antiquo, hoc est, exeunte saeculo XIII et initio saeculi XIV, idest, centum amplius annos post Huguccionem Ferrariensem (9).

(1) Collect. III Decretal. c. *Quanto de divort.*, p. 210 edit. Ilerdae.

(2) « Simile vidi Bononiae, quod cum multum quidam se extolleret etc. ». Huguccio in *Summa* in cod. Vatic. cit., pag. 146, et ibid. in c. *Possessio*, XVI, q. II. — Vide etiam Gloss. in c. *Possessio* cit.

(3) Vide excerpta Hugucc. c. II, q. VII in Appendice.

(4) Edidit Goldastus t. I *Jurisd. Imper.*

(5) Antonius ejus filius in quibusdam consiliis, quae vidi in Bibliotheca Classensi, se subscribit « D. Roselli doctoris famosi filium, consistorii d. Papae, advocatum pauperum, comitem et militem ».

(6) « Fiorì Ugucione pisano vescovo di Ferrara ». Petrarca, *Opere*, pag. 249.

(7) Murator., *Rer. Ital. Script.*, t. X, pag. 586 et 635. — De Ricobaldo Ferrar. vide infra.

(8) Joann. Andreae in Sexto *De offic. et potest. deleg.*, c. *Cum plures*. Et ibid. c. *De re communi*. *De reg. jur.*

(9) « Eodem tempore secundum aliquos floruit Hugo episcopus vercellensis et postea novariensis, qui fecit

Est hic Hugo sive Huguccio, sic enim appellatum quoque constat, ex gente Borromaea, qui anno MCCCIV cathedram novariensem adeptus est [1]. Sed fallitur tamen Diplovataccius, cum prius fuisse dicit episcopum vercellensem mox novariensem. Nam, si qua fides monumentis ab Ughello allatis, nullus ei locus inter vercellenses episcopos esse potuit. Non autem hic canonum professor in academia nostra eruditus sit, ut in ea docuerit, non liquet; nec quidquam ex ejus scriptis colligere licet quae nullibi reperire contigit.

IV. S. Antoninus Hugones literis claros enumerans, quinto loco recenset Hugonem, sive Huguccionem, quem primum fuisse dicit decretorum glossatorem [2]. Et alibi illum memorans, hac eamdem ei laudem tribuit, quod primus commentaria ediderit in decretorum volumen [3]; quod undequaque verum non est, fuere enim alii qui Gratiani librum commentariis illustrarunt ante Huguccionem; nam celebriores quique professores, qui post Gratianum ipsum in scholis nostris jus canonicum ex ejus libro per ea tempora tradiderunt, suas in eum glossas scripsisse certum est, ut non semel diximus. Sed cum ceteros, qui ante fuerunt, longe superaverit Huguccio et ejus scripta majore plausu recepta sint, propterea illorum memoria extincta est et ipse omnium primus aliquando est habitus, qui librum Gratiani scripto interpretatus sit. Sed tamen ejus commentaria in eum librum, licet summopere celebrata ab antiquis doctoribus, numquam tamen typis donata sunt. Et ea quidem magno usui fuerunt iis, qui glossam, quam dicunt communem, in decretorum volumen scripserunt, plurima enim sumpsere ex Huguccionis commentariis, quae ejus nomine notata ut plurimum sunt [4]. In vita Innocentii III, quam viderat manu exaratam Antonius Augustinus [5], hic Gratiani interpres dicebatur *Hugucon feria;* sic enim pro *Hugucio Ferrariensis* scripserat imperitus amanuensis, cujus errorem prudenter emendavit vir ille doctissimus. Itaque dubium non est, quin Huguccio dici soleret, cum viveret, potius quam Hugo; quod etiam apparet ex titulo sepulcrali Guilielmi Adelardi ferrariensis dynastae, qui anno MCLXXXXVI extinctus dicitur, ut observat Justus Fontaninus [6]. Sic enim in eo titulo sepulcrali Caelestini Papae [7] et episcopi ferrariensis, qui tunc erat Huguccio, moeror et lacrymae in Adelardi funere indicantur:

Celstinus plansit, tristisque Hugucio mansit.

Ita etiam appellatum video in charta anni MCLXXXXIX, quam in Appendice afferemus ex archivo ecclesiae metropolitanae ravennatis, et in charta item abbatiae sancti Naboris et Felicis, nunc Senatus Bononiensis, de qua etiam postea dicendum est.

V. Si quid conjecturis indulgendum est, quo in loco Gratianus decretorum librum scripsit, in eodem Huguccio glossas in eum librum concinnavit et jus canonicum docuit, nimirum in monasterio ss. Naboris et Felicis et in ejus monasterii scholis. Sed

pulchram Summam super decretalibus. Incipit: *Circa statuta praedicta.* In alio libro antiquo inveni quod sunt Distinctiones Abbatis et Petri de Saxonia. Disputavit etiam plures quaestiones, de quibus Joann. Andreae in *Reg. Jur.*, c. *In re communi* ». DIPLOVAT. in *Hug. Vercell.*

(1) UGHELL. in *Ep. Vercell. et Novar.*

(2) « Quintus fuit Hugo, qui primus fuit glossator decretorum, qui lecturam fecit super id, aliqui Huguccionem tamen dicunt ». S. ANTONIN. in *Chron.*, p. III, tit. XVIII, c. I.

(3) « Primus glossator Decreti seu commentator fuit Hugo, seu Huguccio; secundus, qui glossavit, fuit Joannes Teutonicus ». S. ANTONIN.

(4) His notis indicantur quae in glossam communem ex Huguccione manarunt *H. Hu. f.* vel *Hugo.*

(5) ANT. AUGUSTIN., *De emendat. Gratiani,* lib. II, dial. IX.

(6) FONTANIN. in praefat. ad *Gratiani canones a Turrecremata in ordinem digestos.*

(7) Coelestini III.

dolendum est antiqua monumenta et veteres chartas ejus nobilissimi monasterii naufragium fecisse; quae si extarent, multa de Gratiano, cujus vix nomen novimus, deque immortali ejus opere et fortasse de primis juris canonici scholis, natis in ejus monasterii aedibus, perspecta essent. Restat tamen unica antiquioris aevi charta, ex qua intelligimus magistrum Huguccionem, *Ugicionem* scripsit inficetus notarius, pisanum, et magistrum Omnibonum praesentes fuisse, cum Lanfrancus ss. Naboris et Felicis abbas capellanum institueret ecclesiae s. Bartholomaei de Beveraria. Vix credibile est casu factum fuisse ut duo tam celebres iuris canonici professores una convenerint in eo monasterio et honoris atque auctoritatis causa ei electioni interfuerint.

VI. Atqui oritur gravissima difficultas ex notis chronicis ejus chartae, quae scripta dicitur anno MCLXXXXIX indictione secunda; sic enim habet: *Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo nono kal. Jan. indict. secunda. Testes mag. Ugicio Pis. et mag. Omnebonus et Petrus S. Cesarii... in quorum presencia donnus Lanfrancus abbas monasterii s. Felicis etc.* (1). Haec enimvero componi non possunt cum epocha episcopatus ferrariensis Huguccionis nostri, qui ex monumentis infra afferendis jam inde ab anno MCLXXXX eam cathedram obtinebat. Restat igitur ut apocrypha sit et nullius fidei ea charta, in qua Huguccio Pisanus adhuc privatus subscribit, sive Ugicio, in ea charta notatus, alius sit ab Huguccione ferrariensi episcopo, de quo disserimus. Sed quis credat, duos circa idem tempus Hugucciones Pisanos Bononiae fuisse, doctrina claros et magistri titulo insignes, quorum altero ad cathedram episcopalem ferrariensem evecto, alter Bononiae superstes fuerit? Sed neque Omnibonus Gratiani discipulus Bononiae cum hoc Huguccione esse poterat anno MCLXXXXIX, quippe qui multis ante annis creatus episcopus veronensis, finem vivendi fecerat. Neque hic etiam Omnibonum alterum gratis confingere licet. Reliquum ergo est ut spuria sit illa charta nulloque in pretio habenda.

VII. Sed ego quamquam concesserim spuriam esse, tamen plurimi faciendam arbitror quantum ad id de quo agimus. Id enim fere habent emolumenti chartae etiam spuriae et fictitiae, ut multa plane indubia et certissima suppeditent, ut norunt criticae artis periti. Qui enim ejusmodi falsa monumenta procudunt, nisi plane stupidi sint et plumbei, id in primis satagunt, ut quam possunt maximam veri speciem falsis rebus affingant. Igitur, nisi satis nota fuissent magistri Omniboni et magistri Huguccionis nomina, qui saeculo XII decurrente vel in monasterio s. Felicis degere, aut certe ibidem regundis scholis, sive alia quavis de causa versari consuevissent, qui eam chartam confinxit, numquam eorum nomina eidem chartae adscripsisset. Viderat fortasse haec duo illustria nomina aliis chartis monachorum sancti Felicis adscripta, et parum de chronologicis rationibus sollicitus, ea traduxit in suam chartam, quae scripta fingitur anno MCLXXXXIX, quo anno vixisse potuit Lanfrancus abbas ibidem nominatus (2); et Ventura notarius, qui eam chartam scripsisse fingitur, non incongrue dicitur *Ventura quondam regis Henrici notarius,* obierat enim Henricus VI anno MCLXXXXVII.

VIII. Verum haec charta, quamvis autographa non sit, tamen inter merces spurias ableganda non videtur. Haec exscripta est et recognita annis fere ducentis post

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Anno MCLXXXXI vivebat Oddo abbas s. Felicis, ex tabulis a clarissimo Montio visis. At anno MCCIV ejus monasterii abbatem fuisse constat Lanfrancum, cui Innocentius III causam cognoscendam commisit, quae erat inter Canonicos Rhenanos et Angelicam fundatricem monasterii sanctae Mariae Montis Guardiae, ut est apud clarissimum Trombellium in *Historia s. Mariae ad Rhenum.*

annum MCLXXXXIX, quem exhibet. Itaque crediderim, exeunte saeculo XIV sive ob natam controversiam de jure monachorum sancti Felicis in ecclesiam sancti Bartholomaei, sive quacumque tandem ex causa, veterem illam chartam exscribendam fuisse; in qua cum testium nomina corrupta essent nec legi possent, notarius aut monachi, qui chartam exscribendam dederant, ex genuina alia charta duorum clarissimorum testium nomina imprudenter acceperint. Contigere saepissime ejusmodi interpolationes in antiquarum tabularum apographis; nec propterea licet eas uti plane spurias rejicere, cum cetera egregie congruant, quemadmodum accidit in charta, de qua disseruimus, in qua et indictio secunda cum anno MCLXXXXIX optime componitur, et aetas Lanfranci abbatis ac Venturae quondam regis Henrici notarii mirifice convenit. Sive igitur supposititia sit et apocrypha sive genuina haec charta, invictum argumentum suppeditat pro Omnibono et Huguccione Pisano decurrente saeculo XII Bononiae degentibus.

IX. Huguccionis discipulus Innocentius III Pontifex fuerat [1], qui plures ad eum literas de rebus gravissimis scripsit, praeter illam de qua supra dictum est. Sed et multas causas eidem judicandas commisit, ut ex ejus epistolis liquet. Ceterum de ejus actis in episcopatu admodum pauca rescire licuit, quae leviter attingit Ughellus. Iis addere juvat, quod ex charta Ecclesiae metropolitanae ravennatis habemus, Huguccionis non minimas partes fuisse in concilianda pace inter Ravennates ac Mantuanos et Ferrarienses. Anno siquidem MCLXXXXVIII mandavit Henrico episcopo mantuano, ut inducias inter eas civitates statueret. Anno autem sequenti colloquium indixit praetoribus earum civitatum, in quo de pace ageretur, et inducias producendas decrevit. Haec autem agebat Huguccio tamquam arbiter inter eas civitates constitutus, quantum conjicere licet ex tabulis ea de re perscriptis, quas in Appendice damus. Haec certe acta sunt volentibus et consentientibus ravennati archiepiscopo Guilielmo et Henrico episcopo mantuano, qui cum episcopo comaclensi, Azolino marchione Atestino et aliis multis in castro Argenta adfuerunt, cum ab Huguccione colloquium tractandae paci indictum est et induciarum tempus prolatum.

X. Aliud addit ex monumentis Ecclesiae veronensis doctissimus editor Summae s. Raymundi, Huguccionem nempe cum Petro hadriensi episcopo ab Innocentio III delegatum, ut de quodam contractu inter Adelardum episcopum et Azonem Estensem praetorem Veronensium cognosceret, eumque auctoritate sua ratum decerneret si rite factum judicasset, quemadmodum Ferrariae postea factum est [2].

XI. Tenuit episcopatum ferrariensem Huguccio ab anno MCLXXXX usque ad MCCX, cum annos XX uno die minus in ea cathedra sedisset [3]. Octobri vero mense ejus anni jam obierat, ut ex literis Innocentii III ad priorem s. Joannis in Monte, archipresbyterum Campi Gallani et magistrum Gratiam decretorum doctorem, quarum hoc initium est: *Ex literis piae memoriae Hugucionis episcopi.* Ac datae sunt Laterani III

(1) « Praesumi potest quod dominus Innocentius III magistrum Hugutionem habuit in magna reverentia ». OSTIEN., c. *Literas. De temporibus.*

« Noluit Innocentius aperte reprobare opinionem Hugutionis magistri sui, quam tamen reprobat in effectu ». JOANN. ANDREAE ad eamdem decretalem.

(2) Vide praefat. ad *Summam s. Raymundi*, edit. Veronae n. XXVII.

(3) « Ugutio natione tuscus, pisanus civis, episcopus ferrariensis fuit. *Librum Derivationum* composuit.... Anno Domini MCCX ultima die Aprilis migravit ad Christum et stetit in episcopatu XX annis minus uno die ». Ex *Chron. Fr. Salimbeni,* sive Sicardi Cremonensis, de quo in Appendice. Ughellus itaque, aliique emendandi, qui Huguccionis annos aliter computant et Theobaldum quemdam ferrariensem episcopum ad annum MCLXXXXII interponunt.

idus Octobres, anno XIII (1). Fuit autem quoad vixit inter doctissimos aetatis suae homines reputatus diuque duravit haec fama, quae nondum plane extincta est apud juris canonici professores, nec vero extinguetur quandiu aliquis honos habebitur primis Gratiani interpretibus, ex quorum laboribus Glossa, quae ordinaria dicitur, coaluit. Ferrantes Borsettus vetus carmen edidit, quo minus aequum testimonium fertur de doctrina Huguccionis; in hunc modum enim inducitur Verona civitas Ferrariam carpens (2):

» Haec plures nobis praedata est improba claros
» Ferraria; an capiet teque Guarine mihi?
» Quae solita est ranas dumtaxat habere loquaces,
» Gutio quam coluit barbarus et docuit.

XII. Sed quod hic Huguccio Ferrariam barbarus coluisse et docuisse dicitur, in poeta ferendum est, qui quantus vir ille fuerit ignoravit; nec de ejus doctrina judicium aliunde, ut opinor, facere poterat, quam ex *Etymologico,* in quo non erat cur quis nitorem et elegantiam requireret. Verum ex ingenti copia exemplarium manuscriptorum ejus libri, quae ad hanc diem in bibliothecarum pluteis asservantur, conjicere licet, magno plausu ubique exceptum fuisse et magno usui fuisse latinae linguae studiosis. Sed ejus commentaria in Gratianum docta et erudita sunt et satis latine scripta; minus certe inelegantia quam posteriorum interpretum scripta. De his autem judicium ferre non poterat vaniloquus ille versificator, qui nihil supra carminis numerum noverat.

HUGUCCIONIS SCRIPTA.

Scripsit Huguccio *Summam decretorum,* quam non semel commemoravimus. Neque hoc fuit compendium quoddam decretorum, ut nomen ipsum sonare videtur, sed sunt magna et prolixa commentaria in Gratiani librum, opus sane laboriosum multaeque doctrinae, quod immortalem laudem auctori suo comparavit. Haec magno usui fuit ceteris canonum interpretibus, qui postea fuerunt, ac praesertim Joanni Teutonico et Bartholomaeo Brixiensi, qui in Glossam decretorum, qua utimur, plura ex Huguccione intulerunt, ut supra dictum est. In hac porro Summa, sive decretorum commentariis, praeter eximiam juris canonici scientiam, in jure etiam civili se magnopere eruditum et in doctrinis theologicis perquam exercitatum ostendit, ut erant fere antiqui juris canonici professores sacrarum literarum studiis aeque addicti, cum nondum erant haec duae facultates prorsus discretae. Praeiverant Huguccioni Rufinus, Joannes, Bazianus, Gandulphus et Cardinalis quidam, cujus nomen ignotum est, quos identidem allegat Huguccio; ex professoribus autem juris civilis Bulgarum, Martinum, Placentinum, Joannem, praeterea, quod ego sciam, neminem. Ejus Summae partem aliquam circa finem perfecit Joannes de Deo, illustris canonum professor, de quo suo loco dicemus. Eam vidimus in codice Vaticano, ex quo pauca excerpsimus quae in Appendice damus.

Scripsisse etiam dicitur Huguccio in decretales (3), quarum aliqua collectio ejus aetate prodierat. Sed ejus nomen inter antiquos decretalium interpretes non reperio.

Edidit non ita pridem vir clarissimus Joannes Chrysostomus Trombellius, abbas ex Ordine Canonicorum Regularium s. Salvatoris, Huguccionis nostri *Commentarium in Symbolum Apostolorum* ex codice antiquo, quem dono acceperat a Jacobo Blancano Instituti Scientiarum

(1) Est ep. 140, lib. XIII, edit. Baluz. Est alia ejusdem Pontificis epistola *De eligendo Episcopo Ferrariensi,* anno XIV scripta, apud eumdem Baluzium.

(2) BORSETT., *Histor. Gymas. Ferrarien.*, p. I, lib. I, pag. 31.

(3) DIPLOVAT. in *Huguccio.*

socio et academico benedictino (1). Ex quo rursum opusculo intelligimus in divinarum rerum scientia et sacrarum literarum cognitione Huguccionem non vulgariter eruditum fuisse.

Magnum quoque nomen sibi comparavit Huguccio inter suae aetatis grammaticos, edito glossario quodam sive lexico etymologico, quod appellarunt *Derivationum librum*, de quo atque de ejus auctore ita Ricobaldus Ferrariensis in Caelestino III: *Hugo natione pisanus episcopus ferrariensis agnoscitur, qui datus adjutor a Sede Apostolica abbati nonantulano, homini prodigo et indigno, ex libro Papiae, qui illic est, librum Derivationum composuit* (2). Servant hunc librum manu exaratum bibliothecae paulo instructiores, sed tamen numquam typis excusus est, quia cum typographica ars est inventa passim in scholis obsoleverat, suffecto in ejus locum lexico Joannis Januensis, quod eo ipso Huguccionis libro et Papiae item confectum fuerat (3). Narrat Huguccio ipso sui operis initio, quod ejus consilium fuerit in eo scribendo, quae ratio totius operis, *in quo, prae aliis, vocabulorum significationes, significationum distinctiones, derivationum origines, etymologiarum assignationes et interpretationum reperirentur expositiones.* Tum de ejus utilitate pergit dicere: *Hic parvulus delectabitur suavius, hic adultus uberius cibabitur, hic perfectus affluentius delectabitur, hic gignosophistae triviales, hic didascali quadriviales, hic legum professores, hic theologiae perscrutatores, hic ecclesiarum proficient gubernatores* ..... Denique de se ipso ita inquit: *Si quis quaerat operis hujus quis auctor fuerit, dicendum est Deus. Si quaerit, quod operis hujus fuerit instrumentum, respondendum est quod patria pisanus nomine Hugutio.* Hic autem statim ad etymologicas suas rationes convertitur. *Hugutio*, inquam, *quasi Eugetio, idest bona terra, non tantum praesentibus sed etiam futuris* (4).

Inter codices, quos Perizonius legavit bibliothecae lugdunobatavae, occurrit *Hugonis Didascalicon et de tribus diebus.* Rursus ibidem habetur magister *Hugo in libro didascalon* (5). Num haec ad Huguccionem nostrum pertineant, alii viderint. De nomine certe dubitari non potest, quin et Hugo et Huguccio diceretur. Sed ubi *Speculator* ait Azonem consultum fuisse in causa, in qua *erat judex dominus Hugo*, num de Huguccione nostro est intelligendus? Non equidem existimo; sed potius de Hugolino Presbyteri, de quo suo loco dictum est.

XIV.

BERNARDUS PAPIENSIS.

I. Post editum Gratiani volumen, primus canonum collector fuit Bernardus Papiensis. Hic a Pancirolo aliisque multis Bernardus Circa appellatur, quasi id ei cognomentum fuerit (6). Ughello Bernardus Balbus dicitur (7), atque hunc esse ajunt agnomen familiae, ex qua editus est (8). Sed quis crediderit esse aliquem, haud certe ignobilem scriptorem, qui putaverit *Circa* appellatum, propterea quod ejus additiones ad Gratianum factae, scriptae primum fuerint circa singulas libri decretorum paginas, donec tandem in unum collectae seorsim editae sint (9). Sed enimvero apud antiquos scriptores nullum ei cognomentum tributum reperio, nec alio nomine dictum quam Bernardum Praepositum aut Bernardum Papiensem; nam et patria papiensis fuit et cum florebat

(1) Trombelli, *Anedoct.*, t. II, p. II, pag. 205.

(2) Ricobald. apud Eccard., *Corpus historic. med. aevii*, t. I, pag. 1281.

(3) Du Cange, praef. ad *Glossar. med. et infim. latinit.*, § XXXXVI.

(4) *Ibid.*

(5) Vide *Indic. Biblioth. Lugd. Batar.*, p. 346 et 494.

(6) Panciról., lib. III, c. VIII. — Fabric., *Biblioth. lat. med. aevii.* — Vide Circa, pag. 1064 etc.

(7) Ughell. in *Episcop. Papien.*

(8) Spelta, *Histor. Episc. Papien.*, pag. 310.

(9) Vide Jo. Ant. Riegger., *Biblioth. Juris Canon.*, pag. 62.

in scholis praepositus erat Ecclesiae papiensis. Dicitur quidem Bernardus Circa a Joanne Andreae in prooemio Novellae (1), ubi de collectione decretalium ab eo concinnata loquitur. Ac mihi quidem semper suspecta fuit ejus loci lectio, praesertim cum viderem alibi hunc auctorem non aliter ab ipso Joanne Andreae vocatum, quam Bernardum Papiensem (2). Sed nuper inspectis codicibus Vaticanis, quorum unus paulo post Joannis Andreae mortem scriptus est, etiam in prooemio Novellae cognomentum illud deesse video, nec aliter appellatum quam Bernardum Papiensem praepositum (3).

II. Floruit Bernardus Romae et Bononiae (4). Et Romae quidem facile potuit praesertim ex scriniis Romanae Ecclesiae decretales Pontificum colligere, quas in corpus redactas in publicum edere meditabatur. Neque vero alibi aequum erat hunc novum legum ecclesiasticarum codicem, quo Gratiani liber supplebatur, in lucem edi et exponi, quam in ea ipsa civitate, ubi Gratianus suum decretorum volumen ediderat et scholam juris canonici reliquarum parentem fundaverat.

III. Quid autem sibi proposuerit Bernardus Papiensis in hoc opere concinnando, ipse sub ejus initium indicat (5); ac melius etiam demonstrat Vincentius Hispanus ejus interpres apud Antonium Augustinum in adnotatis ad prooemium primae collectionis decretalium antiquarum, ejus nempe quae Bernardum nostrum auctorem habet. In unum scilicet redigere voluit Romanorum Pontificum decreta et canones, qui post editum Gratiani volumen prodierant, et quaedam etiam antiquiora quae Gratiani diligentiam fugerant (6), quae quoniam in decretorum corpore a Gratiano edito non continebantur, propterea Bernardus collectionem suam appellavit *Breviarium extravagantium*, decretorum scilicet et canonum extra decretorum corpus vagantium. Sed enimvero Bernardus multo commodiorem suorum canonum distributionem excogitavit quam Gratianus; singulos enim in certas classes sive titulos, instar Justinianei Codicis, digessit, universamque collectionem in libros quinque divisit. Atque hunc morem secuti sunt ceteri decretalium collectores, in primis autem s. Raymundus in decretalibus gregorianis. Magna igitur laude dignus est Bernardus Papiensis ob tam praeclarum inventum; quod si Gratiano in mentem venisset, non dedisset nobis indigestam illam farraginem, quam in libro decretorum habemus, in quo nihil est cur quispiam rectam distributionem et ordinem requirat. Laudanda etiam hujus praeclari viri diligentia et sedulitas, qui immenso labore eosdem fontes adiit, quos antea Gratianus, eadem ecclesiastica monumenta, eadem ss. Patrum scripta et antiquiorum Pontificum et conciliorum sanctione pervestigavit, ut si quae Gratianus incaute omisisset, ipse suppleret et quasi spicilegium

(1) « Post compilationem Decreti multae decretales emanaverunt, de quibus Ber. Circa Pap. postea faventinus episcopus fecit primam compilationem ». Joann. Andreae in prooem Novel. — Vide, Gregorius.

(2) Joann. Andreae in addit. ad *Specul. juris* in prooemio.

(3) « Post publicationem Decreti multae decretales emanaverunt a curia, de quibus Ber. Papiensis praepositus, postea episcopus, fecit primam compilationem ». Joann. Andreae in prooem. Novel. ex cod. Vatic. n. 1456, qui scriptus est anno MCCCLIII, ut in ejus fronte legitur.

(4) « Bernardus Papiensis floruit Romae et Bononiae anno MCLXXX. Fecit primam compilationem, in qua inseruit decretales Alexandri III et Lucii III etc. ». Diplovat. in *Bernardo Papiensi*.

(5) « Ut autem vobis jurisperitis uberior allegationum vel judiciorum copia praeparetur, ad honorem Dei, sanctaeque R. E. ac studentium utilitatem, ego B. Papiensis praepositus exempla de veteri novoque jure sub titulis compilavi ». Bernard. Papien. in prooem. suae Collect.

(6) « Quia non omnia poterant comprehendi in decretorum corpore, ut dist. XIX *Si Romanorum*, ideo mag. B. Papiensis praepositus hoc opus compilavit, cujus intentio est extravagantia Ro. Pontificum, et auctorilates novi et veteris Testamenti compilare sub titulis. Materia sunt ipsae constitutiones seu decretales etc. ». Vincent. Hispan. apud Anton. Augustin. in prooem. ad l. *Collect. decretal. antiqua*. Similia habet Joann. Andreae in prooem. Novel. et in addit. ad *Specul.* in prooemio.

post Gratiani messuram faceret. Itaque non minori plausu exceptus est in academia nostra novus hic legum ecclesiasticarum codex, quam olim decretorum volumen a Gratiano editum. Atque in hunc modum nova juris canonici schola in civitate nostra exorta est et novus professorum ordo, quos decretalistas dixerunt, ut secernerentur ab iis, qui decretorum volumen interpretabantur, qui deinceps decretistae dicti sunt quique progressu temporis primas sedes concesserunt decretalistis, ob majorem decretalium pontificiarum auctoritatem. Itaque decretalistarum princeps et antesignanus fuit Bernardus Papiensis; cui alii deinde plurimi successere, qui collectionem decretalium ab eo emissam, et alias, quae postmodum prodierunt, parcioribus primum glossis mox uberioribus commentariis illustrarunt.

IV. Edidit Bernardus hanc collectionem circa annum MCLXXXX cum adhuc esset praepositus papiensis; quare Praepositi Collectio sive Compilatio quandoque appellata est. Circa annum MCLXXXX dico; nam ad illud usque tempus pertingunt decretales Pontificum in illam collectionem illatae. At in aliquo antiquo exemplari manu exarato haec verba in fronte ejus collectionis leguntur: *Opus sententiarum extra vagantium B. praepositi papiensis. Anno Dominicae Incarnationis MCLXXVIII praesidente Romanae Ecclesiae sanctissimo Papa Alexandro in pontificatus anno vigesimo mense Martii Indictionis anno XII et VII et VIII die mensis sedata jam discordia . . . Sancta et generalis Synodus CCLXXXIV episcoporum congregata est.* Ita legit vir clarissimus Henricus Christianus Senkemberg in codice bibliothecae academicae gisnensis, cui similem vidi inter codices Vaticanos. Est codex Palatino-Vaticanus DCLIII, qui olim fuit *Beatae Mariae Schonaugia Cisterciensis Ordinis,* ut in libri fronte legitur. Hinc porro existimat clarus hic auctor annum agnosci, quo ea collectio edita est (1). Sed ei vix quemquam assensurum puto. Annus enim ibi indicatus is est, quo celebrata est synodus lateranensis sub Alexandro III, in quo tamen mendum est; scribendum enim fuerat anno MCLXXIX, cui congruit indictio XII, et quo revera synodus lateranensis celebrata est. Accedit, quod in ea collectione plures Pontificum decretales insertae sunt Lucii III, Urbani III, Gregorii VIII et Clementis III, qui post Alexandrum III vixerunt.

V. Non est igitur, cur in aliud tempus referamus editionem hujus collectionis et initium novae scholae decretalistarum, quam circa annum MCLXXXX, quo tempore prima haec decretalium et canonum collectio emersit in lucem. In hanc auctor ipse primum minuta scholia, sive, ut dicebant, glossellas scripsit, ut supra dictum est (2); mox locupletiorem apparatum quae Summa Bernardi dicebatur. Atque haec prima fuit Summa decretalium, quam juris canonici schola viderit, quaeque aliis deinceps professoribus decretalium exemplo fuit, usque ad Cardinalem Ostiensem, cujus Summa omnium absolutissima superiores omnes ex doctorum manibus extrusit. Edidit Bernardus Papiensis hanc Summam decretalium, cum esset jam episcopus faventinus. Ejus autem tale initium est in codice Vaticano: *Incipit Summa Bernardi episcopi faventini super decretalibus ab eo compilatis. Gloria patris est filius sapiens, profectus discipuli gloria magistri. Quia non lucernam doctrinae celare sub modio, nec verbi frumentum abscondere, non fontem scientiae obstruere, sed foras debeo aliis derivare; hac utique consideratione, ac scholasticae utilitatis gratia compulsus, qui decretales et extravagantia compilavi tunc*

(1) Vide RIEGGERUM, *Biblioth. Jur. Canon.*, XIV, § IV, pag. 68.

(2) « Fecit super dictam compilationem suam Summam, quae incipit: *Profectus discipuli gloria magistri:* fecit et glossellas in dicta compilatione, quas habeo ». DIPLOVAT. in *Bern. Papiensis.*

praepositus papiensis, nunc faventinus episcopus super eodem opusculo summulam Christo duce aggredior elimare. Claudit autem suam Summulam his versiculis:

Hoc ego Bernardus, genuit quem clara Papia,
Mitto, sed emendent socii, rogo, veste sophia,
Qui decretales ad opus commune redegi
Sub titulis summam nunc Christo dante redegi (1).

Ex eo, quod hic socios alloquitur et supra nescio quid habet de scholastica utilitate, facile intelligitur Bernardum docendi munere functum fuisse; et quemadmodum *glossellas,* quas supra commemoravimus, more antiquorum interpretum ab eo scriptas, cum in schola versaretur, sic Summulam ista decretalium verisimile est eo tempore inchoatam, emissam autem in lucem postquam ad episcopatum faventinum evectus est.

VI. Laudant Bernardi Papiensis Summam decretalium ejusque glossas Joannes Andreae aliique veteres canonistae. Ejus autem decretalium collectio magno in pretio fuit usque ad Gregorii IX aetatem. Exinde tum haec, tum aliae quatuor collectiones, quae postea confectae sunt, obsoleverunt, gradu dejectae a gregorianis decretalibus. Hanc tamen Bernardi collectionem cum aliis tribus, quae postmodum prodierunt, Antonius Augustinus dignissimas reputavit, quae eriperentur e tenebris; easque, plaudentibus ecclesiasticae jurisprudentiae studiosis, in lucem emisit; quemadmodum etiam Innocentius Cironius decretales Honorii III, quintam nempe collectionem, vulgavit.

VII. Cum aliquandiu faventinam ecclesiam Bernardus rexisset, a suis Papiensibus postulatus est in episcopum, eorumque votis annuit Innocentius III, ut ex ejus literis apparet, quae datae sunt Reate VI idus Augustas anno I, anno scilicet MCLXXXXVIII. Et quamquam Bernardi nomen eae literae non afferant, dubitari tamen non potest quin ad Bernardum Papiensem pertineant. Ait Pontifex non parum utile sibi videri, si de minori civitate ad majorem, de minus populosa dioecesi ad populosiorem, de minus nobili Ecclesia ad nobiliorem transferatur, ubi scientiae et eloquentiae dona, quibus affluebat, ad plurimorum profectum et creditum sibi talentum sub majoribus usuris collocare valeret. Haec totidem verbis ad eum scribit Innocentius, qui paulo ante in eadem epistola dixerat scientiam ejus non vulgarem atque eloquentiam morumque honestatem satis se et fratres suos Romanae Ecclesiae cardinales cognovisse, cum Romae et apud Sedem Apostolicam degeret. Est haec epistola tercentesima vigesima quarta libri primi ex editione Baluzii, *Episcopo Faventino* inscripta.

VIII. Successit Bernardus in cathedra papiensi Lanfranco episcopo viro sanctissimo, cujus ipse vitam et miracula diligenter perscripsit, quae edita habemus a sociis Bollandianis ad diem XXIII Junii. Obiit anno MCCXIII, cum annos quinque et menses aliquot Ecclesiam papiensem gubernasset (2). Ipse quoque sanctitate morum insignis fuisse dicitur et beati titulo a scriptoribus papiensibus donatur. Sed nullum religiosi cultus eidem delati vestigium reperiri testantur Bollandiani socii (3). Quod etiam tradunt Bernardum s. Lanfranci discipulum fuisse parum credibile videtur; neque enim id commemorare omisisset Bernardus ipse cum de vita et gestis s. Lanfranci scriberet.

IX. Praeter jurisprudentiam, in qua excelluit, poesim quoque coluisse dicitur Bernardus Papiensis (4). Id si conjiciunt ex versiculis ad calcem Summae decretalium

(1) Codex Vatic. 2692.

(2) Vide UGHELL. in *Ep. Papien.,* et BOLLAND. ad diem XXIII Jun. in *Comment. praev. ad vitam s. Lanfranci,* § V.

(3) BOLLAND., *ibid.*

(4) QUADRIO, *Storia e ragione d' ogni poesia,* t. II, pag. 99.

appositis, insulsum sane poetam fuisse efficient. Sed majori cum laude versatus est Bernardus in studio sacrarum literarum, ut ceteri fere nobilissimi sacrorum canonum professores, qui iis temporibus floruerunt, cum nondum jus canonicum a theologia et sacris literis omnino dissociatum fuerat. Est inter codices bibliothecae regiae taurinensis liber membranaceus, saeculo XIII scriptus, quo continetur *Bernardi episcopi papiensis commentarius in Ecclesiasticum*, cujus tale est initium: *Incipit expositio super Jesum filium Sirac a Bernardo episcopo papiensi. Post pomorum veterum et novorum esum in expositione Canticorum, me quasi ociosum iterum sponsa vocans, sapientiae thesaurum a longe ostendit* (1). Hinc apparet, etiam Canticorum librum ab eo expositum fuisse, sed ignota sunt ejus commentaria in eum librum, ut hactenus latuerunt haec commentaria in Ecclesiasticum.

BERNARDI PAPIENSIS SCRIPTA.

Quae fuerint Bernardi scripta satis jam ostendimus, nempe I. *Collectio decretalium et legum ecclesiasticarum;* opus haud immodicae quidem molis sed maximi laboris et exquisitissimi judicii; in quo primum leges ecclesiasticae ad morem legum civilium in ordinem redactae sunt et in certos titulos digestae. II. *Glossae in easdem decretales.* III. *Summa earumdem decretalium.* IV. *Commentaria in Ecclesiasticum.* V. *Commentaria in Canticum Canticorum.*

XV.

MELENDUS.

DAMASUS BOHEMUS. BERTRANDUS. ALBERTUS NOVARIENSIS.

I. Floruit primum inter decretorum interpretes Melendus et glossas scripsit in decretorum librum, quas vidit et expilavit Huguccio Pisanus in celebri sua decretorum Summa, et, qui Huguccionis vestigia pressit, Joannes Teutonicus; qui non pauca ex Melendo intulit in Glossam decretorum, qua utimur. Ex his autem Melendi glossis aliquas ejus peculiares opiniones intelligimus, non omnibus facile probandas. Nam in c. *Secundum. Di. XIX* negare videtur vera sacramenta esse apud haereticos. Item in c. *Engeltrudam. III q. IV* negat semel excommunicatum posse iterum excommunicari. Rursus in c. *Virginibus. XXVII q. I* nefarium congressum habentem cum virgine Deo sacra unum tantum peccatum admittere sustinet, licet diversa nomina sortiatur (2). Sed cum ejus aetate novum juris canonici corpus, auctore Bernardo Papiensi, prodierit, prima nimirum decretalium compilatio, de qua supra dictum est, ad quam interpretandam certatim doctores nostri convolarunt, qui antea in uno Gratiano quiescebant; ad eam quoque se contulit Melendus et glossas in eam dedit (3), ex quibus aliqua decerpsit Bernardus Parmensis in apparatu glossarum, quem scripsit in decretales com-

(1) Est Cod. LXXIII, d. V. 17. Ex *Catal. Bibl. Reg. Taurin.*, pag. 23.

(2) In aliqua Gratiani editione haec opinio tribuitur Martino: « Martinus dicit quod unum solum (peccatum admittit), licet sortiatur diversa nomina ». Glossa in c. *Virginibus,* XXVII, q. I. Sed omnino legendum est *Melendus;* nullum enim habemus decretorum glossatorem Martinum nomine, et ita habent exemplaria manu exarata, quae vidit etiam Diplovataccius; nam is indicans Melendi glossas, in Glossa communi insertas, hanc ipsam memorat in c. *Virginibus*, XXVII, q. I. — Diplovat. in *Melendo.*

(3) Joann. Andreae in procem. *Specul.*

munes [1]. Nullae tamen ejus glossae reperiuntur in alias collectiones decretalium, quae post primam illam, a Bernardo Papiensi editam, prodierunt. Eum laudant antiqui omnes juris canonici interpretes, Huguccio [2], Joannes Teutonicus [3], Guilielmus Durantis [4], nec praetereundum est quod de Melendo narrat Guido Baysius archidiaconus bononiensis in c. *Displicet. XXIII q. IV.* Ait enim Melendum producto eo canone causam obtinuisse contra scholarem suum, qui cum eum Bononiae ad prandium invitasset, nec ad eum deducendum quemquam hora opportuna misisset, ad scholarem non venit [5]. Credibile est jocosam hinc natam esse disceptationem. Sed tamen levissimis etiam de causis graves interdum querimoniae existunt. Eum omnino ignoravit Pancirolus. At Diplovataccius optime notum habuit ex Glossa decretorum et antiquis canonum interpretibus [6]. Erravit tamen cum floruisse ait temporibus Bulgari et Martini. Floruit enim multo serius, ut manifestum est ex iis, quae de Bulgari et Martini aetate suo loco diximus.

II. Docuit Melendus Bononiae usque ad initium saeculi XIII anno MCCIV, cum aliquot aliis doctoribus et scholaribus academiae nostrae conspiratione facta Vicetiam concessit; ubi magno ausu, sed parum felici successu, novae scholae institutae sunt seu nova Universitas quae nostram aemularetur. Ante illud tempus non semel acciderat, ut doctor aliquis, sive ob privatas offensiones sive ob spem majoris emolumenti, alio se ad docendum contulisset, ut Rogerius, Placentinus, Pillius, aliique fortasse fecerant. Sed nondum auditum erat, ut doctorum et scholarium coitione facta de transferendo, ut ajebant, Studio cogitaretur. Id primo tentatum est anno, quem dixi, MCCIV, crediderim ob aliquas turbas in academia nostra excitatas; ac simile exemplum scholasticarum conspirationum non multo post vidit academia nostra, anno scilicet MCCXV, cum doctores et scholares multi Arretium et anno MCCXXII cum Patavium migrarunt [7]. Sed hujus defectionis, quae anno MCCIV accidit, princeps, ut arbitror, fuit Cacciavillanus, is, qui anno MCLXXXXIX ex consueta formula scholis nostris jurejurando se addixerat [8]. Is igitur anno MCCIV, spreta religione sacramenti, Vicetiam cum Melendo aliisque doctoribus haud magni nominis profectus est, ubi nova academia fundata est, in qua et rectores creati et alia rite constituta. Sed ea statim orta consenuit et vix quinquennio ab ejus fundatione elapso extincta est. Habemus multa fluxae hujus academiae monumenta in Annalibus Camaldulensibus ab anno MCCIV, quo ortum habuit, ad MCCIX, quo extincta est. Eo anno doctores et scholares vicetini suam s. Viti ecclesiam nostris Camaldulensibus tradiderunt, qua amplius non egebant, cum soluta jam societate ex ea civitate discessuri essent. Nominatur autem omnium princeps in tabulis ea de re confectis *Dominus Cazzavillanus legum doctor,* et inter alios magistros et scholares magister *Menendus,* quem pro certo habeo esse Melendum nostrum [9].

III. Fuit eadem aetate Damasus Bohemus clarus canonum professor. Alii Damasium appellant. Hic primam decretalium compilationem suis commentariis illustravit,

(1) Melendi est Glossa in c. *Nullus. De ser. non ordinan.* Lib. I Decretal. et Gloss. in c. *Veniens. De accusat.* Lib. V.

(2) HUGUCC. in *Summa Decretor.*

(3) JOANN. TEUTON. in *Glos. Decretor.* loc. cit. et alibi.

(4) GUIL. DURANT. in prooem. *Specul.*

(5) « Per hanc literam (scilicet, *Misit ad invitatos,* MATTH. XXII) obtinuit Melendus contra scholarem suum, qui cum invitaverat Bononiae ad prandium, et hora prandii scholaris non misit pro Melendo, nec ipse venit. Pro scholari allegatur, quod tempus et hora pro domino interpellant ». ARCHID. in c. *Displicet,* dist. XXIII, q. IV.

(6) DIPLOVAT. in *Melendo.*

(7) Vide quae diximus in ROFFREDO BENEVENTANO, et quae infra dicentur in GUILIELMO GUASCO.

(8) Vide supra in CACCIAVILLANO.

(9) *Annal. Camaldul.,* t. IV, pag. 213.

et librum quaestionum edidit in multas decretales (1); quae num fuerint in prima compilatione Bernardi Papiensis an postea editae non liquet. Perutilia quoque brocarda, hoc est, generales regulas, et quasi locos communes in jure canonico composuit (2), quae postmodum recensuit et auxit Bartholomaeus Brixiensis (3). Ita in jure civili Otto Papiensis brocarda collegerat, quae recensuit et supplevit Azo, ut suo loco diximus. Addit Diplovataccius scriptas a Damaso historias decretorum (4). Ego in multis codicibus manu exaratis historias, quae in libro decretorum memorantur, a Bartholomaeo Brixiensi expositas reperi, a Damaso non reperi. Sed quoniam ex earum prooemio constat Bartholomaeum Brixiensem suam operam collocasse non tam in historiis decretorum primo exponendis, quam aliorum expositionibus corrigendis, iisque ad sua quaeque loca aptandis et collocandis ut in scholis legi consueverant (5); propterea conjici potest has ipsas Damasi expositiones prae manibus habuisse, licet Damasum ipsum ne nominatum quidem voluerit. Addit Diplovataccius editas a Damaso quaestiones numero CCLXXVIII *in qualibet materia juris, quas* posuisse dicit *super omnibus titulis et libris decretalium utriusque compilationis* (6). Quaenam sit utraque haec decretalium compilatio, fateor me non intelligere. Joannes Andreae, qui diligenter ac scrupulose admodum recensuit antiquarum compilationum, ut ipse appellat, notatores, *Summam* a Damaso scriptam dicit in *primam compilationem* Bernardi Papiensis, et *librum quaestionum super multis decretalibus* (7), eumque praeponit Alano, Laurentio, Vincentio, Joanni Teutonico. Quare verisimile non est, visam ab eo compilationem gregorianam, imo ne honorianam quidem, nec fortasse ullam insuper ex iis, quae post primam Bernardi Papiensis prodierunt. Sed secundam tamen compilationem vidisse arbitror. Habemus enim ejus glossam in c. *Ad haec sumus. De rescript.*, quae est Lucii III, et edita fuerat in secunda antiquarum decretalium compilatione, ubi illam videre et exponere potuit Damasus.

IV. Est etiam inter antiquarum decretalium interpretes Bertrandus, a Joanne Andreae laudatus (8). Sed quaenam fuerit ab eo antiquarum decretalium compilatio glossis instructa neque ipse dicit neque aliunde conjicere possumus, ut aliquid de tempore, quo vixit, statuamus. Crediderim tamen circa initium saeculi XIII, aut paulo ante, floruisse. Indicat Joannes Andreae aliquot ejus glossas decretalium, quas in libris editis reperire non licuit; nec semper consulere licet antiquos codices in sacris bibliothecarum adytis latentes.

V. Per idem tempus, initio scilicet XIII saeculi, vixit Bononiae *magister Albertus novariensis decretista*, cujus nomen servavit nobis vetus charta anno MCC scripta, quam edidit clarissimus Trombellius in *Historia Sanctae Mariae ad Rhenum* (9).

(1) « Damasus fecit Summam super primam compilationem et librum quaestionum super multis Decretalibus ». JOANN. ANDREAE in addit. ad *Spec. Juris* ad v. *Damasus boemus*.

(2) JOANN. ANDREAE, *loc. cit.*

(3) « Adde quod ipsius Brocharda recollegit Bart. Brixiensis ». DIPLOVAT. in *Damaso*.

(4) « Scripsit etiam *Historias super libro Decretorum*. Incipiunt: Historiae secundum Damasum. Et ponit historiae totius decreti usque ad finem ». DIPLOVAT., *ibid.*

(5) « Idcirco Historias Decretorum frequentes et usitatas duxi pro meis viribus .... corrigendas, eas suis locis in causis et distinctionibus assignando ». BARTH. BRIX. in prooem. *Histor. Decretor.* in cod. Vatic. et aliis.

(6) DIPLOVAT., *loc. cit.*

(7) JOANN. ANDREAE, *loc. cit.*

(8) *Idem* in prooem. Novel. et in addit. ad *Spec. Juris* in prooemio.

(9) « An. MCC. Mag. Albertus decretista novariensis praesens adfuit, cum Dominicus quidam se suaque obtulit Deo et canonicis sanctae Mariae ad Rheuum ». TROMBELL., *Storia di santa Maria etc.*, pag. 418.

XVI.

GILBERTUS.

ALANUS. JOANNES WALLENSIS. PAULUS HUNGARUS. CLARUS SEXTIUS.

I. Bernardum Papiensem imitatus est Gilbertus, ut alibi diximus, in colligendis Pontificum decretalibus, aliisque sanctionibus ecclesiasticis in ordinem redigendis, quae vel edita fuerant post evulgatam Bernardi collectionem vel ejus diligentiam fugisse credebantur. Cepit idem consilium Alanus et novam decretalium compilationem edidit. Sed neutram probaverunt doctores nostri et utramque a scholis abesse voluerunt. Atque haec causa fuit Joanni Wallensi, ut opus, a Gilberto et Alano infelici successu tentatum, in se susceperit; et ex ruinis utriusque collectionis (1), quasi vacuam possessionem nactus, novam ipse collectionem compegerit, quae communi scholarum suffragio est recepta et tamdiu viguit, quoad in gregoriana collectione absorpta est.

II. Gilbertus qua ex gente fuerit quaeve in academia eruditus non liquet, nec eum audeo professoribus nostris adjungere. Sed dubitabit forte aliquis, num hic sit Gilbertus ille, qui cum in scholis nostris jurisprudentiam doceret, ad nascentem tunc Praedicatorum Ordinem se transtulit, secumque adduxit duodecim Anglos auditores suos, qui postea in Angliam profecti Ordinem illum magno religionis christianae emolumento propagarunt (2). Fuit igitur paulo post initium XIII saeculi Gilbertus aliquis scholarum nostrarum professor, sive idem fuerit ac ille collector decretalium sive alter ab illo. Alanum quoque ex eo numero fuisse censeo, natione item anglum, ut a *Speculatore* dicitur et nomen ipsum indicat (3). Hic glossas scripsit in primam collectionem decretalium a Bernardo editam, in secundam, quam supra diximus, a Joanne Wallensi ex Gilberti et Alani ipsius spoliis consarcinatam; in tertiam denique, quam postea concinnavit Petrus Beneventanus ex decretalibus Innocentii, ab initio pontificatus ad annum XII (4). Itaque non dubito illum recensere inter antiquos illos decretalium glossatores, quos Tancredus doctores bononienses appellat (5), quorum laboribus plurimum adjutus est Bernardus Parmensis in decretalibus gregorianis interpretandis (6). Anno MCCXXXIII Alanus adhuc vivebat, si ille quidem est *magister Alanus Anglicus*, quem eo anno Bononiae praesentem habemus cuidam contractui, de quo in tabulis archivi Fratrum Praedicatorum (7). Celebratur inter ejus discipulos Guilielmus Naso, illustris canonum interpres, de quo postea dicemus. Ceterum de Alano ac ceteris canonum professoribus, qui iis temporibus Bononiae floruerunt, cum plerumque exteri essent et in suis scholis

(1) Vide quae dicta sunt in praefat. ad *Juris Canonici professores*, § XIV.

(2) Vide ECHARD, *Scriptor. Ord. Praedict.*, t. I, pag. 24, et BENED. XIV, *De festis SS. Bonon. in s. Dominico*, § 4. Vide etiam *Annal. Ord. Praedic. ad annum MCCXXI*, ubi « Gilbertus de Fraxineto » appellatur.

(3) GUIL. DURANT. in prooem. *Specul.*

(4) Vide ANT. AUGUST. in praefat. ad *Decretal. antiq.*

(5) TANCRED. in praefat. ad *Tertiam compilat. Decretal.* apud BOSQUET in *Adnotat. ad epistolas Innoc. III*, lib. I, ep. LXXI. — Vide supra in praefat. ad *Juris Canonici professores.*

(6) Innumerae sunt Alani glossae in *Apparatu decretalium* Bernardi Parmensis. Vide Gloss. in c. *Accepisti. De frigid. et male*, in c. *Pervenit qui fil. sint legiti*, in c. *De hoc de simonia*, etc. etc.

(7) Pertinent ad diem X Octob. Indicavit clarissimus Montius.

abditi nullam reipublicae partem attingerent et raro etiam privatorum civium negotiis miscerentur, vix quidquam reperire licet in nostris monumentis bononiensibus. Ac nisi suorum nominum perennitati prospexissent iis appictis ad glossas, quas inter docendum scribebant in decretorum ac decretalium libris, ne eorum quidem nomina ad aetatem nostram pervenissent.

III. Alanum hunc nostrum, antiquum decretalium interpretem, Pancirolus existimat *doctorem universalem* appellatum; quod verum non est. Is enim, quem *doctorem universalem* appellarunt, est Alanus de Insulis, non anglus sed belga, theologus parisinus ejusque academiae moderator, qui rerum humanarum pertaesus ad Cisterciensem Ordinem convolavit (1). Hunc autem juris pontificii scientia clarum fuisse nemo unquam dixit, nec unquam colligendis pontificum decretalibus insudasse. Suspicatur etiam Pancirolus Alanum hunc canonum collectorem et interpretem, nepotem fuisse s. Yvonis trecorensis presbyteri, quod etiam a vero alienissimum est. Floruit enim Alanus ante natum Yvonem, ut indubiis historiarum monumentis manifestum est (2). Neque felicius de Alano aliquid explicari apud Fabricium in *Bibliotheca mediae, et infimae latinitatis* alii tentarunt. Nam duo Alani angli, quos circa initium saeculi XIII recenset Fabricius, a nostro diversi omnino sunt, Alanus nimirum Albretus, qui decessit anno MCCI, et Alanus Belloclinus, qui aliquanto serius inter professores parisinos celebratus est et magnis laudibus a Matthaeo Westmonasteriensi elatus (3). Melius aliquid de Alano vidit Diplovataccius, qui floruisse dicit anno MCCXXXVIII et praeceptorem fuisse Guilielmi Nasonis (4). Quamquam certum est longe ante annum MCCXXXVIII floruisse; nam scripsit in primas decretalium collectiones, quae in usu erant ante gregorianas decretales. Et quoniam ejus glossas in quartam et quintam collectionem non habemus, conjici potest non multo post editam collectionem tertiam a docendo cessasse. Video autem Alanum semper tum a Bernardo Parmensi in *Apparatu decretalium* tum a Guilielmo Durantis in *Speculo* tum a Joanne Andreae in additionibus ad *Speculum* praemitti Laurentio et Tancredo; ex quo etiam ejus aetas intelligitur, nec dubitari potest quin finem saeculi XII et initium XIII attigerit.

IV. Joanni Wallensi eadem patria fuisse videtur ac Alano. Hunc multi italum fuisse putant ex volaterrana civitate. Id porro habuerunt ex Joanne Andreae, qui ita scribit in prooemio Novellae. Et ita quidem esse potest in libris editis, quorum consensum ut investigarem operae pretium non duxi nec mihi tam otioso esse licuit. In quatuor codicibus Vaticanis, manu exaratis et optimae notae, Joannem Gallensem, sive Wallensem, a Joanne Andreae *Ultramontanum* dictum reperio. In uno tantum codice minus antiquo est vox compendio scripta ad Joannis patriam indicandam, quae *Vulterranus* legi posset, nisi ob consensum aliorum codicum, quem dixi, appareret legendum esse *Ultramontanus*. Ex hac autem ambigua scribendi ratione, in aliquo antiquo exemplari observata, factum arbitror ut Joannes Wallensis reputatus sit volaterranus, qui ultramontanus dicendus fuerat. Sed haec ipsa Wallensis sive Gallensis appellatio exoticum quiddam et minime italicum sonat. Ego anglum fuisse arbitror ex Wallia provincia, quae Guallia etiam appellatur; unde guallensis etiam et gallensis aeque ac

(1) De Alano vide Dissertat. CASIMIRI OUDIN *De script. Eccles.*, t. II.

(2) Vide *Acta SS. Bolland.* ad diem XIX Maji, t. IV, Maji, pag. 541.

(3) Vide praefat. ad *Summam s. Raymundi*, edit. Veronae, § XXI.

(4) « Alanus floruit anno MCCXXXVIII. Ejus glossas habemus abundanter ex Jo. Andreae in prooem. *Spec.* Iste fuit praeceptor Guil. Nas. secundum *Specul.* ». DIPLOVAT. in *Alano*.

wallensis hic noster canonum professor dici potuit. Atque id tandem placuit Antonio Augustino (1), qui prius Joannis Andreae testimonio deceptus volaterranum dixerat (2).

V. Fuit ex eadem provincia Joannes Guallensis anglus Ordinis Minorum, qui Parisiis philosophiam et theologiam docuit, ob omnigenam doctrinae et eruditionis copiam *arbor vitae* appellatus. Atque hunc ipsum auctorem fuisse antiquae decretalium collectionis, quam cum aliis tribus vulgavit Antonius Augustinus, crasso nimium errore tradidit Guilielmus Cave (3), qui omnem temporum rationem pervertit (4).

VI. Habemus Joannis Wallensis glossas in secundam collectionem antiquarum decretalium, quam ab ipso concinnatam diximus (5). Iis usus est Bernardus Parmensis in adornando decretalium communium apparatu (6). Quare hunc non veremur nostris professoribus adjungere. Quoniam autem nullae ejus glossae memorantur in posteriores collectiones decretalium, paulo post initium saeculi XIII vel obiisse vel scholas deseruisse existimo.

VII. Est suus hic locus Paulo Hungaro tribuendus, qui selectas aliquot adnotationes reliquit in primam et secundam decretalium compilationem, ut tradit Joannes Andreae (7), et tertiam quoque compilationem interpretatus est (8). Ex ejus autem scriptis aliqua more suo delibavit Bernardus Parmensis et in Glossam decretalium invexit (9). In multis scholarum nostrarum professoribus et alumnis, qui ad Ordinem Praedicatorum nuper institutum et Bononiae in ipso sui exordio maxime florentem convolarunt, Paulum Hungarum jurisprudentiae professorem fuisse constat (10). Sit ne hic idem decretalium interpres non temere dixerim. Aetas tamen et nomen et patria mire congruunt. Hic anno MCCXXI in eum Ordinem receptus est a fundatore ipso s. Dominico, mox autem in Pannoniam missus est ad novas Ordinis sui colonias constituendas.

VIII. Memoratur etiam inter primos Ordinis Praedicatorum ex academia nostra eductos fratres Clarus Sextius, vel de Sexto, morum sanctitate non minus quam doctrina illustris. Hic dicitur in jure civili peritus fuisse, in artibus etiam et in canonico rexisse, hoc est docendi munere in scholis nostris perfunctus. Post autem, ubi in Ordinem Praedicatorum receptus est anno MCCXIX et dignitates praecipuas in eo Ordine obtinuit et ab Honorio III et Gregorio IX magno in honore habitus, utriusque poenitentiarius et capellanus fuit. Plura de illo apud Echardum inter scriptores Ordinis Praedicatorum (11).

(1) Anton. Augustin in praefat. ad *Decretal. antiq.*

(2) *Idem* in adnotat. ad c. II, tit. VI, lib. I *Collectionis primae antiqu. decretal.*

(3) Guil. Cave, *De scriptor. eccles. saec. XIII* in *Joann. Guallensis.*

(4) « Floruit Joann. Guallensis O. M. ad annum MCCLXX ». Wading, *Annal. Minor.*

(5) Vide Anton. Augustin. in praefat. cit.

(6) Jo. Wallensis, sive Gallensis, est pars primae glossae decretalis *Super hoc. De renunc.*, quae est Clementis III et erat in secunda collectione. Nunc est inter gregorianas lib. I, tit. IX, c. 5.

(7) « Paulum Hungarum, qui notabilia primae et secundae compilationis ordinate collegerat, non expressi ». Joann. Andreae in addit. ad prooem. *Spec.*

(8) Vide Anton. Augustin. in praefat. ad *Antiqu. decretal.*

(9) « Idem dicit Pau. ». Gloss. in c. *Super quaestionem. De offic. jud. deleg.* etc. etc.

(10) Vide Echard. et Benedict. XIV, *loc. cit.* et pag. 120.

(11) Echard., *loc. cit.* Vide in *Vit. PP. Ord. Praedic.*, p. I, c. IV, § 4, et c. V, § 1.

XVII.

RICHARDUS ANGLUS.

I. Ex isto bononiensium doctorum numero, qui glossas in antiquas pontificiarum decretalium collectiones scripserunt, Richardum Anglum fuisse pro certo habeo, ex cujus glossis aliquid manavit in vulgata decretalium commentaria a Bernardo Parmensi concinnata (1). Eum certe Joannes Andreae (2), Joannes Nicoletus, Imola vulgo appellatus (3), et ante illos Guilielmus Durantis in *Speculo* inter vetustiores juris pontificii interpretes recensent (4). Tancredus autem archidiaconus bononiensis initio tractatus *De ordine judiciorum,* quem edidit paulo post initium saeculi XIII, hanc ei laudem tribuit, quod omnium primus de eodem argumento scribere aggressus sit. Ait autem Pillium postea idem argumentum tractasse; ex quo conjecturam facere licet de Richardi aetate. Cum enim Pillius exeunte saeculo XII floreret, atque ad annum MCCVII adhuc esset in vivis (5), verisimile est Richardum, qui ante Pillium scripsit, sub finem ejusdem saeculi XII in scholis nostris floruisse.

II. Non facile existimari potest fuerit ne idem Richardus, quem ad scholas nostras venisse ajunt admodum pauperem ac propter eam causam Pauperis nomen ei perpetuo haesisse. Erant cum Richardo duo praeterea scholares angli aeque pauperes in eodem contubernio, qui jurisprudentiae operam dabant. Sed cum unum tantummodo tribus esset capitium, sine quo solemni habitu scholaribus in publicum prodire nefas erat, duobus domi se continentibus, tertius per vices ad lectiones professorum audiendas accedebat. Haec de Richardo narrat Pancirolus, nulla tamen veterum monumentorum fide subnixus. Eumdem tradit, cum in Angliam reversus esset, creatum postea episcopum cicestrensem fuisse (6).

III. Ac revera ad cicestrensem sedem evectus est anno MCCXIV Richardus Poore, idest Pauper cognomine appellatus, cum esset antea decanus sarisberiensis, vir morum probitate ac doctrina praestans, idemque triennio post ad Ecclesiam ipsam sarisberiensem regendam translatus. Dein a monachis dunelmensibus, quorum jus erat episcopum dunelmensem eligere, ad eam Ecclesiam vocatus est; sed Romanus Pontifex monachorum postulationem primo rejecit. Post autem eorum precibus et constantia victus, ea enim de re Romam frequentes venerant, dunelmensem episcopatum eidem attribuit. Haec anno MCCXXVIII gesta sunt (7); Richardus autem vitam produxit ad annum usque MCCXXXVII (8).

(1) Eius esse videtur Glos. ult. in c. *Ex literis. De sponsal.*, ut animadvertit Joann. Andreae in addit. ad *Specul.* in prooem. At in editis decretalium glossis nullam Richardi mentionem reperio in cit. c. *Ex literis.* Quare mendosus videtur Joann. Andreae locus. Sunt autem aliae glossae in *Apparatu Decretalium* litera R notatae, quae ad Richardum pertinere possunt.

(2) Joann. Andreae in addit. ad *Spec. Juris* in prooem., et in prooem. *Novellae.*

(3) Imola in prooem. *Decretal.*

(4) Guiliel. Durant. in prooem. *Specul.*

(5) Vide in Pillio.

(6) PanciROL., lib. III, c. IV.

(7) « Monachi igitur tractatu habito prius supplicarunt Ricardum Pauperem sarisberiensem episcopum sibi praefici in pastorem, quem alias, ut est prius habitum, in suum episcopum postularunt, sed postulationem Papa cassavit. Tandem victus constantia monachorum dunelmensium in curia existentium, scripsit Ricardo dicto Pauperi episcopo Sarum praecipiens, ut curam episcopatus dunelmensis reciperet.... Obiit 1237 ». *Ex Histor. Dunelm.* Roberti de Graystanes apud Warthon, *Anglia Sacr.*, t. I, pag. 735. Vide etiam Godwin, *De praesul. Angl.*, pag. 739.

(8) « Circa idem quoque tempus, sc. XVII Maji, obiit piae memoriae Richardus II episcopus dunelmen-

RICHARDI SCRIPTA.

Scripsit Richardus glossas in decretales epistolas Romanorum Pontificum, ut fere solebant qui eas publice cum auditorum plausu interpretabantur. Nec dubito quin unus ex eorum numero fuerit, quos Tancredus bononienses doctores vocat antiquarum decretalium interpretes. Sed quoniam antiqui doctores una tantum litera suum nomen scribere solebant, propterea difficile est distinguere in antiquis libris Rufini, Rodoici et Richardi glossas eadem litera R. inscriptas, ut observavit Joannes Andreae in *Additionibus ad Speculum Juris* (1).

Praeterea *Distinctiones* edidit in Gratiani Decretum, ad modum Summae, ut ajunt, scriptas, quibus magnopere usus est Joannes Andreae, juris pontificis interpretum aetatis suae longe celeberrimus cum in aliis libris, tum vero maxime in *Additionibus ad Speculum* Guilielmi Durantis, in quibus Richardi *Distinctiones* passim laudat. Ita porro distinctiones Richardi incipiebant: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt* (2). Eas ego frustra quaesivi non solum in ditioribus bibliothecis, quas adire licuit, sed etiam in catalogis manuscriptorum codicum, quos aetate nostra copiosissimos habemus. Miror autem in instructissimis Angliae bibliothecis nullum auctoris hujus manu exaratum librum esse repertum, atque hinc etiam conjecturam utcumque capere licet illum in Italia et procul ab Angliae oris floruisse.

Denique, quod primo loco connumerandum fortasse fuerat, de ordine judiciorum ex jure civili et canonico ante omnes scribere aggressus est, ut supra indicavimus. Et quoniam ejus libri nullum, quod sciam, vestigium superest, quod fortasse ne antiquiores illi quidem juris professores admodum curarunt, ubi in publicum prodiere et Tancredi Archidiaconi et Guilielmi Durantis, Speculatores vulgo appellati, aliorumque doctorum scripta de ordine judiciario absolutissima et copiosissima; juvat ex Tancredo ipso hujus richardiani operis qualemcumque notitiam mutuari. Itaque Tancredus in hunc modum initio tractatus sui de ordine judiciario scribit: *Desideriis vestris satisfacere cupiens, rem mihi arduam vobis et ceteris fructuosam aggredior, quod primo Richardus Anglicus, ad instar cujusdam compilationis leges et canones sub certis paragraphis inducendo et pro utraque parte in singulis articulis allegando tentavit* (3). Haec Tancredus; ex quo intelligimus et quam scribendi rationem secutus sit in eo libro Richardus et cum in jure pontificio excelleret, in civili quoque diligenter versatum fuisse; id quod aetate illa rariusculum erat.

XVIII.

INNOCENTIUS III P. M.

I. Quantum humano et divino in jure valuerit Innocentius III, eximia ejus responsa et decretales epistolae, quibus non minima pars juris canonici continetur, satis demonstrant; nec desunt alia ejus ingenii monumenta, ex quibus apparet quantum in sacris disciplinis esset exercitatus. Magister Lotharius ante pontificatum dicebatur; ex quo vix dubitari potest quin aliquando docendi munere functus sit, quamvis non admodum diu in scholis versari potuerit, cardinalis creatus nondum annos natus triginta. Parisiis philosophiae et theologiae vacavit. Medicinae quoque peritus vel fuit vel creditus est, siquidem ejus nomine olim circumferebatur remedium quoddam ad oculorum

sis, vir eximiae sanctitatis et profundae scientiae, cum tres Ecclesias strenue rexisset, scilicet Cicestrensem, Sarisburiensem et Dunelmensem etc. ». MATTH. PAR. ad annum MCCXXXVII.

(1) JOANN. ANDREAE in addit. ad *Specul. Juris* in prooemio.

(2) DIPLOVAT. in *Richardo*.

(3) TANCRED., *De ordine judiciario* in prooemio.

visum reparandum et conservandum (1). Ex scholis parisinis ad nostras venit (2) ut in iis studiorum suorum curriculum absolveret et juris utriusque scientiae operam daret, Huguccionis Pisani disciplina in primis eruditus (3).

II. Fuit hic Pontifex vere maximus, cum sapientissimis quibusque qui unquam Petri cathedram tenuerint comparandus, ac nescio an superiorem habuerit ullum in civilium et ecclesiasticum legum scientia et cognitione, ut natus ipse condendis legibus ad christianae reipublicae utilitatem videatur. Hoc igitur debet Romana Ecclesia scholis nostris, quod in hoc viro non tam insignem juris legumque peritum quam legislatorem eximium ab illis acceperit. Sed non minus debent scholae nostrae huic Pontifici, cujus plura extant amicissimi animi monumenta erga ipsas earumque professores. Mitto enim pluribus scholarum nostrarum professoribus causas ecclesiasticas et gravissima judicia ab Innocentio commissa, datis ad eos literis, quarum non paucas habemus in antiquis pontificiarum epistolarum collectionibus (4). Mitto aliquod ejus responsum in difficili consultatione datum ad doctores decretorum academiae nostrae.

III. Illud autem minime praetereundum est quod cum suarum decretalium collectionem fieri curasset per Petrum Beneventanum notarium suum, olim in academia nostra sacrorum canonum professorem, hanc novam juris pontificii partem academiae nostrae committendam censuit, ratus non posse melius decretales suas toto orbe promulgari et in scholae ac fori usum, ut optabat, deduci, quam si nostris professoribus commendarentur (5). Atque hoc Innocentii consilium postea secuti sunt alii Pontifices, quoties suas decretales in corpus redactas emisere in publicum, quem morem promulgandi pontificias sanctiones, etsi non probet impudentissimus ille scriptor, quisquis sit, qui sub mentito Justini Febronii nomine nuper prodivit in publicum, probarunt tamen omnes totius orbis christiani academiae, et quidquid fuit unquam hominum doctorum et prudentum. Haec autem de tanto Pontifice leviter indicasse sufficiat, non ad ejus gesta exponenda et illustranda, quod mei instituti non est, sed ut appareat non temere illum inter academiae nostrae vel professores vel alumnos a nobis recenseri.

(1) Ad calcem *Physicae* magistri Aldobrandini in veteri codice membranaceo manu exarato, quem communicavit mihi Simonettus comes fanensis, humanissimus juvenis et optimarum artium studiis apprime deditus, inter alias diversorum medicorum praescriptiones haec legitur: « Confectione cioè lactuario al viso. Papa Innocentio a l'abate di s. Pavolo di Pisa. Papa Innocentio terzo compose questo lactuario e mandolo a l' abate di s. Pavolo di Pisa, il quale era di C anni, overo in quello contorno. E aveva perduto quasi tucto il vedere, e poi per questa confectione guario. Prendete seme di fenocchio lib. II. Lormentano lib. I. Eufragia lib. I. Camedreos lib. I e mezza. Radice di Celidonia lib. I e mezza. Seme d'Apio, Anici, Petroselino di catuno onc. III. Polegio, Isopo, fiori di Borana, granella di Ginepro, Sassifraga di catuno onc. III: le quali cose sopradette polverizate insieme confiale con mele cocto e schiumato, e poi n' usi la sera e la matina ».

(2) « Hic primum in urbe Parisius, tandem Bononiae scholasticis studiis insudavit et super coetaneos suos tam in philosophica quam in theologica disciplina profecit, sicut ejus opuscula manifestant, quae diversis temporibus edidit et dictavit. Fecit enim ante pontificatum libros de miseria conditionis humanae et de missarum mysteriis et de quadripartita specie nuptiarum. Post pontificatum autem libros sermonum, epistolarum, regestorum et decretalium, quae manifeste declarant, quantum fuerit tam in humano, quam in divino jure peritus ». ANONYM. scriptor *Vitae Innoc. III* edit. a Baluzio, t. I epist. ejus Pontif.

(3) Vide supra in HUGUCCIONE.

(4) Vide epist. CCCLXXXI, lib. I, edit. Baluz. t. I, pag. 589.

(5) Vide epist. praefixam decretalibus Innocentii III edit. Anton. Augustini.

XIX.

PETRUS BENEVENTANUS

S. R. E. CARDINALIS.

BERNARDUS COMPOSTELLANUS ANTIQUUS.

I. Inter juris ecclesiastici scriptores, qui initio saeculi XIII floruerunt, Petrus Beneventanus clarus homo cum maxime celebratur, quem Innocentius III Pontifex charissimum habuit et in cardinalium numerum adlegit. Est hic *magister Petrus Beneventanus Notarius Pontificius,* cujus opera usum se fatetur Innocentius in edendis decretalibus suis, quae prodierant usque ad annum pontificatus sui duodecimum (1).

II. Non multo ante illud tempus coadunandis ejusdem Pontificis decretalibus epistolis privatam operam impenderat Bernardus Compostellanus archidiaconus, cum in Romana Curia versaretur, quae tamen collectio neque Pontificis ipsius judicio neque communi scholarum suffragio probari potuit (2). De superiore alia nihil dico, quam ex primis Innocentii regestis adornaverat Raynerius diaconus et monachus pomposianus, quamque ex vetusto codice in lucem edidit Stephanus Baluzius (3); fuit enim et scholis et foro prorsus ignota, neque illius uspiam doctores nostri aut interpretes meminerunt.

III. Fuerit ne in scholis nostris eruditus Bernardus iste Compostellanus, quem antiquum vulgo appellant ut ab altero distinguant qui cum Innocentio IV vixit, non satis liquet; ego id maxime verisimile existimaverim. Praeter eam, quam diximus, decretalium collectionem, glossas etiam scripsit in vetustiores illas a Bernardo Papiensi et Joanne Wallensi elaboratas (4). *De electionibus* denique *Summam* a Joanne Andreae laudatam composuit (5).

IV. De Petro Beneventano dubitare non licet, quin inter academiae nostrae professores numerari debeat. Id mihi hactenus incompertum nuper accepi ex prooemio glossarum, quas hispanus quidam, Laborans (6) appellatus, apposuit ad collectionem decretalium Innocentii III a Petro Beneventano concinnatam. Ibi enim legitur Innocentium III decretales epistolas usque ad annum pontificatus sui duodecimum *per notarium suum* (Petrum scilicet Beneventanum) *quondam Bononiae magistrum sub certis titulis* digestas edidisse. Ac miror sane antiquum hunc hispanum juris canonici professorem in tenebris ad hanc diem latitasse; si quidem inter professores sit recensendus, nec solum ejus industria in eo versata sit, quod aliorum glossas, Laurentii maxime et Vincentii, ad decretales istas accommodaverit, qua de re integrum erit judicium eorum, qui istiusmodi glossarum specimen, quod in Appendice damus, diligenter considerare voluerint.

V. Petrus igitur Beneventanus, antequam Ecclesiae Romanae servitio se addiceret, in academia nostra jus canonicum professus est; ibique verisimile est ab Innocentio III

(1) Vide epist. cit. Innocentii III ad magistros et scholares Bononiae commorantes.

(2) Vide praefat. ad *Juris Can. Profess.,* § XIV.

(3) Baluz., *Ep. Innoc. III,* t. I, pag. 543.

(4) Joann. Andreae in prooem. *Novellae* et in addit. ad *Specul.* in prooemio.

(5) Summae apposuit hoc versiculos:

» Hoc Bernardus opus fecit non absque labore,
» Sed labor est facilis quando superatur amore ».

Joann. Andreae in addit. ad *Spec. De electione* in princ.

(6) « Super quarum (decretalium) compilatione ego Laborans Bi (fortasse, Bernardi) hispanus in appositione glossularum veniam postulo etc. ». Ext. in cod. Vatic. 1378, de quo vide Appendicem.

agnitum, cum ipse quoque in scholis nostris degeret. Sed quamdiu apud nos fuerit aut quo tempore a scholis nostris discesserit incompertum est, nec ulla ejus mentio in nostris monumentis bononiensibus. Cum decretales innocentianas vulgavit notarius erat et subdiaconus pontificius (1). Postmodum ab Innocentio III in collegium cardinalium Romanae Ecclesiae adscitus est. Nec dubito quin sit ille idem *magister Petrus Beneventanus* Apostolicae Sedis legatus, qui anno MCCXIV concilium apud Montempessulanum celebravit ut turbatam ab Albigensibus et publicam tranquillitatem et fidem catholicam restitueret (2). Hunc legatum suum Innocentius III Petrum cardinalem diaconum sanctae Mariae in Aquiro appellat in literis ad Simonem Montisfortis comitem datis (3). Sed alii Petrum hunc Beneventanum, qui ex notario et subdiacono pontificio cardinalis creatus est et Sedis Apostolicae negotia in Gallia strenue tractavit, Petrum de Morra, alii Petrum Collivaccinum, probabilius appellant. In vetusto necrologio beneventano Sancti Spiritus Petri Collivaccini obitus in hunc modum notatur: *Obitus Magistri Petri Collivaccini episcopi sabinensis.* Hunc doctissimus praesul Stephanus Borgia eumdem esse recte existimat cum Petro Beneventano canonum professore, qui ex diacono s. Mariae in Aquiro episcopus sabinensis creatus sit (4).

VI. Inter codices manuscriptos regiae bibliothecae taurinensis prolixum opus habetur *Petri de Mora Cardinalis* (5). Idem opus viderat Oudinus in aliis codicibus cum hoc titulo: *Dictionarium,* sive *Alphabetum artis praedicandi,* sive *Alphabetum artis sermocinandi* (6). Sed in codice taurinensi *Rosa* inscribitur. Sic enim initio voluminis scriptum est: *Incipit liber qui vocatur Rosa.* Praemittitur Petri epistola ad clerum romanum et viros scholasticos, in qua cogitasse se dicit dies antiquos, et annos scholasticos in mente habuisse, quibus ab aliis curis et occupationibus liber totus erat in meditanda lege Domini (7). Sequitur ejusdem epistola, qua respondet scholaribus, a quibus ad opus istud inchoandum excitatus fuerat (8). Dein sequitur liber, qui incipit a voce *Alpha,* et definit litera *S: Squamma piscium.* Ex his manifestum est Petrum Cardinalem hujus operis auctorem diu in scholis versatum esse, ac sacras disciplinas docuisse. Nec tamen idem censendus est ac Petrus Beneventanus scholarum nostrarum professor mox autem Innocentii III notarius et ipse demum cardinalis. Petrus enim de Morra, Gregorii VIII P. M. agnatus, is plane esse videtur, qui cardinalis s. Angeli ab Innocentio III primis temporibus creatus, diplomati ejusdem ad Albertum eugubinum episcopum dato subscripsit anno MCCV (9). At Petrus Collivaccinus juris canonici interpres non ante annum MCCX cardinalis renunciatus est; duo anno ejus opera prodiit tertia collectio decretalium. Ex diacono S. M. in Aquiro, ut ostendimus, anno MCCXVI episcopus sabinensis factus,

(1) Ex epist. cit. Innocent. III.

(2) « Anno ab Incarnat. Domini MCCXIV.... convenerunt apud Montempessulanum archiepiscopi et episcopi vocati a magistro Petro Beneventano, Apostolicae Sedis legato, ad concilium, ut de his, quae pacis erant et fidei, idem legatus secundum Praelatorum consilium ordinaret ». PETRUS VALLISSARNEN. monachus in *Histor. Albigen.* apud *Labbe Concil.,* t. XI, p. I, pag. 103.

(3) *Ibid.,* pag. 105.

(4) BORGIA, *Memorie istoriche della città di Benevento,* p. II, pag. 189.

(5) Cod. Biblioth. Reg. Taurin. CLXXXX, c. V, 25.

(6) OUDIN., t. II, pag. 1721.

(7) « Dilectis plurimum et diligendis semper in visceribus Jesu Christi venerando clero romano et viris scholasticis.... Petrus miseratione divina sanctae Matris Ecclesiae Cardinalis indignus.... Cogitavi dies antiquos, et annos scholasticos in mente habui, quibus in lege Domini erat voluntas mea, et in lege ejus meditabar die ac nocte etc. ».

(8) « Responsio magistri Petri facta scholaribus in ipsis scholis insistentibus pro praesenti opere inchoando. Parvuli petierunt panem etc. ».

(9) Vide PANVIN. et CIACCON. in *Cardinal. ab Innocent. III creat.*

extremum diem obiit anno MCCXX [1]. De illo videndi sunt prae ceteris Ughellus, Ciacconius et Tafurius [2]. Sed multa apud illos implexa et ambigua, quae hic non vacat accuratius expendere.

XX.

BENINCASA SENENSIS.

I. Quod in jure civili fecerant Guilielmus de Cabriano, Vivianus Tuscus aliique, qui Casus legum scripserunt, id aemulati sunt canonum professores; et ad plures Gratiani canones suos Casus, idest, nudam et simplicem facti speciem, de quo in canone quovis agitur, exposuerunt. Plures ejusmodi Casus praeformavit Huguccio Ferrariensis in *Summa decretorum;* nec dubito quin alii etiam antiquiores Gratiani interpretes ad interdum fecerint. Sed majorem prae ceteris in eo laborem contulit magister Benincasa, patria, ut arbitror, senensis [3], qui sub exitum saeculi XII et initio saeculi XIII floruit in scholis nostris. Huic auctori vulgo tribuebantur Casus decretorum, quo utebantur juris canonici studiosi, quosque postmodum novis curis emendavit perfecitque Bartholomaeus Brixiensis [4]. Sed Benincasa diu caruit hac laude, qua imperitorum amanuensium culpa spoliatus est. Casus decretorum, quos habemus in libris editis, Beneventano cuidam tributos reperio. In elegantissima Gratiani editione, quam jussu Gregorii XIII Correctores Romani curaverunt, ad c. *Ita plane,* XXIII, q. IV, haec legitur glossa, sive adnotatio Bartholomaei Brixiensis: *Hugo hunc casum sic ponit in Summa sua.... Beneventanus vero hunc casum sic ponit....* In eumdem modum aliis multis locis *Benev.* vel *Beneventani* Casus memorantur. At nullus unquam Beneventanus Casus decretorum scripsisse traditur. Id factum constat a Benincasa; cujus nomen compendio scriptum cum aliquis reperisset [5], Beneventanum pro Benincasa intrusit.

II. Obiit magister Benincasa anno MCCVI, vel paulo ante. Ac certe anno MCCVI idibus Decembris jam fato cesserat. Sed incertum quo loco decesserit; procul tamen ab urbe nostra, in qua non modicam argenti summam deposuerat apud priorem et canonicos s. Joannis in Monte; de qua cum orta esset controversia num tradenda esset ejus fidecommissariis, magister Gratia decretorum doctor, a Guala cardinali et Apostolicae Sedis legato ad hanc causam cognoscendam finiendamque delegatus, decrevit esse tradendam [6]. Erant in eo deposito *XXXIII Marchae et una uncia argenti, CLVIII Massamutinae simplices et XV duplices et XXXIII Frigiatici,* haud exigua pecunia pro facultatibus hominis privati, qui quaestum docendo faceret nec fortasse inter magni nominis professores censeretur.

(1) UGHELL. in *Ep. Sabinen.*, t. I *Ital. Sacr.*

(2) TAFURI, *Serie degli scrittori nati nel Regno di Napoli,* inter *Opusc. Caloger.* t. XXIV, pag. 292.

(3) Benincasae nomen Senensibus usitatum fuit praesertim XIII saeculo, ut ex eorum monumentis apparet. Adde quod Benincasa noster sui testamenti curatores elegit Benincasam, nepotem suum, et magistrum Guidonem Senensem, quem verisimile est concivem suum fuisse. Vide sententiam magistri Gratiae, de qua infra; cui pronunciandae adfuerunt Raynaldus, Guido et Jacobus scholares senenses.

(4) De casibus decretor. magistri Benincasae reformatis a Barth. Brixiensi vide infra in BARTH. BRIX.

(5) In editione veneta Gratiani, quae prodiit anno MDLXXII ad c. *Tolle,* dist. *De poenit.*, haec habentur: « Casus: Ab isto loco ad c. quommodo videtur esse § Gratiani secundum Ben. quidam vero faciunt ibi Casum ». Vides hic Benincasae nomen tribus literulis indicatum.

(6) Negabant prior et canonici s. Jo. in Monte reddere depositum magistri Benincasae, quia non constabat esse mortuum, quod ignorare non potuissent si Bononiae decessisset. Vide sententiam magistri Gratiae, an. MCCVI latam, in Appendice.

XXI.

LAURENTIUS HISPANUS.

GRATIA

ARCHIDIACONUS BONONIENSIS.

I. Laurentius Hispanus omnes sui temporis canonum professores doctrina superasse visus est. Id ostendunt innumerae propemodum ejus glossae, quas habemus in Gratiani decretum et decretales gregorianas, quamquam multo etiam plures sine ejus nomine jacere arbitror in ea glossarum farragine, quae postmodum iis libris accrevit. In eximio Gratiani codice Palatino-Vaticano, cum solis Joannis Teutonici glossis, ad totum tractatum *De poenitentia* nullus alius interpres occurrit quam Laurentius. Non solum ceteri, quos interdum affert Joannes Teutonicus, ibi perpetuo silent, sed silet Joannes ipse cujus non amplius quam uno loco exiguam quamdam glossam ejus nomine signatam reperi. Ceteris omnibus semper adscriptum est Laurentii nomen. In editis tamen libris et in aliis etiam codicibus minus antiquis glossae, quae habentur ad tractatum *De poenitentia,* licet plerumque sint illae ipsae, quae in codice Palatino-Vaticano Laurentio tribuuntur ut multarum collatione facta deprehensum est, nullam auctoris notam adscriptam habent.

II. Ex plurimis auditoribus, quos in scholis nostris habuit, duos tantum agnoscimus clarissimos viros, Tancredum (1) et Bartholomaeum Brixiensem (2). Atque hinc de tempore judicare possumus quo in scholis nostris docuit. Nam Tancredum constat paulo post initium XIII saeculi florere coepisse, Bartholomaeum vero Brixiensem serius aliquanto vixisse ac medium circiter saeculum attigisse. De ejus patria dubium esse non potest quin Hispanus fuerit (3). Cespitavit igitur hic etiam Pancirolus dum cremensem fuisse scripsit, deceptus mendoso Joannis Andreae exemplari edito, in quo legitur *Lauren. Cre.* (4). Sed ibi legendum esse *Lanfran. Cre.,* idest Lanfrancum, sive Cremensem sive Cremonensem, manu exarati codices Vaticani ostendunt, et res ipsa loquitur (5).

III. Scripsit glossas non solum in antiquas collectiones decretalium, quare inter decretalistas, quos vocant, vulgo recenseri solet, sed etiam in Gratiani librum, multaque propterea suppeditavit cum Joanni Teutonico tum Bernardo Parmensi ad componendum decretorum et decretalium Apparatus. Verum in primas dumtaxat tres decretalium collectiones scripsit (6), nec quartam, quae extremis annis Innocentii III prodiit, ac multo minus quintam, quam vulgavit Honorius III, vidisse videtur. Atque hinc etiam ejus

(1) « Opponitur, quod dicunt Lau. et T. ejus discipulus, et B. discipulus T. et Vinc. et dominus meus Osti. et Jac. de Alb. magister suus, et Innoc. IV et alii fere omnes ». SPECULAT,, tit. *De restit. in integr.*, § 4 *Intra.* Vide etiam OSTIEN. in *Summa,* tit. *De offic. et potest. jud. deleg.*

(2) « Fuit magister B. Brixiensis, ut ipse B. refert in suo tractato *De ordine judiciario* in rub. *De test. adv. sentent.* ». DIPLOVAT. in *Laur. Hispano.*

(3) « Ejusdem (Honorii III) etiam floruerunt tempore duo doctores juris canonici, videlicet Laurentius et Vincentius, quos tradunt Hispanos fuisse ». PTOLOM. LUC., *Hist. Eccles.*, lib. XXI, cap. XXVI apud MURATOR. *Rer. Ital. Script.*, t. XI, pag. 1133. Hispanus etiam dicitur Laurentius a Diplovataccio, ex fide veterum auctorum.

(4) JOANN. ANDREAE, *Novel. De appellat. et recusat.*

(5) Vide infra in LANFRANCO.

(6) Vide praefat. ANTON. AUGUSTIN. ad *Decretales antiquas.*

aetas dignoscitur. Eum appellat magnae auctoritatis virum Bonaguida Arretinus [1], ejusque opiniones passim referunt antiqui omnes canonum interpretes.

IV. Vixit cum Laurentio Hispano Gratia canonum professor et archidiaconus bononiensis, de quo inter Archidiaconos dicetur, quos seorsim dabimus ad calcem hujus voluminis.

XXII.

LANFRANCUS CREMENSIS.

I. Vidimus ante cum Baziano magistrum Lanfrancum anno MCLXXXXIV sententiam dicere pro canonicorum Sancti Salvatoris tuendis juribus. Non plane certum est quis fuerit iste Lanfrancus; florebant enim ineunte saeculo XIII duo in academia nostra professores eodem nomine, sacrarum alter literarum magister, Ecclesiae bononiensis canonicus, ad quem aliquot sunt Innocentii III decretales epistolae [2], alter pontificii juris clarus interpres, Lanfrancus Cremensis, quem religioso sodalitio canonicorum s. Salvatoris, qui sanctae Mariae ad Rhenum etiam dicebantur, nomen aliquando dedisse constat. Lanfrancum hunc haud omnino ignoravit Diplovataccius [3], qui ejus nomen in scriptis Uberti de Bobio et apud *Speculatorem* et Ostiensem reperit. Potuisset etiam ejus nomen legere in additionibus Joannis Andreae ad *Speculum juris* [4]. Itaque illum ait pulchre in libros juris civilis et canonici scripsisse, utpote utriusque juris peritissimum, fuisse patria cremonensem et cum Jacobo Balduino vixisse, nimirum circa annum Christi MCCXXXVIII. Sed cum Lanfrancus clericali militiae adscriptus esset, vix crediderim, praeter juris canonici scientiam, jus etiam civile professum esse, atque in utroque doctorem fuisse uti Diplovataccius scribit, ex usu potius suorum temporum quam ex cognita rei veritate, hanc Lanfranci excellentiam praedicans. Sed neque necesse fuit ut vixerit ad annum usque MCCXXXVIII, ut synchronus esset Jacobo Balduino, qui multo ante illum annum in academia nostra floruit et eo anno jam fato cesserat. Melius autem Diplovataccius de ejus aetate judicat, cum observat Lanfrancum Jacobo Balduino a *Speculatore* anteponi [5]; ex quo inferre licet Lanfrancum a *Speculatore* ipso reputatum esse Jacobo Balduino antiquiorem. Sed inter juris pontificii professores, qui exeunte saeculo XII et initio XIII Bononiae claruerunt, maxime illum celebrem fuisse pauca, quae de illo supersunt, monumenta satis superque ostendunt.

II. De ejus patria dubium esse potest, qui enim in necrologio canonicorum regularium Sanctae Mariae ad Rhenum *de Crema* dicitur, idem ab Ostiensi et *Speculatore*

(1) Bonaguida, loc. cit. apud Diplovat.

(2) C. *Ad hoc ut Deus, ut lite non contest.* Et c. *Coram dilecto. De offic. et potest. jud. deleg.* etc. De Lanfranco canonico bononiensi sermo erit inter theologos.

(3) « Lanfrancus Cremonensis juris utriusque doctor eximius hac tempestate docendo et scribendo insignis plurimum fuit, qui super ordinariis juris civilis et canonici pulchra commentaria fecit. De isto facit mentionem Ubertus de Bobio in suis lecturis et Speculator in tit. *De instru. edit.*, § *Restat videre:* in tit. *De acto,* § 1, v. *Sed pone quod lis:* in tit. *De libell. oblat.*, § *Quid debet continere*, et in tit. *De success. ab intestat.* ubi dicit quod fuit cremonensis, et idem dicit Ostiensis, ubi cum allegat in sua Summa in tit. *De consuetud.*, § *Obtentus* in princ. et in tit. *De elect. et electi potest.*, § *Qualiter facienda sit.* Iste floruit temporibus Jacobi Balduini et aliorum supradictorum, et sic anno MCCXXXVIII ut patet ex supra dictis etc. ». Diplovat. in *Lanfranco.*

(4) Joann. Andreae in addit. ad *Specul.*, tit. *De acti. seu peti.*

(5) « Speculator in tit. *De acto,* § 1, v. *Sed quid si* dicit quod Lanfrancus et Jacobus Bald. et quidam alii tenuerunt contrarium. Et sic praeponit Lanfran. Jacobo Bald. ». Diplovat., *loc. cit.*

cremonensis appellatur. Hoc autem discrimen ortum existimo ex veteri more scribendi nomen hujus auctoris in jurisperitorum libris, in hunc modum *La.*, vel *Lan. Cre.*, ut Joannem Bassianum Cremonensem sic indicabant *Jo. Cre.* Hinc facile fuit pro cremensi cremonensem legere, nam potior mihi videtur necrologii auctoritas qui cremensem dicit.

III. Est alius juris canonici professor apud Pancirolum, quem ex primis fuisse ait, qui glossas in Gratiani librum scripserunt, Laurentius Cremensis (1). Sed quoniam hunc Tancredi archidiaconi bononiensis praeceptorem fuisse tradit (2), et Tancredum a Laurentio Hispano celebri viro, de quo antea dictum est, eruditum constat, non alius est Laurentius ille cremensis a Pancirolo assertus, quam Laurentius Hispanus, quem is plane ignoravit. Videtur autem in errorem inductus Pancirolus mendoso Joannis Andreae loco in Novella, ubi haec verba leguntur: *Quia forte non indiget secundum Lauren. Cre. et Ho. Bo.* (3). Hinc habuit, ni fallor, Pancirolus Laurentium Cremensem. Sed scribendum fuerat, *secundum Lan. Cre.*, nimirum, *secundum Lanfrancum Cremensem;* cujus rei fidem faciunt antiquissimi codices bibliothecae Vaticanae (4).

IV. Obiit Lanfrancus III kal. Martias anno MCCXXIX, ut ex necrologio s. Salvatoris intelligimus (5). Fuit autem in canonicos rhenanos admodum liberalis (6). *Conversus* etiam Rhenani instituti dicitur in eodem necrologio; ex quo intelligi potest, provecta jam aetate Lanfrancum majoris perfectionis studio ad religiosissimum institutum canonicorum Sanctae Mariae ad Rhenum transisse. Certe ad annum MCCXVII habemus *Mag. Lanfrancum canonicum conversum* Sanctae Mariae ad Rhenum (7). Rursus magister Lanfrancus canonicus Sanctae Mariae ad Rhenum occurrit in antiquis tabulis archivi publici bononiensis ad annum MCCXX (8).

XXIII.

ANDREAS.

BONUSDIES. ALBERTUS. JOANNES. AMATOR. ODDO MANTUANUS. MARTINUS FLORENTINUS. LAMBERTUS.

I. Iisdem temporibus alios bene multos reperio canonum professores, vix nomine notos, qui tamen, dum viverent, non tenui fama ferebantur. Horum aliquot fuerunt canonici Ecclesiae bononiensis, qui in ipsius Ecclesiae aedibus ex veteri more docebant. Neque suspicio abest ex his canonicis, quibus magistri titulus adscribitur, fuisse aliquos non magis juris pontificii quam sacrarum scripturarum interpretatione illustres. Sed quoniam illi ipsi, de quorum instituto non satis liquet, ad graviores controversias dirimendas a Romanis Pontificibus judices dari solebant, ex quo conjicere licet ecclesiasticarum sanctionum peritissimos fuisse, visum est propterea inter juris canonici pro-

(1) Panciroл., lib. III, c. III.

(2) *Ibid.*, c. IV.

(3) Joann. Andreae in Novel. *De appellat. et recusat.*, c. *Ex parte.*

(4) Vide supra in Laurentio.

(5) Vide ejus excerpta in Appendice.

(6) *Ibid.*

(7) *Ex charta archivi s. Salvatoris*, fasc. XXVI, o. 43. Communicavit clarissimus Trombellius abbas s. Salvatoris.

(8) In charta cujusdam venditionis, descripta in Reg. gros. pag. 495 in archivo Commun. Bonon.

fessores eos potius quam inter theologos recensere, dum exploratius aliquid de ipsis cognoscere datum sit. In hoc numero fuit magister Andreas canonicus Ecclesiae bononiensis. Hic notus est ex tabulis aliquot Ecclesiae bononiensis (1), et multo magis ex epistola Honorii III ad eum, ad episcopum bononiensem et ad magistrum Bondi sive Bonumdiem canonicum data, quae est inter decretales communes (2). Interfuit etiam magister Andreas canonicus, cum promulgarentur literae Honorii III, quibus Hugolino ostiensi episcopo deferebatur legatio pro Sede Apostolica apud Insubres anno MCCXXI (3).

II. Magister Bondi, sive Bonusdies, primum capellanus episcopi bononiensis (4), dein canonicus pratensis in Etruria (5). Vir clarus aetate sua fuit et inter professores juris canonici non parum celebris, ad quem sunt duae decretales epistolae Honorii III, quas inter decretales communes habemus (6). Extant in archivo monachorum s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis, veteres tabulae ad annum MCCXIII scriptae *in praesentia et testimonio dn. Henrici electi Bonon.*, magister Bonidiei et aliorum, quas dabimus in Archidiaconis Bononiensibus. Idem testis interfuit instrumento locationis factae ab Henrico episcopo ad annum MCCXX, in quo appellatur *Magister Bondi de canonica;* quo designari puto eum esse juris canonici professorem (7). Sequenti anno sententiam dixit in causa plebis s. Ansani et monasterii s. Bartholomaei de Musiliano, ut ex tabulis in eodem archivo s. Stephano asservatis (8). Sed nondum usque ad eum annum alio quam magistri nomine appellatur. In inscriptione vero decretalium epistolarum, quae ad eum, ut supra dictum est, perscriptae sunt, una cum episcopo bononiensi et Andrea canonico, is etiam canonicus dicitur. Prima earum epistolarum data est anno MCCXXIV, altera vero anno MCCXXV. Prima, ut diximus, est c. *Fin. De testibus cogendis vel non,* altera est decretalis *Significaverunt nobis. De judiciis.* Est autem posterior haec inscripta magistro Bondi una et Episcopo Bononiensi et Tancredo tunc canonico, post autem archidiacono bononiensi, juris canonici professorum aetatis suae facile principi, quod non minimae laudi est huic nostri professori, cujus memoriam jam omnino extinctam hic pro modulo nostro illustravimus.

(1) « Anno MCCXIII magister Andreas cum aliis Ecclesiae Bonon. canonicis praesentes cuidam instrumento ». *Ex tabulis in libro Ax. in archivo Canonic. Eccl. Bonon.*

(2) « Episcopo et Andreae Bonon. et mag. B. Pratensi Bononiae commorantibus canonicis ». Data est die XVI Februarii anni MCCXXIV, et habetur in codice diplom. Eccles. Bonon. manuscripto in biblioth. publ. Bonon. Est decretalis « Ven. Fr. noster. De testib. cog. vel non ».

(3) Promulgavit has literas Cardinalis apud Planorium agri bononiensis castrum anno MCCXXI die XXIX Octob. praesentibus dn. Henrico episcopo mantuano, Nicolao Regino, magistro Gratia archidiac. bonon., magistro Andrea canon. bonon., etc. *Ex codic. Diplom cit., et Reg. Gros. in archivo Commun. Bonon.*, pag. 31.

(4) Anno MCCXXI die XXVII Octob. cum Hugolinus cardinalis legatus paludes Massae Fiscaliae a Ferrariensibus exsiccatas ipsis in feudum concessisset, interfuere domini Henricus Bononiensis, Henricus Mantuanus, Nicolaus Reginus episcopi, magister Gratia archidiaconus bonon., magister Tancredus canon. bonon., magister Bondi capellanus domini Episcopi bonon. *Ex cod. concord. inter Venetos, Bonon. et Ferrarien. in Archivo Com. Bon.*, fol. XXXII.

(5) Canonicus pratensis dicitur in inscriptione literarum Honorii III.

(6) Harum unam supra indicavimus, Episcopo bononiensi et magistro Andreae inscriptam. De altera vide infra.

(7) Anno MCCXX Bondi de Canonica (idest, qui jus canonicum docebat) interfuit cuidam locationi factae ab Henrico episcopo bonon. *Ex Reg. Gros.*, pag. 477.

(8) « In nomine etc. Ego magister Bondi ex delegatione domini Henrici bononiensi episcopi cognoscens de causa, quae vertebatur inter Prodomum syndicum plebis s. Auxiani et Petrum syndicum monasterii de Muxiliano etc. ». Compromittitur in ipsum magistrum Bondi, qui confirmat in plerisque sententiam magistri Lamberti canonici et archipresbyteri plebis Sambri, qui in eadem causa ex arbitrio sibi facto judicaverant.

« Act. in palatio episcopi Bonon. an. MCCXXI, die XIV intrante Maji ». *Ext. in archivo s. Steph., nunc Senatus Bonon.*

III. Magister Albertus, alter decretorum doctor, sive, ut in quibusdam actis dicitur (1), decretista. Floruit is etiam initio saeculi XIII. Ejus primum mentio est ad annum MCC (2), dein anno MCCVIII. Erat iisdem temporibus archipresbyter s. Agathae magister Albertus, idem fortasse ac superior eratque ex nobili familia, quae de Gisso dicebatur, ejusque mentio est ad annum MCCIV et MCCX (3).

IV. Magister Joannes decretista innotescit ex charta anni MCCVIII, quam supra indicavi ex archivo s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis. Hic judex datus est ab Honorio III in causa monachorum s. Stephani, cum Carbonensibus, nobilissima civitatis nostrae familia, et in ea causa cum abbate s. Proculi et magistro Vernatio canonum professòre, quibus eadem causa simul delegata fuerat, anno MCCXVIII sententiam dixit, quam in Appendice damus. Postmodum autem eadem sententia ex autographo descripta est praesentibus Bagarotto et Guidone Boncambio clarissimis legum doctoribus (4). Divinabunt alii num iste sit celebris ille Joannes juris pontificii interpres, Teutonicus vulgo nuncupatur, qui amplis commentariis Gratiani librum illustravit et glossas etiam scripsit in antiquas compilationes decretalium, quae ejus aetate prodierant. Dubitari etiam potest, an sit Joannes ille canonicus Ecclesiae bononiensis, magistri titulo insignis, qui per haec eadem tempora vivebat, cujus non semel mentio occurrit in monumentis canonicorum Ecclesiae bononiensis et s. Salvatoris, ubi anno MCCVII *magister Joannes canonicus et subdiaconus* dicitur, deinceps autem canonicus tantum appellatur (5).

V. Habemus Honorii III literas in causa canonicorum Ecclesiae bononiensis cum monachis pomposianis ad magistros Rufinum decretorum doctorem, Vernatium Tarvisinum et Amatorem Senensem, canonicos Bononiae commorantes (6). De Rufino satis jam dictum est, sive sit ille antiquus decretorum interpres, cujus nonnullas glossas habemus in Gratianum, sive alter priore recentior, qui Honorio III Pontifice vixerit. De Vernatio postea dicemus. De Amatore nihil aliud scire licuit nisi idem sit ac magister Amatus, qui anno MCCXXX stipulationi cujusdam instrumenti pro canonicis s. Victoris interfuit, ut ex tabulis in archivo s. Joannis in Monte asservatis manifestum est. Interfuit etiam eodem anno *dominus Amatus decretorum doctor* promulgationi literarum Gregorii IX, quibus adjudicata sunt sororibus s. Agnetis quaedam praedia celebris quondam monasterii s. Adalberti ad Ripam Padi, quod monasterium Pontifex per quosdam Fratres Praedicatores frustra reformandum curaverat. Extant Gregorii IX literae in tabulario s. Agnetis (7).

(1) « In presentia et testimonio magistri Alberti et magistri Johannis decretistarum ». *In tabulis anno MCCVIII in archivo s. Steph., nunc Senatus Bonon.*

(2) « Anno MCC Gerardus episcopus Bonon. concedit in emphiteusim quosdam agros canonicis s. Victoris. Testis adest magister Albertus ». *Ex tabulis in archivo s. Joann. in Monte.*

(3) « Anno Domini MCCIV, VI kal. Dec. Dominus Hugo prior sanctae Mariae de Reno in emphiteusim tradit domos quasdam domino Gandulfo de Gisso, ut designaverat magistro Alberto archipresbitero s. Agathae vel ejus fratri aut nepoti domino Gandulfo de Gisso ». *Ex archivo s. Salvatoris,* fasc. XXXII, n. 31.

« Anno MCCX, X kal. Octob. nominatur idem magister Albertus archipresbiter ». *Ibid.*

(4) « Supradictum exemplum sumptum fuit ex authentico scripto manu Cambii notarii, quo dominus Jacomellus et dominus Uspinellus (erant ex Carbonensium familia) filii quondam domini Madii, usi sunt in causa, quam habent cum abbate et syndico s. Stephani coram domino Jacobo abbate s. Proculi, et magistro Johanne decretista, et magistro Venantio a domino Papa judicibus delegatis, presentibus domino Bagarotto et domino Guidone Boncambii ». Desunt notae chronicae in lacera membrana archivi monachorum sancti Stephani.

(5) *Ex lib. Ax. in archivo Canonic. s. Petri Bonon.,* p. 13. — *Ex tabulis archivi s. Salvatoris,* fascic. XXIII, n. 42, etc. etc.

(6) « Honorius Episcopus dilectis filiis magistris Rufino doctori decretorum, Vernatio Tarvisino, Amatori Senensi canonicis Bononiae commorantibus ». *Extat in archivo Canonic. Eccl. Bonon.,* fasc. III, n. 10. — *Vide Appendicem.*

(7) Lib. † n. 51.

VI. Magister Oddo saepe nominatur in monumentis canonicorum Ecclesiae bononiensis et anno quidem MCCVIII in diaconorum ordine censetur. Deinde ejus memoria occurrit ad annum usque MCCXXXIII, quo cum aliis canonicis, ac nominatim cum magistris Martino, Lamberto et Tancredo, actis quibusdam sui collegii canonicorum interfuit (1). Anno MCLXXXXIV magistro Baziano sententiam pronuncianti cum magistro Lanfranco pro canonicis s. Salvatoris adfuit magister Oddo, ut ex tabulis allatis ubi de Baziano agebatur. An idem Oddo fuerit, qui postea inter bononiensis Ecclesiae canonicos adscriptus sit, nullo, ut opinor, indicio assequi possumus. Anno etiam MCCXV magistrum Oddonem habemus vicarium episcopi bononiensis, atque is mantuanus dicitur; de quo etiam incertum est, num sit idem cum nostro bononiensi canonico (2).

VII. Magister Martinus canonicus bononiensis cum superioribus vivebat, ut ante dixi. Patria florentinus fuit (3). Anno MCCVII diaconus canonicus dicebatur; ejusque mentio est in antiquis actis canonicorum ab anno MCLXXXXV ad annum usque MCCXXXIII. Hic videtur ad bellum sacrum profectus; erat enim Damiatae anno MCCXX cum aliis Bononiensibus (4).

VIII. Magister Lambertus canonicus bononiensis vixit eodem tempore ac superiores. Ejus mentio in tabulis Ecclesiae bononiensis ab anno MCCVII ad MCCXXXIII, in quibus nihil de eo memoratu dignum occurrit. Habemus constitutionem quamdam a collegio canonicorum bononiensium factam anno MCCXXI. Ex ea apparent quinque in eo collegio magistri nomine insigniti, Lambertus hic et Martinus et Oddo et, qui ceteris doctrina et celebritate praestabant, Gratia archidiaconus et Tancredus, qui Gratiae in archidiaconatu successit (5).

XXIV.

SEVERINUS.

R. ET W. DE S. LAUDO. ROMEUS. JOANNES DE EBULO. PEGOLOTTUS. CONUS. BELTRAMUS.

I. Ex literis Honorii III pro electione Tancredi archidiaconi bononiensis agnoscimus Severinum canonicum ariminensem scholarum nostrarum professorem. Datae sunt II kal. Februarias anno X, idest anno MCCXXVI. Atque ex negotii, de quo agebatur, magnitudine judicari potest quanti faceret hunc hominem Honorius. Acre dissidium exortum erat inter episcopum et canonicos bononienses, de jure eligendi archidiaconum; quod cum alia ratione compesci non posset, Pontifex ad se electionem avocavit et Tancredo canonico, praestanti doctrina viro, archidiaconatum contulit, atque ea de re ad Severinum scripsit ut electionem ab se factam promulgaret.

(1) *Ex archivo Canonic. Eccl. Bonon.*, fasc. III, n. 6. *Et in lib. Axium nuncupato*, pag. 13 etc.

(2) *Ex Reg. Gros. in archivo publ. Bonon.*, pag. 320.

(3) « Mag. Martinus de Florentia canonicus ». Ita dicitur in charta anni MCCXXI archivi Canonicorum Eccles. Bonon. In matricula Notariorum archiv. Bonon. ad annum MCCXXVI descriptus est « Ugolinus qu. Dandi Florentini nepos mag. Martini de Canonica ».

(4) *Ex tabulis in Reg. Gros.*, pag. 458. *Extant in archivo Communis Bonon.*

(5) *Vide Appendicem.*

II. Clari etiam in academia nostra fuisse videntur magister R. et magister W. de S. Laudo decretorum doctores, ad quos una et W. de Castaneto canonicum aquensem habemus Honorii III literas in causa cujusdam scholaris, quam illis cognoscendam Pontifex commisit. Sed ne nomina quidem illorum, non aliter quam per siglas expressa, satis cognoscere licuit. Editae sunt hae literae in quinta Collectione antiquarum decretalium, quam vulgavit Innocentius Cironius [1].

III. Fuere alii plures iisdem fere temporibus canonum professores, quorum tenuis memoria extat in civitatis nostrae monumentis. Talis est dominus Romeus doctor decretorum, qui anno MCCXXIII in vivis erat [2]. Tum magister Joannes de Ebulo canonicus capuanus, qui anno MCCXXXII arbiter electus est in magna causa canonicorum Sanctae Mariae ad Rhenum [3]. Adde et magistrum Pegolottum canonicum faventinum, cui plures causae magni momenti a Gregorio IX commissae sunt [4]. Vidi etiam nuper in charta abbatiae s. Stephani, sive Senatus Bononiensis, consilium magistri Coni et magistri Beltrami anno MCCXVIII pronunciatum in quadam causa monachorum s. Stephani. Fortasse idem est Conus ac magister C., ad quem Innocentii III epistola habetur, data kal. Septembres anni MCCVII [5]. Beltramus autem est aliunde ignotus.

XXV.

VERNATIUS.

MANZATOR SAMMINIATENSIS. AZO SENENSIS. BENE FAVENTINUS.

I. Magister Vernatius decretista jus canonicum per idem tempus Bononiae profitebatur. Fuit Ecclesiae tarvisinae canonicus; sic enim dicitur in inscriptione literarum Honorii III, quae ad eum una et magistrum Rufinum ac magistrum Amatorem datae sunt anno pontificatus V pridie kal. Augustas, hoc est, anno MCCXX. Judex etiam datus est Vernatius ab eodem Honorio Pontifice in causa monachorum s. Stephani cum Carbonensibus, ut ex tabulis supra indicatis manifestum est. Vivebat aliquanto post illud tempus Vernatius quidam doctrina clarus, sed patria prorsus et origine ignotus. Cum esset Innocentii IV capellanus, a collegio canonicorum Ecclesiae rheginae archiepiscopus ejus Ecclesiae electus est anno MCCLII, ejusque electionem probavit idem Innocentius Pontifex, et, qui non multo post ei in Petri cathedra successit, Alexander IV [6]. Is autem mature humanis exemptus, vix annis duobus archiepiscopatum rheginum administravit. Hunc esse Vernatium illum, qui Honorio III Pontifice inter academiae nostrae professores versabatur, pro certo quidem non affirmaverim sed tamen vero simillimum judico. Favet enim cum nominis novitas tum literarum professio. Cum autem Vernatius

(1) « Magistris R. et W. de S. Laudo doctoribus decretorum et W. de Castaneto canonico aquensi Bonon. commorantibus. Literas, quas super negotio Joannis scholaris ». Est c. I *De regular.*

(2) « Anno MCCXXVIII dominus Romeus doctor Decretorum praesens sententiae Jacobi abbatis Montis Armati, qua adjudicat monasterio sancti Archangeli de Castro Brittorum Vallemortam ». *Annal. Camald.*, t. IV, pag. 471. *Append.*

(3) Trombelli, *Storia di Santa Maria del Reno*, pag. 406, 408.

(4) Vide *Annal. Camaldul.*, t. IV, pag. 492. *Append.* — De hoc plura etiam in Codice diplom. Eccl. Bonon. in bibliotheca Instituti Scientiarum.

(5) « Magistri C. et G. decretorum doctoribus Bononiae commorantibus etc. ». Baluz., *Epist. Innocent. III*, t. II, pag. 65.

(6) Ughell. in *Archiep. Rheg. Ital. sacr.*, t. IX.

ille, qui rheginus archiepiscopus creatus est, capellanus fuerit Innocentii IV Pontificis, viri doctissimi jurisque pontificii non solum interpretis sed etiam auctoris, non quavis doctrina eruditum sed in jure canonico maxime doctum fuisse oportet illum, quem talis Pontifex eo munere apud se fungi voluit. Constat autem pontificios capellanos eos olim dictos, qui causas pro Pontifice ipso cognoscerent et judicarent. Angelus Zavarronius *Bibliothecae Calabrae* auctor ad Vernatium rheginum archiepiscopum pertinere putat opuscula quaedam contra *Aritmeticos, Musicos et Astrologos* aliaque diversi generis, quae manu exarata servantur inter codices Vitaliani Donati patavini. Putat etiam Zavarronius Vernatium in sede rhegina sedisse annis septem, contra quam scripserat Ughellus (1).

II. Diplovataccius Petrum Manducatorem legum doctissimum scribit fuisse iisdem temporibus quibus vivebat Carolus de Tocco, et ex ejus doctrina aliquid manasse in glossas decretorum (2). Ut autem dicto fidem adstruat lectorem amandat ad Joannem Andreae in additionibus ad *Speculum Juris* (3). Nos unum Petrum Manducatorem, sive Comestorem, in tota antiquitate agnoscimus. Sed is, ut in historia sacra egregie doctus fuit, ita nunquam ad jurisprudentiae studia accessisse videtur. Itaque nihil commune habet Petrus ille Comestor cum Petro Manducatore, cujus aliquae glossae in decretis esse dicuntur. Imo nunquam fuisse Petrum hunc Manducatorem existimo juris pontificii interpretem, quem inscitia posteriorum amanuensium, ni fallor, procudit. Fuit in scholis nostris post initium saeculi XIII non ignobilis decretorum professor *magister Manzator de Tuscia*. Hunc ego crediderim, ut alii professores supra communem modum docti facere consueverant, in librum decretorum, quem interpretabatur in scholis, glossas nonnullas scripsisse; cum autem aliqua ejus opinio iis probaretur, qui extremam manum apposuerunt concinnandis et undequaque colligendis glossis in librum decretorum, hinc glossas aliquas Manzatoris nomine notatas in glossarum apparatum, quo adhuc utimur, illatas fuisse. Sed cum delicatis vel amanuensium vel studiosorum auriculis italicum illud *Manzator* non bene sonaret, et vetus ille Petrus Comestor, sive Manducator, notissimus esset prae nostro Manzatore, facile fuit Petrum Manducatorem, sive Comestorem, earum glossarum auctorem scribere. Sed enimvero unicum et genuinum hujus hominis nomen est Manzator idest Manducator; quo ex nomine appellationem duxerat familia pervetusta et nobilis apud Samminiatenses in Etruria de Manzadoris, sive Mangiadoris, olim notissima, cujus perfrequens est et honorifica mentio in samminiatensibus annalibus (4).

III. Erat Bononiae Manzator anno MCCXXXII, quo anno cum multis aliis professoribus interfuit, cum canonici Ecclesiae bononiensis ratas habuerunt immunitates ab Henrico episcopo bononiensi concessas sororibus s. Francisci; nec ulla ejus mentio alibi occurrit. Est autem haec canonicorum bononiensium confirmatio inserta literis Inno-

(1) Zavarron., *Biblioth. Calabr.*, pag. 47-48.

(2) Gloss., *Decreti*, dist. XXX, c. 1 etc.

(3) « Item sciendum, quod quaedam glossae in decretis allegant Petrum Manducatorem ». Jo. Andreae in addit. ad *Specul.* in prooemio.

(4) Anno MCCII Mangiadorios, Guitios, Collegarios et Bonincontros in exilium actos narrat Laurentius Bonincontrius in *Annal. Miniaten.* apud Muratorium *Rer. Ital. Script.*, t. XXI, pag. 3. Idem ad annum MCCCLXVI Benedictum Mangiadorium memorat Johannis filium. *Ibid.*

Ex eadem familia Bononienses capitaneum populi habuerunt anno MCCCLXXVI Joannem, de quo in *Chronic. Bonon.* apud Muratorium *Rer. Ital. Script.*, t. XVIII, pag. 503.

Ac multo ante, anno scilicet MCCLXXXVIII, eodem munere apud Senenses functum novimus Baronem Manziatorum ex eadem samminiatensi familia, ut in veteri chronico senensi legitur apud Muratorium *Rer. Ital. Script.*, t. XV, pag. 40.

centii IV datis Perusiae anno IX, quae habentur in Codice Diplomatico Ecclesiae bononiensis manuscripto in bibliotheca Instituti Scientiarum et etiam editae sunt in Bullario Franciscano [1]. Ei porro canonicorum confirmationi testes adfuerunt *magister Aczo Senensis, magister Manzator de Tuscia, magister Bernardus Parmensis, magister Bene canonicus faventinus,* aliique plures. Hujus ergo Manzatoris esse censeo paucas illas glossas decretorum, quae Petro Manducatori tribuuntur.

IV. Sed venit mihi in mentem vetus fabella, quae diu per ora virum volitavit, de tribus fratribus, Gratiano, Petro Lombardo et Petro Comestore, ex eadem matre sed incerto patre genitis. Et quamvis ea nunc nemini cordato viro probetur, tamen cum fabulis vel putidissimis nunquam fere aliquid veri non subsit, cum fabula illa conficta est et tam placide recepta, vix credibile est vulgo persuasum non fuisse tres illos nobilissimarum facultatum magistros et principes italos fuisse. Hinc aliquis fortasse suspicari poterit Petrum Comestorem et italum esse et ex hac ipsa Mangiatorum familia, dictum propterea Comestorem, ut cognomen italicum latina civitate donaretur. Nam quod ajunt aliqui ita appellatum quod esset quasi quidam librorum helluo, id aeque commentitium arbitror ut illud quod narrant de ejus natalibus ex nefario concubitu. Atque id ipsum, ni fallor, ostendit ignotam fuisse ejus hominis familiam, quam si novissent qui de eo scripserunt, nec prorsus indicare omisissent nec fictitiam ejus cognominis interpretationem incautis propinassent. Accedit quod in antiquis libris manu exaratis plerumque non alio quam Petri Manducatoris nomine appellatur; eo quo conjici potest illud fuisse verum ejus cognomen; quod cum minus latinum videretur, Comestorem libentius appellarunt ceteri scriptores. Ex pluribus certe antiquis libris manu exaratis, in quibus Gussanvillaeus reperit sermones hujus auctoris, non aliter quam Petrus Manducator dicitur, ut ipse testatur in praefatione ad Opera Petri Blesensis. Inter codices quoque bibliothecarum Angliae saepius occurrunt Petri Manducatoris scripta, Sermones nimirum et Historia Ecclesiastica, propter quam magister historiarum dicebatur, ut decretorum Gratianus et sententiarum Petrus Lombardus [2]. Itaque dubitari non potest quin Manducator potius quam Comestor aetate sua sit appellatus. Si igitur ex Italia in Galliam migraverit Petrus Manducator, non absurdum erit ejus originem ex eadem gente repetere, ex qua noster canonum professor Manzator, sive Manducator, natus est. Sed hae conjecturae omnes facile difflabuntur, si solide quispiam ostenderit Petrum Comestorem, qui dein in Gallia floruit, indigenam fuisse nec aliunde profectum.

V. Habemus con Manzatore Azonem Senensem, Bene canonicum faventinum et Bernardum Parmensem, canonum professores. Postremus hic inter decretalistas, quos vocant, primum locum obtinuit et *Apparatum glossarum* in decretales edidit, quo nunc utimur. De eo postea dicemus. Superiorum duorum sat erit nomina indicasse.

(1) *Bullar. Franciscan.*, t. I.

(2) Inter codices Henrici Worseley habentur « Sermones Petri Manducatoris cum indice ». Auctor floruisse dicitur anno MCLXXX, t. II manuscriptus Angl. cod. n. 6857. Rursum in cod. Nicolai Theyeri: « Historia V. et N. Testamenti per M. Petrum Manducatorem ». Ibid. n. 6429. Etiam inter codices Hospitii Lincolnien n. 5666. 91 et Ecclesiae Erefordien. n. 1723. 121 et Ecclesiae Cathedr. Wigornien. n. 712. 37. Denique inter codices collegii s. Trinitatis habentur « Tractatus de poenitentia et confessione secundum Petrum Manducatorem et de aliis spiritualibus actibus ». Ibid. n. 553. In codice autem Caroli Theyeri habentur « Petri Comestoris, sive Manducatoris allegoriae bibliorum ». Est cod. 6654. Ibid.

XXVI.

GUILIELMUS NORMANNUS.

GUILIELMUS GUASCUS. ELIAS ANGLICUS.

THEBALDUS AMBIANENSIS.

I. Duos iisdem temporibus Bononiae habuimus canonum professores Guilielmi nomine, quorum alter decretorum alter decretalium doctor erat. Ille Guilielmus Normannus dicebatur, hic Guilielmus Vasco sive Guascus. Utrique autem cum Jordano episcopo patavino, qui per idem tempus Bononiae degebat, a Romano Pontifice commissa fuerat causa quaedam, quae agitabatur inter monachos s. Stephani et Fratres Cruciferos. Habemus ea de re tabulas anno MCCXXII scriptas, in qua plures nominantur illustres academiae nostrae professores, quas propterea in Appendicem contulimus. Sunt ibidem nominati magister Elias Anglicus et magister Thebaldus Ambianensis, mihi aliunde ignoti.

II. Sed Guilielmus Guascus a scholis nostris discessit ut Patavii jus canonicum doceret. Neque ipse solum discessit, sed alios quoque doctores nostros Patavium abducere conatus est, quemadmodum intelligimus ex ejus literis ad Petrum Hispanum scholarum nostrarum professorem, quibus eum invitat ad patavinam civitatem, ubi fausta omnia magnasque commoditates ei pollicetur. Indicavimus supra has literas, ubi de Petro Hispano agebatur, easque habemus in *Summa dictaminis magistri Guidonis Fabae,* cujus excerpta ex codice einsidlensi clarissimus Garampius, nuper ex Germania redux et germanicarum bibliothecarum spoliis onustus, mihi humanissime communicavit (1). Collatis porro his literis cum monumentis nostris, conjecturae probabiles vel potius omnino certae ducuntur de origine et initiis academiae patavinae, quam ortam existimo ex defectione nostrorum aliquot doctorum et scholarium, qui anno MCCXXII Patavium secesserunt.

III. Et quamquam nunc vulgo recentiores quique scriptores originem academiae patavinae repetant ab edicto Friderici II, qui interdictis scholis bononiensibus professores Patavium abire jusserit, id tamen nulla ratione nititur. Primo enim Friderici edictum contra scholas bononienses latum esse dicitur anno MCCXXV, triennio postquam patavinae scholae institutae fuerant; constat enim ex chronicis patavinis, id actum esse anno MCCXXII. Sic enim in iis legitur: *Hoc anno* (MCCXXII) *translatum est Studium Scholarium de Bononia Paduam* (2). Id autem mirifice congruit cum monumentis nostris; siquidem anno MCCXXII initio Aprilis Guilielmus Guascus adhuc Bononiae degebat, ut constat ex tabulis ad eam causam pertinentibus, in qua judicis delegati munere fungebatur, ut supra diximus (3). Anno autem, qui consecutus est, nulla ejus mentio in aliis tabulis ad eamdem causam pertinentibus (4); ex quo conjici potest

(1) Extat in codice Einsidlen. Monasterii plut. xxviii. n. 4. — *Vide Appendicem.*

(2) Edita sunt post *Chronic. Rolandini Patavini* apud Muratorium *Rer. Ital. Script.*, t. VIII, pag. 371.

(3) Scriptae sunt hae tabulae die octava Aprilis. — *Vide Appendicem.*

(4) *Ibid.* — Vide etiam infra in ALEXANDRO DE STAVEMBY inter *Theologiae professores.*

illum jam tum Patavium migrasse; quam in civitatem invitavit Petrum Hispanum aliosque fortasse plures ex nostris professoribus (1).

IV. Neque vero credibile est voluisse Fridericum scholas bononienses Patavium transferri, in civitatem sibi haud plane amicam, sed Neapolim potius transducendas curasset, ubi novam ipse academiam instituerat, ad quam aliquos ex nostris doctoribus, qui nati essent in regionibus Friderico subjectis, migrasse facile crediderim. Non aliam igitur fuisse causam censeo cur Guilielmus Guascus et aliquot alii ex nostris professoribus Patavium concesserint quam quae olim doctores alios Vicetiam et Arretium perduxerat, mutuam scilicet eorum consensionem et conspirationem. Diximus alio loco de legibus a populo bononiensi latis contra scholarium libertatem. Eas abrogari curavit Honorius III. Sed Bononienses diu restitere (2); quare indignati doctores et scholares aliquot Patavium commigrarunt. Fuit autem ex eorum numero magister Rufinus decretorum doctor (3), ille idem, ut arbitror, qui ab academia bononiensi legatus fuerat ad Honorium III anno MCCXX, ut de abrogandis iis legibus tractaret; qui cum majori studio academiae libertatem defendisset, credibile est majori etiam indignatione passum esse, in eo negotio se operam et oleum perdidisse. Haec igitur vera causa fuit cur aliqui e scholis nostris dilapsi Patavium perrexerint, quam cum ignorarent scriptores plerique omnes, edicto Friderici II scholas bononienses Patavium translatas tradiderunt.

V. Quoniam autem Jordanus episcopus patavinus Bononiae degebat an. MCCXXII, eique cum Guilielmo Normanno et Guilielmo Guasco commissa fuerat ea causa, quam diximus; anno autem MCCXXIII e civitate nostra discessisse videtur ut ex tabulis eo anno scriptis conjicere possumus; verisimillimum est eum fuisse vel ducem vel auctorem Guilielmo Guasco aliisque, qui de scholis bononiensibus deferendis conspiraverant, ut Patavium potius quam alio diverterent. Itaque verissimum censeo, quod clarissimus Facciolatus tradidit, novam hanc academiam se primum extulisse episcopo praeside, non tam *pro veteri inter literas et religionem societate, sive pro ejus aetatis more, qua episcopi non in rebus modo sacris sed plane in omnibus civitatis principes habebantur,* ut ipse existimat, quam propter operam ab episcopo ipso impensam, ut novum illud examen doctorum et scholarium ab academia nostra prodeuntium exciperet et foveret.

VI. Guilielmum Guascum habemus in tabulis publicis anno MCCXIX confectis, cum Petrus Lovelli filius magistro Reginaldo Aurelianensi, Fratrum Praedicatorum Bononiae praefecto, fundum venderet, juxta aedem s. Nicolai de Vineis, ad coenobium pro iisdem Fratribus construendum; ibi inter ceteros testes *magister Guilielmus de Guasconia canonicus aquensis* (4) recensetur. Tabulas in archivo s. Dominici Bononiae vidimus, quae novissime editae sunt in primo volumine Annalium Ordinis Praedicatorum (5).

(1) Suspicor etiam Guilielmum Normannum Patavium cum Guasco migrasse; nam is quoque absens fuisse videtur a scholis nostris an. MCCXXIII cum tabulae illae scriptae sunt; in iis enim occurrit magister Alexander theologiae doctor subdelegatus episcopi patavini; et magistri Guilielmi Normanni. Videtur autem propterea magistrum Alexandrum subdelegasse quod a civitate nostra abesset.

(2) Vide quae diximus in ROFREDO BENEVENTANO.

(3) « Magistrum Rufinum Decretistam » Patavii anno MCCVI degentem produnt antiquae tabulae, quas vidit clarissimus Facciolatus. Vide FACCIOL., *Syntagm.*, pag. 3.

(4) An idem ac W. de Castaneto canonicus aquensis, ad quem sunt Honorii III literae? Vide supra ad pag. 398.

(5) *Annal. Ord. Praedicat.* Appendix, pag. 371.

XXVII.

JOANNES TEUTONICUS.

I. Quod in juris caesarei libris Accursius, hoc in decretorum volumine fecit Joannes Germanus, Teutonicus vulgo appellatus, cujus Accursium imitatorem fuisse censeo, is enim Accursium aetate praecessit. Itaque omnium primus Gratiani Decretum perpetuis commentariis illustravit Joannes Teutonicus. Sed vereor ne nimis exaggerata ejus laus sit, cum dicitur herculea audacia tantum opus ab eo susceptum (1), quasi omnino esset supra vires humani ingenii, cum praesertim dubium non sit quin ex aliorum laboribus profecerit et plura ex aliorum glossis corraserit, ut Accursius ipse in legum libris et Bernardus Botonus in decretalibus Gregorii IX interpretandis fecerunt. Est igitur Joannes Teutonicus auctor glossae Decreti, quam ordinariam vocamus, quae cum Decreto ipso est edita. Ejus summa semper auctoritas est habita, nec minor quam accursianae glossae in jure civili. At ea, qua nunc utimur, plane genuina non est, sed ab aliis ac praesertim a Bartholomaeo Brixiensi interpolata et reformata. Visus mihi est in bibliotheca regii Hispanorum Collegii ad divi Clementis Bononiae, nec dubito quin alibi facile reperiatur, antiquus Gratiani liber manu exaratus in membranis cum apparatu et glossis Joannis Teutonici, ex quo cum editis collato diligens lector secernere posset genuinas Joannis Teutonici glossas ab aliorum additamentis. In iis aliquas decretales allegat, quae non sunt inter decretales communes Gregorii IX, sed sunt in antiquis collectionibus decretalium. Hinc apparet ante Gregorii IX tempora glossas in decretorum volumen a Joanne Teutonico editas (2). Habuimus etiam Joannis Teutonici glossas in priores antiquarum decretalium collectiones (3). Sed praesertim in quartam collectionem doctissima scholia scripsit, quae edita sunt ab Antonio Augustino cum insigni auctoris commendatione (4). Continet haec quarta collectio decretales Innocentii III, quae prodierant post duodecimum pontificatus sui annum et decreta concilii lateranensis anno MCCXV habiti. Quam collectionem cum Joannes Teutonicus interpretaretur, suum apparatum in decretorum librum jam absolverat, quoniam aliqua ex eo sumit in his decretalium scholiis, ut Antonius Augustinus observat (5).

II. Multum profecit Joannes Teutonicus in concinnando decretorum apparatu ex laboribus aliorum interpretum, qui ante illum floruerunt, ut supra dictum est. Itaque saepe laudat Rufinum, Bazianum, Joannem Faventinum aliosque, de quibus supra diximus. In primis autem expilavit Huguccionem, cujus glossas frequentissime affert et opiniones ut plurimum sequitur, quandoque etiam refutat. Quare haud equidem intelligo cur tam multi scriptores hoc praecipue in Joanne Teutonico praedicare soleant (6), quod primus

(1) MELCH. ADAM. in *Vit. Jurisconsultorum German.* et KRANTZIUS, *De Reb. Saxon.*, lib. VIII, c. 27.

(2) Ita observat Jo. Bapt. de S. Blas. in prooemio *Decretor.* apud Diplovat.

(3) « Glossas Jo. Teutonici (in antiquas decretales) habemus abundanter ». Jo. ANDR. in prooem. ad *Specul.*

(4) « Addidimus (ad quartam collectionem) Joannis Teutonici doctissima scholia et quorumdam aliorum. Hic ille est Joannes, cujus extant ad Gratianum doctissimae lucubrationes, a Bartholomaeo Brixiensi postea interpolatae, quarum in hoc opere mentionem facit ». ANT. AUGUSTIN. ad quartam decretal. Collect.

(5) ANT. AUGUSTIN., *loc. cit.*

(6) Hos nuper secutus est Carolus Ferdinandus Hommelius in *Literatura Juris,* lib. I, c. XIX, p. 376. Lipsiae MDCCLXI.

in Gratiani librum commentaria ediderit. Hanc laudem s. Antoninus [1] aliique plures Huguccioni tribuere solebant, quamquam ne id quidem aequissimo jure nam plurimi ante Huguccionem in Gratianum scripserant; sed tamen Huguccionis opus grande et spissum et maxime elaboratum superiorum luminibus obstruxerat. Et quamquam Huguccioni notus fuerit Joannes, illustris decretorum professor, cujus ipse auctoritatem usurpat et Summam decretorum laudat [2], pro certo habeo hunc non fuisse Joannem Teutonicum sed Faventinum, cujus scripta magni fuerant apud juris canonici professores ante Huguccionem.

III. Guilielmus Durantis antiquos juris canonici interpretes ex ordine recensens, post Vincentium et Tancredum Joannem Teutonicum ponit [3]; quem ordinem fere secutus est Joannes Andreae, cum inter Vincentium et Tancredum, Joannem Teutonicum constituit [4]. Sed hos omnes in academia nostra una vixisse mihi certum est, licet Vincentius aliquanto reliquis duobus aetate inferior fuisse videatur. At Joannes Teutonicus, cum Azonem in jure civili audierit [5], qui obiit anno MCCXX et scholia scripserit in quartam antiquarum decretalium collectionem, quae prodiit extremis Innocentii III annis, non multo post initium saeculi XIII in scholis nostris floruisse debuit. Et sane ipse fatetur se aliquando Innocentii III sententiam in quadam juris quaestione explorasse: *Mihi,* inquit, *Papa Innocentius dixit, quod talis electio non valet; eligo istum si Papae placuerit.* Est hinc Innocentius III, quem etiam alio loco absque ulla nota allegat. *Innocentius tamen dicit quod non licet dispensare cum bigamo, ut extra. De bigam. c. Nuper.* Est autem haec Innocentii III decretalis epistola in tertiae collectionis libro I, tit. *De bigam.* c. *Nuper* [6].

IV. Non igitur audiendos censeo, qui dicunt Joannem Teutonicum vixisse multo serius, ad tempora usque Clementis IV, cui maxime invisus fuerit, propterea quod ad concilium generale appellasset, ob decimas ab eo Pontifice in Germania indictas; quam ob causam ab eodem Pontifice excommunicatum ferunt, ac tandem anno MCCLXIX obiisse narrant, quo etiam anno ipse Clemens IV humanis exemptus est; in quo saltem falluntur cum Clementis IV obitum in annum MCCLXIX conjiciunt, qui anno superiore obierat. Addunt aliqui Joannem Teutonicum, scholis relictis, Ordinem Praedicatorum ingressum esse, mox praepositum alberstadiensem in Saxonia creatum; qua ex dignitate otium nactus glossas in decretorum librum scripserit [7]. Fuit nimirum Joannes quidam Teutonicus ex Ordine Praedicatorum, qui Summam de casibus conscientiae conscripsit eodem illo saeculo, quo vixit Joannes noster [8]; atque hinc factum censeo, ut aliqui imperite existimarint, Joannem decretorum glossatorem Ordini Praedicatorum nomen dedisse.

V. Thomas Diplovataccius utrumque Joannem Teutonicum optime discrevit et hunc quidem juris pontificii interpretem, praepositum alberstadiensem, sive, ut ipse scribit,

(1) « Primus glossator ejus (Gratiani) fuit Hugo seu Huguitio. Secundus, qui glossavit, fuit Joannes Teutonicus et ista est glossa communis in textu ». S. ANTONIN., *Chron.*, p. II, tit. XVIII, c. VI.

(2) « Quod dicitur propter quosdam, qui dicunt sacrilegos ipso jure excommunicatos, sicut magister Joannes in sua Summa ponit casum ». HUGUC. in c. *Sane*, XXIV, q. II.

(3) GUILIEL. DURANT. in prooem. *Spec.*

(4) JOANN. ANDREAE in addit. ad *Spec. Juris* in prooemio.

(5) Vide infra.

(6) Ex glos. Joann. Teut. ad quartam collect. decretal., lib. II, tit. III, *De praebend.* c. 4, edit. Ant. Augustini.

(7) Haec partim ex Krantzio lib. VIII *De reb. Saxon.* c. 27, partim ex Melchior. Adam. in *Vit. German. jurisconsultorum.* Videndi etiam Doujat in *Praenot. Canon.* lib. V, c. III, § VI, et Placcius *De anonym.*, pag. 215, Pancirol. etc.

(8) Summam *De casibus conscientiae* manuscriptam vidi in bibliotheca s. Salvatoris Bononiae.

alberstensem fuisse ait, alterum vero auctorem *Summae casuum conscientiae,* quae Joannina de ejus nomine appellata est, Ordinis Praedicatorum professorem (1). Tradit idem Diplovataccius Joannem decretorum glossatorem obiisse anno MCCXXXXV, ex fide Jacobi Yamphlingi scriptoris germani non admodum antiqui. Quod si verum est ad multam aetatem eum vixisse oportet, quippe qui sub finem saeculi XII vel initium XIII videtur ad interpretandum decretorum volumen accessisse, ut rationibus rite subductis intelligi potest. Sed quoniam in membranis alberstadiensis Ecclesiae mentio est Ludolphi Praepositi ad annum MCCXXXX viventis, ut observat Joannes Michael Heineccius in tertio libro Antiquitatum Goslariensium, oportet Joannem Teutonicum jam tum obiisse, et vacuam Ludolpho Praeposituram reliquisse (2). Quod autem ait Diplovataccius Joannem floruisse cum Accursio ad annum MCCXXVII, id prorsus non negaverim, si extrema Joannis tempora cum primis Accursii conferantur. Sed quoniam nullas Joannis glossas habemus in decretales Honorii III, nullas in postremam Gregorii IX collectionem, eum credo non multo post editam quartam collectionem decretalium, extremis Innocentii III temporibus a scholis nostris recessisse, ut ad suum alberstadiense sacerdotium se conferret, ubi tandem anno MCCXXXX, aut fortasse etiam citius, finem vivendi fecerit. Certe dubitatum est aliquando num viderit decretales Gregorii IX, in suis enim decretorum glossis quandoque allegat decretales, quae erant in antiquis collectionibus et praetermissae sunt in decretalibus gregorianis (3). Quod si tot annis vixisset post editas Gregorii IX decretales, quae prodierunt anno MCCXXXIV, non omisisset vir doctus et impiger suas glossas ad incudem revocare, ut eas ad novarum decretalium normam aptaret, quod postea fecit Bartholomaeus Brixiensis. Quod autem aetatem non duxerit usque ad Clementis IV pontificatum, cum ex aliis rationibus, quas ante indicavimus, tum ex eo constat quod Bartholomaeus Brixiensis, qui in academia nostra floruit Gregorio IX Pontifice et discipulus fuit Laurentii Hispani, qui paulo post initium saeculi XIII in scholis nostris jus pontificium interpretabatur, Joannis ipsius commentaria in librum Gratiani reformanda susceperit, quod eo vivente non fecisset.

VI. Audierat Joannes Teutonicus in jure civili Azonem (4), cum quo etiam familiariter vixit, ut ipse in suis ad Gratianum commentariis testatur (5). In jure pontificio quem praeceptorem habuerit non liquet. Laudatur quod frequenter leges civiles adsciscat ad canones interpretandos exponendosque. Hunc aliqui Joannem Semecam dicunt, quae

(1) « Fuit alter Jo. Teut. Ord. Praedic. qui composuit *Summam de casibus conscientiae,* quae est prolixa et utilis et dicitur Joannina, seu *Summa confessorum,* de quo archiep. florent. in 3 p. histor. n. 23, c. XI, § 2. Sed Joannes glossator floruit tempore Accursii 1227. Fuit praepositus alberstensis, ut ex Jacobo Yamphlingo *De laud. German.*, fol. 24. Obiit anno MCCXXXXV ex eodem ». DIPLOVAT. in *Joann. Teutonico.*

Hanc *Summam casuum conscientiae* fr. Joannis Teutonici vidi nuper in cod. Vatic. 2203, in quo sunt alia hujus auctoris opuscula, cum hac adnotatione: « Nota quod lector iste Joannes ante compilationem hujus Summae confessorum, fecerat tabulam, idest indicem, super Summa Raymundi et Apparatum ejus, idest glossas, quas in multis antiquis exemplaribus Summae s. Raymundi adjectas vidi, verificatione quorum, seu declaratione plurium, quae in ipsa Summa et glossa ejus habentur, nec non et quemdam libellum specialem de quaestionibus criminalibus, cui libello hunc prologum praeposuit: *Prologus Fr. Johannis Lectoris in Libellum Quaestionum criminalium.* Cum dubiorum nova quotidie difficultas emergit, casuum doctores moderni tam theologi quam juristae plures casus et legendo et scribendo determinarunt, qui in antiquis compilationibus non habentur etc. ».

Post hanc *Summam Quaestionum criminalium* dat auctor excerpta ex lib. VI Decretalium Bonifacii VIII, mox indicem totius Operis.

(2) Jo. MICHAEL. HEINECCIUS, *Antiquit. Goslarien.*, lib. III, pag. 253.

(3) DIPLOVAT. ex ARCHID. in c. *Si consuetudine,* dist. VIII.

(4) Idem DIPLOVAT. in *Joann. Teuton.*

(5) « Saepe nimia familiaritas contemptum generat.... quod verum est inter fatuos. Ita exponebat Azo, ut ab eo audivi ». JOANN. Glos. in c. *Quando necessitas,* dist. LXXXVI.

appellatio unde petita sit ignoro. In antiquis libris non alio quam Joannis Teutonici nomine insignitur (1), nec, quae nunc cognomina appellamus, admodum tunc in usu erant cum Joannes Teutonicus in humanis agebat.

VII. Lepidum de illo commentum narratur, quod oblectandis lectoribus opportunum censeo. Ajunt ex nefario concubitu natum, quae res magnam ei concitarit invidiam et contemptum apud sodales suos canonicos alberstadienses. Itaque, cum ei saepius exprobrarent natalium infamiam et de parentibus interrogarent, hanc iniisse rationem dicitur eorum proterviae cohibendae. Omnes aliquando in suis aedibus splendido ac magnifico convivio excepit, cumque iteratis poculis optime exhilaratos comperisset, rogavit num suum quisque patrem illico conspicere vellet, idque se facile effecturum magicis artibus spopondit. Annuere omnes. Is autem sumpta virga, cum carmen mussitasset, illico in conspectum venerunt evocatae ex inferis animae eorum hominum, cum quibus canonicorum matres furtivos complexus habuerant. Erat haec vilissima turba coquorum, mulionum et si quid sordidius est in infima populi faece, ac suus erat cuique vultus, dignus persona quam gerebat et ridendae omnium formae. Tum vero patrem suum ostendit liberali facie et honesta canonici veste indutum, matrem vero, ut nobile scortum decebat, splendide ornatam; atque ita sodales suos procaciter compellans, quis nostrum, inquit, de natalium claritate magis superbiat? Illi vero in hunc modum correpti et matrum suarum contumelia tacti, nullam Joanni molestiam ob natalium conditionem deinceps attulerunt. Se ipsam prodit haec fabula. Sed quis credat doctum hominem et eruditum, dum eam explodit et rejicit, hinc tamen argumentum sumere ut Joannem Teutonicum spurium fuisse definiat (2)?

VIII. Alii alias ob causas invisum fuisse dicunt Joannem Teutonicum sodalibus suis, quod nimirum eorum ignaviam atque inscitiam palam redargueret. Addunt nescio quam nascentem in populo superstitionem ab eo praefocatam, et opinionem fictitii miraculi deletam, qua de re, quasi violatae religionis reus, apud credulum vulgus traductus est ab aemulis. Et accusatus etiam magiae dicitur, quod pertinet ad fabellam quam exposuimus, et irreverentis animi atque contumacis erga Romanum Pontificem, a quo etiam excommunicatum fuisse scribunt. Et ne quid ad tragoediam desit, ob manifestam numinis iram ea morte sublatum dicunt ut videri possit de caelo tactus interiisse (3). Melchior Adamus, qui Joanni Teutonico primum locum inter jurisconsultos germanos concedit, hunc titulum ad ejus sepulcrum positum fuisse scribit:

Est, erit, atque fuit qui desinit esse Joannes,
Dogma viget, viguit, florebit in omnibus annis.
Lux decretorum, dux doctorum, via morum
Hic jacet, et placet ut vacet a poenis miserorum (4).

Vel hic ipse honor sepulcri, ejus cineribus habitus, satis ostendit insipienter omnino excogitata esse quae de ejus infelici morte dicuntur.

(1) Ad calcem egregii voluminis, quo Gratiani Decretum cum Joannis glossis continetur, haec adnotatio habetur: « Explicit apparatus decretorum editus a Jo. Teutonico ».

Decretum de litera nova cum apparatu magistri Jo. Teutonici pretio C libr. Bonon. emit Odofredus, celebris legum doctor, anno MCCLVI, ut ex tabulis, quas Bononiae vidi in archivo Fratrum Minorum lib. B, n. 18. Innumera de generi hoc proferri possent.

(2) Vide Hommelii *Literaturam juris*, lib. I, c. XIX, p. cit.

(3) Jo. Mich. Heineccius, *loc. cit.*

(4) Melch. Adam., *De vit. jurisconsultorum German.*, pag. 2.

JOANNIS TEUTONICI SCRIPTA.

Quae scripta reliquerit Joannes Teutonicus satis manifestum est ex iis, quae diximus, *Apparatum* scilicet, sive *Glossam Decreti*, quam postea supplevit et emendavit Bartholomaeus Brixiensis.

Glossas in quartam collectionem antiquarum decretalium, quas Antonius Augustinus, a quo editae sunt in lucem, doctissimas appellat. In utroque opere Joanni Teutonico perpetuus usus fuit legum civilium in exponendis decretalibus Pontificum aliisque legibus ecclesiasticis; jam tum enim intellexerant professores juris canonici perfectam ejus cognitionem ab eo haberi non posse, qui in jure civili plus quam mediocriter versatus non esset.

XXVIII.

JACOBUS ALBINGAUNENSIS

EPISCOPUS FAVENTINUS.

I. In quintam decretalium collectionem, quam Honorius III ad Tancredum archidiaconum et academiae nostrae praesidem misit, ut eam in scholis et judiciis recipi curaret, cum cito obsoleverit ob gregorianas decretales, quae paulo post vulgatae sunt et antiquas collectiones e gradu dejecerunt, unus Jacobus Albanus glossas scripsisse dicitur (1). Alii Jacobum de Albasco appellant (2). Est hic omnino Jacobus Albingaunensis sive *de Albenga*, cujus nomen librariorum inscitia ita depravatum est. Non defuere etiam qui Joannem pro Jacobo dixerint (3). Nec dubito quin patria albingaunensis fuerit, ut a Jo. Andreae et a *Speculatore* aliisque passim appellatur. Hic floruisse in foro videtur admodum juvenis. Anno enim circiter MCCX advocatus erat in causa, quam sua decretali, ad eum annum edita, definivit Innocentius III (4). Assumptus est postea ad praeposituram albingaunensem (5) et ad faventinas tandem insulas, ut scribit Guilielmus Durantis (6). Nec vero Jacobum alium faventinum episcopum decurrente saeculo XIII fuisse non dubie accepimus, praeter eum qui electus anno MCCLVIII sedem illam tenuisse dicitur usque ad annum MCCLXXIV (7).

II. At enim suspicari forte quis posset non tam longe vitam produxisse Jacobum Albingaunensem, sed faventinam Ecclesiam aliquanto maturius administrasse; scilicet inter Albertum, cujus extrema mentio superest ad annum MCCXXXIV, et Zulianum,

(1) « Ja. de Al. mag. Hosti. glossavit Honorianas ». JOANN. ANDREAE in addit. ad *Speculum* in prooemio. — ANTON. AUGUSTIN. in praefat. ad *Decretales antiquas* hunc interpretatur fuisse « Jacobum Albanum ».

Editae sunt Honorii III decretales anno MCCXXVI, quo Tancredus creatus est archidiaconus bononiensis, vel insequenti, quo Honorius Pontifex decessit.

(2) Jacobus de Albasco dicitur a DIPLOVATACCIO in *Jac. de Alb.*

(3) PANCIROLUS, lib. III, c. VIII appellat modo Jacobum Albanum, modo Jacobum de Albenga. Sed rursum c. XIII eumdem dicit Joannem Albiganensem.

(4) JOANN. ANDREAE ad decretalem Innocentii III, quae juxta Pithoeum emanavit circa annum MCCX et est c. *Fraternitatem. De sepulturis,* haec habet: « Dicebat Abbas, quod magister suus (scilicet, Petrus de Sampsone) dicebat se vidisse locum, et quod ipsius magister, scilicet Jacobus de Albenga fuerat advocatus in causa, dicens, quod ecclesia erat Genuae, et monasterium extra civitatem ».

(5) « Dicit Hostiensis se audivisse a magistro suo Jacobo praeposito albig. ». JOANN. ANDREAE in c. *Ex literis. De excess. praelat.*

(6) « Jacobus de Alb. episcopus faventinus etc. ». GUILIEL. DURANT., *Spec. Juris* in prooemio.

(7) Vide UGHELL. in *Ep. Faventinis,* et adnotat. Petri Canneti abbatis camald. ad eosdem episcopos in postrema Ughelli editione.

qui anno MCCXXXXIX *Electus* dicitur (1), Jacobum vero illum, qui anno MCCLVIII creatus est, alium ab Albingaunensi fuisse. Sed, ut ut res se habet, neque Ughellus in episcopis faventinis neque Tonduccius in faventina historia persenserunt episcopatum ejus civitatis gessisse Jacobum Albingaunensem, juris canonici professione clarum, Henrici Cardinalis Ostiensis et Petri Sampsonis magistrum. Hunc esse conjiciebat Diplovataccius Jacobum illum decretorum doctorem, qui cum degeret in scholis nostris veste utebatur introrsum aperta contra decorum dignitatemque doctoris; qua de re a *Speculatore* notatus est (2). Sed fuit is Jacobus Alberti Bonacosae canonicus bononiensis, de quo infra dicemus.

XXIX.

S. RAYMUNDUS DE PENNAFORT.

I. Barcinone in Hispania natus est Raymundus ex nobili familia de Pennafort saeculo XII ad finem properante (3); cumque in patria sua primam aetatem humaniorum literarum studiis impendisset, ibi et dialecticam aliasque philosophicas disciplinas non solum didicit sed aliqui etiam docuisse tradunt (4). Post autem Bononiam venit (5) velut ad commune bonarum artium domicilium (6). Hic autem cum annos aliquot juri civili et pontificio se totum dedisset, doctoris honore donatus est, et jus etiam pontificium, in quo maxime excellebat, frequentibus auditoribus in nostris scholis aliquandiu exposuit (7).

II. Erat academia nostra plena tunc viris doctissimis, atque inter professores juris civilis ceteris eminebant Azo, Bagarottus, Hugolinus Presbyteri et Jacobus Balduinus; in jure autem canonico percelebres erant Laurentius Hispanus, Joannes Teutonicus, Tancredus aliique, suo loco memorati. Cum his vixit Raymundus, cujus autem disciplinam secutus sit non liquet. Ipse in *Summa Poenitentiali,* quam scripsit, decem juris canonici professores allegat, qui partim cum eo partim antea in scholis nostris floruerunt, Bazianum scilicet, Joannem Wallensem, Alanum, Laurentium, Tancredum, Rufinum, Melendum, Huguccionem, Joannem Teutonicum et Vincentium; sed neminem indicat, quo magistro usus sit in ea facultate perdiscenda.

III. At Berengarius episcopus barcinonensis, cum Romam venisset et de Raymundi doctrina praeclare multa dici audisset, ad Ecclesiam suam rediens eum secus adduxit, sperans magno eidem Ecclesiae suae et ornamento et utilitati futurum. Discessit autem

(1) Zulianum, Ughello et aliis ignotum, ex antiquo monumento eruerunt *Annal. Camaldul.*, t. IV, pag. 383.

(2) « Et forte iste est Jacobus decretorum doctor, qui Bononiae legebat et portabat vestem fissam, de quo *Specul.*, tit. *De advocat.*, § *Sequitur videre* in fin. ». DIPLOVAT. in *Jacobo de Albasco.*

(3) Aliqui scribunt, in agro barcinonensi natum in vico, qui de Pennafort diceretur, ex quo ejus familia agnomen duxerit. Vide adnotata ad *Vitam sancti Raymundi* praemissam ejus *Summae*, edit. Veronae 1744, cap. I, pag. 28.

(4) *Ibid.*, pag. 29, n. 3 in adnot.

(5) Venisse dicitur Bononiam anno MCCV, vel MCCXI, qua de re nihil certi habemus. Tantum exploratum est Bononiam venisse ante Augustum mensem anni MCCXI, ex monumentis allatis in notis ad ejus Vitam, *loc. cit.*, pag. 29, n. 4.

(6) « Bononiam, velut ad commune bonarum artium domicilium et disciplinarum emporium profectus est ». CLEMENS VIII in *Bulla canoniz. s. Raymundi,* c. I, n. 9.

(7) « Hic fuit excellens doctor in jure canonico, in quo rexit Bononiae ». Ita B. HUMBERTUS coevus scriptor in Raymundi elogio apud ECHARD, *Script. Ord. Praed.*, t. I, pag. 106. — Et in actis Capitulorum generalium ejus Ordinis, ad acta Capituli anno MCCXXXVIII celebrati, electus dicitur « F. Raimundus de Pennafort Catalanus, qui fuerat doctor in Decretis Bononiae ». *Ibid.*, pag. 107.

ex nostris scholis ad annum MCCXIX (1), ac triennio post Ordinem Praedicatorum Barcinone ingressus est. Ejus autem exemplum, hominis nimirum omnium opinione doctissimi, quique sibi ob eam rem ad magnas opes ac dignitates aditum aperuerat, tantum valuit ut plures viri spectatae nobilitatis ac doctrina praestantes, in eumdem Ordinem admitti postulaverint. Atque in his fuit Petrus Ruber (2), pridem in academia bononiensi Raymundi sodalis, incertum inter scholares an ex numero professorum. Quae postea egerit vir sanctissimus idemque doctissimus, quae munera gesserit cum in Ordine suo tum apud Sedem Apostolicam, quos denique libros scripserit aut labores susceperit pro Ecclesia Dei, mei instituti non est hoc loco dicere, et uberrime haec exposita sunt a scriptoribus Ordinis Praedicatorum, a Bollando aliisque sanctorum et doctorum hominum biographis.

IV. Illud tamen mihi omnino praetereundum non est, ceteroqui notissimum, Raymundum a Gregorio IX P. M. Romam evocatum, ut ejus opera uteretur colligendis et in ordinem digerendis decretalibus Pontificum, quae extra corpus juris canonici a Gratiano compilatum vagabantur, partim quinque prioribus collectionibus, quae ante illud tempus prodierant, contentae, partim seorsim editae ac dispersae. Tantum opus aggressus est s. Raymundus circa annum MCCXXX ac triennio absolvit. Itaque anno MCCXXXIV Gregorius Pontifex novum hunc codicem juris canonici in quinque libros distributum promulgavit, atque inscripsit academiae nostrae bononiensi, mandans doctoribus nostris, ut eo in scholis et judiciis uterentur, qua de re alibi dictum. Haec itaque decretalium collectio tantae auctoritatis fuit, ut ex ea una jus dici et doceri coeperit, aliae autem collectiones, quae antea in usu erant, omnino obsoleverint. Belle autem cecidit, ut quoniam corpus juris canonici in academia nostra praeformatum fuerat a Gratiano Monacho, haec nova adjectio, quae Gratiani libro facienda fuerat, auctorem habuerit s. Raymundum, academiae item nostrae alumnum.

V. Hic autem dissimulare non possum insigne erratum Thomae Diplovataccii, qui praeter s. Raymundum, Raynerium quemdam *de Pena forti* inducit, canonistam, ut ipse putat, egregium, qui nunquam inter homines fuit. Viderat, opinor, in quibusdam antiquorum scriptis citatum s. Raymundum, ejus nomine in hunc modum expresso *Ray.*, ut fere doctorum nomina compendio exprimi solebant, atque ibi se Raynerium vidisse visus est.

XXX.

TANCREDUS

ARCHIDIACONUS BONONIENSIS.

VINCENTIUS HISPANUS.

I. Fama notissimus est Tancredus canonum professor, ad quem Honorius III suam decretalium collectionem misit, ut eam in scholis nostris promulgaret, sed ei locum tribuemus inter archidiaconos bononienses, de quibus post reliquos professores agemus.

(1) Ex monumentis indicatis in *Annalibus Ord. Praedicat. ad annum MCCXIX,* n. XXXXIII, pag. 549.

(2) Vide adnotata ad cap. II *Vitae s. Raymundi* ante ejus *Summam* edit. Veronae, pag. 30, adnot. 3.

II. Vincentium Hispanum, clarissimum canonum professorem, quam parum noverit Pancirolus haec ejus verba declarant: *In Gratiani opus,* inquit, *glossas ediderunt Laurentius Cremonensis, Vincentius Castillioneus mediolanensis, summus canonista, et Bernardi Bottoni praeceptor, Oldradus vero hispanum fuisse affirmat* (1). De Laurentio satis dictum est. Vincentium vero hispanum fuisse, non secus ac Laurentium, notissimum est (2); nec de fide Oldradi dubitandum fuerat, qui Dini Mugellani auditor in nostris scholis fuerat labente XIII saeculo, quo saeculo admodum adulto Vincentius adhuc erat in vivis (3).

III. Hic diu videtur in scholis nostris versatus. Scripsit enim glossas in quatuor priores antiquarum decretalium compilationes (4), ex quo apparet, diu illum interpretandis decretalibus occupatum fuisse, antequam gregorianae decretales prodierint. Post autem, ubi lucem aspexerunt Gregorii IX decretales, iis quoque interpretandis se totum dedit Vincentius, et ampla atque erudita in ea dedit commentaria (5). Ex hujus autem laboribus maxime profecit Bernardus Botonus parmensis in commentariis ad decretales gregorianas, qui nullum fortasse ex antiquarum decretalium interpretibus frequentius allegat, quam Vincentium. Quamvis autem Bernardus superiores omnes decretalium interpretes, suo glossarum apparatu edito, exauctorasse visus sit, suus tamen honor Vincentio mansit ejusque glossae et commentaria in decretales summo in pretio fuerunt apud clariores quosque canonum professores, qui post aetatem illam vixerunt. Id plane ostendunt scripta Ostiensis, Bernardi Compostellani junioris, Guilielmi Durantis ac praesertim Abbatis antiqui, qui vix alium fere allegat ex antiquis decretalium interpretibus quam Vincentium.

IV. Animadversum est a Joanne Andreae, a Vincentio interdum allegari Tancredum et contra a Tancredo Vincentium; ex quo apparet eos una vixisse, quod aliunde etiam erat notissimum. Ac fortasse aliqua aemulatio fuit inter duos hosce primarios canonum professores, ut aliqua ejus verba in commentariis ad decretales gregorianas ostendunt (6).

V. Audierat Vincentius in jure civili Accursium glossatorem (7); quo magistro tantum profecit quantum ejus scripta demonstrant. Id quippe peculiare est in ejus glossis et decretalium commentariis, ut perpetuam consensionem inter jus canonicum et civile demonstret. Quem autem praeceptorem in jure canonico habuerit, non constat. Neque vero certum est, quod tradit Pancirolus, ejus auditorem fuisse Bernardum Parmensem. Ita enim de Bernardo loquitur Guilielmus Durantis in *Speculo,* ut cum dicat fuisse Tancredi discipulum, negare videatur fuisse discipulum Vincentii (8). Et quam-

(1) Panciroli., lib. III, c. III.

(2) Ptolomaei Lucensis testimonium vide supra in Laurentio Hispano.

(3) Consentit Diplovataccius, qui Vincentium patria hispanum aperte dicit; nec ullus est antiquus auctor, qui mediolanensem scribat.

(4) « Ala. Laur. Vinc. Jo. Teut. et Tanc. glossas abundanter habemus in antiqua nimirum decretales ». Joann. Andreae in addit. ad prooem. *Specul.*

(5) « Vincentius autem, qui scripserat super IV compilationibus, facta compilatione Gregorii, glossavit illam ». Joann. Andreae, *loc. cit.*

(6) « Et ita notavi in sequenti glossa, quia mag. T. dedignatus est opinionem meam, imo veritatem, quod numquam me praesente diceret. Sed quia non est episcopale contendere vel invidere, pono meam sententiam et suam ». Vinc. Hispan. in c. *Consideravimus. De electio. et elect. pot.* — Et paulo post inquit: « Notat hic mag. T. contra me Vinc. et satis misere ». *Ex cod. bibl. Barberinae* n. 402.

(7) « Et dicebat dominus Accursius magister meus ». Vinc. Hispan. in c. *Causam. De rescript.* in cit. cod. Barberino.

(8) « Sed contra opponitur, quod dicunt Lau. et T. ejus discipulus, et B. discipulus T. et Vinc. et dominus meus Host. et Jac. de Alb. magister suus et Innoc. IV et alii fere omnes ». *Spec.,* tit. *De restit. in integr.*

quam Bernardus in Glossa decretalium ad c. *Juravit. De probat.* nescio quid se audivisse ex ore Vincentii dicat (1), non propterea quisquam rite conficiet ejus auditorem in schola fuisse.

VI. Dicimus ex Vincentii commentariis in decretales gregorianas eum fuisse episcopali dignitate ornatum; se enim in eorum prooemio dicit *hispanorum episcoporum minimum.* At neque ex iis commentariis, neque aliunde ulla lux affulget ad ejus sedem episcopalem agnoscendam. Imo neminem adhuc reperire licuit ex scriptoribus, qui veterum juris sapientum memoriam illustrarunt, qui Vincentium hunc nostrum episcopalibus infulis insignem fuisse scripserit, ac de illo non brevissime atque omnino perfunctorie egerit.

VINCENTII SCRIPTA.

Apparatus in Decretales Gregorii IX. Hunc supra indicavimus ex codice Barberino. Opus est prolixum, in quo auctor legum civilium auctoritatem perpetuo usurpat ad pontificias leges exponendas et confirmandas. *Super quarum compositione,* inquit, *studens ego Vincentius episcoporum Hispaniae minimus, super operis imperfectione veniam postulo a lectore.* Ita aggreditur decretalium expositionem Vincentius et ad *virum magister Raymundum* haec adnotat: *Virum religiosum et valde literatum et oriundum de Catalonia, ubi non datur actio ex promisso. Teneri tamen debet catalanus, qui vanis promissionibus et inutilibus mutationibus detinet viatorem saltem de dolo.* Dig. *Si quis caute. sed actio etc.* (2) Saltare hic videtur extra chorum Vincentius, dum ita Catalaunos sugillat. Ab iis aliquid incommodi fortasse passus fuerat, cum in Italiam veniens per eorum fines transitum fecisset. Quamquam et aliarum nationum mores subinde carpit (3), illudque ex iis, quae supra attulimus (4), conjici posse arbitror hominem fuisse ad animi offensiones dissimulandas minime comparatum. Scripsit haec commentaria in decretales cum jam esset episcopus, et tamen sic de rebus nostris loquitur quasi adhuc Bononiae degeret.

Glossae in quatuor primas decretalium compilationes. In quintam neque ipse neque alii professores, praeter Jacobum Albingaunensem, scripserunt, quia vix dum creatus est Pontifex Gregorius IX cogitare coepit de nova decretalium compilatione edenda, in qua coalesceret quidquid in aliis collectionibus dispersum erat. Vidimus in codice Vaticano tertiam collectionem cum glossis solius Vincentii et paucis aliis sine auctoris nomine.

Pancirolus glossas a Vincentio scriptas dicit in Gratiani Decretum; cujus rei nullum indicium reperio.

XXXI.

S. RICHARDUS

EPISCOPUS CICESTRENSIS.

I. Est alter a superiore Richardus Anglus nostris pontificii juris interpretibus adnumerandus, quem a Richardo Paupere, etsi uterque eumdem episcopatum cicestren-

(1) « Audivi Vincentium dicentem, quod illa decretalis non tenebat ». Gloss. in c. *Juravit. De probat.*

(2) Extat, ut diximus, in cod. Barberino 402, in quo tamen opus imperfectum est; ex quinque enim libris decretalium, tertius desideratur, quem in antiquis exemplaribus non reperisse profitetur is, qui hunc codicem descripsit.

(3) « Dixit Vincentius: nec credo Alano quia anglicus et timidus nec magistro Tancredo quia lombardus et acephalus ». Joann. Andreae, *Qui fil. legit.*, c. *Causam.*

(4) Vinc. in c. *Consideravimus. De electio. et elect.*, ut supra.

sem gessit (1), vel sola notatio temporum facile distinguit (2). Wichius dictus est iste, de quo nunc agimus, ex loco originis, pago nimirum wigorniensis dioecesis, qui ex puteo aquae salinae Anglorum lingua Wike seu Wich dicebatur; est autem in lucem editus anno circiter MCLXXXXVII, ut ex his, quae dicturi sumus, sit manifestum.

II. Fuit mira Richardi pietas et religionis studium jam inde a puero nec minimus literarum amor, quibus Oxonii primum, dein Parisiis, mox Bononiae sedulam navavit operam. Cum autem in scholis bononiensibus annos amplius septem juri pontificio addiscendo impendisset, dignus ab ejus praeceptore habitus est, qui, cum ipse diuturno morbo afflictaretur, ejus scholam regendam susciperet, quod academiae universae gratissimum fuisse ob cognitam Richardi doctrinam, memoriae proditum est. Silent Richardi acta a Joanne Capgravio edita, ex quibus pauca haec excerpsimus, ejus doctoris nomen, a quo Richardus in jure pontificio est eruditus, sed aliud addunt amoris argumentum, quo is sibi percarum hunc auditorem suum devincere studuit. Quam enim unicam habebat filiam Richardo in uxorem obtulit, ut illum non modo sibi generum faceret, sed filii loco suique patrimonii haeredem haberet (3). Verum ille in meliorem sortem divinitus vocatus terrenis nuptiis alligari se noluit, seque inde subduxit ne quid esset quod ei impedimentum afferret ad sanctioris vitae cursum arripiendum.

III. Sed quoniam quo tempore Richardus Bononiae versatus est, nimirum saeculo XIII non admodum adulto, nondum mos invaluerat ut alii quam sacrati viri in academia nostra jus canonicum profiterentur, facili memoriae lapsu, qui res gestas s. Richardi literis mandavit, pro juris civilis, juris canonici professorem eo loco inducere potuit. Solebant autem qui juris canonici studio se dederant, non minimum laboris conferre in jure civili perdiscendo, ut constat ex glossis antiquorum juris canonici interpretum, quarum pars maxima ex jure civili proficiscitur. Si quis igitur fuit ex legum professoribus Richardi praeceptor, qui unicam ei filiam connubio jungere voluerit, non alius fuisse videtur quam Hugolinus Presbyteri, qui unam reliquit filiam, Felicianam nomine, quae postmodum nupsit Albizo Azonis Ubaldini de Montezanico (4), nobilissimo viro Octaviani Cardinalis agnato, ad quem tandem Albizi ipsius haereditas Hugolini Presbyteri patrimonio ditata pervenit (5).

IV. Richardus igitur his illecebris blandientis fortunae minime captus, in Angliam reversus, iterum Oxonii substitit, ubi et assiduo literarum studio et perpetuis poeni-

(1) Vide supra in Richardo Anglo.

(2) Episcoporum Cicestrensium tempora sic a Godwino explicantur:

MCCXIV.	Richardus Poore, sive Pauper.
MCCXVII.	Radulphus de Warham.
MCCXXXXV.	Radulphus Newill.
MCCXXIV.	Richardus de la Wich etc.

Godwin, *De praesul. Angl.* in *Episc. Cicestr.*

(3) « Postea b. Richardus Bononiam proficiscens, per septennium et amplius mellea canonum fluenta sic hausit, quod magister suus, infirmitate detensus, ad lectiones suas vice sua continuandas, prae omnibus discipulis suis dictum Richardum elegit. Qui per dimidium annum et amplius sic prudenter et humiliter in illo officio se habebat, quod a tota Universitate laudem et honorem meruit obtinere singularem, necnon a magistro suo tantam gratiam invenit, quod unicam filiam suam sibi haeredem, cum omnibus terris et bonis suis ex voluntate filiae obtulit affectuose ». Ita in *Vita s. Richardi Cicestr. ep.*, cap. I ex Joanne Capgravio, cap. I n. 3 apud Bolland. t. I April. ad diem tertiam.

(4) « An. MCCLXIX die XV Maji. Domina Feliciana quondam domini Hugolini Presbiteri legum doctoris et uxor quondam domini Albici de Muxello vendit domino Juliano quondam domini Prevedelli de Calcina peciam unam terrae in curia Castri Brittorum ». *Ex Mem. Com. Bonon.* Communicavit clarissimus Montius.

(5) « An. MCCLXVIII, die.... Transactio inter dominum Folignum procuratorem venerabili viri domini Octaviani cardinalis et dominam Aldrudam filiam quondam Albizonis domini Azonis de Montezanico de Muxello super hereditate dicti Albizonis.... quam domina Aldruda cedit domino Cardinali pro M libris bononinorum. Actum in s. Mich. in Busco presentibus domino Octaviano episcopo, domino Arardo de Pritis legum doctor etc. ». *Ibid.* Indicavit idem clarissimus Montius, cui conjecturam hanc de optatis ab Hugolino Richardi et filiae suae nuptiis debemus.

tentiae exercitationibus piisque operibus laboriosum et plane asperum vitae genus aliquandiu secutus est; ex quo tantam sibi famam in ea florentissima academia sibi conciliavit, ut communi omnium assensu cancellarii munus ei sit delatum. Postmodum beatus Edmundus archiepiscopus Richardum penes se accivit, quem et consiliorum suorum omnium participem esse voluit et cancellarium item suum atque Ecclesiae cantuariensis creavit. Nihil attinet dicere quanta fide atque prudentia functus sit eo munere, quantumque attulerit et adjumentum et solamen viro sanctissimo in durissimis illis casibus, quibus diu jactatus est. Neque vero ab ejus latere unquam discessit, eique a patrio etiam regno exulanti comes individuus haesit. Sed ubi ab humanis excessit Edmundus, Richardus a curis omnibus et negotiis solutus, Aurelianis apud Fratres Praedicatores, quorum institutum aliquando amplecti cupierat, se abdidit, ut totum se traderet sacrarum literarum studiis in eorum scholis, quae tum maxime ob theologicas disciplinas celebres habebantur.

V. Sed Richardus, Deo volente, in Angliam iterum reversus, iterum Ecclesiae cantuariensis cancellarius vel invitissimus eligitur. Atque haud multo post episcopus cicestrensis creatus est et ab Innocentio IV Romae inauguratus, Henrico III Angliae Rege dissentiente et improbante; qui et alterum eo munere indignissimum in sedem cicestrensem intrudere voluerat et Richardum subinde, quoad vixit, graviter vexavit. Sed praeclara ejus gesta in episcopatu et sacerdotalem constantiam, quae in eo emicuit, totamque ejus vitae historiam miris multis illustrem, non est instituti nostri hoc loco perscribere, quod ab aliis abunde factum est ac praesertim a sociis Bollandianis, a quibus, quae ad sancti viri memoriam illustrandam pertinent, diligenter collecta habemus. Decessit autem s. Richardus anno MCCLIII, annos natus circiter sex et quinquaginta, cum nonum jam annum in episcopatu ageret. Neque multo post mortem, cum ubique ejus sanctitatis et miraculorum, quae in vita et post mortem patraverat, fama celebraretur, ab Urbano IV in Sanctorum album solemni ritu relatus est anno MCCLXII.

S. RICHARDI SCRIPTA.

Commendavit Urbanus Pontifex non solum Richardi sanctimoniam, sed doctrinam quoque et eruditam linguam (1); nec dubium est quin Richardus plures literas pro sancto Edmundo ad Innocentium IV scripserit, pro tuenda immunitate et libertate Ecclesiae cantuariensis contra Henricum III, ejus jura invadentem.

Scripsit etiam prolixum opus de ecclesiasticis officiis, in libros septem distributum, cujus tale initium est: *Officium ex debito.* Hoc opus, licet, ut opinor, nunquam ab se visum, *ex Romanae Synagogae observantiis undique collectis conflatum,* per summam impudentiam blateravit Joannes Balaeus, idipsum vitio vertens sancto viro, in quo maxime laudandus est ab iis omnibus, qui non cum Balaeo desipiunt et Romanae Ecclesiae sacra ritusque quanti par est aestimant. Eorum librorum nullum ego indicium reperio inter codices bibliothecarum Angliae, quod magnopere miror.

Richardo etiam tribui potest sancti Edmundi vita, quam Matthaeus Paris historiae suae inseruit. Sic enim de Richardo Matthaeus: *Vir fuit,* inquit, *eminentis scientiae et eximiae sanctitatis et quandoque beati Edmundi cantuariensis archiepiscopi clericus et consiliarius specialis, cujus vestigia sequi nitebatur pedetentim. Hic, non sine beati Edmundi praegnostico vaticinio, in*

(1) URBANUS IV in *Bulla canonizat. s. Richardi* apud Bolland., *loc. cit.,* in vita ejusdem sancti auctore Radulpho, lib. II, cap. III, n. 22.

praesulatus promotus dignitatem, *Pontiniacum adiit* (quo nimirum loco sancto Edmundus obierat), *cum dictus sanctus fuerat transferendus, ne tam specialis amicus a tanta et tam secreta solemnitate absens extitisset. Hic etiam, veluti domesticus, omnium suorum conscius extitit secretorum quae inquirentibus propter aedificationem palam declaravit.* Ex iis igitur, quae Matthaeus de sancto Edmundo ab Richardo accepit, ejus vitam concinnavit, ut disertis verbis in ipsius Matthaei historia scriptum est (1).

In bibliotheca Collegii s. Benedicti in codice 1578 est opus inscriptum *Numerale Ric. Cancellarii de Cantabrigia,* cujus tale est initium: *Qui bene praesunt* (2). An pertineat ad Richardum nostrum ii judicabunt quibus inspiciendi codicis erit facultas.

XXXII.

ZOEN TENCARARIUS

EPISCOPUS AVENIONENSIS.

I. Praenobilis fuit Bononiae Tencararia gens, ex qua circa initium saeculi XIII natus est Zoen, non despicabilis scholarum nostrarum professor. Ejus nomen haud plane insolens inter Bononienses nec inauditum vel in ipsa gente Tencararia (3). Sed Zoenis et generis et doctrinae commendatio valuit ad obtinendum canonicatum in Ecclesia bononiensi. Anno circiter MCCXXVI magister creatus est (4), annis aliquot postquam inter canonicos merebatur (5). Obtinuit etiam lectoratum Ecclesiae bathiensis in Hungaria, ac tandem circa annum MCCXXXV archipresbyteratu Ecclesiae bononiensis auctus est (6). Extant Gregorii IX literae Zoeni admodum honorificae, quibus indulget ut cum archipresbyteratu bononiensi lectoratum bathiensem retinere possit; idque potissimum ob ejus doctrinam, qui, ut ait Pontifex, *secus juris fluenta plantatus, alios docere meruit* (7). Eidem et abbati s. Stephani et Raymundo de Villang..... Pontifex commisit cognitionem causae, quae agitabatur inter capitulum Ecclesiae polensis et patriarcham aquilejensem ob electionem episcopi polensis. Datae sunt ea de re Pontificis literae III kalendas Junias anno X, idest, anno MCCXXXVI.

II. Sed annis non admodum multis archipresbyteratum bononiensem tenuit Zoen, ad episcopatum avenionensem evectus. Non plane constat quo anno sedere coeperit in cathedra avenionensi; verum anno saltem MCCXXXXII ei praeerat Ecclesiae, ut

(1) Hujus igitur (Richardi) assertionibus, nec non et fr. Roberti Bacun certificatus dominus Matthaeus Parisiensis, monachus ecclesiae s. Albani, vitam memorati s. Edmundi scripsit.

(2) *Ex catal. manuscriptis Angliae,* t. I, pag. 143.

(3) « An. MCCLXXXVII. Dominus Bertholinus filius quondam domini Zoenis de Tencarariis ». *In Mem. Commun. Bonon. Jo. Ferranti notar.*, pag. 193.

« An. MCCLXXXVIII. Zoen Damiani Rosini erat capitaneus Castri Bargi ». *Ex lib. Reform. ejus anni.*

Zoenem Pepolum memorat Ghirardaccius ad annum MCCLXXII, aliosque eo nomine apud hunc auctorem reperies.

(4) In tabulis archivi canonicorum Ecclesiae bononiensis saepius occurrit mentio Zoenis canonici; sed magistri titulo non donatur, nisi sub fine Decembris anno MCCXXVI.

(5) Saltem ab anno MCCXXIV inter canonicos cooptatus fuerat, ut ex tabulis archivi canonicorum Ecclesiae bononiensis praesertim ex libro, quem *Assium* appellant.

(6) An. MCCXXXIV. Magister Zoen canonicus occurrit in tabulis archivi canonicorum bononiensium; anno autem sequenti archipresbyter in aliis tabulis ejusdem archivi appellatur.

(7) Has literas habes in Appendice; quae cum datae sint anno MCCXXXV sub Januarii initium, credibile est per illud idem tempus Zoenem creatum esse archipresbyterum bononiensem.

Galliae Christianae auctores demonstrant (1); quibus tamen omnino ignota fuit Zoenis patria, ignota professio et ecclesiasticae dignitates, quas ante episcopatum gesserat. Fantonus avenionensis historiae auctor, ex Noguierii conjectura italum fuisse praesenserat, sed nihil amplius (2). Quod quis tandem miretur cum ne nostri quidem scriptores Zoenem, in monumentis Ecclesiae bononiensis notissimum, ad cathedram avenionensem assumptum noverint? Eum plurimi fecit Innocentius IV, a quo Sedis Apostolicae legatus creatus est; quo munere fungebatur jam inde ab anno MCCXXXXIII, ac fortasse non temporaria sed perpetua fuit ejus legatio; anno siquidem MCCLIV ea nondum defunctus erat, nam concilio albiensi ut legatus apostolicus eo anno praefuit. Multa in episcopatu praeclare gessit, quae *Galliae Christianae* auctores diligenter persequuntur; atque illud in his maxime commemorandum, quod de extirpandis in sua civitate et dioecesi haereticae pravitatis surculis maxime sollicitus fuit (3). Anno MCCLVII testamentum condidit, quum Bononiae esset et hospitium haberet ad divi Antonii de Sapina. Ecclesia est suburbana, ubi canonici quidam eo tempore habitabant, canonicis majoris ecclesiae s. Petri, quorum de numero fuerat Zoen, peculiari vinculo sociati ac eorum juri subjecti.

III. Non erit injucundum antiquitatum studiosis aliqua delibare ex postremis hujus optimi episcopi tabulis, quas integras in Appendice dabimus. Itaque parentibus suis, fratri Josepho, quem ex Ordine Poenitentiae fuisse arbitror, et Contessinae, qui adhuc in vivis erant, usumfructum reliquit possessionum omnium, quas citra montes habebat. Pro anima sua quater mille libras reliquit, ingentem sane summam pro illis temporibus. Ex ea summa libras mille dari voluit Ecclesiae Romanae, mandans testamenti curatoribus a se delectis, qui fuere prior Fratrum Praedicatorum, guardianus Minorum et prior s. Michaelis in Busco, ut intra annum post obitum suum absolutionem delictorum suorum et testamenti confirmationem a Romano Pontifice impetrare deberent. Uni militi, qui bonis armis et equo instructus ultra mare pergeret ibique per annum integrum degeret, contra Saracenos, ubi opus esset, pugnaturus, nutu legati apostolici vel patriarchae, quibus sistere se deberet, libras tercentum reliquit. Alicui, qui pro expiatione animae suae beati Jacobi templum apud Compostellam adiret, libras decem. Item alteri, qui Romam pergeret ibique per totam quadragesimam majorem consisteret, stationes ecclesiarum urbis obiturus et indulgentias pro ejus anima quaesiturus, postmodum ad ecclesiam s. Michaelis in monte Gargano, denique Barium ad ecclesiam s. Nicolai accederet, libras XV. Thomae filio Pacis Tencararii, fratris, ut opinor, sui, praeter alia libros suos legavit commendavitque; Codicem scilicet, Digestorum libros, Institutiones et Summam Azonis, in quibus ipse olim legebat, quibus nimirum utebatur cum in scholis doceret. Hinc intelligimus Zoenem jus civile aliquando professum esse, quod quidem erat alienum ab instituto ecclesiastici hominis et minime conforme canonicis sanctionibus, verum fortasse id Apostolicae Sedis indulgentia Zoeni concessum fuerat ob praestantem ejus doctrinam. Sed pro certo habeo Zoenem jus quoque canonicum in academia nostra docuisse, atque in eo potissimum versatum esse ut ecclesiasticum hominem decebat. Quare inter juris canonici professores locum ei assignandum censui.

(1) *Gall. Christ.* t. I in *Eccles. Avenion.* pag. 817 seq. — Jamque an. MCCXXXXVI Ecclesiae Bon. archipresbyter erat Bombononius, sive Bononius.

(2) Fantoni, *Storia di Avignone*, t. II, lib. III, cap. III.

(3) *Gall. Christ.*, loc. cit.

IV. Illud vero praecipuum fuit in Zoenis testamento, quod certos reditus reliquit ad alendos octo scholares in academia bononiensi; quorum tres esse voluit ex collegio canonicorum Ecclesiae avenionensis, duos clericos saeculares ex civitate, duos item ex castro novariensi dioecesis avenionensis et unum ex alio quovis castro ejusdem dioecesis. Mandavit ejus rei curam episcopis avenionensibus, successoribus suis, quibus, si desides esse contigisset, substituit Ecclesiam et conventum Fratrum s. Michaelis in Busco, atque his item, si minus diligentes fore accidisset in implenda ejus voluntate, Capitulum et canonicos Ecclesiae avenionensis substituit, multaque solertissime cavit ne quid perennitati praeclari hujus instituti obsisteret. Hoc primum fuit scholarium exterorum collegium in civitate nostra excitatum, quod aliis multis exemplo fuit. Sed ejus nunc nullum superest vestigium. Post varios casus Eugenio IV Pontifice omnino extinctum est anno MCCCCXXXVI, exiguis ejus reliquiis collegio gregoriano attributis. Verum de his scholarium collegiis alio loco dicetur.

V. Multae sunt in codice diplomatico manuscripto Ecclesiae et gymnasii bononiensis Urbani IV et Joannis XXII literae de Zoenis testamento et haereditate, quas dabimus, ubi de collegio avenionensi agetur. Ac testamentum quidem auctoritate sua confirmavit Urbanus IV anno MCCLXIII, quo vita functum Zoenem *Galliae Christianae* auctores testantur. Multa etiam sunt in archivo Fratrum Minorum et in Memorialibus Communis Bononiae, ex quibus apparet hunc episcopum ditissimum fuisse et ejus bona haereditaria, quae aliis atque aliis locis et regionibus sita erant, aegre ab invasoribus defensa.

VI. Ex auditoribus, quos in jure canonico Zoen erudiit, unum novimus virum celebrem et multis libris editis clarum, Joannem de Deo hispanum, qui medio saeculo XIII inter professores nostros floruit. Laudat ipse magistrum suum initio libri *De ordine judiciario,* quem esse dicit archipresbyterum Ecclesiae bononiensis, et tum propter generis claritatem et doctrinam, tum propter pietatem aliasque egregias animi dotes, qualibet alia dignitate majori dignissimum, in quo judicio deceptus non est; ex archipresbyteratu enim bononiensi ad episcopatum avenionensem translatus est et legationibus etiam pro Sede Apostolica perfunctus (1).

VII. Verum, quis credat? admodum obscura fuit ac tantum non extincta est tam clari viri memoria Bononiae vel apud Tencararios posteros suos. Hieronymus Tencararius anno MDLI in principe Ecclesia s. Petri memoriam restituit Jacobi jurisconsulti et Joannis archipresbyteri bononiensis gentilium suorum. Primus horum in apposito titulo dicitur floruisse ad annum MCCXIII. Alter insignis theologus fuisse perhibetur et jus canonicum in colociensi Pannoniae civitate docuisse, ac demum anno MCCXXXIX fecisse vivendi finem (2). Sed Jacobus ille jurisconsultus totius saeculi spatio recentior fuit (3). Joannes autem archipresbyter est hic ipse Zoen, quem posterior aetas ignoravit

(1) In codice Vaticano 2343, liber *De Ordine judiciario,* Joannis de Deo ab auctore ipso inscriptus est: « Ven. patri et magistro C. archipresbytero bonon. dignissimo qualibet majori dignitate etc. ». Sed amanuensium imperitia pro litera Z, quae verum ejus archipresbyteri nomen indicaret, irrepsit litera C. Sic in monumentis Ecclesiae avenionensis irrepserat litera L. Nec vero alius archipresbyter Ecclesiae bon. praeter Zoenem illis temporibus doctor, aut magister dictus est.

(2) « D. O. M. Jacobo Tencarario Jur. Cons. qui anno fere sal. MCCXIII floruit. Joanni Tencarario archipresb. bonon. ac theologo insigni qui jus pontific. in Pannoniae urbe Colocen. summo cum honorario professus mox Domini obiit anno salutis MCCXXXIX Hieronymus Tencararius presbyt. ac praepositus con. majorib. clariss. et opt. monimentum ab injuria vetustatis assertum refic. cur. et sibi et suis posterisque cor. MDLI ». *Ext. Bon. in Metrop. Eccl. D. Petri.*

(3) Jacobus Tencararius Nicolai filius, legum doctor non obscurus, Bononiae floruit ineunte saeculo XIV ejusque crebra mentio occurrit in monumentis bononiensibus ab anno MCCLXXXXVI ad annum MCCCXXXI.

fuisse episcopum avenionensem, ac tantum noverat fuisse archipresbyterum bononiensem. Pronum autem fuit Joannem pro Zoene scribere, cum enim haec duo nomina in vulgari Bononiensium sermone parvo discrimine differant creditum est, ex detorto Joannis nomine Zoenem emersisse (1). Sed quia aliquid suboluerat de lectoratu bathiensi, ecclesiastico scilicet gradu, quem Zoenem in Ecclesia bathiensi obtinuisse diximus, id interpretatus est de lectione scholastica Hieronymus Tencararius, qui ejus memoriam restituit, et bathiensem sive bachiensem Hungariae civitatem cum colociensi facile confudit; tum quod in bathiensi comitatu Colocia urbs sita est, metropolitae illius regionis sedes, tum quia, sublata jam propter loci infrequentiam bathiensi cathedra, colociensibus archiepiscopis ea dioecesis accesserat, quorum antea fuerant bathienses antistites suffraganei (2).

XXXIII.

BARTHOLOMAEUS BRIXIENSIS.

I. Laurentium Hispanum (3) cum in scholis nostris audivisset Bartholomaeus Brixiensis (4), magistrum vel aequavit vel vicit doctrinae praestantia et celebritate nominis. Is totum se dedit perficiendis commentariis quae ab aliis doctoribus, ac praesertim a Joanne Teutonico in Gratiani librum vulgata fuerant. Itaque decretorum glossas eo ordine, quo nunc habentur, Bartholomaeo Brixiensi debemus. Casus quoque decretorum a Benincasa editos meliori luce donavit, atque istud operis se suscepisse ait, cum esset minimus inter studentes Bononiae, nondum, ut opinor, in doctorum coetum cooptatus; quamvis fortasse jam tum in scholis nostris docere coepisset. Extant ejus casus et commentarii in librum decretorum inserti et seorsim editi (5). Quaestiones etiam, quas diebus Dominicis et Veneris in scholis disputavit, in unum collectas edidit; et dominicales (6), ac veneriales exemplo Pillii inscripsit, qui quaestiones Sabbati die ab se discussas in schola sabbatinas nuncupavit. Plurimi autem fecere veteres jurisperiti has Brixiensis quaestiones et maxime Guilielmus Durantis, qui saepenumero ad easdem appellat in suo *Juris Speculo* et Jo. Andreae in suis *Additionibus ad Speculum* aliisque libris. Et dominicales quidem profitetur Bartholomaeus se scripsisse, ut usui essent iis maxime, qui jurisprudentiae navarent operam in scholis bononiensibus, in quibus ipse honestissimo loco sacros canones interpretabatur. Damasi quoque Brocarda, quae appellantur,

(1) « Zoen », sive « Zwen », nam sic etiam dicebant, nomen esse exoticum et minime ex Joannis nomine detortum existimat clarissimus Montius; fortasse germanicae aut slavicae originis, ut « Zwendeboldus ». Hinc ex Zoen fiebat Zengolus; quare in antiquis tabulis occurrit « Zoen, qui dicitur Zengolus », nunquam vero « Joannes, qui dicitur Zoen ».

(2) Martiniere, *Diction. geogr. v. Barth.*

(3) « Iste fuit discipulus Laurentii Hispani, ut ipse refert in suo tract. *De ordine judiciario,* in rub. *De rest. adver. sent.* ». Diplovat. in *Barth. Brix.*

(4) De Advocatis, sive Avogadris, gente apud Brixienses illustri, fuisse aliqui narrant. Ego nihil certi ea de re habeo.

(5) Eos vidi in codice manuscripto bibliothecae Collegii Hispanorum, qui est inter membranaceos in fol. n. 228. Atque id est libri initium: « Ego Bartholomaeus Brixiensis inter studentes Bononiae minimus Casus decretorum quondam a Benincasa compositos, pro modulo scientiae meae duxi in melius reformandos. Nam ubi corrupti erant scriptorum vitio, eos diligenter correxi, ubi defectum patiebantur supplevi etc. ». Extant etiam inter codices Regiae Biblioth. Taurinensis n. 259, et vidi etiam in codicibus Vatic. 2517, 2518.

(6) Quaestiones Dominicales ita incipiunt: « In nomine Domini amen. Ad honorem omnipotentis Dei et Ecclesiae Romanae, cui praesidet Gregorius Nonus, et ad utilitatem scholarum Bononiae et alibi studentium, ego Bartholomaeus Brixiensis inter doctores juris minimus etc. ».

recognita et aucta edidit ac nonnullas disputationes scripsit in libros decretalium (1). Celebres quoque libros Tancredi archidiaconi bononiensis meliori ordine donatos in publicum emisit (2); de quo videndus Joannes Andreae in additionibus ad *Speculatorem* (3).

II. Non inutili quoque opera juris pontificii studiosos adjuvit, cum singulas historias, quarum mentio est in decretorum volumine, brevi sermone exposuit, vel potius earum expositionem, quae tradi solebat in scholis, correxit. Vidimus hoc opusculum in codice membranaceo bibliothecae Vaticanae, ita inscriptum: *Historiae decretorum B. Brixiensis.* Ejus tale initium est: *Licet merita sanctae scientiae non respondeant, nec opus aliquod sufficiant adimplere; Ego Bart. Brixien. divina gratia ministrante propter meae scientiae parvitatem cupio utilitatibus scholarium providere. Idcirco Ystorias Decretorum frequentes et usitatas duxi pro meis viribus, aliorum interveniente consilio, corrigendas, eas suis locis in causis et distinctionibus assignando prout communiter legi consueverunt* (4). In celebri volumine decretorum Gratiani conventus Fratrum Praedicatorum s. Mariae supra Minervam, quo usi sunt Correctores Romani, et nunc est in bibliotheca casanatensi, *Historiarum* expositiones sunt suis quaeque locis in ima pagina post glossas dispositae. In aliquot autem codicibus Vaticanis decretorum corpori praemittuntur. Scripsisse etiam dicitur epistolarum volumen et chronica de Italiae urbibus, et maxime de Brixia et Bergomo, ut narrat Diplovataccius. Sed haec magno rei literariae detrimento, si ab eo quidem scripta sunt, nuspiam apparent.

III. Floruit Bartholomaeus Brixiensis tempore Gregorii IX, quo sedente quaestiones dominicales in scholis tractabat (5); ac fertur attigisse Alexandri IV tempora, qui in eum magna praemia et beneficia contulerit. Sed Platina, qui hoc narrat, vereor ne non idoneus sit testis in re tam antiqua. Neque magis attendendam censeo glossam in c. *Relatio. XXI. q. I. v. Canonice,* ut est in editione romana post correctionem gregorianam, quae indicare videtur, Bartholomaeum Brixiensem cum Huguccione Pisano, ferrariensi episcopo, cuidam concilio interfuisse (6). Mendosa est enim ea glossa, ut ex collatione aliarum editionum et manuscriptorum codicum demonstrari potest (7).

IV. Illud autem peculiare est in Bartholomaei Brixiensis emendationibus et additionibus ad decretorum glossas appositis quod novas Constitutiones Pontificum suis quasque locis indicat, quibus antiqua jura emendantur et corriguntur. In opinionum autem delectu, quantum ex paucis aliquot animadversionibus deprehendere potui, plerumque mihi visus est Bartholomaeus Brixiensis paulo rigidiores, si quae erant, Joannis Teutonici sententias mitigasse, quemadmodum et Joannes Teutonicus duriores Huguc-

(1) Ex Diplovat. in *Barth. Brix.*

(2) « Liber ordinis judiciarii compositus per magistro Tancredi, et reformatus a magistro Bartholomaeo Brixiensi ». Ext. inter cod. manuscriptos regiae biblioth. paris. n. 4838 ex Montefauc. in *Bibl. bibliothec. manuscript.*

(3) Joann. Andreae in addit. ad *Specul.* in prooemio, v. *Porro.*

(4) Cod. Vatic. 1438. Sunt in eo codice etiam Casus Decretorum ejusdem Bartholomaei Brixiensis.

(5) Ex ipsarum prooemio, cujus verba supra dedimus.

(6) « Numquid talis forma erit in literis procuratoris, ut sic scribatur: quidquid canonice vel legitime per eum fuerit ordinatum, ratum habeo?... Vidi per domino Hug. talem procuratorem in concilio reprobari Bart. Brix. ». Gloss. in c. *Relatio,* XXI, q. I, v. *Canonice.*

(7) In aliqua Gratiani editione ante Gregorianam correctionem sic habent extrema ejus Glossae verba: « Vidi per dominum Hugonem consilio reprobari ». Ita in editione veneta anno MDLXXII. Atque hanc esse puto optimam lectionem ut sensus sit, Bartholomaeum Brixiensem legisse in aliquo Hugonis sive Huguccionis consilio aut responso, talem procuratorem reprobandum esse. In manuscripto exemplari sanctae Mariae supra Minervam, quod supra indicavimus, sic legitur: « Vidi per domino H. talem procuratorem in ꝯ reprobari ». Ubi est sigla, quae *con* vel ad summum *contra* posset exprimere; vox autem *concilio* nec ibi potest habere locum, nec ita reipsa exprimitur in aliis locis ejusdem voluminis, a me diligenter observatis.

cionis sententias emollire studuit. Plures etiam opiniones, parum nunc probatas viris doctis et emuctae naris, habemus in Glossa Decretorum, quarum non minimam partem eo ingessit Bartholomaeus Brixiensis, minus certe sobrius et prudens quam Joannes Teutonicus. Exemplo sit quod legitur in Glossa ad initium *Di. V. de Poenit.*, nimirum: *Oris confessionem institutam fuisse quadam universalis ecclesiae traditione potius quam novi vel veteris testamenti auctoritate;* quae traditio cum apud Graecos non manarit, propterea apud illos necessariam non esse oris confessionem. In glossis Joannis Teutonici, sive Laurentii Hispani, quas adoptavit Joannes Teutonicus, nihil tale legitur. Videntur igitur haec adjecta a Bartholomaeo Brixiensi. Quod si ita est, malum profecto theologum fuisse oportet hunc canonum professorem.

BARTHOLOMAEI BRIXIENSIS SCRIPTA.

Haec igitur sunt Bartholomaei Brixiensis scripta:

I. *Apparatus Decretorum emendatus et auctus.*
II. *Quaestiones Dominicales.*
III. *Quaestiones Veneriales:* alii *Venercales* appellant.

Haec typis edita habemus.

IV. *Damasi, sive Damasii, Brocarda aucta et emendata.*
V. *Tancredi liber de Ordine Judiciario emendatus item et auctus.*

Atque hic etiam typis editus est.

VI. *Quaestiones aliquot in Decretales.*
VII. *Historiae Decretorum.*

XXXIV.

GOFFREDUS TRANENSIS

S. R. E. CARDINALIS.

GUILIELMUS NASO.

I. Azonem in scholis nostris audivit Goffredus Tranensis in jure civili (1); quare illum inter celebriores Azonis discipulos suo loco recensuimus. Quos autem in jure canonico praeceptores habuerit ex tam multis, qui eo tempore, hoc est, paulo post initium XIII saeculi, Bononiae docuerunt, non liquet. In eo certe excelluit Goffredus, qui et decretales gregorianas, ubi primum editae sunt, nobili commentario exornavit, quo tempore iis in schola interpretandis vacabat, et Summam decretalium postea edidit, quae magno semper in pretio fuit apud juris pontificii studiosos et saepius impressa est. Multa ab eo accepit Bernardus Parmensis (2), multa Guilielmus Durantis (3); aliique

(1) Ex Joann. Andreae, de quo supra in Azone.

(2) « Ita notaverunt in hac decretali (est c. *Super quaestionum. De offic. et potest. judic. deleg.*) Innoc. IV et Gof. ». Glos. in c. *Super quaestionum* cit., v. *Si non possunt.* Et aliis locis Goffredi opiniones afferuntur in Glossa Decretalium, ut hinc appareat Goffredum Tranensem iis interpretandis vacasse ante Bernardum Parmensem.

(3) In prooem. *Spec.* et alibi saepissime.

veteres ejus auctoritatem passim usurpant. A scholis abductus apud Gregorium IX subdiaconi et capellani officio functus est [1], causis nimirum, quae ad Pontificem afferebantur, cognoscendis adhibitus. Fuit etiam apud Pontificem Contradictarum auditor [2], quod munus doctissimi semper jurisconsulti obtinere consueverunt. Bonaguida Arretinus summae scientiae hominem fuisse dicit, dignum propterea qui inter Romanae Ecclesiae cardinales cooptaretur [3].

II. At dubius haeret Pancirolus, nec affirmare audet Goffredum cardinalis purpura insignitum fuisse, ut aliqui tradiderunt. Verum potior mihi est auctoritas Bonaguidae Arretini, qui cum Goffredo vixit et cum eodem in Curia Romana versatus est [4]. Et quamquam apud Ciaconium nullus occurrat Goffredus Tranensis inter cardinales, qui saeculo XIII vixerunt, juvat tamen illum sub ementito Gotifredi Castilionei nomine latentem apud Ciaconium detegere. Narrat Ciaconius Gotifredum, sive Gofridum, vel Galfridum Castilioneum mediolanensem, sive, ut alii scribunt, januensem ex subdiacono et Sacelli Pontificii sacerdote ab Innocentio IV diaconum cardinalem s. Hadriani anno MCCXXXXIV in concilio lugdunensi renunciatum fuisse, eumdemque antea ab Honorio III in Sardiniam legatum, ut fidei sacramentum a Benedicta calaritana et massensi domina pro Ecclesia Romana reciperet [5]. Sed Gotifredus sive Goffredus iste, qui ab Innocentio IV cardinalis creatus est in concilio lugdunensi, non alius est quam Goffredus Tranensis, ut intelligimus ex Mattheo Paris in historia anglicana. Detrahenda est igitur larva fictitio illi Gotifredo Castilioneo et suus locus Goffredo Tranensi inter cardinales restituendus. Igitur Matthaeus Paris in historia anglicana ad annum MCCXXXXV his verbis obitum Gotifredi, sic enim appellat, describit: *An. MCCXXXXV Lugduni in Gallia obiit Gotifredus de Trano cardinalis, quo non erat aliquis alius domino Papae familiarior vel utilior.* Hunc autem Gotifredum esse Tranensem nostrum, eumdemque, qui anno superiore cardinalis renunciatus fuerat, manifestum est ex epistola Innocentii IV ad abbatem et conventum eboracensem Lugduni data III kalendas Septembres anno tertio, in qua Gotifredi Sancti Hadriani diaconi cardinalis, jam vita functi, mentio habetur [6]. Constat igitur Goffredum Tranensem ab Innocentio IV, cui erat amicissimus, in concilio lugdunensi cardinalem creatum, eumdemque insequenti anno, vix dum gustato rubei galeri honore, quem tunc primum Innocentius Pontifex cardinalibus concesserat, decessisse. Credo autem Goffredum ab Innocentio IV ad concilium lugdunense accitum, quo ejus opera uteretur in arduis illis negotiis, quae in eo concilio tractanda fuerant, et in conscribendis legibus ecclesiasticis, quas in ipso concilio edidit. Eo enim spectasse videtur Matthaeus Paris, cum scripsit neminem hoc homine magis familiarem et utilem Innocentio fuisse.

(1) Subdiaconum et capellanum domini Papae se ipsum dicit in Summa Decretalium.

(2) « Dixi quod Bonaguida glos. fert propter brevem terminum non peremptorium Curiam non dare literas appellanti .... Et dicit quod literam jam super hoc factam vidit per Vicecancellarium dilaniari. Dicit tamen, quod Gof. tunc Auditor Contradictarum resistebat, dicens id injuste fieri ». JOANN. ANDREAE in addit. *Specul. De appellat.*, § *In quibus*, v. *De dilat.*

(3) « Item Bonaguida in principio tractatus *De dispensat.* dicit quod (Goffredus) postea fuit cardinalis ». DIPLOVAT. in *Goffredo Tran.*

En autem Bonaguidae Arretini verba: « In hac opinione est Goffredus vir summae scientiae, qui fuit cardinalis ».

(4) JOANN. ANDREAE, *loc. cit.*

(5) Hujus sacramenti formulam vide sis apud MURATOR. *Antiquit. ital. med. aevi*, dissert. LXXI. Sed ea tamen non intelligitur Gotifredum ibi nominatum ipsum esse, quem postea Innocentius IV cardinalem creavit.

(6) « Gotifredi bo. mem. diaconi cardinalis s. Hadriani ». Ex Regest. Innoc. IV anno III.

III. Jungimus huic Guillielmum Nasonem glossatorem decretalium illustrem et Alani discipulum (1). Hic multas glossas reliquit in antiquas decretalium compilationes (2), ex quibus decerpsit Bernardus Botonus quidquid ad rem suam esse poterat in perficiendo decretalium gregorianarum apparatu, in quo interdum Guilielmi Nasonis nomen occurrit (3). Hunc omnino ignoravit Pancirolus, licet a Speculatore, Ostiensi, Joanne Andreae aliisque antiquis laudatum. Diplovataccius vixisse ait ad annum MCCXXVII (4), quod verissimum censeo; sed aliquanto etiam serius aetatem agere potuit. De ejus patria nihil omnino explorati habemus.

XXXV.

GUILIELMUS

EPISCOPUS PAPIENSIS.

ANDREAS VECLUS. BERENGERIUS SENENSIS.

I. Erat Bononiae iisdem fere temporibus magister Guilielmus Papiensis, canonum professor non obscurae famae in scholis nostris. Is anno MCCXXXIII cum duobus aetatis suae celeberrimis viris, Bernardo Botono et Hugolino Presbyteri, praesens adfuit transactioni canonicorum bononiensis Ecclesiae cum Fratribus Cruciferis (5). Sed nulla deinceps hujus viri mentio in monumentis nostris. Post annos multos magistrum Guilielmum Papiensem opulento sacerdotio ditatum reperio ab archiepiscopo cantuariensi, cujus fortasse negotia tractabat apud Sedem Apostolicam neque enim existimo illum unquam ad suam Ecclesiam, quae erat in dioecesi rossensi, accessisse. Obtinuit Guilielmus hoc sacerdotium bislense, sic enim dicebatur, regnante Innocentio IV. Anno autem MCCLVI Alexandro IV Pontifice creatus est episcopus papiensis, quam Ecclesiam deinde usque ad annum MCCLXXII administravit. Erat Guilielmus, cum electus est Papiensium episcopus, inter capellanos Pontificis adscriptus, judiciis nimirum in foro ecclesiastico apud Pontificem exercendis deputatus (6). Atque haec omnia habemus ex pluribus ipsius Alexandri IV literis pertinentibus ad controversiam, quae exorta erat ob sacerdotium illud bislense Guilielmo collatum, quam operae pretium non est hoc loco exponere (7). Ughellus, cui haec omnia ignota fuerunt, Guilielmum Canetum appellat

(1) « Variant Sapientes: dicunt enim Ala. et Gu. Na. ejus discipulus etc. ». SPECULAT., tit. *De restit. in integr.*, § *Intra.*

(2) « Guil. Nasonis reportationes multas habuimus etc. ». JOANN. ANDREAE in addit. ad prooem. *Specul.*

(3) « Alii dixerunt, sicut Guiliel. Naso, quod episcopus numquam potest suspendere interdictum, quin tollat illud ex toto ». Glos. in c. *Ad haec quoniam. De appellat.*

(4) « Guil. Nazo praeclarissimus canonum doctor. Ejus multae habentur reportationes in compilationes antiquas.... Fuit discipulus Alani secundum Specul. in tit. *De restit. in integr.* et Ostien. in *Summa*, tit. *De obligat..... non ordinan. quis obligatus impediatur*. Floruit anno MCCXXVII ». DIPLOVAT. in *Guil. Nas.*

(5) « Testes fuerunt magister Bernardus Parmisanus, dominus Ugolinus legum doctor, magister Guilielmus Papiensis ». Ex tabul. ejus anni, IX, ex Aug. in archivo canonic. Eccl. Bon., fasc. III, n. 3.

(6) « Alexander Ep. servus servorum Dei dilecto filio Priori s. Trinitatis Londonien.

» Olim venerabili fratri nostro magistro Guilielmo Papiensi episcopo, tunc capellano nostro ad Ecclesiam papiensem promoto, dilectus filius magister Jordanus notarius noster, de nostro speciali mandato ore tenus sibi facto, ecclesiam de Bisle Roffen. dioeces. quam idem episcopus dicebatur obtinere, dilecto filio Ubaldino clerico, nepoti dilecti filii nostri O. sanctae Mariae in Via Lata diac. card. contulit etc. ». Extat apud RYMER inter *Acta pub. Angl.*, t. I, pag. 643.

(7) Extant inter *Acta pub. Angliae* collecta a Thoma Rymer, t. I, pag. 639, 641 seq.

hunc papiensem episcopum, eumdemque suspicatur quem Hippolytus Donesmundus patria mantuanum ex familia Canetorum fuisse tradit (1). Sed vel de alio homine loquitur vel aperte fallitur Donesmundus; semper enim hic noster dictus est *magister Guilielmus Papiensis,* quod ejus patriam manifeste demonstrat.

II. Non aeque notus est Andreas Veclus decretorum doctor, Gregorii IX pont. max. capellanus; quem tamen anno MCCXXXVIII Bononiae vixisse, ac domum amplam et nobilem in vicinia ecclesiae s. Andreae Ansaldorum, quae Hugolini Daniae olim fuerat, de procuratoribus testamenti ejusdem Hugolini emisse comperimus. Extant tabulae emptionis, quibus obsignandis interfuere, praeter Odofredum insignem legum doctorem, magister Petrus de Targe et magister Gratianus de Campano, quos ambo canonum professores fuisse verisimile est (2). Eadem domus anno MCCLXVIII ad praeclarae nobilitatis virum Jacobum Columnam romanum, Odonis filium, pertinebat (3), qui tunc in academia nostra studiis, ut opinor, vacabat et clarissimus postea Romanae Ecclesiae cardinalis fuit (4).

III. Berengerius, sive Berengarius, Senensis sub idem tempus Bononiae inter juris pontificii professores non incelebris habebatur. Is anno MCCXXXXII cum illustri legum civilium interprete Bagarotto interfuit transactioni, quam iniit Jacobus Guidonis Lambertini cum Isnardo abbate s. Stephani (5); idemque triennio post praesens adfuit, cum Aliottus Munsarelli Joanni Abbati, Isnardi successori, fidelitatis obsequium praestaret (6). Anno demum MCCXXXXVII, ut infra dicemus, cum nobilissimo canonum professore Joanne de Deo arbiter electus est ad dissidia, quae orta erant inter Camaldulenses nostros et Spavaldorum sodalitium, componenda (7).

XXXVI.

INNOCENTIUS IV P. M.

I. Magno ornamento fuit academiae nostrae post initium XIII saeculi Sinibaldus Fliscus, qui subinde fama et dignitatibus auctus ad Petri cathedram difficillimo Ecclesiae tempore evectus est. Hunc scribit Pancirolus eruditum in scholis nostris ab Azone jam sene, Accursio et Balduino (8), Jacobo scilicet Balduino, qui post Azonem praecipuum honoris locum tenuit inter legum professores eorum temporum. Et Bulaeus etiam, qui plerosque ex nobilioribus academiae nostrae professoribus vel ignorat vel dissimulat, Innocentium IV ex eorum numero habet (9). Consentit Pancirolo Diplova-

(1) Ughell., *Ital. Sacr.*, t. I in *Ep. Papien.*

(2) « MCCXXXVIII die X ex. Septembri dominus Albertus filius domini Cazanimici Jacobi Alberti Ursi emancipatus, dominus Jacominus Prendipartis et dominus Gerardinus Salarolus Commissarii domini Ugolini dominae Daniae etc. vendiderunt domino Andreae Veclo decretorum doctori, capellano domini Papae, domos que fuerunt domini Ugolini dominae Danae positas in guaita marchixana justa ecclesiam s. Andreae de Ansaldis etc. ». In archivo s. Mich. in Busco vidit clarissimus Montius.

(3) « Die XI Augusti MCCLXVIII. Dominus Jacobus quondam domini Odonis Columpne de Urbe venit dicens se approbasse ratificationem quam fecit domino Alberto Odofredi de domibus, que olim fuerunt domini Ugolini dominae Daniae etc. ». *Ex Mem. Com. Bon.*

(4) Vide Ciacon. in *card. Nicolai III.*

(5) « MCCXXXXII die IX ex. Maio, presentibus domino Bagarotto doctore legum, magistro Berengerio de Sensis etc., dominus Jacobus Guidonis Lambertini canonicus bononiensis etc. ». *Ex tab. archivo Abb. s. Stephani, nunc Senat. Bonon.*

(6) *Ibid.* Sed hoc loco « M. Berlengherius » dicitur.

(7) Vide infra in Joanne de Deo.

(8) Panцirol., *De clar. leg. interpr.*, lib. III, c. V.

(9) Bulaeus, *Histor. Universit. Paris.*, t. III, p. 692.

taccius quoad Innocentii IV sive Sinibaldi Flisci praeceptores in jure civili. Addit autem in jure canonico ejus praeceptores fuisse Laurentium et Vincentium Hispanos, Joannem Teutonicum et Jacobum Albingaunensem, quem de Albasco ipse appellat, denique Huguccionem. Ita Diplovataccius in vita Innocentii IV, quae praefixa est ejus commentariis in decretales Lugduni editis (1), quaeque inscripta est Nicolao Flisco Romanae Ecclesiae cardinali, ipsius Diplovataccii coaetaneo. Verum in antiquo Diplovataccii libro manu exarato, quo utor, ne verbum quidem de Azone et reliquis juris canonici et caesarei doctoribus Innocentii magistris. Unicus ibi indicatur Innocentii IV praeceptor Huguccio doctor antiquus, idque ex fide Joannis Andreae in commentariis ad decretales (2). Quamquam vero nihil obstet, quo minus singuli ex superioribus, a Diplovataccio indicatis, Innocentii IV praeceptores esse potuerint, id tamen de Huguccione Pisano concedi non potest, qui electus est Ferrariensium episcopus vix dum fortasse nato Innocentio IV, ut ex iis, quae supra in Huguccione ipso diximus, manifestum est. Sed cum Diplovataccio non bene cognita fuerit Huguccionis Pisani aetas, facile potuit existimare Huguccionem fuisse Innocentii IV magistrum, quem revera magistrum fuisse Innocentii III manifestum est, ut alibi ostendimus (3). Videtur autem Diplovataccius hujus Pontificis vitam primo minus copiose scriptam edidisse in eo libro, quo de claris aetatum omnium jurisconsultis agit, post autem secundis curis eam auxisse cum cardinali Flisco dicatam in lucem emisit.

II. In nostris igitur scholis eruditus, non dubito quin in iisdem jus pontificium interpretatus sit, cui nimirum totum se dedit, quamquam juris etiam civilis cognitione excelluerit, ut ejus scripta demonstrant. Si id verum esset, quod narrat Pancirolus, Joannem Fabrum celebrem jurisconsultum gallum ejus auditorem fuisse (4), existimari posset, Sinibaldum Fliscum, praeter jus canonicum, in quo summus evasit, etiam jus civile professum esse. Sed et locus ille, quem ex ipsius Fabri commentariis in libros Institutionum affert Pancirolus, quidvis aliud significat (5), et plane manifestum est, Joannem Fabrum, Philippo Valesio in Gallia regnante, saeculo integro post Innocentii IV tempora floruisse (6). Quae porro e nostris scholis egressus egerit Sinibaldus, quae munera exercuerit, quo usque ad summam Ecclesiae dignitatem assumptus est, quae denique in pontificatu gesserit, neque ad hunc locum pertinent et accurate copioseque scripta sunt ab aliis. Illud tantum non omittam, juris canonici studia ab eo in scholis nostris suscepta, adeo non intermissa ullo unquam tempore ut inter gravissimas difficillimi pontificatus curas de perficiendis et edendis commentariis suis in quinque libros decretalium cogitare potuerit. Nemini non notissima sunt tempora illa et calamitates christianae reipublicae, in quas incidit Innocentii IV pontificatus, qui ne tutus quidem esse potuit Romae atque in Italia. Quare, ut sibi caveret ab insidiis Friderici II Imperatoris, perfugium sibi in Galliis quaesivit. Mirum itaque potuisse Pontificem inter hujusmodi discrimina scribendis libris tantillum otii reperire, nec dubium est quin tantum

(1) « Audivit Bononiae in legibus Azonem jam senem, Accursium Florentinum et Jacobum Balduinum. In jure canonico Laurentium Hispanum, Vincentium, Jo. Teutonicum et Jacobum de Albasco ». Diplovat. in *Vita Innoc. IV* edita ante ejus commentaria in decretales.

(2) « Fuit discipulus Huguccionis secundum Joann. Andreae in c. *Literas. De temp. ord.* ». Diplovat. in *Innoc. IV,* in codice manuscripto clarissimi Oliverii, quo semper usi sumus.

(3) Vide supra in Huguccione.

(4) Panciroł., *loc. cit.*

(5) « Hanc opinionem tenebat Dominus meus. Innocentius distinguit etc. ». Jo. Fab. in § 6 Inst. *De leg.*

(6) « Si negarent Joannem Cateranensem (lege Caturcensem) Papam fuisse vel Benedictum post eum vel Philippum modernum Regem Franciae prostrasse Flamingos ad Casellam ». Jo. Fab. in prooem.

temporis somno et quieti corporis surriperet, quantum impendebat studiis doctrinae, vir scilicet frugalissimus et abstinentissimae vitae.

III. Illud etiam minime est praetereundum quod ad scholarum nostrarum dignitatem decusque pertinet, quod, cum in lugdunensi concilio insignem decretalium collectionem promulgasset, eam ad magistros et scholares bononienses misit, Innocentium III, Honorium III et Gregorium IX secutus, qui eumdem honorem in suis decretalibus promulgandis academiae nostrae detulerant. Post autem, annis aliquot elapsis, cum animadvertisset quasdam decretales supposititias, ementito ipsius nomine, circumferri, ne quis deinceps spurias pro genuinis obtruderet, scripsit ad archidiaconum bononiensem, academiae nostrae praefectum, singularum decretalium, quas ad eum diem ediderat quasque in corpore juris canonici haberi volebat, initium describens; eique mandavit ut decretales illas in nostris scholis promulgaret, vetaretque ne quis alias constitutiones, ejus nomine editas vel edendas, in scholis et judiciis inconsulta Sede Apostolica admittere auderet. Habemus hac de re Innocentii literas ad archidiaconum bononiensem Assisio datas V idus Septembres anno sedis ejus XI, idest, anno MCCLIII (1).

IV. Ostenderat Innocentius suam optimam voluntatem erga academiam bononiensem in eo etiam, quod statuta a rectore et universitate scholarium condita probaverat, datis ea de re literis archidiacono bononiensi et Fratri Danieli Ordinis Praedicatorum, quibus mandavit ut ea statuta diligenter considerarent et, si recta atque honesta deprehensa essent, ea auctoritate apostolica confirmarent. Damus in Appendice eas literas ex autographis vaticanis exscriptas (2). Rursum idem Pontifex, ut rem gratissimam scholarum nostrarum alumnis faceret, sancivit ne quis quid exigeret extorqueretve ab iis, qui magisterii honores et doctoris insignia in academia nostra percepturi essent, qua de re sunt ejus literae tum ad universitatem scholarium tum ad episcopum mutinensem, cui mandat ut si quem compererit ob eam rem scholaribus molestiam inferre, in eum censuris et canonicis poenis auctoritate apostolica animadvertat (3). Vetuit etiam ne quis ex clericis scholaribus, qui studiorum causa Bononiae degerent, a judice saeculari capi aut detineri posset (4). Haec autem valere puto ad convellendam fabulam de translatis ab Innocentio scholis bononiensibus ad Patavinos, quam placuisse video Guilielmo Cave (5) aliisque scriptoribus. Ac miror sane potuisse quemquam sibi in animum inducere Innocentium IV Pontificem Bononiensibus amicum et academiae nostrae, in qua eruditus fuerat, impense faventem, voluisse scholas ex civitate nostra Patavium transducere, quae civitas Friderico II obnoxia fuerat, quamque regnante Innocentio IV Ecelinus, mortalium nequissimus, obtinebat, ad quem comprimendum sua arma Innocentius ipse movere jam coeperat.

INNOCENTII IV SCRIPTA.

Decretales epistolae plures ab Innocentio IV scriptae sunt, quae quia prodierunt postquam superiorum Pontificum decretales in unum corpus a Gregorio IX redactae fuerant, propterea non inscite ab aliquibus Novellarum sive Authenticarum nomine dictae sunt (6), quo

(1) *Vide Appendicem.*
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*
(5) Guil. Cave, *De Script. Eccl. saec. XIII.*

(6) « Composuit et quasdam alias decretales novellas, quae sunt a titulo *De rescriptis* ad tit. *De regulis juris.* Item et alium librum suarum decretalium et constitutionum, ut summus Pontifex, quas Novellas nominavit, et Ostiensis vocat eas authenticas ». Diplovat. in *Innoc. IV.*

nomine jam appellari consueverant Constitutiones Imperiales, qua, post Codicem et Pandectas a Justiniano editas, promulgari contigerat. Innocentius ipse decretales suas interpretatus est, et post illum Cardinalis Ostiensis. Extant autem haec Innocentii commentaria in suas decretales, subjecta majoribus commentariis, quae idem scripsit in quinque libros decretalium Gregorii IX. Optaverat ille ut etiam ejus decretales adjungeretur decretalibus Gregorii IX, sive, ut vocantur, communibus, ita ut singulae singulis titulis secundum ordinem, quem tenent decretales gregorianae, aptarentur. Atque id ipsum mandaverat archidiacono bononiensi iis literis, quas supra memoravimus. Sed cum alii post illum Pontifices novas in dies constitutiones emitterent, Bonifacius VIII novum decretalium codicem, petentibus maxime scholarum nostrarum professoribus, instruxit; in quo etiam Innocentii IV decretales complexus est. Atque is est, quem dicimus *Sextum Decretalium Librum*. Ceterum decretales ipsae integrae et ut ab Innocentio IV editae sunt, nunquam, quod sciam, in lucem prodierunt.

Edidit etiam alias constitutiones in Concilio generali lugdunensi II, in quo Fridericum II imperiali dignitate privavit. Eas publici juris nuper fecit vir clarissimus Dominicus Mansius ex codice manuscripto Ecclesiae lucensis (1); antea enim eas non habebamus, nisi decurtatas et mutilas, uti nimirum insertae fuerant Sexto Decretalium Libro per Bonifacium VIII, qui hac etiam supellectile canonum suam compilationem ditavit. Atque has constitutiones in concilio editas uno volumine cum epistolis decretalibus promulgatas censeo ab Innocentio, quae omnes simul Authenticarum nomine ab Ostiensi earum interprete appellatae sunt, ut supra adnotavimus. Porro jura ab hoc Pontifice condita enumerat Joannes Andreae in commentariis super decretales (2), et ipse Innocentius in literis ad archidiaconum bononiensem (3).

Magnum opus Innocentii IV et majorum vigiliarum est *Apparatus,* sive Commentaria in quinque libros decretalium, quod etsi Romanus jam Pontifex edidit, non aliam tamen auctoritatem ei tributam voluit, quam quae a privato doctore esse posset (4). Summis laudibus prosecuti sunt haec Innocentii IV commentaria nobiliores quique juris canonici interpretes, qui illa aetate et consequentibus temporibus vixerunt. Atque ob singularem doctrinam, quae in iis scriptis continetur, non solum monarcha juris legumque (5) et lumen fulgidissimum decretorum (6) et canonistarum dominus (7), sed veritatis pater et organum appellari meruit (8); ita ut in foro ecclesiastico, quasi idolum quoddam, illum adorari contigerit (9). Tantae autem auctoritatis habitus est ut ex litigantibus qui pro se Innocentium habuisset, vulgo crederetur nunquam causa casurus (10). Haec olim. Nunc quotusquisque judicum est, qui Innocentium consulat aut ejus commentaria viderit, nedum volutaverit? Scribit autem Bernardus Compostellanus nullam esse ex tam multis causis, quae per eos dies ex universo orbe christiano ad Sedis Apostolicae judicium afferrentur, quae ex traditis ab Innocentio in suis commentariis ad decretalium libros commode definiri non posset (11). Porro Bernardus ille Compostellanus, qui erat ipsius Innocentii IV capellanus et juris praesertim canonici peritia celebris, ut Innocentii doctrina, vasto commentariorum suorum volumine contenta, cuilibet in promptu esset, selectiora quaeque et utiliora ex

(1) Philippus Labbeus ex libro VI Decretalium collegerat canones, quibus erat adscriptum « Innocentius IV in Concilio Lugdunensi » atque hos ediderat, ita in compendium redactos, ut in VI libro decretalium erant inserti. At clarissimus Mansius Constitutiones ipsas totidem verbis vulgavit, prout editae fuerant in concilio lugdunensi. Eas vide t. I *Supplem. ad Concil.*, col. 1072.

(2) JOANN. ANDREAE, tit. *De Sum. Trinit. et fide cathol.* ex DIPLOVAT. in *Innoc. IV*.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) Vide PANCIROL. in *Sinibaldo Flisco.*

(5) FRIDERIC. DE SENIS, consil. 131, et ANDREAE SICUL. in c. 1 *De constit.* apud DIPLOVAT., *loc. cit.*

(6) « Et fuit lumen fulgidissimum decretorum secundum Colutium Florentinum in suo opere *De nobilitate legum et medicinae*, c. 9 ». DIPLOVAT., *ibid.*

(7) JOANNES FABER in § *Fidejussores*, Inst. *De fidejussor.*

(8) ARCHIDIACONUS in c. *Pia. De except.* in 6, et PAUL. DE CASTRO in consil. 53 incipit: « Quia exceptiones ». Apud DIPLOVAT., *loc. cit.*

(9) JO. FABER in § *Si pupillus*, Inst. *De stipulat.* Imo tamquam evangelium, si fas est dicere, Innocentii opiniones recipi in foro ecclesiastico ferebantur. — Vide PANCIROL., *loc. cit.*

(10) PANCIROL., *ibid.*

(11) BERNARD. COMPOSTELL. in Prooemio Decretalium, circa medium. Ex DIPLOVAT.

ipsis commentariis excerpens, ea in unum collegit et, permittente Innocentio ipso, in publicum emisit. Atque haec est *Margarita Compostellani,* libellus haud sane ignotus nec minimae utilitatis quondam habitus, cujus crebra exemplaria manuscripta in bibliothecis aliquanto instructioribus reperiuntur.

Scripsisse dicitur, aut potius perfecisse, haec commentaria Innocentius IV cum esset Lugduni (1) post celebratum concilium, in quo Fridericum II ex Patrum sententia exauctoraverat. Atque aliquorum opinio est eum voluisse ut haec ipsis decretalium libris aptarentur et passim pro glossa decretalium communi et ordinaria, ut ajunt, haberentur. Sed cum vidisset Bernardi Parmensis scholia seu glossas copiose summaque diligentia scriptas in decretales, mutasse sententiam et seorsim sua commentaria edidisse (2). Non defuere tamen qui aliquid in commentariis istis reprehenderent. Licet enim Innocentius admodum copiose scripserit, alicubi tamen in explicandis quaestionibus propositis plus aequo brevis et obscurus videtur (3), alicubi contra nimium prolixus, atque ad intelligendum difficilis ob disserendi subtilitatem et implicatum sermonem (4). Quandoque etiam non satis sibi constare videtur, nec eadem semper de re eadem illi arridet sententia (5). Ipse autem prudenter monuit non omnia, quae iis commentariis complexus est, tradenda esse in scholis, plura enim esse quae reservanda essent privatae exercitationi et meditationi, vel ad usum fori et judiciorum trahenda (6). Ceterum ex his Innocentii commentariis profecit plurimum Bernardus Parmensis, qui multis locis Innocentii auctoritatem usurpat, ac multo etiam magis Joannes Andreae in commentariis in Sextum Librum Decretalium; ut nihil dicam de ceteris juris canonici interpretibus, quibus semper in promptu est Innocentii doctrina, ex ejus commentariis in decretalium libros hausta.

Post emissa primum haec in decretales gregorianas commentaria, non pauca iisdem adjecit Innocentius, ut observat Diplovataccius (7); qui alia ejusdem Innocentii opera recenset, nimirum, *Librum de jurisdictione Imperatoris et auctoritate Pontificis, contra Petrum de Vineis,* quem librum *Apologeticum* appellavit. Hunc librum cum aliis Innocentii IV opusculis manu exaratum servari in bibliotheca Vaticana, tradit Caveus ex Lud. Jacob. a s. Carolo.

De exceptionibus. Tractatus exceptionum Innocentii IV extat in Cod. 4218 Biblioth. Reg. Paris.

Regula Clarissarum. Hanc recenset Trithemius inter Innocentii IV scripta (8).

Addi possunt epistolae plures et diplomata apud Raynaldum, Labbaeum, Waddingum, Ughellum, Dacherium, Mabillonium aliosque; ut nihil dicam de Registris, ut vocant, Vaticanis, ex quibus amplissima collectio epistolarum et diplomatum hujus Pontificis concinnari posset.

XXXVII.

BERNARDUS COMPOSTELLANUS JUNIOR.

Vixit cum Innocentio IV Bernardus Compostellanus presbyter, canonum professor non obscurus. Dicitur alicubi Bernardus de Montemirato, quod ad locum, unde originem duxit, pertinere existimo. Innocentii IV capellanus fuit, idest, causarum cognitor, ejusque

(1) Ptolom. Lucens., *Histor. Eccles.*, lib. XXII, c. X. Pancirol. et Diplovat. *loc. cit.*, et alii passim.

(2) Diplovat., *loc. cit.*

(3) « Dicit Andreas Siculus in c. *Postulasti. De foro compet.* quod Innocentius in glossis suis ita breviter et obscure processit, ut saepenumero ignoretur quid velit dicere ». Diplovat., *loc. cit.*

(4) « Dicit Baldus in prooemio decretalium quod merito dicit Innocentius de se ipso quia ipse nonnulla scribit prolixo et implicato sermone ». Diplovat., *loc. cit.*

(5) « Dicit Abbas in rub. decretal. quod illa glossa facit multum contra Innocentium, qui unam et eandem materiam in diversis locis ponit vario modo ». Diplovat., *loc. cit.*

(6) Innocentius IV in prooemio decretalium.

(7) « Adde quod Innocentius fecit additiones ad dictum apparatum suum super decretales, et si liber tuus, idest Innocentii, habet unam additionem in c. fin. *Ut lite pendente;* et incipit: *Nota quod privilegium dicit;* habet etiam alias additiones secundum Car. in 4 oppos. ». Diplovat., *ibid.*

(8) Trithem., *De Script. Eccles.*, c. 437.

decretales amplis commentariis prosecutus est. Eruditus auctor bibliothecae veteris hispanae eumdem esse putat, qui floruit sub Innocentio III, eique tribuit tum collectionem antiquarum decretalium Innocentio III Pontifice factam, tum commentaria in libros decretalium Gregorii IX, temporibus Innocentii IV edita, quae auctorem habent Bernardum Botonum, de quo infra dicendum est. Sed in hoc etiam erravit, quod cum duo fuerint Bernardi Compostellani juris pontificii professores, unum tantummodo in scenam produxit eique duorum hominum personam imposuit; cum altero ab altero facillime potuisset secernere tum ex ratione temporum, quibus vixerunt, tum ex testimonio Joannis Andreae, qui utrumque rite distinguit in prooemio *Speculi* Guilielmi Durantis.

BERNARDI COMPOSTELLANI SCRIPTA.

I. *Notabilia et Casus super V libros Decretalium magistri Bernardi Compostellani.* Argentorati MCCCCLXXXXVIII et Norimbergae MCCCCLXXXXIII ex Oudino.

II. *Lectura in Constitutiones Innocentii IV.* Est inter Codices s. Victoris prope Parisios. O. 9, fol. 219, teste Oudino. Ad ejus calcem haec adnotata sunt: *Explicit Lectura magistri Bernardi de Montemirato Compostellensis, Deo gratias.*

III. *Lectura Bernardi Compostellani in lib. I Decretalium,* cum apostillis Antonii de Crevant. Parisiis MDXVI. An hic forte Apparatus in Decretales, quem inchoasse Compostellanum, non autem perfecisse, scribunt Ptolomaeus Lucensis lib. XXI, cap. XII, et Jo. Andreae in Prooem. Novellae?

IV. *Bernardi Compostellani Expositio quarumdam Constitutionum extravagantium.* In Bibliotheca s. Victoris Parisiensis, Lit. Q. I, fol. 156. Ex Oudino.

V. *Quaestiones ex apparatu Innocentii IV decerptae.* Harum tale est initium in codice Vaticano: *Ego magister Bernardus Compostellanus domini Papae capellanus ad laudem Dei et utilitatem studentium, quaestiones utiles ad causas definiendas ex ipsius Innocentii Apparatu, mandato ipsius Innocentii, extraxi etc.*

XXXVIII.

JOANNES DE DEO.

I. Ex multis canonum professoribus, quos saeculo XIII academia nostra tulit, haud scio an cuiquam concesserit Joannes de Deo vel opinione doctrinae vel numero et varietate scriptorum. Bononiam venerat Joannes studiorum causa ab extremis Hispaniarum oris, Silvae natus, quae civitas est nunc prope deserta in regno Algarbiae, non admodum a mari dissita. Ac suam ipse patriam indicat in iis versiculis, quos ad calcem libri *Cavillationum* adjecit, quos infra dabimus. In primis, quod edidit, libris se hispanum sacerdotem dicit (1). In aliis postea, quos sub finem anni MCCXXXXVII aut serius conscripsit, canonicum se ullyssiponensem passim appellat (2).

II. Praeceptorem habuit in jure canonico Zoenem Tencararium archipresbyterum bononiensem, quem magnis laudibus extulit in prooemio libri *Judicum*, seu *De ordine*

(1) In *Casibus Decretalium,* et alibi. Vide infra.
(2) In *Poenitentiali,* in libro *Opinionum* et aliis, de quibus mox.

judiciario (1). Quandiu autem in scholis nostris docendi munere functus sit et aetatem egerit plane incertum est. Ego nullam ejus memoriam reperio post annum MCCLIII, quo datae sunt Innocentii IV literae ad eum una et abbatem s. Proculi et archidiaconum bononiensem, quibus mandat ut causam definiant, quae erat inter Canonicos Regulares ss. Victoris et Joannis in Monte ac Fratres Cruciferos aliosque clericos et laicos bononienses Ecclesiae s. Luciae in via Castillionis patronos (2). Erigendam curaverat hanc ecclesiam Savinus presbyter saxoferratensis intra fines paroeciae s. Joannis in Monte, salvis ejus Ecclesiae juribus (3); eaque adhuc extat, sed in ampliorem multo ac nobiliorem formam redacta a Jesuitis, qui eum locum postea obtinuerunt.

III. Hujus clari professoris mentio est in Annalibus Camaldulensibus ad annum MCCXXXXVII, quo anno cum magistro Berengario, sive Berengerio Senensi, arbiter electus est ad amice componendam discordiam, quae erat inter nostros Camaldulenses et Fratriam sanctae Mariae de Camaldulo, quam Spavaldorum appellabant. Ex multis ejus scriptis plurimum profecerunt juris pontificii interpretes, Guilielmus Durantis, Joannes Andreae aliique plures, qui post illum scripserunt. Sed Ostiensis quoque, qui eadem aetate vixit, illum cum laude memorat. Diplovataccius in antiquo libro *Cavillationum* id de illo se legisse narrat, cum labore fessus lectioni dare operam amplius non posset, consuevisse illum volutare libros et chartas oculis lustrantem dicere: *Si non disco, non dedisco.*

JOANNIS DE DEO SCRIPTA.

Plura scripsit Joannes de Deo, quae illi magnam, dum viveret, famam conciliarunt; sed ea nostris temporibus paene jam ex hominum memoria evanuerunt. Haec porro sunt ejus scripta, quae undecunque colligere potuimus.

Breviarium Decretorum. Hanc decretorum synopsim primum fuisse Joannis nostri foetum existimo. Eam ipse primo loco recenset inter opera ab se edita initio libri *De ordine judiciario* et in additionibus ad *Summam Huguccionis,* de quibus mox dicemus.

Casus Decretalium cum canonibus concordatis. Hunc librum secundo loco recenset laudatis locis. In codice Vaticano 2343 ita incipit: *Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis et gloriosae Virginis Mariae et omnium agminum Angelorum, omniumque SS. et S. R. E. et ad utilitatem studentium in jure canonico et potissime in corpore decretalium, incipit liber casuum Decretalium a domino Papa Gregorio IX compilatarum de aliis voluminibus ineditarum a magistro Joanne de Deo Hispano sacerdote compilatus tam super novis quam super veteribus decretalibus, tam fideliter quam attente, etiam cum canonibus* (scilicet decretorum) *concordatis, in quibus succumbit falsitas et veritas elucescit.* Ad libri calcem haec adnotatio legitur: *Nota, lector, in hoc corpore esse duo millia decretalium minus XXXVIII et canones CLXXXVIII de quibus habes casus sufficienter expositos.*

Distinctiones super toto jure canonico. Hunc pariter librum Joannes ipse recenset initio libri *De ordine judiciario.*

Chronica. Cujusmodi sint haec Joannis Chronica, prorsus me latet. Ea ipse recenset quarto loco sub initium laudati libri *De ordine judiciario.*

Arbor consanguinitatis. Ejus tale initium est in codice Collegii Hispanorum Bononiae (4): *Quia circa computationem Arboris diversi diversa senserunt et quot capita tot sententiae, idcirco*

(1) Vide supra in ZOENE TENCARARIO.

(2) « Dilectis filiis abbati s. Proculi et archidiacono bononiensi et magistro Johanni de Deo doctori decretorum canonico ulixbonensi Bononie commoranti etc. ». Extant literae in archivo canonic. s. Jo. in Monte ad diem V kal. Septemb. MCCLIII.

(3) Ita ex tabulis ejusdem archivi s. Jo. in Monte ad diem IX intr. Febr. MCCVIII.

(4) Cod. n. 280.

quia ego magister Johannes de Deo Hispanus elegi de omnibus sententiis, quae potiora et breviora cognovi et causa brevitatis per versus declaravi etc.

Arbore constructa prius utraque litera structa
Canonis et legis etc.

Liber quaestionum. Extat hic liber manu exaratus in codice bibliothecae s. Coronae Fratrum Praedicatorum Vicetiae cum hoc titulo: *Liber quaestionum de facto a magistro Joanne de Deo hispano doct. decr. compilatus et in scholis publicis in quocumque articulo examinatus et approbatus.* Editus est anno MCCXXXXV die VI Septembris et dicatus Octaviano Cardinali s. Mariae in Via Lata. Vidit et indicavit clarissimus Garampius, Joannes Andreae has Joannis de Deo quaestiones saepius laudat de Regulis Juris et in Mercurialibus, ut observat Diplovataccius.

Liber Judicum. Hunc eumdem puto, qui alias inscriptus est *De ordine judiciario;* de quo ita Diplovataccius: *Postea fecit librum, quem Judicum vocavit, a judicibus et judiciis inchoando, illumque in quatuor partes divisit.* Perfecit autem eum librum anno MCCXXXXVI postridie kalendas Septembres, ut ad ejus calcem adnotatum observavit idem Diplovataccius (1). Extat hic liber Joannis de Deo in codice Vaticano 2343 post *Ordinem judiciarium Tancredi*, et inscriptus est magistro C. archipresbytero bononiensis Ecclesiae, quem ita auctor initio libri alloquitur. *Tibi venerabili patri et magistro C. archipresbytero bonon. dignissimo qualibet majori dignitate, quem Dominus ad majora sibi conservet providum servitorem, quoniam inter sapientes Italos, idest Italicos* (2), *praerogativa scientiae discretionis et prudentiae decoravit, utpote tamquam lucerna ardens per opera caritatis et lucens extra per opera pietatis, tibi, inquam, dirigo stilum meum etc.* Est hic Zoen Tencararius, ad cujus ignotum et peregrinum nomen indicandum imperiti librarii literam C. pro Z. usurparunt; qua de re supra in Zoene diximus (3). Pergit orare ut tam praesens opusculum quam alia ab se edita, scilicet, *Breviarium Decretorum* et *Casus Decretalium cum Canonibus concordatis* et *Distinctiones super toto jure canonico* et *Chronicam* et *Arborem Justificatam* in suam tutelam accipiat. In codice, quo usus est Diplovataccius, initio ejus libri se dicit *discipulum* et *amicum* C. archipresbyteri, cui librum suum dedicat, seque doctorem decretorum et sacerdotem hispanum appellat; ex quo apparet nondum tum canonicatu ulyssiponensi ornatum fuisse.

Summa super titulos Decretalium. In eodem codice Vaticano, post Joannis de Deo *librum Judicum* seu *De ordine judiciario,* sequitur *Summa* super titulos decretalium, quae in hunc modum incipit: *Precibus sociorum et instantia congruenti et mandato Domini, scilicet illustrissimi A. quondam Regis Legionensis filii, ego magister Joannes Hispanus, compostellanus natione, ad honorem S. R. E. et studentium utilitatem, Summam super titulos Decretalium aggredior scribere.* Credidissem hujus Summae auctorem fuisse Joannem de Deo, quem constat Summam super titulos Decretalium scripsisse, ut idem ipse testatur in additionibus ad Summam Huguccionis; sed obstat quod magister iste Joannes nec de Deo se nominat et compostellanum se dicit, quae auctorem alterum indicare videntur. Verum haec fortassis amanuensium inscitiae tribuenda sunt.

Libellus Cavillationum. Ediderat Ubertus de Bobio libellum *Cavillationum*, qui patria potestas a quibusdam appellatur (4), ubi de judiciis summariis disseritur. Sed incondite admodum

(1) Diplovat. in *Joann. de Deo.*

(2) Italicos hic hispano more nobiles intelligit, quos hispani « Idalgos » appellant.

(3) Cum proxime ante Zoenem Tencararium per annos fere XXX archipresbyter bononiensis fuerit sacerdos quidam nomine « Judex », in monumentis bononiensibus saepissime memoratus, neque is doctor omnino aut magister appelletur, manifestum est, non alium fuisse archipresbyterum illum bononiensem, cui librum suum inscripsit Joannes, quam Zoenem ipsum, cujus se discipulum et amicum dicit. Obstare videtur, quod anno MCCXXXXVI, quo is liber perfectus dicitur, bononiensis archipresbyter non amplius erat Zoen sed Bombononius, ne ipse quidem doctor aut magister. At potuit Joannes de Deo ab se antea inchoatum opus eo denique anno complesse et potuit etiam in mendosum codicem incidisse Diplovataccius, aut temporis notas non satis accurate exscripsisse.

(4) Diplovat. in *Joann. in Deo.*

scriptus videbatur, ut non magno usui esse posset juris studiosis iisque praesertim, qui in foro ecclesiastico versabantur. Hunc igitur Joannes de Deo amplificandum et restituendum suscepit, ac nova luce et ordine donatum in libros septem distribuit, et librum *Cavillationum*, sive de cautelis judicum, appellavit, in quo ex jure canonico passim confirmat et probat, quae Ubertus Bobiensis ex jure tantum civili protulerat. Absolvit hanc scriptionem Joannes postridie kalendas Septembres anno MCCXXXXVII, ut ex adnotatiuncula ad ejus calcem apposita observat Diplovataccius. Clarissimus Garampius hujus libri exemplum vidit in codice manuscripto, ad cujus finem hi versiculi adduntur:

En ego Silvanus, genuit quem Silva marina,
Acer in Iberis, in discernendo fidelis,
Inque chaos legum firma jura lucida quaedam
In libris VII titulis deca VII.[a] V.[e]
Erexi solem. Per canones illa probavi
Annis in binis etc.

Discimus hinc ejus patriam Silvam civitatem in extrema Lusitaniae ora, non admodum a mari dissitam, quaeque in tenuem vicum redacta, nunc *Silves* appellatur. Atque inde se Silvanum dicit. Consuevit autem ejusmodi versiculis extremam manum suis scriptis apponere, quod et ab aliis antiquis doctoribus factitatum video. Joannes Andreae hanc auctoris nostri operam, in emendando et perficiendo Uberti Bobiensis libello, commendat in additionibus ad Durantis Speculum.

Liber Poenitentialis. Ad calcem Poenitentialis Theodori archiepiscopi cantuariensis, editi a Jacobo Petit, afferuntur excerpta ex *Poenitentiali libro Joannis de Deo,* quem auctor potissimum scripserat ad usum Ecclesiae Ulyssiponensis, in qua erat canonicus et academiae bononiensis, cujus alumnus fuerat et ubi tum etiam professoris munere fungebatur. Quod si titulorum aut inscriptionum, quae ad initium ac finem appositae sunt, fides constaret, videri posset Joannes non academiae solum, sed etiam Ecclesiae bononiensi suum opus destinasse et ipse canonicus bononiensis fuisse. Earum inscriptionum prima est hujusmodi: *Ad honorem summae Trinitatis et individuae unitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti et Beatae Virginis et omnium Sanctorum et praecipue beati Vincentii et ad honorem et nomen venerabilium patrum Episcopi et Capituli* Urbis Bononiensis, *et ad utilitatem universi Studii et ad honorem Romanae Ecclesiae et ejus venerabilis Praesulis Innocentii IV.* Altera sequitur praefixa ejusdem libri praefationi, sive prooemio, in hunc modum: *Venerabili Patri ac Domino divina providentia* Urbis Bononiensis *Episcopo, et venerabilibus viris Decano, Archidiacono, Cantori, Thesaurario et Magistro scholarum et universo Capitulo, Magister Joannes de Deo doctor decretorum, canonicus eorumdem et servus ipsorum providentiae, salutem in eo, qui est omnium vera salus.* Extrema est, qua scriptionem suam Joannes ita concludit: *Explicit liber poenitentiarius a Magistro Joanne Hispano decretorum doctore, canonico* Urbis Bononiensis *compositus ad honorem summae Trinitatis et individuae Unitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti et sancti Vincentii martyris et ad honorem et nomen venerabilis Episcopi et Capituli* Urbis Bononiensis *et universalis Studii Bononiensis et ubicumque Ecclesia se extendit, in qua succumbit falsitas et veritas elucescit, sub anno Domini MCC, XXXXVII indictione V Octobris, V kalendas Novembres.* Enimvero cum bononiensis Ecclesiae capitulum decani, thesaurarii, cantoris, magistri scholarum dignitates non habeat; habeat autem, ut accepimus, et quidem illo ferme ordine, ulyssiponensis, nunc patriarchalis, Ecclesia (1), eademque, sive ejus princeps basilica s. Vincentio dicata sit; cum etiam formulae illae, *Episcopus urbis bononiensis, Capitulum urbis bononiensis, Canonicus urbis bononiensis* omnino inusitatae essent iis temporibus, neque usquam Joannes ipse ita lo-

(1) « Quocirca discretis viris Decano et Cantori Ecclesiae Ulixbonensis et Officiali Ulixbonensi, et eorum cuilibet eisdem auctoritate et mandato committimus et mandamus etc. ». Ex literis Antonii Episc. Alban. ad Administratores et Officiales majoris domus Hospitalis Ulyssipon. Omnium Sanctorum noncupati, datis XVI kal. Septembres MDXXXXV. Extant in libro, cui titulus *Ordenaçoes e Leys do Reyno de Portugal,* lib. I, p. 292.

quatur, ubi doctores, magistros, scholares bononienses memorat, sive ubi Zoeni, revera bononiensi archipresbytero, opus suum judiciale inscribit; postremo cum Innocentius IV, sexto anno post illius *Poenitentialis* editionem, non aliter in suis literis vocet Joannem, quam *Canonicum Ulixbonensem Bononiae commorantem;* manifestum est mendosas esse ejusmodi inscriptiones, et pro illis verbis *Urbis Bononiensis* reponi debere *Ulixbonensis*, sive *Ulixbonensi.* Hoc autem probato, consequens est ulyssiponensem duntaxat canonicum fuisse Joannem de Deo ab eoque *librum poenitentialem,* ad usum quidem academiae bononiensis, sed et una Ecclesiae ulyssiponensis, esse conscriptum. Est hujus libri argumentum utilis quaedam instructio pro Christi fidelibus cujuscumque aetatis et conditionis, ut recte accedant ad Poenitentiae sacramentum; quae magno usui etiam esse poterat ejusdem sacramenti ministris. Quamvis autem hic doctor decretorum, ut animadvertit clarissimus editor, nunquam supra Decretum sapiat; tamen ea, quae in corpore decretalium et decretorum sparsa sunt, ita apte ad suum *Poenitentiale* absolvendum disponit, ut multis utile videri debeat. Hunc vero librum scripsisse videtur cum esset provectus, sic enim ait cap. XVIII, ubi de confessione advocatorum: *Esset difficillimum narrare omnes defectus advocatorum: tamen ego Joannes de Deo antiquus doctor decretorum faciam pauca et narrabo posteris praecavenda.*

Liber Dispensationum est item a Joanne editus, qui et *Summa dispensationum* appellatur, cujus tres sunt partes. In prima parte sunt Capita XIV, in quorum primo agitur de dispensatione divina cum humano genere a principio mundi hucusque. In secundo de dispensatione Papae, atque ita deinceps de dispensatione praelatorum aliorumque, quibus dispensandi jus est. In secunda parte ponitur formatio sententiarum et omnium scilicet dispensationum. In tertia parte ponitur formatio relationum et consultationum. Et hoc, inquit, ad instantiam Fratrum Minorum et Praedicatorum, Eremitarum et aliorum scholarium et magistrorum, quibus in hunc modum suum librum nuncupat: *Venerabilibus viris fratribus Ordinis Praedicatorum et magistro Monetae ejusdem Ordinis doctori theologiae et fratribus minoribus et eremitis et scholaribus et dominis magistris Bononiae commorantibus et studentibus universis magister Johannes de Deo hispanus doctor decretorum, canonicus* Urbis Bononiensis *salutem in eo, qui est omnium vera salus. Noverit vestra prudentia, quod saepius dubitatur inter doctores de dispensationibus episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum et aliorum minorum praelatorum, imperatorum et regum et aliorum nobilium cum vassallis.... et de formandis sententiis universis; idcirco ego magister Johannes de Deo a vobis et ab aliis saepe requisitus, perscrutans omnes libros canonicos et legales et videns super hoc opiniones et sententias antiquorum et modernorum magistrorum, scribo vobis in quibus praelati.... et alii de jure poterunt dispensare, et per consequens de aliis, quae non possunt, nisi in consimilibus, cum illis sit interdictum, vel a canone non permissum, et hoc per textum comprobabo, tamen super operis imperfectione veniam postulo.* Ita in codice Vaticano (1), cui de canonicatu *urbis bononiensis,* librariorum vitio, idem erratum, quod supra notavimus, subrepsisse apparet. At in eo codice, quo Diplovataccius utebatur, nam is quoque hunc Joannis de Deo librum diligenter excussit, non *canonicus urbis bononiensis,* sed, ut plane esse debebat, *canonicus ulixbonensis* eodem illo loco scriptum erat. Anno MCCXXXXIII compositum id opus memorat Diplovataccius (2); ac fieri potest ut per id tempus Joannes ei scribendo vacaret, non tamen edidisse videtur ante annum MCCXXXXVII, quo anno inter canonicos ulyssiponenses adlectum fuisse, ex aliis monumentis colligitur.

Flos decretorum. Sequitur in eodem codice Vaticano libellus inscriptus *Flos decretorum*, quem ejusdem auctoris esse existimo; nam etiam in catalogo librorum, qui prostabant apud stationarios universitatis nostrae, quem in Appendice edidimus, recensetur *Johannis de Deo Flos super Decreto.*

Additiones ad Summam Huguccionis. Complevit Joannes de Deo *Summam Huguccionis,* quam auctor ipse imperfectam reliquerat. Discimus id ex codice Vaticano in magnis membra-

(1) Cod. Vatic. 5066.

(2) Sic auctor ipse testatur in eo libro, § *Sane,* rubr. *De inform. sentent. super criminal.* circa finem, ut refert. Diplovat.

nis (1), in quo a folio primo ad 371 continetur *Huguccionis Summa.* Post autem, usque ad finem libri, sequuntur quae a Joanne de Deo addita sunt, quae ipse dicavit nobili discipulo Deodato filio Praefecti Urbis ac magistris et scholaribus academiae nostrae, quos alloquitur his verbis: *Venerabili viro Deodato filio praefecti urbis Romae ac magistris et scholaribus universis Bononiae commorantibus magister Johannes de Deo Yspanus, doctor decretorum, canonicus ulixbonensis, salutem in eo, qui est omnium vera salus.*

Narrat subinde opus illud, quod Huguccio ferrariensis episcopus moriens imperfectum reliquerat, se absolvisse rogantibus quibusdam magistris et scholaribus bononiensibus. *Noscat,* inquit, *vestra prudentia, quod magister Hug. summus in peritia decretorum, olim ferrariensis episcopus, ad discipulorum instantiam composuit quamdam Summam super corpore decretorum, sed quod morte praeventus non potuit omnino perficere .... Ego Johannes de Deo precibus et postulationibus magistrorum et quorumdam scholarium et tuis praecipue Deodate etc.* Pluribus deinde hortatur egregium hunc discipulum, quem in jure canonico diligenter ab se eruditum dicit: *Memor semper sis,* inquit, *honestatis tuae et mei magistri tui senis, qui te in jure canonico cum multa diligentia informavi, ut per haec et alia bona, quae feceris, possis in caelo cum Angelis collocari, inter quos in futuro judicio te requiram.*

In suam praefatiunculam absolvit Joannes, in qua reliqua opuscula sua, quae in illum diem ediderat, recensuit, rogans Deodatum ut suscipiat non solum hoc opus sed et *omnia alia ad honorem summae Trinitatis et ad utilitatem Studii* (bononiensis) *elaborata;* nempe, ait ipse, *Breviarium super toto corpore decretorum, casus decretalium cum canonibus concordatis, librum Judicum et chronica et Distinctiones super toto jure canonico et Notabilia cum Summis super titulis decretalium, et arbore ....* (2) *et Apparatum super toto corpore decretorum, et librum Dispensationum, quem nuper ad vestram instantiam compilavi.*

Ad libri calcem haec porro leguntur: *Explicit Summa Hug. ferrariensis episcopi completa a magistro Jo. de Deo doct. decr. canonico ulixbonensi super IV caus. scilicet XXIII, XXIV, XXV, XXVI quapropter totum commentatum est tam in litera quam in sensu .... Tamen super operis imperfectione veniam postulat a lectore. Alleluja.*

En ego quem genuit Yspania clara, sodales,
Hoc opus explevi precibus ....
Hugo quod praesul perficere forte nequivit,
Hoc sed inexpleto letho praeventus obibit (3);
Coeptum perfeci, tutans pia Virgo Maria,
Sed tamen emendet, socii, rogo, vestra sophia.

Viderat hunc codicem Justus Fontaninus, ancyranus antistes; sed morae impatiens exiguam operam in eo perscrutando impendit. Itaque tantum novit completum *ab Hispano quodam,* nec aliud praeterea (4). Sed neque Nicolaus Antonius in bibliotheca hispanica neque Pancirolus neque Diplovataccius, qui ceteris diligentior est in hujus auctoris operibus recensendis, perfectam ab illo memorant *Huguccionis Summam.* Extat ejusdem *Summae* exemplar cum additionibus Joannis de Deo in regia bibliotheca parisiensi, ut ex ejus catalogo discimus.

Liber opinionum. Hic liber in codice bibliothecae s. Coronae oblatus dicitur Bononiae Innocentio IV mense Octobris, anno MCCLI ab utroque ipso, qui se dicit *canonicum ulisbonen. de regno Portugalliae.* Vidit et indicavit clarissimus Garampius.

Apparatus super toto corpore decretorum. Memorat ipse hoc opus aliunde ignotum in additionibus ad *Summam Huguccionis*, ut supra ostendimus.

Notabilia super Decreto. Indicatur hic liber nostri auctoris in catalogo librorum, qui prostabant apud stationarios universitatis, quem in Appendice edidimus.

(1) Est cod. 2180.

(2) Evanescentibus literis unius opusculi nomen hic fugiit.

(3) Lege: *obivit.*

(4) FONTANIN. in praefat. ad *Decr. Gratian. Turrecremat.*

Pastorale Joannis de Deo. Hic etiam liber in eodem catalogo recensetur. Eum nec ullibi videre licuit, nec de ejus quidem argumento aliquid conjectare licet.

Summa de Sponsalibus ejusdem auctoris in eodem catalogo designatur, aeque mihi ignota ac superiores duo libri.

Dictamen in primum librum decretalium Joannis de Deo habetur in codice manuscripto bibliothecae regiae parisiensis (1). Oratiunculam sive prolusionem esse puto, quam ad auditores suos habuerit, cum decretalium interpretationem auspicaretur.

Pancirolus plura hujus auctoris scripta recenset; sed ita ut appareat pleraque ei ignota fuisse. Accuratior in iis perquirendis fuit Diplovataccius, qui et pauca omittit ex iis, quae supra recensuimus et singula, quae affert, diligenter describit. Trithemius, Caveus, Nicolaus Antonius aliique bibliographi Joannem de Deo inter juris canonici professores commemorant; sed parce admodum de ejus scriptis ac tenuiter de ejus fama loquuntur.

XXXIX.

BERNARDUS PARMENSIS.

I. Ex gente, quae de Botono dicebatur, apud Parmenses cum primis illustri (2), circa initium XIII saeculi natus est Bernardus juris pontificii nobilissimus interpres et decretalium glossator (3). Cum Bononiam studiorum causa venisset, nunquam ab academia nostra discessisse videtur, ubi docendo et scribendo magnam sibi nominis celebritatem comparavit. Audivit in jure canonico Tancredum archidiaconum (4), cujus institutum vitae secutus, canonicatum etiam in Ecclesia bononiensi illius exemplo obtinuit.

II. Florere jam coeperat Bononiae Bernardus cum decretales Gregorii IX, per s. Raymundum de Pennafort digestae et in ordinem redactae, scholas et forum ecclesiasticum occuparunt; quibus interpretandis quamquam multi suam operam impenderint, omnibus tamen palmam praeripuit Bernardus. Sed quoniam decretales gregorianae maxima ex parte coaluerant ex quinque prioribus decretalium collectionibus, quae antea diversis temporibus prodierant et quibus interpretandis plurimi doctores insudaverant, ita et Bernardi Parmensis glossae non minima ex parte depromptae sunt ex glossis et commentariis superiorum interpretum. Itaque, ut ante Joannes Teutonicus in Gratiani Decretum et Accursius iisdem fere temporibus in universum corpus juris civilis, ita Bernardus Parmensis in decretales, quae cum Gratiani Decreto totum juris canonici corpus constituebant, ex immensa farragine glossarum, quas nostri doctores ante illud tempus ediderant, utiliora quaeque deligens multaque ex suo penu producens, sua commentaria, sive, ut dicere amabant, suum glossarum apparatum concinnavit, quo ad hanc usque diem utimur. Quare cum ejus industria versata sit in interpretandis potissimum decretalibus, doctor decretalium appellatus est (5).

III. Sed cum per illud tempus floreret etiam Bernardus Compostellanus junior, alter ab illo, qui sub Innocentio III vixit, utriusque omonymia factum est, ut scriptores

(1) Codex 4439.

(2) Hanc familiam duorum castrorum dominam olim fuisse auctor est Jac. Ph. Thomasinus in elogiis illustrium virorum, in Albertino Botono, pag. 149. Etiam Bonaventura de Angelis inter nobiles parmenses enumerat *Historiis Parmensibus,* lib. I, pag. 24.

(3) Anno MCCLXVI Bernardus Parmensis obiit. Anno autem MCCXXXII jam inter juris canonici professores merebatur. Natus igitur videtur circa initium saeculi XII.

(4) Ex SPECULATORE, tit. *De rest. in integr.* — Vide adnotat. in VINC. HISPAN.

(5) Vide Consilium magistri Bernardi doctoris decretalium in Appendice. In sepulcrali tamen epigraphe decretorum doctor nuncupatur.

multi, iidemque non vulgares, Bernardum Parmensem a Compostellano non distinxerint. Et Caveus quidem Bernardum hunc nostrum omnino ignoravit. Oudinus autem illum cum Compostellano confundit; quo in errore fuit etiam Diplovataccius, qui tamen duos Bernardos Compostellanos agnoscit, alterum hispanum antiquiorem, recentiorem alterum et parmensem, cui tribuit apparatum in decretales gregorianas (1). Sed Joannes Andreae ita utrumque secernit, ut ambigendi locum non relinquat (2).

IV. Inducti videntur in errorem Diplovataccius et Oudinus et Nicolaus Antonius et alii, qui cum iis sentiunt ex falsa quorumdam codicum et librorum etiam editorum inscriptione, in quibus commentaria in V libros decretalium tribuuntur magistro Bernardo Compostellano. Ideo autem hanc existimo falsam inscriptionem quibusdam libris appositam, tum quia Bernardus noster Parmensis nullum nomini suo agnomen in suis scriptis addere consuevit, tum quia Bernardus ipse Compostellanus aliquid ejusmodi molitus fuerat, quod tamen nunquam perfecit (3). Sed glossam, quam vocant ordinariam, Bernardo Parmensi tribuendam esse manifestum est, cum ex iis, quae dicta sunt, tum ex ejus sepulcrali inscriptione, quam infra dabimus. Quid plura? Ipse ejus glossae auctor se disertis verbis canonicum bononiensem vocat, patria parmensem: *Quaesitum est a me Bernardo Parmensi, canonico bononiensi, capellano domini Papae.* Ita de se ipso inquit in c. *Quod sicut. De elect.*

V. Vixit ille annis multis cum dignitate in civitate nostra; ubi etiam, ut supra dictum est, canonicatum in majori ecclesia commendatione, ut opinor, doctrinae obtinuit; difficilis enim patebat aditus ad collegium canonicorum Ecclesiae bononiensis iis, qui cives bononienses et quidem optimo loco nati non essent. Habuit etiam non ignobile sacerdotium sanctae Mariae de Montovalo in agro bononiensi, quod absens ex indulgentia Pontificum administravit. Capellani pontificii honore insignitus est pluresque ad eum causae magni momenti delatae sunt ab Innocentio IV, Alexandro IV et Urbano IV, et non levia negotia, dum in scholis nostri juri pontificio interpretando vacaret.

VI. Anno MCCXXXII primo occurrit Bernardi mentio in monumentis bononiensibus (4). Sed nondum tunc erat canonicus. Primum inter canonicos bononienses nominatum reperio ad annum MCCXXXXVII in inscriptione literarum Innocentii IV ad eum una et episcopum cerviensem datis, ubi etiam capellanus pontificius appellatur. Mandat iis literis Pontifex, ut abbatem nonantulanum, qui propter senectutem honestam missionem postulabat, se abdicare permittant et alium, qui eo munere dignus sit, eligendum curent (5). Erat iis Cirsaccus Abbas (6), de quo sunt aliae Alexandri IV literae

(1) « Bernardus Compostellanus patria parmensis, vir divino fultus ingenio, Apparatum composuit super compilatione decretalium.... quibus nunc utimur ». DIPLOVAT. in *Bernard. Compostell.*

(2) Vide JOANN. ANDREAE in prooem. *Specul.* et in prooem. *Novel.*, ubi egregie recenset primo Bernardum Compostellanum seniorem, qui collectionem decretalium concinnavit sedente Innocentio III, mox Bernardum Parmensem decretalium interpretem, denique juniorem Bernardum Compostellanum, qui cum Bernardo Parmensi vixit sub Innocentio IV.

(3) « Floret etiam Bernardus Parmensis, qui Apparatum fecit super Decretales, qui hodie extant. Scripsit etiam Casus super easdem; unde Innocentius IV fuit contemporaneus ejus et sub ipso Apparatum fecit. Floruit etiam eo tempore Compostellanus, qui Apparatum fecit sed non complevit ». PTOLOM. LUCENS., *Histor. Ecclesiastic.*, lib. XXII, cap. XII apud MURATOR., *Rer. Ital. Script.*, t. XI, pag. 1147.

(4) Interfuerunt magister Bernardus Parmensis et alii academiae nostrae professores cum canonici ecclesiae bononiensis ratas habuerunt immunitates ab Henrico episcopo concessas sanctimonialibus sancti Francisci. Haec inserta sunt in diplomate Innocentii IV dat. Perus. anno IX, idest an. MCCLI, quod nuper in Bullario Franciscano editum est t. I. — Vide supra in AZONE SENENSI et MANZATORE.

(5) *Vide Appendicem.*

(6) Cursaccum non recte apud MURATORIUM dicitur in *Notitia Abbatum Nonantulan.* (*Antiquit. Ital. medii aevi*, dissert. LXVII).

ad magistrum Bernardum canonicum bononiensem capellanum suum, quibus similiter mandat ut cum Cirsaccum abbatem nonantulanum, senio confectum et incurabili morbo laborantem, permiserit ejus monasterii regimen dimittere et monachi nonantulani Bonacursum abbatem s. Proculi in Cirsacci locum elegerint, Bonacursum ipse in abbatiam nonantulanam inducat. Datae sunt Alexandri IV literae IV idus Junias anno quarto, idest anno MCCLV, annis nimirum octo post priores Innocentii IV literas (1). Postero die scripsit Pontifex ad Cirsaccum ipsum, admittens abbatiae abdicationem et annuam ei pensionem ex monasterii reditibus, domum et servitia decernens. Rursum eodem die scripsit monachis s. Proculi, mandans ut Bonacurso abbati, quamquam ad abbatiam nonantulanam translato, parere non desinant, vetatque ne quem in ejus locum regendo monasterio eligant. Denique Bonacurso ipsi scribit eique mandat ut quamvis abbas nonantulanus electus, monasterii s. Proculi praefecturam ad biennium retineat. Sunt hae omnes Alexandri IV literae in codice diplomatico manuscripto Ecclesiae bononiensis, ex quo a nobis in Appendice producuntur, non tam ad memoriam Bernardi Parmensis quam ad historiam duorum insignium monasteriorum illustrandam.

VII. Anno MCCL interfuit Bernardus cum Commune Bononiensium, assentiente episcopo et canonicis Ecclesiae bononiensis, concessit archipresbytero Montisbelli (2) ecclesiam s. Ambrosii pro ecclesia s. Apollinaris, quae illi subjecta erat quamque dirui oportuerat, ut area palatio civitatis noviter exstructo continens ampliaretur (3); aucta enim et numero civium et opibus civitate ob exterorum concursum ad academiam nostram, ut tecta et pomoerium amplificari necesse fuit, ita et majora templa ceteraque opera publica magnificentius erigi coepta et nova civitati facies indita. Erat autem palatium, paucis ante annis excitatum, illud idem, quod nunc Hentii nomine dicitur, quod ibi Hentius Rex Friderici II filius, in bello a Bononiensibus captus, in custodia, quoad vixit, detentus est. Erat tunc in collegio canonicorum bononiensium, uti semper fuerunt, viri plures spectatae nobilitatis et doctrinae; nec Octavianus Ubaldinus cardinalis, vir aetate sua celeberrimus, inter eos censeri dedignatus est (4).

VIII. Possem alia id genus proferre de Bernardo Botono; sed vereor, ne minimis rebus majorem quam oporteat diligentiam impendere videar. Illud non silebo negotium ei datum ab Urbano IV ut oppidum carpense, quo tunc Romana Ecclesia potiebatur, auctoritate apostolica concederet Manfredino episcopo veronensi electo quoad viveret possidendum, ut inde haberet aliquod subsidium in durissima captivitate, qua affligebatur. Cum enim Manfredinus picenam provinciam pro Ecclesia Romana administraret et Manfredo Siciliae Regi, Romanae Ecclesiae hosti infensissimo, qui per Jordanum factionis suae ducem in Picenum irruperat, strenue resisteret, commisso praelio victus est et indignissime habitus, atque, ut scribit Pontifex in iis literis, *insuetas poenas in squalore carceris sustinuit* (5). Narrat Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis ad annum MCCLXIV calamitatem electi veronensis, quem non recte Simonem appellat (6). Sed de insigni charitate et munificentia Pontificis erga illum silet. Id nos accepimus

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Monsbellius nostris *Monteveglio*, locus insignis, qui olim fuit ex patrimonio comitissae Mathildis.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) « Venerabilis pater dominus Octavianus sanctae Mariae in Via Lata diaconus cardinalis Apostolicae Sedis legatus, tamquam canonicus bononiensis ». Ita subscribit cum Bernardo Parmensi, et aliis canonicis. *Ibid.*

(5) Urbanus IV in epistola ad Bernardum canonicum bononiensem anno MCCLXIV, quam vide in Appendice.

(6) RAYNALD., *Ann. Eccles. ad an. MCCLXIV*, n. 15.

ex iis ipsius Pontificis literis ad Bernardum Parmensem, eodem anno MCCLXIV datis, quas ex codice diplomatico Ecclesiae bononiensis in Appendicem contulimus.

IX. Sub vitae exitum gravem molestiam pertulit Bernardus a Jacobo Panici comite, qui collecta suorum manu ecclesiam sanctae Mariae Montovali, cui ipse praeerat, armatus invasit spoliavitque. Celebre est in historia bononiensi Panicum castrum et quae in eo castro dominabatur nobilissima gens, de Panico dicta, de qua multa sunt apud Ghirardaccium aliosque rerum bononiensium scriptores. Celebris est etiam Montovali sive Montis Ovali locus, ubi ea ecclesia sita est. Olim Mons Palensis dicebatur, antiqua religione sacer, in quo multa ss. Martyrum corpora condita esse dicuntur. Sed cum Bernardus contra comitem Panici jure agere coepisset, ut illata Ecclesiae suae damna farcirentur, causa nondum definita decessit et successorem habuit in Montovali sacerdotio Bernardum de Querceto canonicum bononiensem, qui causam contra comitem Panici susceptam strenue persecutus est. Habemus aliqua ejus litis acta anno MCCLXVI prid. kal. Apriles scripta, quae in Appendice damus.

X. Testamentum condiderat Bernardus anno MCCLXII, quod ratum habuit anno rursum MCCLXV prid. non. Junias. Huic codicillos adjecit prid. non. et IV id. Martias insequentis anni MCCLXVI (1). Extremo die ejusdem mensis jam obiisse constat et successorem habuisse Bernardum de Querceto, ut supra dictum est. Quare ejus obitus contigit anno MCCLXVI inter decimam et extremam Martii diem. Multa legavit piis locis ac praesertim conventui Fratrum Ordinis s. Augustini, qui erant ad s. Michaelis in Busco; tum consanguineis suis magistro Gerardo et Bernardo *nepotibus,* et Savinae filiae Gerardi de Vigatulo fratris sui. Gerardo autem prae ceteris legavit libros aliquot legum, Codicem nempe Digestum vetus et novum ac Summam Huguccionis; ex quo apparet hunc Bernardi *nepotem* patrui vestigia secutum in jurisprudentiae studio. Videtur autem jus canonicum professus, quod magistri appellatio significat et quod clericum decebat, qualis erat Gerardus, cui legavit etiam Psalterium et Hymnarium suum. Hunc esse puto magistrum Gerardum doctorem decretalium, qui post medium saeculi XIII bononiensis Ecclesiae archipresbyter fuit (2). Constituit etiam in iis codicillis Bernardus Botonus de funere suo et sepultura, quam esse voluit in cathedrali ecclesia, ubi sepulcrum jam sibi paraverat prope tumulum Tancredi Archidiaconi, juris pontificii professione celeberrimi, quem praeceptorem habuerat. Mandavit autem ut illato corpore in sepulcrum tumulus supra eum locum excitaretur ex marmoreis tabulis antea ad eum usum comparatis. Sed haec melius ex ejus codicillis intelligi poterunt, quorum excerpta in Appendice damus.

XI. Posita fuit ad ejus tumulum haec epigraphe cum gentis suae insignibus in grandi marmore, quod solum nunc superest (3), disjecto jamdiu sepulcro ipso in novis ejus templi molitionibus:

DOMINI · BERNARDI · DE · BOTONO · DE · PARMA
CHANONICI · BONONIENSIS · DECRETORUM · DOCTORIS
APPARATUS · DECRETALIUM · COMPILATORIS (4)

(1) *Vide Appendicem.*
(2) Vide infra in GERARDO ARCHIPRESBYTERO.
(3-4) Extat nunc hic lapis parieti affixus, qua ex sacrario descensus est ad inferiorem ecclesiam.

Pancirolus corruptam omnino hanc inscriptionem dedit in hunc modum:

BERNARDUS · BOTTONUS
CANCELLARIUS · STUDII · BONONIENSIS
QUI · SCRIPSIT · APPARATUM · IN · DECRETA
JACET · HIC

Quod hic dicitur Bernardus Botonus auctor apparatus ad Decreta, adeo manifeste falsum est, ut hinc saltem de tota inscriptionis corruptione suspicari debuisset Pancirolus et novum istum atque inauditum *Studii Bononiensis Cancellarium* in suis tenebris relinquere. Etiam Laurentius Scharderus hunc sepulcralem Bernardi glossatoris titulum exeunte saeculo XV in suis Italiae monumentis ediderat aliis mendis foedatum, ubi non jam Bernardus seu Bernardinus vocatur (1). Sed Nicolaus Burtius, qui de Bononiae laudibus commentariolum scripsit dicavitque Joanni II Bentivolo Senatus Bononiensis principi quique Bernardi tumulum videre potuit, uti erat in antiqua divi Petri ecclesia, hos versus eidem inscriptos refert:

Canonis hic situs est glossator juris, et ille
Quem clarum genuit gallica Parma virum.
Bernardus fuerat divino munere fultus
Divino eloquio, aurea dicta sibi.

Recitat hoc ipsum Bernardi epitaphium Diplovataccius primo versu mancum; sed memoria lapsus extare dicit ad divi Martini ecclesiam.

BERNARDI PARMENSIS SCRIPTA.

Bernardi scripta nulla esse arbitror, praeter ampla ejus commentaria in quinque libros decretalium, quae non uno tempore prodierunt, plura enim paulatim adjecit (2) et huic operi perficiendo omne vitae suae tempus impendit. Iis adjunxit Casus longos decretalium, qui seorsim etiam ab auctore edi potuerunt; ita enim sunt cum apparatu glossarum conjuncti ut separatim etiam existere possint et ita revera in pluribus codicibus manu exaratis observantur (3). Eos etiam habemus seorsim editos, jam inde ab anno MCCCCLXXVII, quorum editionem curavit Andreas Corsettus scholarum nostrarum non obscurus professor (4); ac alibi postmodum non semel vulgati sunt (5). Porro interpretandis et illustrandis decretalibus Bernardum ad extremos usque vitae suae annos insudasse, manifestum est ex iis, quae scribit ad c. *Quod sicut. De electi.*, ibi enim loquitur de consecratione Octaviani Ubaldini episcopi bononiensis, quae habita est Bononiae anno MCCLXIII (6), cui ipse interfuit. Obiit autem triennio post, ut supra demonstratum est.

(1) SCHARDER, *Monum. Ital.*, pag. 55.

(2) Additiones apparatui glossarum, factas diversis temporibus a Bernardo, observavit Joann. Andreae et Abbas Siculus in c. *Quod sicut. De elect.*, ut Diplovataccius animadvertit.

(3) Talis est codex, quem supra ab Oudino indicatum diximus.

(4) « Incipiunt Casus celeberrimi ac famosi juris utriusque doctoris et monarchae domini Bernardi Parmensis, canonici Ecclesiae bononiensis ac mirifici glossatoris decretalium, revisi per me Antonium Corsectum de Sicilia juris utriusque doctorem, jura pontificia in hoc vetustissimo et omnium primario gymnasio bononiensi ordinarie legentem ».

« Impressum Bononiae per Henricum Harlem et Johannem Vulbeech socios, anno MCCCCLXXVII penultima die Novembris ».

(5) Anno MCCCCLXXXXVII editi sunt Lugduni apud Claudium Bibolet.

(6) HIERONYMUS RUBEUS, *Histor. Ravennat.*, lib. VI ad hunc annum.

Consilium quondam *magistri Bernardi doctoris decretalium* vidimus in codice manuscripto bibliothecae Fratrum Minorum Cesenae, scriptum ad calcem *Summae s. Raymundi*, quod in Appendice damus (1). Versatur circa interpretationem Constitutionis Gregorii IX contra blasphemos; nec dubito, quin Bernardus ille sit is, de quo disserimus, doctor decretalium jure appellatus, quod hanc praecipue juris pontificii partem professus sit, ut supra dictum est.

XXXX.

GERARDUS

ARCHIPRESBYTER BONONIENSIS.

GERARDUS DE VALETO.

I. Inter utriusque juris doctores, qui Bononiae saeculo XIII floruerunt, magistrum Gerardum Bonum recensuit Alidosius, canonicum et archipresbyterum bononiensis Ecclesiae (2); de cujus vera aetate subdubitans, neque ullum illius nomini annum adscripsit, eumdemque fuisse ac Gerardum Areostum bononiensem episcopum, omnino praeter rationem suspicatus est. At Gerardus Areostus ante episcopatum non archipresbyter fuit sed archidiaconus, ut suo loco demonstrabimus; magister vero Gerardus archipresbyter ac decretalium doctor longe serius vixit, quippe qui anno MCCLVI cum esset Mutinae quibusdam actis in episcopali palatio interfuit, quae apud Ughellum in episcopis mutinensibus videri possunt (3). In monumentis ecclesiae bononiensis altum de illo silentium; quae ab anno MCCLI, quo eam adhuc dignitatem obtinebat Bombononius Zoenis Tencararii successor, toto amplius decennio nullum nobis exhibent archipresbyterum. Hunc esse arbitror magistrum Gerardum, de quo supra dictum est, Bernardi Botoni fratris filium, cui ille moriens libros aliquot civilis juris et canonici legavit (4); potuit autem facile Alidosius ex antiquis chartis, quae in illius manus inciderunt, pro *Gerardo Botono Gerardum Bonum* exscribere. Quae res si vera esse statuatur, ut certe est verisimillima, dicendum erit archipresbyteratu se abdicasse Gerardum ante patrui mortem, non enim ab eo in codicillis archipresbyter nominatur, eamque dignitatem anno MCCLXII magistro Sinigardo Arretino jam delatam fuisse constat, de quo dicemus inter medicinae professores. Hic etiam Gerardus esse videtur, qui una cum Bernardo, scilicet patruo suo, qua nescio in controversia sententiam Bononiae pronunciavit, ut refert Joannes Andreae in commentariis decretalium (5).

II. Ex academiae nostrae professoribus et alumnis plures ad Ordinem Praedicatorum commigrarunt, non solum in primis ejus exordiis sed etiam multo post, toto fere saeculo XIII. De hoc numero fuit magister Gerardus de Valeto doctor decretorum, qui Bononiae in eum Ordinem receptus est anno MCCLXVII vel insequenti. Is, antequam solemnibus votis in eo Ordine se obstringeret, coram episcopo bononiensi aliisque primariis viris testamentum fecit, quod indicatum habemus in Memorialibus Communis

(1) *Vide Appendicem.*

(2) ALIDOS., *Doct. Bonon.*, pag. 92.

(3) « Actum Mutinae in episcopali palatio praes. et rogat. dominis magister Gerardo archipresbytero Bononiae doctore decretalium, Raynerio archipresbytero de Albareto etc. ». UGHELL. in *Episc. Mutin.* sub *Alberto episcopo.*

(4) Vide supra in BERNARDO PARMENSI.

(5) « Guido ibi refert contrarium fuisse sententiatum Bononiae per magistros Bernardum et Gerardum etc. ». JOANN. ANDREAE, c. *Ad audientiam. De cler. conjug.*

Bononiae [1]. Sed quoniam ibi tabulae testamenti minime perscriptae sunt sed solum indicatae, neque cujas esset Gerardus nec qua ex gente aut aliud quidquam rescire de eo licuit.

XXXXI.

HENRICUS CARD. OSTIENSIS.

I. Segusii in Pedemontio natus est Henricus, ob episcopatum ostiensem, quem ab Urbano IV obtinuit, Ostiensis agnomine notissimus, ut merito ridendi sint, qui eum suspicantur Ostiensem appellatum, quod per eum, quasi per ostium, patuit aditus omnibus ad jurisprudentiam properantibus [2]. De ejus genere dissensus est scriptorum, vix tamen dubito quin clara ex stirpe editus sit. Sunt qui velint natum ex familia, quae de Bartholomaeis diceretur. Sed qui ita scribunt, non admodum antiqui sunt. Guilielmus de Pastrengo, Diplovataccius, Pancirolus, ac ceteri fere ejus agnomen silent. Erat Bononiae anno MCCLXXXV inter scholares *Thomasinus de Romanis nepos bonae memoriae domini Henrici olim cardinalis Hostiae*, sic enim dicitur in Memorialibus Communis Bononiae. Si hic erat Ostiensis ex fratre nepos, hinc ejus familiae agnomen habemus. Adolescens literarum studiis diligenter excultus est, potissimam vero operam jurisprudentiae impendit. In jure civili praeceptore usus est Jacobo Balduino [3], qui in summis aevi sui jurisconsultis habitus est et Azonem magistrum suum fama prope aequavit. In jure canonico, in quo ipse postea principatum tenuit, audivit Jacobum Albigaunensem, qui postea Faventinorum episcopus fuit [4]. Sed hunc Ostiensis praeceptorem aliqui Jacobum Albanum, alii de Albasco non recte appellant.

II. Ab his doctoribus in academia nostra eruditus, docere ipse coepit tanto plausu, ut inter professores juris canonici superiorem habuisse non videatur. Ex Italia in Gallias abductus, docuit aliquando in scholis parisiensibus [5], ac fortasse etiam in Anglia, ubi haud brevi tempore fuit, eo, ut opinor, accitus ob vulgatam singularis doctrinae opinionem. Cum in Anglia esset, magno in honore fuit apud Henricum III Regem, cujus negotiis gerendis non exiguam operam contulit et legatus etiam pro eo ad Innocentium IV profectus est. Commendat autem Innocentius ejus fidem ac diligentiam literis ad Regem datis, quae scriptae sunt kal. Augustis anno II, idest anno MCCXXXXIV [6]. In iis literis Innocentius appellat Henricum antipolitanum praepositum et capellanum suum [7]. Sed cum Angli hominem alienigenam, quantumvis doctum et celebrem, aegre

(1) « An. MCCLXVIII die III exeuntis Aprilis. Discretus vir magister Gerardus de Valeto doctor decretorum Frater in Ordine Praedicatorum nondum professus ante professionem factam a se sanus mente et corpore suarum rerum et bonorum omnium per presens nuncupativum testamentum .... fecit .... scriptum manu Ranerii notarii et Francisci Thomasini factum hodie Bononiae in palatio veteri episcopatus Bononiae praesentibus fratre Jacobo de Jussano de Ordine Praedicatorum, domino Gerardo archipresbytero de Carpo, magistro Aichino vicario domini episcopi, presbytero Alberto de Trassassa cum ipso domino episcopo ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) Est horum numero M. MANTUA in *Epit. vir. illust.*

(3) « Secundum dominum meum Jac. de Balduino quem semper in legibus dominum meum principaliter voco ». Ita OSTIEN. in prooem. *Summae,* § *Et quoniam:* et alibi passim, ut observat DIPLOVAT.

(4) JOANN. ANDREAE in addit. ad *Specul.* in prooemio, v. *Porro* et v. *Bernardus Parmensis.*

(5) « Hispanus quidam, qui vocabatur magister scholarum et a me audiebat decretales Parisiis ». OSTIEN. in *Summa,* tit. *De elect. et elect. potest.*, v. *Et qualiter.*

(6) Editae sunt inter *Acta pub. Angliae,* t. I, p. I, pag. 150.

(7) Prior antipolitani capituli erat Henricus anno MCCXXXIX, at in reformatione illius Ecclesiae facta anno MCCXXXXII Praepositus, loco Prioris, esse coepit.

ferrent multum gratia et auctoritate apud Regem valere, ipse veritus ne quid sibi periculi ab invidis crearetur, solum vertendum censuit; eodemque anno sistaricensis episcopus in Gallia creatus, oblatam sibi probabilem causam Angliae vale dicendi non moleste tulit (1).

III. Verum Henrico ex Anglia abeunti turpem notam inurit Matthaeus Paris. Narrat illum pecuniam intervertisse, quam a Rege acceperat ad dejiciendum episcopum wintoniensem, qui contra ipsius Regis voluntatem episcopatum obtinuerat. Itaque illum ait ea pecunia usum, ut episcopatum sibi acquireret (2). Sed Galliae Christianae auctores Henricum illum alium a nostro existimant et Auberium reprehendunt, qui tantum crimen ex fide Matthaei Paris Henrico nostro tribuere non dubitavit (3). At nihil est causae cur Henricum alterum hic excogitare oporteat; nec magnopere credendum est Matthaeo Paris, qui et Anglus erat et nostris saepe se intensum ostendit. Vivebat ille eo ipso tempore, quo Henricus erat in Anglia, et jamdiu manum admoverat suae historiae scribendae; quo in opere, dum summam dicendi libertatem affectat, saepe se maledicum prodit. Itaque vix dubito, quin Matthaeus ipse locum non infimum mereatur inter invidos Henrici obtrectatores, a quibus, Anglia excedens, sibi cavendum existimavit.

IV. Sed absurda narrat Matthaeus Paris, quae nemini probabuntur. Si Henricus Segusinus regiam pecuniam suis usibus insumpsisset, an credibile est Regem Angliae voluisse iterum huic homini adhibere fidem, suaque ei negotia committere? At enimvero Henricum, ebredunensem archiepiscopum jam creatum, pro arduis regni negotiis anno MCCLIX una cum Theobaldo archidiacono leodiensi, qui postea fuit Gregorius X P. M. ad Alexandrum IV ab Angliae Rege missum esse, manifestum est. Id habemus ex ipsius Regis literis ad Pontificem datis postridie kal. Augustas anno regni sui quadragesimo tertio et IV kal. Januarias anno quadragesimo quarto (4). Edmundus Henrici Regis Angliae filius, agente primum Innocentio IV, deinde Alexandro IV, regnum Siciliae obtinuerat; atque ob hanc potissimum causam Henricus tam illustres viros apud Sedem Apostolicam suis negotiis tractandis adhibere voluit.

V. Pluribus ecclesiasticis dignitatibus auctus est Henricus noster, antequam cardinalis crearetur, canonicatu Ecclesiae viennensis in Gallia, quem tenuit ad extremum usque spiritum (5), archidiaconatu etiam parisiensi, quem tum obtinebat, cum in ea civitate decretalibus interpretandis operam daret (6). Anno MCCXXXXIV, ut supra osten-

Vide *Gall. Christ.*, t. III in *Instrum. Eccl. Grassen.*, col. 215. Mendose apud Rymer « Praepositus Antiplican. » dictus est.

(1) « Consuevit etiam livor invidiae regnare inter indigenas et alienigenas .... haec causa et aliae fecerunt me Angliam elongare ». OSTIEN. in *Summa*, tit. *De recusat. judic. delegat.*, v. *Quae sunt justae causae.*

(2) « Considerans igitur haec omnia, de pecunia, quam de Rege non minimam ad dejiciendum episcopum wintoniensem acceperat, comparavit sibi amicos de mammona iniquitatis, et adquisivit sibi (utinam non comparavit) quendam in suis partibus episcopatum, et nuncius corvo factus similis, Dominum suum Noe defraudanti, nuncium cum onere negotii quod susceperit batulandum nequiter reliquit imperfectum; nec apparuit postea in regno Angliae, bonis regni plenius saginatus ». MATTH. PARIS ad an. MCCXXXXIV.

(3) *Gall. Christ.* in *Episcop. Sistaricen.* At in Archiepisc. Ebredun. unum, ut revera fuit Henricum Segusinum videntur agnoscere.

(4) « Henricus III Angliae Rex gratias agit Pontifici ob beneficia sibi et suis Legatis tributa nunciatque pacem se cum Rege Galliarum firmasse, prout, inquit, ven. pater H. ebredunen. archiepiscopus, Th. archidiaconus leodien. et dictus Willelmus Bonqueor, quos pro negotiis arduis nos et regnum nostrum tangentibus ad vestrae sanctitatis praesentiam transmittimus, vobis poterunt apertius intimare. Teste me ipso. Parisiis XXVIII Decemb. anno XXXXIV ». Extant apud RYMER inter *Acta pub. Angliae*, t. I, p. II, pag. 52.

Scripserat Rex Henricus ante aliquot menses Pontifici, nuncians se procuratores suos constituisse archiepiscopum ebredunensem aliosque illustres viros « Apud Westm. secundo die Aug. anno XXXXIII ». *Ibid.*, p. 49.

(5) In ejus testamento, quod vulgatum est in *Gallia Christiana* inter *Instrumenta Ecclesiae ebredunensis*, haec verba leguntur: « Item Ecclesiae viennensis, in qua sum canonicus, CC libras viennenses relinquo ».

(6) « Item si in nomine erretur, dummodo constet de persona per circumstantias appositas, puta si impe-

dimus, praepositus antipolitanus et capellanus pontificius legationem apud Innocentium IV pro Henrico III Angliae Rege obivit et sistaricensis episcopus renunciatus est (1). Cumque per idem tempus antipolitanam sedem, propter crebras loci depopulationes ac piratarum incursus, Grassam transferri placuisset (2), Henricus, qui post susceptas episcopales insulas dignitatem, quam in illa Ecclesia habebat, aliquandiu retinuit, jam non antipolitanus sed grassensis praepositus appellari coepit (3). Sistaricensis episcopatus non semel in suis libris meminit ac praesertim in celebri *Summa* quae Ostiensis nomine celebratur. Sed praeclarum hoc opus, omnium, quae in jure canonico prodierint, laudatissimum, nunquam satis emendatum in lucem prodiit. Quare in exemplaribus editis, quae viderim, pro sistaricensi episcopatu cisterciensem habemus, aut alio modo corruptum legitur ejus episcopatus nomen. Exinde creatus est archiepiscopus ebredunensis, anno circiter MCCL, minime vero virodunensis, ut nuper scriptori cuidam excidit (4). Urbanus IV anno MCCLXI electus Pontifex, cum cardinalium collegium ad perexiguum numerum redactum videret, eo ipso anno labente novem egregios viros in eum Ordinem adlegit. Destinavit eumdem honorem Henrico Segusino archiepiscopo ebredunensi et Guidoni Grosso archiepiscopo narbonensi. Sed erat uterque in Gallia gravibus negotiis occupatus, ac petierat a Pontifice Ludovicus IX Francorum Rex, ut eos retinere posset in eo regno, quoad pacem conciliassent inter Reginam uxorem suam et Carolum fratrem, Provinciae Comitem (5). Sed negavit Pontifex eosque in Italiam revocavit, quod eorum opera uti se velle diceret in universalis Ecclesiae regimine (6). Quare Henricum ostiensem et Guidonem sabinensem episcopum creavit (7). Minime vero audiendi sunt *Galliae Christianae* auctores, qui scripserunt Henricum cum episcopatu ostiensi ebredunensem archiepiscopatum retinuisse (8). Etenim statim ac creatus est episcopus ostiensis, successorem habuit in archiepiscopatu ebredunensi Jacobum, qui ante fuerat praepositus ebredunensis. Hunc aliquot ejus Ecclesiae canonici, qui praesentes erant in Curia Romana quique electionis arbitrium ab aliis canonicis acceperant, ipso episcopo ostiensi Henrico consulente et consentiente, elegerunt (9). Itaque in eo etiam erratum est ab

tretur contra P. archidiac. parisiensem, beneficiatum in Anglia, atque Provincia, legentem Parisiis in decretalibus, de Secusia oriundum; is enim nullus est, nisi ego etc. ». OSTIEN., c. *Super litteris. De rescriptis.*

(1) Est in Gallia sistaricensis Ecclesia (Sisteron), cui ante adeptum archiepiscopatum ebredunensem Henricus Segusinus praefuit; non tamen ante ann. MCCXXXXIV; quamvis anno MCCXXXXI creatum, adversus monumentorum, quae ipsi afferunt, fidem, existiment auctores *Galliae Christ.* in *Praepos. Grassen.* et *Episc. Sistaricen.*

(2) Innocentii IV literae, quibus antipolitana cathedra Grassam transfertur, datae sunt XIV kal. Septem. MCCXXXXIV. Vide *Gallia Christ.* in *Episc. Antipol.*

(3) « Cum mensa episcopalis reformatione aliqua indigeat D. B. Dei gratia Grassensis Episcopus et dominus Henricus Sistaricensis Episcopus et Praepositus Grassensis etc. ». *Ibid.*

(4) BORGIA, *Istoria di Velletri*, lib. IV, pag. 287.

(5) Ex literis Urbani IV datae apud Urbemveterem XII kal. Novemb. anno II, idest, anno MCCLXII. Communicavit clarissimus Garampius.

(6) Ex iisdem literis, in quibus haec leguntur: « Propter quod nostris eis sub certa forma in virtute obedientiae dedimus literis in praeceptis, ut ad praesentiam nostram festinanter accederent, collegio cardinalium praedictae Romanae Ecclesiae per nos solemniter aggregandi. Et licet ipsi moram protraxerint hactenus in suis partibus longiorem, nos tamen.... dispendiosum et grave nimis dictae generali Ecclesiae fore providimus eisdem Archiepiscopis remanendi ulterius propter hoc in praemissis partibus licentiam elargiri etc. ».

(7) *Galliae Christianae* auctores tradunt creatus cardinalem et episcopum ostiensem ab Urbano IV in secunda cardinalium promotione, quae celebrata est anno MCCLXIII; sed revera designatus est anno MCCLXI, renunciatus anno MCCLXII. Extat in archivo monachorum sancti Stephani, nunc Senatus Bononiensis, sententia Joannis Portuensis episcopi in causa Joannis et Philippi, qui in dissensione electi fuerant abbates ejus monasterii, in qua nominatur « Prior s. Joannis in Monte delegatus venerabilis Patris quondam ebredunensis archiepiscopi nunc episcopi hostiensis fungentis legationis officio in partibus Lombardiae ».

(8) *Gall. Christ.*, t. III. col. 1080.

(9) Ex literis ejusdem Pontifici datae VI id. Februarias anno II, idest, anno MCCLXIII. Communicavit idem vir clarissimus. Synodum igitur provincialem ebredunensem, cujus meminit Gassendus in *Notitia Ecclesiae*

iisdem auctoribus, quod inter Henricum Segusinum et Jacobum hunc, quem diximus, Melchiorem quemdam intruserunt, qui certe locum hic inter archiepiscopos ebredunenses habere non potest.

VI. Multa sunt de praeclaris hujus viri gestis apud Ciaconum et Ughellum in episcopis ostiensibus; item apud *Galliae Christianae* auctores et alibi diligenter perscripta, quae hic libenter omittimus, ne videamur actum agere. Illud reticendum non est, quod illi accidisse fertur Bononiae, cum esset Apostolicae Sedis legatus. Dicitur enim reum capite damnatum invitus in hunc modum liberasse. Impetravit scelestus ille, ut sibi Legatum alloqui liceret antequam ad supplicium traheretur, simulans habere aliquid arcani, quod Legato aperiri oporteret. Sed cum is ad Legatum perductus ambages narraret nec quidquam in ullam sententiam explicaret, iratus ille et hujus molestiae impatiens, sontem illico ad supplicium rapi jussit. At ille, qui has technas ad hunc finem praestruxerat, multos clamavit esse irregulares, cardinalem in eo numero oblique perstringens, qui contra canonum decreta se ad mortem trahi jussisset. Quod cum Legatus audisset, male precatus est ei, qui reo hanc fallaciam ostenderat eumque non multo postea dimisit. Recitat hanc historiolam Joannes de Lignano, qui se eam ab illustri canonum professore Paulo Leazaro, cum in scholis legeret, audivisse testatur (1). Verum Legatus ille, cui res tam inopinata accidisse dicitur, haud sane hic noster Henricus pontificii juris explanator esse potuit, ut Felinus et Pancirolus interpretati sunt (2). Si quis vero fuit, Bertrandus de Podietto cardinalis fuit, et ipse ostiensis episcopus, cui se civitas nostra, intestinis fessa discordiis, anno MCCCXXVII regendam tradidit (3). Legatione quidem per universam Lombardiam functus est aliquando etiam Henricus Segusinus (4); at nullam iis temporibus jurisdictionem habuisse constat Apostolicae Sedis Legatos, neque in civilibus neque in criminalibus, sed tantum rerum spiritualium procurationem in sua cuilibet provincia commissam.

VII. Viterbii mortem obierat anno MCCLXVIII Clemens IV, indictisque comitiis ad successorem creandum, tanta continuo inter ipsos electores et tam pervicax dissensio est oborta, ut non sine gravi rei christianae incommodo ad tertium prope annum sedes vacaverit. Interea Viterbienses morae pertaesi, ut ad properandam Pontificis electionem cardinales vel invitos adigerent, angusto aedificio, quod tegulis nudaverant, ad unum omnes inclusos aliquando detinuere. Ibi Henricus gravi et ancipiti morbo implicitus, cum opportune curari non posset, beneficii loco petivit ut sibi de illo carcere exeundi potestas fieret, neque aliter impetravit quam si coram ceteris cardinalibus jure omni se abdicaret in illa electione suffragii ferendi (5). Ex morbo aliquantum recreatus Hortam divertit, quae urbs Viterbio XIV fere millium spatio abest; ibique apud Fratres Minores degens prid. kal. Majas anni MCCLXXI ratum habuit obsignavitque

Diniensis, pag. 144, et Martene in *Collect. vet. mon.*, t. IV, pag. 186, non anno MCCLXVII, ut diniensis codex praefert, sed pluribus ante annis ab Henrico Archiepiscopo celebratam esse oportuit.

(1) « Sed revera iste casus longe antea evenerat Host. dum esset Legatus Bononiae; ubi reus condemnatus petens ut dimitteretur prius ad Legatum, alioquin de re ardua cum nihil arduum dixisset, turbatus Legatus dixit: ducatur ad justitiam. Illo autem clamante multos esse irregulares, respondit Legatus: maledicatur qui te docuit, cumque remissum ad carceres, postea liberavit. Ita narrat Jo. de Lig. in c. *Sententiam in fi. ne Cle. vel Mo.* dicens se hoc audivisse a domino Paulo dum legebat ». Felin., c. *Si quando. De rescript.*

(2) Panscirol., lib. III in *Henr. Ostien.*

(3) Vide Ghirardacci, *Historia di Bologna,* lib. XX. Et eo tempore ut cum maxime in scholis nostris Paulus Leazarus florebat.

(4) Vide chartulam archivi s. Stephani supra citatam.

(5) Ostien., c. *Nisi cum pridem. De renunciat.*

testamentum, quod ante paucos menses Viterbii condiderat (1). Neque ita multo post in Galliam concessit, medicorum, ut credibile est, consilium secutus; quo illius caeli, cui diu assueverat, salubritate uteretur. Eventu tamen minus prospero; quippe eodem anno ad diem VIII idus Novembres Lugduni e vivis sublatus est et ad aedem Fratrum Praedicatorum tumulatus (2). Hinc apparet extremo tempore aliquid ab eo immutatum de illis, quae in testamento perscripserat; quo scilicet cautum erat ut longe a Romana Curia, ac ultra montes de vita migranti sepulcrum poneretur in metropolitana basilica illius provinciae, ubi eum mori accidisset (3). Multa ecclesiis et piis locis legata dedit, quod ejus pietatem ostendit. Legavit academiae nostrae, in qua educatus fuerat, sua *Commentaria in decretales,* quae nuper Bononiam exscribenda miserat (4). Magistro Thaddaeo capellano suo sacrorum bibliorum volumen legavit, ex quo quotidiana lectio ad ejus mensam haberi solebat (5), qui mos olim apud ecclesiasticos praelatos usitatissimus, vix nunc in religiosorum hominum domibus servatur.

VIII. Quemadmodum dum viveret ob doctrinae praestantiam summo in honore habitus est (6) et ad amplissimas dignitates postulatus, ita post mortem perennis ejus fama fuit, nec unquam ejus memoria extincta est; quod paucis contigit. Pater canonum (7), fons (8) et monarcha juris (9), stella (10) ac lumen lucidissimum decretorum appellatus est (11). Ut autem qui medicae facultati operam dabant, Thaddaeum Florentinum, scilicet medicum insignem, qui per ea tempora in scholis nostris floruerat et medicinam quodammodo restituerat, ita juris canonici studiosi Ostiensem sequi, ac medicinae aut juri canonico vacare (12).

IX. Non defuere tamen qui aliquid in ejus scriptis reprehenderint. Baldus eum carpit, quod cum episcopus esset episcoporum jura plus aequo extulerit (13). Eum etiam aliqui accusant nimiae subtilitatis (14). Illud autem credibile non arbitror quod aliqui tradunt Ostiensem eo consilio commentaria in decretales scripsisse, ut duras Innocentii IV opiniones convelleret, quamquam non inficior studuisse illum aliquas ex Innocentii opi-

(1) Extat Henrici Ostiensis testamentum in *Gallia Christiana* (t. III) inter Instrumenta ad Ecclesiam ebredunensem pertinentia. Obsignatum dicitur « apud Orcam in domo Fr. Minorum ». At ubinam gentium Orca? Waddingus, qui conventus omnes sui Ordinis accuratissime percenset, nullum memorat, qui ab Orca nomen acceperit. Legendum igitur « apud Ortam » existimat clarissimus Montius. Hortae enim, sive Ortae (sic enim fere scribebant) jam inde ab anno MCCLIX coenobium Ordinis Minorum, Petro Hortano episcopo agente, excitatum fuerat, ut docet idem Waddingus t. IV, pag. 116.

(2) Ita Alphonsus Ciaconius, cui Ughellus et auctores *Galliae Christianae* et ceteri omnes assensi sunt; quorum sane potior auctoritas videri debet, quam Diplovataccii, qui ex fide Baldi (in *Commemor. famos. doct.*) Perusiae ad divi Laurentii humatum scribit. In vetustioribus Ciaconii editionibus emortualis annis Henrici describitur MCCLXXXI. Sed mendum typographicum praeter auctoris mentem irrepsisse ex eo liquet quod ipse Ciaconius ad annum MCCLXXIV Petrum Tarantasium et ad annum MCCLXXVIII Latinum Malabrancam Ostienses episcopos commemorat.

(3) Ex testamento de quo supra.

(4) « Commentum meum super decretalibus, quod misi Bononiam conscribendum, Studio Bononiensi relinquo ». *Ibid.*

(5) « Tertiam Bibliam quotidianam, in qua consuevit legi in mensa et decretales cum Decreto antiquo et X marchas lego magistro Thaddaeo capellano meo ». *Ibid.*

(6) « Hoc eodem tempore floret dominus Henricus Cardinalis Ostiensis qui primum fuerat archiepiscopus ebredunensis. Hic magnus in utroque jure et sicut bonus theologus, egregius praedicator ac vir laudabilis vitae fuit ». PTOLOM. LUC., *Hist. Eccles.,* lib. XXI, c. XXII.

(7) « Henricus de Secusio pater canonum et doctor supremus ». DIPLOVAT.

(8) « Fons juris » dicitur a SPECULATORE, tit. *De postulant.* et tit. *De elect.,* § 1, v. *Hac decreti forma.*

(9) FRANCISCUS BALBUS apud PANCIROL., *loc. cit.*

(10) Vide SPECULAT. in prooemio *Specul.*

(11) « Fuit lumen fulgidissimum decretorum secundum Colutium Florentinum in suo opere *De nobilitate legum et medicinae* ». DIPLOVAT.

(12) » Non per lo Mondo, per cui mo s' affanna
» Diretro ad Ostiense e a Taddeo,
» Ma per amor della verace manna
» In picciol tempo gran dottor si feo etc. ».
Ita de s. Dominico. DANTES, *Paradis.,* cant. XII.

(13) « Ostiensis in favendo episcopis habuit malam scientiam et pejorem conscientiam. Baldus in *Consilio CLXVI* incipit: Punctus quaestionis ». Apud DIPLOVAT.

(14) PANCIROL., *loc. cit.*

nionibus, quae duriores viderentur, emollire, ut erat aequitatis magis quam summi juris amator (1); sed vereor ne iste aequitatis amor in juris canonici minus laudabilis sit, quam in juris civilis interprete. Congruum quippe est in christiana republica severitatem legum civilium, si qua in parte mitissimis nostris legibus et moribus minus consentaneae sunt, aequitate moderari et temperare sed si quis eadem aequitatis regula leges ecclesiasticas, quae severiores videantur, mitigare velit, facile subruet fundamenta christianae disciplinae et in doctrina morum noxias, aut certe admodum periculosas opiniones inducet. Declarat etiam Ostiensis quid causae fuerit cur juris canonici professores Martini Gosiae potius quam Bulgari et Joannis opiniones sequi consueverint, nimirum, ut ipse ait, *Martinus spiritualis homo fuit, et, secundum tempus quod tum currebat, semper divinae legi adhaerebat contra rigorem juris civilis. Joannes autem non sapiebat quae sunt spiritus, sed tamquam animalis moltiplicationi temporalium et rigori juris civilis per omnia intendebat. Unde ipse et sequaces sui, qui multi sunt, spirituales opiniones reprehendunt, et dicunt, haec est aequitas capitanea, aequitas bursalis. Sed velint nolint, hanc aequitatem de jure necesse habent sequi, ubi agitur de periculo animarum* (2). Molestum est in hunc Ostiensis locum non incidisse cum de Martino Gosia agebatur; est enim aptissimus ad vindicandam ejus aequitatem, tantopere invisam aliis doctoribus. Sed alia est ratio aequitatis in moderando jure civili, alia in jure canonico. Illa, dum leges civiles ad nostros mores et instituta attemperat, populum christianum ab indigno eximit jugo, haec, dum vim antiquarum legum enervat, erroribus et corruptelis viam sternit. Illa aedificat, haec destruit. Sed haec obiter.

OSTIENSIS SCRIPTA.

Scripsit Henricus Cardinalis Ostiensis commentaria in decretales, quae singularem ejus doctrinam et peritiam utriusque juris demonstrant. Coeperat ille quasdam decretales seorsim interpretari, in quo cum magnopere placuisset scholaribus, cum summis precibus impulerunt ut in totum decretalium volumen commentaria scriberet (3). Sunt etiam qui dicant Alexandrum IV stimulos Henrico addidisse ut id operis susciperet (4), quod tamen inchoatum fuisse apparet cum in parisiensibus scholis nondum creatus episcopus doceret (5), rursusque sub vitae ejus finem ad incudem revocatum; nam et inclusionem illam viterbiensem et suae valetudinis incommodum et alia, quae Clementis IV obitum consecuta sunt, aperte commemorat (6). Atque haec commentaria novissimis curis aucta et emendata fuisse putaverim; quorum exemplar per idem tempus Bononiae describi jussit et academiae demum nostrae supremis tabulis legavit. Nihil attinet dicere quam probata ea fuerint juris canonici studiosis, quae scilicet eodem in pretio fuerunt ac Innocentii IV et Joannis Andreae commentaria. Ea non semel typis edita sunt et manu exarata passim reperiuntur inter antiquos bibliothecarum codices. Vidit Diplovataccius synopsim quamdam lecturae Ostiensis, horum scilicet commentariorum, ab anonymo editam, quae nunquam typis edita est.

Sed Ostiensi nihil magis ad famam et opes profuit quam Summa Decretalium, *Summa Ostiensis* vulgo appellata, quae pari fama apud juris canonici studiosos fuit ac Summa Azonis in jure civili, aureum sane opus, quo nullum ante illud tempus utilius prodierat (7). Ei scribendae animum applicuerat Henricus, cum nondum creatus esset episcopus. Post autem inchoatum opus incendio absumptum est. Sed tandem, cum esset jam archiepiscopus ebre-

(1) Vide Mazzucchell., vol. II, p. II, pag. 470.
(2) Ostien., c. *Per tuas. De arbitris.*
(3) Mazzucchell., *loc. cit.*
(4) *Auctores Galliae Christianae, loc. cit.*
(5) Ostien., c. *Super litteris. De rescriptis.*
(6) « Dominus Clemens Papa IV requisitis fratrum consiliis fecit legatum dominum Alban. in partibus transmarinis etc. Dominus Papa Clemens obiit etc. ». Ostien., c. *Tum litteris. De integr. restit.*
(7) Panzirol., *loc. cit.*

dunensis, hanc jacturam reparavit et Summam communibus studiosorum votis jamdiu expetitam perfecit(1). Itaque cum primum vulgata est, appellari coepit *Summa Archiepiscopi;* quam appellationem, usu jam celebratam, retinuit etiam aliquandiu postquam ejus auctor creatus est cardinalis et episcopus ostiensis (2). Edita est saepenumero et magno semper in pretio habita. Guilielmus Pastrengus, qui proximo saeculo post Ostiensem vixit, in *Originum libro* ita ejus Summam laudat: *Henricus Ostiensis episcopus S. R. E. cardinalis super libris decretalium Summam ingentis voluminis, omnes alias utriusque juris Summas complexus, docentibus et scholasticis gratum munus exhibuit* (3). Idem judicium Panciroli fuit de Summa Ostiensis; tantam enim juris tum canonici tum civilis eruditionem et doctrinam continet, ut veluti utriusque juris compendium haberi debeat (4).

Scripsit etiam Ostiensis commentaria in decretales Innocentii IV, de quibus vide quae in recensione operum hujus Pontificis dicta sunt.

XXXXII.

PETRUS DE SAMPSONE.

I. Inter decretalium interpretes, qui Bernardi Parmensis aequales et sectatores fuerunt, celebratur Petrus de Sampsone (5). Audivit in jure canonico Jacobo Albingaunensem (6) docentem in scholis nostris (7), in quibus ipse postmodum professoris munere functus est et inter auditores habuit Abbatem, quem vocant Antiquum (8). Diplovataccius Petrum quemdam de Saxonia laudat, qui medio saeculo XIII floruerit. Ait saepe memoratum a Guilielmo Durantis et Abbatis Antiqui magistrum fuisse et canonicum narbonensem. His indiciis apparet hunc esse Petrum de Sampsone, librarii, ut arbitror, incuria de Saxonia appellatum in Diplovataccii libro (9). Nam Petrum de Sampsone, qui, dum viveret, canonicus narboniensis fuerat (10), a *Speculatore* memoratum reperio, Petrum de Saxonia non item. Fuisse tamen Petrum de Sampsone Abbatis Antiqui praeceptorem, ex Abbate ipso intelligimus.

II. De Petri patria dubitandum non est quin Gallus fuerit in Occitania natus. Nam, praeterquamquod canonicatum in Ecclesia narbonensi obtinuit, suam operam impendit Raymundo episcopo nemausensi in scribendis statutis synodalibus pro sua dioecesi et inter scholares, qui in academia nostra post medium saeculum XIII eruditi

(1) « Quod in minori officio inceperam, et domum incendio amiseram, in majori constitutus officio revocavi, cursum consummavi, fidem servavi ». Ita *Summam* absolvit Ostiensis.

(2) Inter quosdam libros, qui anno MCCLXVIII Bononiae venierunt, fuit etiam *Summa archiepiscopi,* qui liber haud alius esse potuit quam *Summa Ostiensis.* Sunt hujus contractus tabulae in *Mem. Com. Bonon.* ejus anni.

(3) PASTRENG., v. *Henricus Ostiensis.*

(4) PANCIROL., *loc. cit.*

(5) JOANN. ANDREAE in prooem. ad *Decretales.*

(6) « Dicit Abbas, quod magister suus dicebat se vidisse locum, et quod ipsius magister, scilicet Jacobus de Albenga, fuerat advocatus in causa ». JOANN. ANDREAE, c. *Fraternitatem. De sepulturis.* Rursus ad tit. *De his, quae fi. a praelat. sine cons.* etc., c. *Pastoralis.* « Licet Petrus, inquit, hic contradicat, et Abbas refert quod sic consuluit Petrus magister suus, in quaestione, quae fuit Avenione inter Praedicatores et Parochialem ecclesiam ». Petrus hic Jacobi Albigaunensis discipulus, decretalium interpres a Joann. Andreae laudatus, non alius esse potest, quam Petrus de Sampsone; nam Petrus Hispanus antiquior est, nec Petrum alterum ea aetate novimus.

(7) « Ponet refici et sine judici auctoritate, ex quo nullum fiebat praejudicium. Secus si praejudicare possit, ut in instrumento debiti, ut dicit hic Petrus se vidisse servari Bononiae ». JOANN. ANDREAE, c. *Dudum. De convers. conjug.*

(8) Ex supra adnot. Et vide infra in ABB. ANTIQUO.

(9) In codicibus quoque saeculi XIII idem error subrepserat. Vide infra.

(10) « Potest et aliter distingui, secundum magistrum Petrum de Sampso. quondam nostrum canonicum Narbonensem ». SPECULAT., tit. *De dispensat.,* § *Nunc vero de dispensat. episcop.*

sunt, alios reperio ex eadem gente, quae de Sampsone (1), aut Sansone, dicebantur, quos Nemausenses, aut certe Occitanos fuisse constat (2). In his habemus Petrum de Sampsone canonicum nemausensem, qui Bononiae fuit ab anno MCCLXIX ad MCCLXXIII, quem alterum fuisse a superiore, ac fortasse ejus fratris filium, existimat clarissimus Montius. Non enim verisimile videtur id aetatis (3) et famae hominem, cujus scripta jam tum celebrabantur in locupletioribus bibliothecis, Bononiae inter scholares tandiu versatum sine ullo doctoris aut magistri titulo. In Gallia quidem fuisse oportuit magistrum Petrum de Sampsone, quo tempore constitutiones synodales nemausensis Ecclesiae scribendas suscepit; sed cum ab anno MCCXXXXII ad MCCLXXII nemausensem cathedram tenuerit Raymundus episcopus, neque constet quo anno illae constitutiones scriptae sint, quandiu docuerit in scholis nostris clarus hic canonum professor nihilo magis compertum habemus.

PETRI DE SAMPSONE SCRIPTA.

Memorantur ejus *Commentaria in Decretales* a Joanne Andreae, Diplovataccio et aliis. In catalogo autem librorum, qui ad scholarium commodum prostabant apud Stationarios Universitatis, recensentur *Distinctiones Petri de Sansone.* Hae videri possent aliud opus a Commentariis diversum. Sed sunt unum atque idem. Vidimus haec Commentaria sub Distinctionum nomine in codice Vaticano 655. Initio libri hic titulus praefigitur: *Distinctiones magistri Petri de Sansone.* Incipiunt absque ullo prooemio: *Rex pacificus.* Ad libri calcem suum nomen auctor apponit in hunc modum, ut antiqui doctores solebant: *P. Samp. MCCLXVII Expliciunt distinctiones magistri Petri de Sampsona.*

In bibliotheca Cervotti Accursii, cujus extat catalogus in Memorialibus Communis Bononiae ad anno MCCLXXIII praeter *Distinctiones Petri Saxonis,* sic enim auctor ibi appellatur, etiam recensetur *Libellus Petri Saxonis super Decretales.* Ex titulo ipso facile intelligitur modicum fuisse commentariolum et quasi epitomen eorum, quae in Distinctionibus latius explicaverat.

Lectura Petri de Sansone in libris habetur, quos anno MCCLXXXIX scholares quidam Bononiae creditoribus suis oppignerarunt, ut notatum est in Memorialibus ejus anni. An opus diversum a *Distinctionibus?*

Scripsit etiam Petrus de Sampsone constitutiones synodales pro Raymundo II episcopo nemausensi, quas edidit Martene To. IV *Anecdotorum.* Habent hunc titulum: *Incipit liber synodalis compositus per magistrum Petrum de Sampsone ad instantiam domini Raymundi Dei gratia nemausensis episcopi.*

XXXXIII.

ABBAS ANTIQUUS.

Nec nomen nec genus nec patriam hujus praeclari canonum professoris nec monasterium, cui abbas praefuit, nosce potuimus. Gallum tamen natione fuisse pro certo habeo et provincialem, nam et Avenione in Gallia floruisse videtur (4), et sic

(1) Est Occitaniae oppidum « Sampson » in tractu Vivariensi. — Vide *Hist. Gen. de Languedoc.*, t. IV, p. 133.

(2) « Anno MCCLXIX Raymundus de Sampsone fil. quondam domini Mimi de Malgorio Magalonen. dioces. ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

« Eodem anno dominus Petrus de Sansone fil. domini Guilielmi Fancaldi etc. ». *Ibid.*

« Eodem anno die VI ex. Julius dominus Petrus de Sansone Nemaus. dioces. ». *Ibid.*

« Et anno MCCLXXIII, VIII Novembris dominus Petrus de Sansone canon. Nemaus. ». *Ibid.*

(3) Aequalis fuit Henrici Card. Ostiensis Petrus de Sampsone; eodem usus praeceptore Jacobo Albigaunensi.

(4) « Abbas Antiquus discipulus Petri de Saxonia (lege de Sampsone) ut ipse dicit in c. *Pastoralis. De his quae fi. a praelat.* etc. et ibi videas Joann. Andreae. Floruit in partibus ultramontanis in civitate avenionensi, ut ipse dicit in d. c. *Pastoralis* ». DIPLOVAT.

interdum de Provincialium moribus atque usibus loquitur in suis commentariis ad decretales, quae typis edita habemus, ut hominem non alienigenam decet (1). Audivit in jure canonico Petrum de Sampsone, ut supra dictum est, et quidem in scholis nostris, ut ex perspicuis indiciis colligimus, quae in iisdem commentariis ad decretales habemus. Sic enim quasdam Odofredi opiniones et dicta proponit, ut videatur plurimum in iis scholis vixisse, in quibus claruerat Odofredus (2). Diu celebratus est solo Abbatis nomine. Post autem, cum Nicolaus Tudiscus, Abbas Siculus aut Panormitanus appellatus, in ore hominum esse coepit, hic noster Abbas Antiquus dictus est, ut a recentiore illo secerneretur.

ABBATIS SCRIPTA.

Habemus typis editam Abbatis *Lecturam*, commentaria scilicet in quinque libros decretalium, quae non mediocriter laudantur ab antiquis canonum professoribus. Haec vidimus in eleganti codice Palatino-Vaticano (3), in quorum fronte pictus exhibetur ex cathedra docens Abbas ipse, nigra cuculla indutus et monachi in morem tonsus, assidentibus ad scamna scholaribus ex ore magistri pendentibus.

Post autem in eodem codice sequuntur ejus commentaria in decretales Innocentii IV cum hoc titulo: *Incipiunt novae constitutiones Innocentii IV. Cum in multis juris. Casus est planus etc.* Sunt per titulos distributae. Primus titulus est *De sent. excom.*, et habet tria capitula: *Cum Medici. Quia indulgetur. Romana.* Ultimus titulus est *De verbor. signif.* Habet caput unicum: *Veniens. Ita pone casum. In Hispania est quidam ordo, qui vocatur ordo Sancti Jacobi etc.*

Post *Lecturam* in decretales communes et Innocentii IV, habentur in eodem codice ejusdem auctoris *Distinctiones*, cum hoc titulo: *Incipiunt Distinctiones Abbatis. Rubrica. Circa statuta facta a capitulo ita distingue etc.*

Pergunt hae Distinctiones per aliquot titulos decretalium *De rescriptis. De electione et electi potestate etc.*

XXXXIV.

AEGIDIUS FUSCARARIUS.

I. Primum, qui ex laicis hominibus jus canonicum in nostra academia interpretatus sit, Aegidium Fuscararium reperio. Genus illi praenobile fuit et summa auctoritas in civitate. Ac miror hunc Pancirolo ita ignotum, ut, recitato cujusdam Aegidii Bononiensis nomine, qui saeculo XIII medio floruerit et librum *De judiciis*, ut ipse opinabatur, deperditum scripserit, nihil de tam insigni doctore addiderit (4). Fuit igitur Aegidius ex Fuscarariis; quae gens jam tum censebatur inter praecipuas civitatis, ac multo magis post Aegidium claruit et viros illustres dedit. Est adhuc Bononiae ecclesia ex ejus gentis nomine s. Mariae de Fuscarariis appellata (5), cui proximae erant aedes ejus familiae, nunc penitus extinctae. Aegidius patrem habuit Guilielmum (6), qui anno MCCXX erat in Consilio, quod Credentiae appellabant (7). Hic filium alterum habuit Rolandum,

(1) Joann. Andreae, c. *Jurament. De fide instrum.*

(2) *Id.*, c. *Cum Jo. De fide instrum.*

(3) Codex Palat.-Vatic. 655.

(4) Panciroл., lib. III, cap. X.

(5) Olim de Carrariis dicta; qua gente extincta, patronatus jus in Fuscararios transcriptum.

(6) « Anno MCCLXIX die IX exeunte Aprilis dominus Gilius doctor decretorum quondam domini Guilielmi de Foscarariis mutuo dat. etc. ». *Ex Mem. Com. Bonon.* et alibi saepe.

(7) Ex actis publicis civitatis in Registro novo descriptis.

Aegidii fratrem [1]. Ab utroque gens Fuscararia propagata est. Uxorem duxit Aegidius primo Adelasiam, cujus genus ignoro [2]. Ex ea Galvanum, sive Galvaninum, suscepit, qui annis multis ante patrem decessit. Ejus mentionem reperio in Memorialibus Communis Bononiae ad annum MCCLXV et saepe alibi. Sed Adelasia fatis cedente, Aegidius alteram uxorem duxit anno MCCLXXVIII Contissam Thomae Tebaldi filiam, quae non multo post obiit nulla relicta sobole [3]. Tertiam denique admodum senex duxit anno MCCLXXXII Giselam, sive Ghisolam, Zoenis Pepuli filiam, annos vix XIV natam [4], ex qua Conradum genuit [5] et Aegidium posthumum [6]. Habuit et filium nothum, Gualteronum nomine, qui anno MCCLXXXVII, petente Aegidio, natalibus restitutus est populi bononiensis decreto, eique permissum ut in bonis paternis succedere posset perinde ac si legitimus esset [7]. Duxerat Gualteronus jam inde ab anno MCCLXVII Theodoram Viviani Tusci clarissimi doctoris filiam [8]; ex quo apparet splendide et liberaliter educatum ut in domo nobili et divitiis affluenti [9].

II. Auxerat Aegidius paternas opes et scholastico quaestu et patrociniis causarum et respondendo de jure, eratque jam inde ab anno MCCLVIII unus ex eorum numero, qui publice consulebantur a civitatis rectoribus [10]. In schola autem et foro annis multis [11] cum summa existimatione versatus est. Sed cum anno MCCLXXIX per illud tempus, in quod studiorum inauguratio incidere solebat, propter infirmitatem inchoare lectionem decretalium non posset, ne scholares dilaberentur, quos erudiendos susceperat, Garsiae Hispano decretorum doctori suas scholas in anno insequentem concessit ea lege, ut lucrum omne, quod ex usitatis scholarium collationibus fieri contigisset, aequis portionibus inter se partirentur [12]. Cum autem postea annis multis vixerit, non dubito, quin docendi munus ob valetudinem intermissum resumpserit.

III. Quae autem ejus peritia fuerit in causis defendendis intelligi potest ex eo libro, quem scripsit ad instituendos potissimum causarum patronos, de quo postea dicemus. Et restant adhuc aliqua ejus responsa et consulta [13]. In gravissimis autem dis-

(1) « Rolandus filius domini Guilielmi de Foscarariis » nominatur in tabulis anni MCCLXVII in *Memor. Com. Bonon.*, et alibi passim.

(2) « Anno MCCLXXVII die IV Junii Adelasia Aegidii de Fuscarariis uxor infirma testamentum fecit ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(3) « Anno MCCLXXVIII die XVI Augusti dominus Aegidius de Fuscarariis magister et doctor accipit a Thoma Thebaldi DCC libr. bonon. in dotem dominae Contissae ejus filiae, quam in uxorem duxit ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

« Idem Aegidius an..... restituit domino Bonacosae filio domini Thomasini de Tebaldis dotem, quam pro Comitissa receperat ». *Ibid.*

(4) « Anno MCCLXXXXII, die.... Maji Romeus Zerrae Pepuli filius, curator Giselae filiae quondam Zoenis Pepuli, uxoris quondam Aegidii Fuscararii decretalium doctoris, petit sibi restitui dotem a Gisela datam anno MCCLXXXII, quae fuerat DCCC lib. Bonon., et insuper L libras, quas Aegidius uxori legaverat ». *Ex Memor. Com. Bonon.*

(5) « In tabulis anni MCCLXXXXII ad diem VII.... nominatur Corradus pupillus, filius quondam domini Egidii de Fuscarariis doctoris decretalium et heres ex tertia parte ». In *Mem. Com. Bonon.*

(6) Vide, quae infra adnotantur de Aegidii testamento.

(7) Ex Reformat. ejus anni.

(8) *Ex Mem. Com. Bon.* Vidit clarissimus Montius.

(9) « Anno MCCLXXXXII die.... dominus Gualteronus filius quondam domini Aegidii de Foscarariis infirmus testamentum fecit, in quo legavit « unum pallium valoris XV libr. » ponendum supra altare s. Jo. Baptistae « quod constructum fuit pro patre suo » in ecclesia s. Dominici. Ejus mater Ansoysia, filii Rolandus, Isnardus et Guilielmus et filiae Gvilia et Diana ex eodem testamento innotescunt. Uxori Theodorae vineam « in Burgo Novo » reliquit ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(10) Ex adnotandis infra in AZONE LAMBETACC.

(11) Jam inde ab anno MCCLII « magistrum Decretalium » appellatum video in tabulis monialium s. Agnetis, quas indicavit clarissimus Montius. Sed multo ante eum annum claruisse videtur ex rubrica Statutorum Bononiae anni MCCLVIII, in qua dicitur « longissimo tempore » in civitate nostra habitasse. Dabimus hanc Statutorum rubricam in adnotatis ad Azonem Lambertaccium. Sed perdifficilis in ea nodus occurrit; sic enim de illo videtur sermo haberi, quasi de peregrino homine, non de cive. At Aegidium Fuscararium ex familia bononiensi natum, certum est quam quod maxime.

(12) Ex tabulis, quas in Appendice damus.

(13) Consilium domini Aegidii de Foscarariis decretalium doctoris quem dominus Michael archipresbyter....

sensionibus et discordiis saepius Aegidio datum esse arbitrium comperio, ad lites civium finiendas et firmandam pacem. Vel ipse episcopus bononiensis Octavianus Ubaldinus ad ejus et Dominici Poetae prudentissimi viri arbitrium detulit antiquam et acrem controversiam de decimis, quam habebat cum municipibus et incolis Castri s. Petri (1). Cum autem Pepuli et Algardi, duae praepotentes civitatis familiae, mutuis odiis diu inter se certassent nec a caedibus et atrocibus factis abstinuissent, magno totius civitatis metu et periculo, Aegidius Fuscararius delectus est, qui cum duobus aliis primariis civibus arbitratu suo pacem inter eas familias componeret. Id ab eo feliciter perfectum est et pacis conditionis scriptae, inter quas id primo loco positum, ut statim et in continenti pacis osculum partes sibi invicem praebeant, tum ut duo matrimonia inter dissidentes familias celebrentur. Erant Algardorum principes Ciprianus et Guido, Pepulorum autem Romeus et Zoen junior, vulgo Zengolus; utrique autem parti non minimus civium numerus pro amicitia vel affinitate consentiebat. Latum est Aegidii laudum, ut appellant, quo pacis conditiones praescribit, III kalendas Decembres, anno MCCLXXXV. Cum autem pridie ejus diei Aegidio arbitrium datum est, interfuere plures Fratres Minores et Praedicatores, quorum opera, opinor, dissidentium animis ingestam pacis cogitationem. Interfuere etiam Albertus Odofredus, Lambertinus de Ramponibus, Thomasinus Guidonis Ubaldini, legum doctores, Julianus Cambii, qui nondum doctoris insignia acceperat, aliique praeclari cives. Qua de re tota cum altum silentium sit apud Ghirardaccium et Sigonium, historiarum bononiensium scriptores, eam propterea paulo copiosus exposui (2).

IV. Rebus quoque publicis tractandis adhibitus est Aegidius, saepe inter Sapientes adlectus, qui magistratibus ordinariis praesto erant ad civitatem regendam. Est autem hoc honore functus annis praesertim MCCLXXXV, MCCLXXXVI, MCCLXXXVIII, quo tempore nihil majori studio curatum est ab Sapientum collegio, quam ut qui ex Lambertacciis ob civiles discordias expulsi moderatius se gesserant, redintegrata pace cum Jeremiensibus, in patriam redire possent (3). Auctor etiam pacis fuisse videtur Aegidius inter Rectores scholarium et Aldebrandinum de Panico, in quem Rectores magnopere incitati erant, propterea quod nobilis scholaris Guarnerii de Bellonda famulum vulnerasse dicebatur (4). Ex quibus apparet Aegidium pacis studiosissimum semper fuisse.

V. Finem vivendi fecit Aegidius anno MCCLXXXIX cum testamentum condidisset (5), quo tumulari se jussit apud Fratres Praedicatores, quibus aliqua legata dedit. Fuerat ejus Ordinis studiosissimus dum viveret et in eorum ecclesia sacellum impensa sua construendum curaverat, s. Joanni Baptistae dicatum (6). Ac fuit deinceps Fuscararia gens Dominicanis admodum addicta, ex qua nonnulli in eum Ordinem cooptati sunt,

domini Octaviani episcopi Bononiae vicarius et prior Fratrum s. Gregorii arbitrum elegerant. « Lectum et pronunciatum fuit dictum Consilium per ipsum dominum Egidium in scholis ipsius domini Egidii, presentibus.... magistro Andrea Polono etc. anno MCCLXXVIII die prima Aprilis ». Ex Bon. in archivo abbat. ss. Gregorii et Syri, I, 19. Etiam in codice diplomat. Eccles. Bonon. extat ejusdem Aegidii Consilium in causa canonicorum sanctae Mariae ad Rhenum.

(1) Ex *Mem. Com. Bonon.* anno MCCLXXVII die VII exeuntis Novembris.

(2) Extat Aegidii Laudum in *Memor. Com. Bonon.* anno MCCLXXXV ad diem penult. Novembris.

(3) Vide Ghirardaccium ad eos annos.

(4) Ex *Memor. Com. Bonon.* MCCLXXVI, die V exeuntis Julii.

(5) Testamentum fecerat Aegidius anno MCCLXVII die V Aprilis, ut est in *Memor. Com. Bonon.* ad eum annum.


« Sed priore testamento irritato, novum condidit paulo ante mortem, in quo aequis partibus haeredes instituit Gualteronum, Conradum et eum, quem Gisela uxor in ventre gerebat, qui post mortem patris natus, de ejus nomine dictus est ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(6) Vide quae supra adnotata sunt de Gualteroni testamento.

inter quos percelebris est Aegidius Fuscararius episcopus mutinensis, theologus insignis, qui Concilio Tridentino non inglorius interfuit.

VI. Celebratum est Aegidii funus nova et insolita pompa. Cum enim populi bononiensis lege cautum esset, ne quo in funere, praeterquam doctorum juris civilis et militum (1), coccinea vestis (2) usurparetur, nova lege populi bononiensis permissum est, ut idem honos haberetur Aegidio Fuscarario, ac deinceps ceteris doctoribus decretorum, ob amplissima ejusdem Aegidii merita (3).

VII. Extat adhuc ejus sepulcrum in area prope ecclesiam Fratrum Praedicatorum; opus splendide et magnifice extructum, sed quod jamdiu aetatem sensit. Magna etiam



ex parte obseptum est haerentibus aedificiis, quae ibi postea excitata sunt. Est in sepulcri fronte hic titulus inscriptus, qui partim, fugientibus ob vetustatem literis, vix legi potest, partim omnino deletus est.

(1) Nobilium nempe hominum, qui militari cingulo donati erant.

(2) Scarlatto.

(3) Ex Reformat. ejus anni.

MCCLXXXIX · INDITIONE · II · DIE · IX · JANUARII
DE · FUSCARARIS · DECRETI · MORTE · QUIESCIT
DOCTOR · HIC · EGIDIUS · MORIBUS · EXIMIUS
DUX · VIA · LUSTRATOR · STUDII · VERIQUE · REPERTOR
CANONE · FULCITUS · MENTE · QUIDEM · SOLIDUS
C . . . . . (1) · CLUSIS · CLEMENS · UT · SIS · SIBI · TESTIS

VIII. In consideranda totius molis structura haerebit fortasse antiquitatis studiosus investigator, in ea enim conspiciet arcum integrum ex marmore graeco, rudibus anaglyphis insculptum, qui vetustatem multo majorem prodit et artificium non ejus aetatis, qua vixit Aegidius Fuscararius. Sunt in eo insculptae, haud ignota priscorum christianorum symbola, pavones ac rosae, qualia in antiquissimis ecclesiis et monumentis christianorum cernuntur; ac nemo, istarum rerum non imperitissimus, hunc arcum negabit partem fuisse antiqui Ciborii (2), quod altare aliquod ex veteri more obtegeret. Id autem tanto magis observandum, quod perpaucae antiquitatum christianarum reliquiae in civitate nostra supersunt propter insignem architectorum audaciam, qui sacra haec antiquitatis monumenta, propterea quod rudia sunt et inelegantia, ubique disjiciunt.

AEGIDII FUSCARARII SCRIPTA.

Scripsit Aegidius *De ordine judiciario;* de quo opere ita Diplovataccius: « Composuit pulchram » Summam qualiter causa tam civilis quam spiritualis ac etiam criminalis tractari et » finiri debeat, et ponit formam libellorum et inchoat a praesentatione rescriptorum et » dividitur in quinque partes. Incipit: *In nomine Domini Jesu Christi ego Aegidius de » Foscarariis civis bononiensis decretorum doctor, licet indignus, ad instantiam quorumdam » meorum scholarium et institutionem novorum advocatorum etc.*(3) ». Extat hic liber in bibliotheca s. Emerammi Ratisbonensi, manu exaratus, cum hoc titulo: *Tractatus de ordine judiciario secundum consuetudinem civitatis Bononiae* (4). Eumdem viderat Cangius manu item exaratum in bibliotheca sangermanensi, inscriptum *De ordine judiciario in foro ecclesiastico.* Vidit etiam alibi Oudinus, ut observat Fabricius in *Bibliotheca.* Denique eum vidi in codice bibliothecae caesenatis Fratrum Minorum cum hoc titulo: *Aegidii Foscararii de ordine judiciario.* At in codice Vaticano hunc habet titulum: *De moribus, sive exordiis advocatorum secundum Aegidium.* In quo exordia causarum ponit quae advocatus habere debet coram Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, aliisque Praelatis, Imperatore etc.(5) Scribebat autem hunc librum Aegidius anno MCCLX, ut ipse indicat, ubi de constitutione procuratoris, ut observat diligentissimus Diplovataccius (6).

Scripsit etiam commentaria in libros decretalium, quae commemorat Joannes Andreae (7), qui doctorem sui temporis sine comparatione majorem appellat (8). Profecit autem ex ejus scriptis non solum Joannes Andreae, sed magis etiam Guiliemus Durantis, qui multa ex Aegidio corrasit et in suum *Speculum* juris ingessit, quamquam eum alicubi reprehendit

(1) An forte *Carceribus?* Sunt et alia verba in postremo versiculo, quae dubia videri possint.

(2) Ciborium antiqui dixerunt umbellam columnis suffultam, quae altaria obtegebat. — Vide CANGIUM, v. *Ciborium,* et MAZOCHIUM in *Kalendar. Neapol.* in dissert. praevia *De aetate marmor.*, p. 32.

(3) DIPLOVAT. in *Aegid. Fuscar.*

(4) Vide *Catalog. biblioth. s. Emeram.*, p. II, p. 119.

(5) Codex Vatic. 5066.

(6) *Ibid.*

(7) In prooem. *Decretal.* Vide etiam JO. DE IMOL., *ibid.*

(8) JOANN. ANDREAE in addit. ad *Specul.*, tit. *Dispensat.*, § *Nunc de episcoporum.*

et carpit. Sed egregie defensus est a Joanne Andreae, cujus aetas puerilis in extremos Aegidii annos incidit (1).

In catalogo librorum, qui prostabant apud Stationarios Universitatis bononiensis, adnotatur *Libellus domini Aegidii* nec dubito quin idem sit liber, qui alias *De ordine judiciario* inscribi consueverat. Est pariter in catalogo librorum, qui fuerant Cervotti Accursii, liber cum hoc titulo: *Diversitates Dominorum magistri Aegidii* (2). Itemque in bibliotheca regia parisiensi codex membranaceus inter juridicos recensetur, cum hoc titulo: *Libellus pauperum magistri Aegidii.* Sed utrumque opus tribuendum videtur magistro Aegidio cuidam longe antiquiori, de quo diximus inter juris civilis professores.

Sed quid est quod Alidosius, praeter librum judiciorum et commentaria in decretales, Aegidium scripsisse dicit librum *De officio tabellionum,* necnon quaestiones plures a Guidone Baysio, Joanne Andreae et Alberico aliisque laudatas? Haec mihi prorsus ignota fateor.

XXXXV.

AZO LAMBERTACCIUS.

I. Infaustum diu fuit apud nostrates Lambertacciorum nomen, quod primum familiae mox factionis fuit. Cum enim aliquandiu Lambertaccii fuerint principes Ghibellinorum civitatis nostrae, progressu temporis factum est ut quotquot ghibellinarum partium essent, Lambertaccii dicerentur. Ita Jeremienses appellati sunt, qui Guelphorum partes sequebantur, quod aliquando Jeremienses Guelphorum principes fuerant. Sed Lambertaccias gens et antiquissima fuit et nobilitatis eximiae. Bonifacius Guidonis Guizzardi Lambertaccii filius anno MCCXVIII alter fuit ex Bononiensium ducibus, qui cruce accepta ad bellum sacrum profecti sunt. Ab hoc videtur Lambertacciorum factio initium nomenque cepisse (3). Filios habuit Fabrum et Thomam, sive, ut dicere amabant, Thomasinum. Ac Fabrum laudat Dantes Aligherius, ut bellicae virtutis et liberalitatis commendatione aetate illa clarissimum (4). Ex eo natus est Castellanus, qui erat lambertacciae gentis caput, cum bellum civile inter Lambertaccios et Jeremienses erupit, sed lambertaccia gens tunc amplius non erat factionis princeps. Erat tunc universae factionis caput et princeps Castellanus de Andalo (5), vir strenuus et magni animi, qui Romanorum senator fuerat Alexandro IV Pontifice.

(1) « Nimium detrahit (Guil. Durantis) doctori sui temporis sine comparatione majori, et qui eum juvit in hoc opere; per quem primo anno, quo decretales adhuc puerulus audivi (a Marsilio Mantighellio, quem Joann. Andreae magistrum habuit), cum quoddam exeniolum sibi ex parte patris portassem, me examinatum memoro super lectione diurna, cui, quia grate respondi, me cum osculo fuit amplexus ». JOANN. ANDREAE, *loc. cit.*

(2) *Vide Appendicem.*

(3) « MCCXX die VIII Septembris apud Damiatam, dominus Bonifacius Guidonis Guizardi et dominus Barufaldinus Capitanei Crucesignatorum etc. ». *Reg. gross.*, pag. 458. — Vide supra in ALBERTO ODOFRED.

(4) « Quando in Bologna un Fabro si ralligna ». DANTES ALIGHER. in *Purgat.*, cant. XIV. — Ad quem versum ita Benvenutus Imolensis Dantis interpres: « Iste fuit nobilis miles de Lambertacciis de Bononia, vir sapiens et magni consilii. *Quando si ralligna,* idest, renascitur, quasi dicat, tarde. *In Bologna,* quae est nidus philosophorum et mater legum omniumque bonorum fertilis, humanitatis piissima nutrix ». Apud MURATOR., *Antiquit. ital. Excerpta ex comm. Benvenuti de Imola.*

(5) « Sed demum illi de parte Lambertacciorum, quorum caput et dux erat dominus Castellanus de Andalò, concordaverunt cum Foroliviensibus et promiserunt se juvare ad invicem ». PETRUS CANTINELL. in Chronicis manuscriptis.

At Jeremiensium principes fuere Albertus Caccianemicus et Veneticus ejus filius; ut constat ex actis anno MCCLXXXX in Curia Mediolanensi pro concedendis Guilielmo de Pusterla vindiciis, sive, ut dicebant, represaliis contra Bononienses, ob injurias, quas anno MCCLXXIV pertulerat, cum praeturam bononiensem exerceret. Ea damus in Appendice. Ghibellinae quidem partis caput Antonium Lambertaccium vulgo statuunt; sed hujus hominis nomen neque in actis publicis neque

II. In tam bellicosa domo natus est Azo, Thomasini filius, Bonifacii nepos, qui alia studia secutus est ac ceteri ex ea gente, literas enim coluit et in clerum cooptatus est. Itaque canonicatum in Ecclesia bononiensi obtinuit et doctor decretorum creatus, jus canonicum in scholis nostris professus est et in foro etiam patrocinandis causis vacavit [1]. Floruit antequam Lambertacciorum et Jeremiensium simultates in apertum bellum eruperint, quo tempore permagnus erat exterorum affluxus ad academiam nostram; nunquam enim fuerat meliori loco res Bononiensium et publica et literaria, ut non semel dictum est. Fuisse autem videntur in Azonis disciplina Hispani plures [2], in quorum numero Petrum Arnaldi clericum Regis Castellae, natum ex illustri foemina Maria Gerundensi, reperio [3].

III. Praeter canonicatum bononiensem obtinuit Azo sacerdotium s. Mariae de Farneto in agro bononiensi [4], quod absens administravit permissu, ut arbitror, Romanorum Pontificum, qui hac indulgentia uti facile solebant in juris canonici professores. Anno MCCLVIII nondum doctoris insignia acceperat, sed lege tamen in Consilio civitatis lata dignus habitus est, qui de republica, ubi opus esset, consuleretur [5]. Insequenti anno magistrum et doctorem decretorum appellatum reperio [6]. Habitavit in via s. Mamae in hospitio conductitio [7]; neque enim videtur in paternis aedibus, quae vacare armorum strepitu non poterant, et quietem suis studiis et locum idoneum erudiendis scholaribus habere potuisse. Sed anno MCCLXXIV Lambertacciis cum omni eorum factione expulsis, Azoni quoque solum vertendum fuit [8]. Verum quadriennio post, redintegrata pace studio Nicolai III Pontificis, cum ceteris Lambertacciis restitutus est. Et quamquam paulo post sopita odia recruduerint et Lambertaccii iterum ex urbe ejecti sint, Azoni tamen aliquandiu permissum est ut in civitate remaneret. Anno certe MCCLXXXI Bononiae erat, ut ex tabulis publicis manifestum est [9]. Erat tunc quidem odiosissimum Lamber-

in privatorum contractibus, neque, quod pluris est, in tabulis proscriptorum ac relegatorum partis lambertacciae, neque in chronicis aut monumentis civitatis, ante Joannis Garzonii scripta, uspiam omnino reperitur, ut animadvertit clarissimus Montius.

(1) « Anno MCCLXXI die XIV exeuntis Octobris dominus Azo de Lambertacciis doctor decretalium fuit confessus se recepisse a domino Ardizone de Mediolano dante et solvente vice domini Pontii de Utrio et domini Johannis archidiaconi Polonorum XXXX libr. Bonon. pro suo patrocinio etc. ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) Ex contractibus multis scholarium ab anno MCCLXIX ad MCCLXXIII in *Memor. Com. Bonon.*

(3) « Anno MCCLXIX die .... Dominus Petri Arnaldi scholaris bononiensis clericus domini Regis Castelle filii dominae Mariae de Girundi promittit solvere domino Berengario de Flumano canonicus Urgellen. XXXXV libr. Bonon. fideiussore domino Azone doctore decretorum causa studii. Testes adfuerunt dominus Lodomenus canonicus Girundensis, dominus Raimundus s. Tholosani, dominus Garsia Frenandi, magister Martinus Garsie, dominus Martinus de Casseda, dominus Rodericus Joannis, dominus Galvanus Castellanus ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(4) « Anno MCCLXX die.... Dominus Azo de Lambertatiis canonicus bononiensis decretorum doctor, rector ecclesiae sanctae Mariae de Farneto de Casaliclo ultra Idicem etc. ». *Ibid.*

(5) In *Statutis Civit. Bon.* anno MCLVIII editis, rubr. *De juram. judicum*, haec verba leguntur: « Nullus possit esse judex Communis, nec vocari ad aliquod consilium dandum, nisi studuerit quinque annis in legibus et fuerit in matricula judicum et ipse sit civis.... salvo quod magister Egidius de Foscarariis, qui longissimo tempore habitavit in Bononia, possit habere dominum pro consiliis. Idem dicitur observari in domino Brandelisio domini Bualelli Ricadona, domino Francisco de Baysio, domino Azolino domini Thomaxini domini Bonifacii, domino Ugolino archipresbytero sanctae Agathae, domino Bonnino quondam domini Bonaventurae de Argellata ».

(6) Anno MCCLIX, magister Azo de Lambertatiis doctor decretorum nominatur in tabulis canonicorum Ecclesiae Bononiensis in libro Axium, pag. 86.

(7) « Actum in hospitio domini Bonacurxii de Carbonensibus ubi moratur dominus Azo de Lambertatiis ». *Ex Mem. Com. Bonon. anno MCCLXIX.*

(8) Inter Lambertaccios, qui anno MCCLXXIV proscripti sunt, extat Azo cum suis fratribus in hunc modum descriptus:

Dominus Azo decretorum doctor » Petrus Riccius » Fabrutius	fratres et filii domini Thomaxini de Lambertatiis.

His porro tabulis, quas saepe citavimus, hic titulus praefigitur: « Sub hoc titulo continentur nomina eorum, qui positi fuerunt in banno Communis civitatis Bononiae occasione rebellionis, qua pars Lambertatiorum civitatem ipsam discipare molita est ». Extat in archivo pub. Bonon.

(9) « Anno MCCLXXXI die V Julii Azo Lambertaccius canonicus bononiensis praesens fuit cuidam instru-

tacciorum nomen in civitate nostra; ut nefas quidem esset de illis in patriam revocandis cum populo agere. Sed hoc ad universam factionem pertinebat. Verum familia ipsa Lambertacciorum nulla peculiari invidia laborabat. Eo factum est ut post aliquot annos Castellani filii, Azolinus et Covrutius, non solum in patriam recepti sint et populi bononiensis decreto inter Jeremienses censiti, sed ne avitum quidem Lambertacciorum agnomen abjecerint (1). Haec anno MCCLXXXXVII gesta sunt; ac deinceps lambertaccia gens cum illis, qui civitatem regebant, honores capessivit ac magistratus gessit (2), quoad anno MCCCCX prorsus extincta est, Joanne Azolini pronepote humanis exempto (3). Atque hinc manifeste apparet, lambertaccium nomen, quod factionis odiosissimum erat, familiae nullam propriam habuisse invidiam (4).

IV. Azoni igitur, quamvis esset ex gente lambertaccia, quae factioni illi nomen dederat, facilis fuit in patriam reditus; sed tamen, novis turbis exortis, rursum e civitate excedere debuit. Mitissima vero ejus poena fuit, quippe tantum relegatus sive, ut ajebant, ad confinia ire jussus. Vixisse videtur ad annum usque MCCLXXXIX, quo anno compertum est canonicatum Ecclesiae bononiensis, quem ipse obtinebat, vacasse (5). Extabant olim duo illustria ejus pietatis monumenta, alterum in principe civitatis basilica, ubi sacerdotium instituit, quod *Capellania domini Azonis* diu postea nuncupatum est (6); alterum in ecclesia s. Mariae ad Pontem Majorem extra civitatem, quam ipse pro sanctimonialibus s. Andreae sua impensa construendam curaverat (7). Huic parthenoni, cujus ipse fundator fuisse videtur, multa etiam tribuerat anno MCCLXX et supremis tabulis quingentas libras Bonon. legavit, quo agri pro iisdem sanctimonialibus emerentur (8). Ejus haereditas magnis litibus divexata est, quae anno demum MCCLXXXXVII sunt compositae (9). Azoni duo fratres fuere, Petrus Riccius et Fabruccius (10); ac postremus iste videtur is esse, qui inter antiquiores italicae poesis cultores recensetur.

V. Scripsit Azo *Quaestiones* aliquot in jure canonico, quas vidit Joannes Andreae (11). Atque hinc ortus est error illorum, qui Azonem nobilissimum legum interpretem, qui

mento venditionis factae a Paulo archipresbytero Plebis Butrii in palatio episcopi bononiensis ». *Ex Mem. Com. Bon.*

(1) Ex lib. Reformat. ejus anni in archivo publ. Vidit clarissimus Montius.

(2) « MCCCLII die XIV Maji. Castellanus et Faber fratres et filii olim domini Jacobi quondam domini Azolini olim domini Castellani domini Fabri olim domini Bonifacii Guidonis Guizardi de Lambertatiis etc. etc. ». Ex *Memor. Galati de Stupa,* pag. 96.

Castellanus hic magistratum, quem Antianorum vocant pluries gessit saecul. XIV. — Vide Alidos. in *Antian. civ. Bonon.* ab anno MCCCI ad MCCCLXXV.

(3) Vide supra in Bulgaro.

(4) Haec omnino ignorarunt scriptores historiarum bononiensium qui cum Lambertacciam gentem ab ea factione, quae Lambertacciorum nomen gerebat, secernere non novissent, multa scripserunt a vero alienissima. Haec mihi egregie explicavit clarissimus Montius, qui patriam historiam ex ipsis fontibus, hoc est, incorruptis monumentis petivit.

(5) Ex *Memor. Com. Bonon.* ejus anni.

(6) Ex tabulis, de quibus infra.

(7) « Anno MCCLXXXX die XVI Februarii indict. III, canonici Ecclesiae bononiensis Arpinellus archipresbyter, Brandalisius de Riccadonna, Guirardus Giroardi, Ubaldinus de Riosto, Jacobus de Panico, Paulus de Graidanis concedunt monialibus s. Andreae de Ponte Majori Ordinis s. Augustini ecclesiam sanctae Mariae de Ponte Majori, quae constructa fuerat a domino Azone de Lambertacciis, canonicus bononiensis pro iisdem monialibus ». Ex tabulis in archivo Canonic. Eccles. Bon. in libro Axium, pag. 24.

(8) « MCCLXXXXVII die IV Martii, Venerabili Viri dominus Guido de Baysio archidiaconus, dominus Arpinellus archipresbyter, dominus Ubaldinus de Riosto, dominus Brandilixius de Ricadona, dominus Sclata de Ubaldinis, dominus Henrigiptus de Riosto, dominus Franciscus de Mollano, dominus Albizus de Lauglano canonici Ecclesiae bononiensis etc. confessi sunt se recepisse lib. M Bonon. ex testamento domini Azoni de Lambertatiis, olim canonici Bononiae, D pro Altari et Capellania in s. Petro et D ad possessiones emendas pro ecclesia sanctae Mariae de Ponte Majori ». Ex *Mem. Com. Bon.* illius anni.

(9) Ex iisdem Memor.

(10) Ex tabulis proscriptorum supra indicatis.

(11) « Sciendum, quod Azo canonicus bononiensis in sua disputatione tenuit archipresbyterum, qui excommunicavit canonicum suum quia non residebat, posse illum

multo ante hanc aetatem vixerat, et canonicum bononiensem fuisse et sub extremum vitae suae tempus juri canonico interpretando vacasse dixerunt; quem in errorem elapsi non essent si de Azone Lambertaccio ad eorum cognitionem pervenissent (1), sed exteris scriptoribus rerum nostrarum imperitis danda est venia. Alidosius ipse, qui Azonem hunc nostrum probe noverat, praeter eum tamen et magnum Azonem legum interpretem, Azonem alterum inducit utroque antiquiorem quem fuisse dicit Ecclesiae bononiensis canonicum, et Quaestiones aliquot scripsisse a Joanne Andreae laudatas. Illum vixisse dicit anno MCLXXIII (2). At nondum erat more receptum eo saeculo disputationes ejusmodi perscribere. Is vero qui, canonicus bononiensis cum esset et canonum professor, Quaestiones reliquit a Joanne Andreae laudatas, Azo hic Lambertaccius sine dubio fuit.

XXXXVI.

JOANNES

PRIOR SANCTAE MARIAE MAJORIS.

VENTURA

EJUSDEM ECCLESIAE CANONICUS.

I. Vetustissima est in nostra civitate ecclesia sanctae Mariae Majoris, quam olim obtinuere moniales Ordinis s. Benedicti (3). Eas inde removit Octavianus Ubaldinus archidiaconus et administrator Ecclesiae Bononiensis, is, qui postea cardinalis fuit et multis legationibus functus est, in historia sui temporis, ambigua tamen fama, notissimus. Monialium loco Octavianus collegium canonicorum instituit; cui collegio qui primus praefuit magister Joannes fuit, canonum professor, ut existimo; vir tamen aliunde ignotus. Innocentius IV, Octaviani Ubaldini amicissimus, hanc canonicorum ad Sanctae Mariae Majoris institutionem ratam habuit, datis ea de re literis, quas autographas vidimus in ejus ecclesiae archivo, permittente humanissimo viro et multa eruditione spectando, Joanne Jacobo Amadei ejusdem Ecclesiae canonico. Datae sunt hae Innocentii literae Anagniae II kalendas Augustas anno I, idest anno MCCXXXXIII.

II. Vixit inter primos ejusdem Ecclesiae canonicos magister Ventura, cujus mentio est in ejusdem archivi tabulis ad annum MCCXXXXIX. Hunc etiam credibile est canonum potius quam alterius facultatis professorem fuisse, hominem scilicet Ecclesiae servitio addictum. Hic anno adhuc MCCLXXXVI in vivis erat, quo anno testamentum condidit, ut liquet ex Memorialibus Communis Bononiae ejus anni.

absolvere, etiamsi canonicatui renunciavit ». JOANN. ANDREAE, *De minorit. et obedient.*, c. *Episcopus.*

« Disputavit etiam illam Azo doctor nostri juris bononiensis canonicus ». JOANN. ANDREAE in *Sext. De reg. juris*, c. *Exceptionem.*

(1) PANCIROL., lib. II, cap. XXV. — M. MANTUA, *Epit. Vir. illustr.*, v. *Azo* etc. etc.

(2) ALIDOSI, *Dottori Bolognesi*, pag. 1.

(3) « Anno MCXXXVI domina Guilla, Dei gratia abbatissa monasterii sanctae Mariae Majoris, vendit praedium priori s. Eutropii, ejusque fratribus ». Ex archivo s. Joannis in Montis, in quo plura de Ecclesia s. Eutropii, quae olim sui juris erat, postmodum canonicis ss. Victoris et Joannis in Monte attributa est.

XXXXVII.

JACOBUS BONACOSA.

I. Jacobus Alberti Bonacosae filius (1) jus pontificium per idem tempus in nostris scholis interpretatus est. Videtur autem decretalibus exponendis dedisse operam; quamvis enim decretorum doctor passim dicatur in plurimis, quae de eo sunt, monumentis; aliquando tamen doctorem decretalium appellatum reperio (2). Canonicatum in Ecclesia bononiensi diu obtinuit, et colligendis decimis in subsidium belli sacri quandoque deputatus est (3). Anno MCCLXVI cum Sinigardo archipresbytero et aliis canonicis subscripsit constitutioni ab Octaviano episcopo latae ad cohibendam scholarium clericorum licentiam, quam in Appendice damus. Gessit etiam extremis vitae suae temporibus praeclarum munus Auditoris Contradictarum (4), quo fungi solebant viri scientia juris canonici insignes apud Romanum Pontificem. Extat ejus consilium cum Francisco Accursio *De facultatibus Inquisitorum haereticae pravitatis* (5). Obiit anno MCCLXXIX (6), cum sacerdotium in ecclesia Bononiensium principe, in qua ipse canonicatum obtinebat, ex suis facultatibus fundasset (7). Curatorem testamenti sui delegerat Opizonem episcopum parmensem, cujus nomine haereditas adita est anno MCCLXXIX mense Decembris, ejus rei monumenta duo in Appendicem rejecimus (8). Describitur in iis Jacobi supellex, quam ipse vivens deposuerat, cum aliqua pecuniae summa, partim apud virgines sanctae Mariae Novae, partim apud Fratres Humiliatos, qui ad ecclesiam sancti Jacobi de Sapina haud multis ante annis, recedentibus inde Eremitanis, habitare coeperant. Hinc licet conjicere, Jacobum ad Romanam Curiam vocatum, ut Auditoris Contradictarum munus apud Nicolaum III Pontificem gereret, post breve admodum tempus supremum obiisse diem. Is certe testamentum fecerat anno MCCLXXVIII fortasse hac ipsa de causa, quod longum iter erat suscepturus. Cum enim per ea tempora vix sine periculo privatis hominibus iter facere liceret, solebant plerique, praesertim ditiores homines, antequam viae se traderent testamentum condere. Augetur haec conjectura ex eo, quod post Jacobi mortem compertum est ejus domesticam supellectilem depositam eo vivente fuisse apud moniales sanctae Mariae Novae et Fratres Humiliatos; quod indicio est Jacobum Bononiae extremum diem non obiisse. Si enim in hac civitate ad extremum usque spiritum moram duxisset, non erat cur supellectilem suam apud alios deponeret.

(1) « Anno MCCLXXVIII die III exeuntis Februarii dominus Jacobus canonicus, filius Alberti Bonacosae, post testamentum codicillos facit ». *Ex Mem. Com. Bon.*

(2) « Anno MCCLXXIII dominus Jacobus canonicus bononiensis, doctor decretalium, presens instrumento concordie die VI exeuntis Decembris ». *Ibid.*

(3) « Anno MCCLXXV, die VIII Octobris, magister Jacobus canonicus bononiensis, collector decimarum in subsidium Terrae Sanctae etc. ». Ex iisdem Memor.

(4) *Vide Appendicem.*

(5) « Consilium Francisci doctoris legum et Jacobi canonicorum bononiensium, decretalium doctorum de facultatibus inquisitorum hereticae pravitatis, occasione Bullarum Innocentii, Alexandri et Clementis IV ». Extat in bibliotheca veneta ss. Joannis et Pauli cod. 227. Clarissimus Garampius, qui id mihi indicavit, monuit etiam, videri scriptum circa annum MCCLXXIII.

(6) « MCCLXXIX die XVII Octobris. Cum Venerabilis Pater dominus Octavianus bononiensis, episcopus etc. prebendam seu canoniam, quam olim magister Jacobus in bononiensi Ecclesia obtinebat, domino Ubaldino mansionario bononiensi duxerit conferendam etc. ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(7) « Anno MCCLXXX die IX Aprilis. Dominus Folignus canonicus, procurator domini O. episcopi, fatetur accepisse a domino Dominico Poete lib. CCC ad emendas possessiones pro capellania quondam magistri Jacobi canonici, quas habebat penes se depositas ». *Ibid.*

(8) *Vide Appendicem.*

II. In ejus schola eruditus videtur Hugolinus de Montezanico [1], vir non incelebris in historia bononiensi. Ex gente Ubaldina fuit, diuque vices locumque archidiaconi bononiensis tenuit, cujus praecipua erat in scholis bononiensibus auctoritas. Est hic dubio procul Jacobus ille doctor decretorum, qui reprehenditur a Guilielmo Durantis in *Speculo* [2], quod vestem scissam, hoc est, ut interpretor, antrorsum apertam nec circumquaque clausam contra decorum gestaret. Reliquit *Quaestiones* aliquot, quarum mentionem facit non semel Joannes Andreae [3]; videtur autem magnum sibi nomen in jure canonico fecisse, ex quo etiam appellationem sumpsit; vulgo enim *Jacobum de Canonica* dictum reperio [4].

XXXXVIII.

PETRUS CAPRETIUS LAMBERTINUS.

I. Lambertinae genti tantum nuper laudis accessit Pontificatu Benedicti XIV, ut, quamquam cetera deessent, hoc illi satis esse posset ad gloriam. Sed erat illa jam inde ab antiquissimis temporibus eximiae nobilitatis insignibus spectanda, ut nulla sit ex clarissimis civitatis nostrae familiis, quam hoc laudis genere non aequare possit aut vincere. Ex ea natus est Petrus Capretius, qui Bononiae claruit decurrente saeculo XIII [5]. Videtur autem Capretius de patre appellatus, qui fuit Hugolinus Lambertinus, Capretius sive Capretus vulgo dictus; is, qui cum aliis pari nobilitate viris Ordinem Militum Sanctae Mariae instituit [6], ab Urbano IV anno MCCLXI approbatum [7]. Est hic Ordo Fratrum Gaudentium, vel ipso nomine celebris, de quo multa Ghirardaccius in Historia Bononiensi, Joannes Villanus aliique scriptores [8]. Sed Petrus ad generis claritatem literarum ornamentum adjecit et clericali militiae adscriptus est [9]. Professus est jus pontificium et juvenis admodum canonicatum obtinuit in Ecclesia bononiensi. Eidem anno MCCLVII Alexander IV Pontifex Maximus canonicatum in Ecclesia patracensi contulit, eum, quem primo vacare contigisset; qua de re sunt Alexandri Pontificis literae

(1) « Anno MCCLXXX die .... Dominus Bonacosa frater quondam magistri Jacobi, canonici bononiensis, recipit a domino Hugolino de Montezanico libr. XXX eique restituit unum par decretalium, quas pignori obligaverat ipsi magistro Jacobo ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(2) « Non sericea textura variatam, ut Guido de Suzaria Mutinae legum professor, non fissam, ut Jacobus decretorum doctor bononiensis ». SPECULAT., tit. *De advocat.*

(3) « Disputavit Jacobus canonicus bononiensis an pulsata postmodum campana, hora praedicta, possint XXX qui convenerunt electionem facere ». *Novell.,* c. *De causis,* tit. *De electione.*

Rursus: « Tenuit Jacobus bononiensis canonicus in sua disputatione quod acquisita, intuitu Ecclesiae, erunt ipsius Ecclesiae ». JOANN. ANDREAE in *Sextum,* c. *Religiosi,* tit. *De regular.*

(4) « Anno MCCLXVII, die XXIII Julii. Coradinus quondam Vitalis promittit magistro Jacobo de Canonica se facturum quod Christiana ejus filia scribet ipsi decretales etc. pretio libr. XXIV Bonon. ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

« Anno MCCLXXXVI. Dominus Bonacosa frater quondam magistri Jacobi de Canonica ». *Ibid.*

(5) Variis modis ejus nomen effertur in antiquis tabulis, ubi Petrus Capretius, Capretus, Capricius, Cavricius dicitur; non tamen confundendus cum Petro Cabriozi, qui eodem tempore et ipse canonicus fuit s. Petri, ex nobili Castelliorum genere. — Vide ALIDOS. in *Canon. Eccles. Bonon.,* pag. 20.

(6) « Eodem anno (MCCLXI) composita et ordinata fuit regula militum Beatae Mariae Virginis per honorabilem virum dominum Loterengum de Bononia, qui prior extitit et praelatus inter eos, et dominum Gruamontem et dominum Hugolinum Capretum de Bononia etc. ». Ex *Memorial. Potest. Regien.* apud MURATORIUM, *Rer. Ital. Script.,* t. VIII, pag. 1122.

(7) Vide GHIRARDACC. lib. VII, et ad calcem t. I in Indice, ubi affert Constitutiones Fratrum Gaudentium ab Urbano IV approbatas. Vide *Frati della Milizia.*

(8) Vide quae supra adnotata sunt in BONAVENTURA SAVIGNANO.

(9) Falsum est autem, quod et ipse militiae Ordinis Beatae Mariae Virginis nomen dederit; quodque, prius quam clero adscriberetur, equitum praefectus fuerit et ordines duxerit, ut ex nostris historicis non nemo scriptis tradidit.

Viterbio datae VI kalendas Augustas. Ac pater ejus Hugolinus, tamquam filii procurator, qui hoc beneficium pro filio a Pontifice impetrasse videtur, canonicatus possessionem ejus nomine accepit coram electo patracensi episcopo, tum Viterbii agente (1). Postmodum aliud ei beneficium ecclesiasticum in dioecesi bononiensi conferendum mandavit Urbanus IV literis datis ad archipresbyterum foroliviensem sancti Laurentii, quibus jubet, ut Petro Lambertino, scientia et literis non vulgariter erudito, beneficium ecclesiasticum sine cura animarum conferat in dioecesi bononiensi, quod tamdiu vacaverit, ut ejus collatio ex concilii lateranensis decreto ad Sedem Apostolicam sit devoluta; idque se facere profitetur Urbanus tum ob merita ejus, tum commendatione Richardi diaconi Sancti Angeli cardinalis (2).

II. Splendidum quoque et opulentum in civitate sacerdotium tenuit, prioratum s. Mariae Majoris (3), et aliud rursum in dioecesi, archipresbyteratum s. Joannis in Persiceto, quod est nobile castrum agri bononiensis. Accidit autem ut illius loci incolae arbitrium aliquando ei deferrent eligendi praetoris, qui castrum regeret atque is praetores in septennium optaret. Sed paucis post diebus populus persicetanus has electiones abrogavit, quam injuriam cum Petrus ipse et ejus fratres iniquo animo tulissent, graves utrinque offensiones fuerunt. Sed iis tandem modus impositus est ex sententia Hugolini Zamboni legis doctoris et Jacobini Bazalerii, quibus utraque pars arbitrium dederat ejus dissidii componendi. Itaque illi decreverunt Lambertinos ab ejus castri regimine decedere debere et relinquendam ejus castri incolis facultatem omnem eligendi rectores et consiliarios. Contra vero libras Bononinorum bis mille solvendas a Persicetanis Petro Capretio ejusque fratribus, ut suum jus redimerent et illatas injurias compensarent (4).

III. Ad eum scripsit Urbanus IV mandans ut cum Francisco Baysio archipresbytero Salustrae, expilato nuper thesauro Ecclesiae bononiensis, in sontes inquirat et repertos ad Curiam pro sceleris magnitudine puniendos cum primum mittat (5). Anno MCCLXXX ampla latifundia, quae erant Ecclesiae s. Mariae Majoris, attribuit Joanni et Roberto Galeotti Lambertini patruelis sui filiis ejusdemque Ecclesiae canonicis, ut haberent quo commodius possent literarum studiis vacare. Sed cavit tamen ut annis singulis certum frumenti numerum Ecclesiae s. Mariae Majoris penderent, et post eorum mortem praedia illa in Ecclesiae censum restituerentur (6). Quadriennio post, canonicatu ferrariensi auctus (7), prioratum ipsum s. Mariae Majoris dimisit et in agnatum suum Guilielmum Lambertinum Mundolini filium transdidit (8). Anno MCCLXXXXII, quem ejus vitae extremum fuisse censeo, cum ex morbo decumberet, testamentum fecit, quo humari se mandavit apud Fratres Praedicatores in tumulo, cui construendo certam pecuniam constituit. Piis locis multa dedit legata, nonnulla etiam cognatis et affinibus

(1) *Vide Appendicem.*

(2) *Ibid.*

(3) « Anno MCCLXVIII dominus Petrus Caprizius prior Sanctae Mariae Majoris ». In *Memor. Com. Bonon.*

(4) Refertur hoc laudum Hugolini Zamboni de Zenzanis et Jacobini Bazalerii in *Mem. Com. Bon.* ad diem XII Martii anno MCCLXIX, quo die dominus Petrus Capretius et dominus Bertholinus ejus frater, nomine suo et suorum fratrum ex una parte et Persicetanorum procuratores ex altera, illi sententiae, seu laudo, stare promiserunt.

(5) *Vide Appendicem.*


(6) Ex tabulis in *Mem. Com. Bonon.*, quas in Appendice damus.

(7) « Dominus Petrus de Lambertinis de Bononia, decretorum doctor, canonicus bononiensis et majoris Ecclesiae de Ferraria et archipresbyter s. Joannis in Persiceto » dicitur in *Mem. Com. Bonon.* ad diem XXIII Aprilis MCCLXXXIV.

(8) « Dominus Guilielmus quondam domini Mundulini de Lambertinis prior ecclesiae sanctae Mariae Majoris procurator domini Petri Capretii de Lambertinis, canonicus bononiensis etc. ». Ex *Mem. Com. Bonon.* ad annum MCCLXXXIV itemque ad annum MCCLXXXVI. Vidit clarissimus Montius.

STEMMA LAMBERTINAE GENTIS

AB ULTIMA ORIGINE AD TOTUM SAECULUM XIII



suis. Conventui Fratrum Praedicatorum libras L legavit in annos singulos in perpetuum pro vestibus Fratrum. In iis, quae sibi ex paternis bonis obvenerant, Gruamontem et Capricinum fratrum suorum filios, in ceteris pauperes Christi haeredes instituit (1). Sed cum nullus ex prioribus Fratrum Praedicatorum, quos testamenti curatores elegerat, hujus haereditatis administrationem, ob multas difficultates subinde obortas, attingere voluerit, anno tandem MCCCVI Frater Joannes Gusbertus prior eam adhuc jacentem in manus episcopi bononiensis rejecit (2).

IV. Annis non admodum multis in academia versatus videtur Petrus Capretius, ac raro in antiquis tabulis, quae plurimae de illo extant, doctor decretorum appellatur. Fuit etiam Auditor causarum Palatii Apostolici, quod munus, Honorio IV sedente, consecutus est devexa jam aetate (3), nec admodum diu eo fungi potuit apud Romanum Pontificem, ut ex plurimis tabulis et monumentis liquet, quae illum sic Bononiae praesentem ostendunt, ut haud magno tempore abesse potuerit. Quamquam necessarium non erat ut semper in curia praesentes forent, qui eo munere aliquando functi essent et fortasse jam tum honorario titulo creari coeperant.

V. Non erit hic ingratum, ut arbitror, lectoribus Lambertinae gentis successionem a primis auctoribus, qui noti sunt, usque ad Petrum Capretium deductam cognoscere. Eam producemus in progressu operis usque ad Benedictum XIV Pontificem Maximum, ut hoc qualecumque grati memorisque animi monumentum existat erga clementissimum Pontificem, cujus auspiciis et imperio hunc laborem suscepimus.

Lambertus. — Omnium primus, de quo certo constet, in hac nobilissima gente occurrit Lambertus, quem circa initium XI saeculi vixisse arbitror. Id conjicitur ex eo quod Richizus sive Mundus ejus filius anno MLXII jam obierat, ut mox ostendemus. Habemus in archivo monachorum s. Stephani tabulas anno MX scriptas, in quibus occurrunt *Dominus Lambertus filius bonae memoriae domini Lamberti et Richilda jugales* (4). Si Lambertus iste pater fuerit Richizi, sive Mundi, alterum Lambertum hujus patrem haberemus, qui vixisset multo ante annum Christi millesimum (5). Ac sane Richizi nomen ex Richilda matre ductum videtur. Sed quoniam haec non plane certa sunt et conjecturis tantum nituntur, praestat hujus clarissimae gentis caput consti-

(1) Ex ejus testamento, quod vide in Appendice.

(2) Ex *Memor. Com. Bonon.* ad diem XXVII Februarii. — Vidit clarissimus Montius.

(3) « Anno MCCLXXXVII die VI intrantis Octobris Bigolus filius quondam domini Benni de Gozadinis dedit et concessit ad preces et instantiam discreti viri domini Petri Capreci, Palatii domini Papae auditoris et canonici bononiensis, plenam licentiam etc. ». *Ex Mem. Com. Bon.*

« Anno MCCLXXXVIII, die Jovis prima Aprilis, magister Petrus Capretius de Lambertinis, Sacri Palatii domini Papae auditor, fecit suum procuratorem dominum Lambertum de Tencarariis ad omnia sua negotia etc. ». *Ibid.* — Vidit idem Vir clarissimus.

« Anno MCCLXXXX die I Februarii dominus Petrus Capretus de Lambertinis Sacri Palatii domini Papae auditor etc. ». *Ibid.*

(4) « In nomine Domini temporibus dominus Sergius Apostolicus Pontificatus ejus in Dei nomine anno primo regnante domino Enrigo Rex anno septimo die sexto Aprilis indictione nona. Petimus a vobis domino Lamberto filius bone memorie domini Lamberti, et Richilda jugales uti nobis Maurus et Berta jugales.... concedere dignetis rem vestri juris etc. ». Ex tab. archivi mon. s. Stephani etc.

(5) Et quidem anno DCCCCLXXIII « Petrus et Lambertus germani filii quondam Joanni de Civitate Bononia » in concilio mutinensi, quod apud Marzalia celebratum est, Honesto Archiepiscopo Ravennate sententiam approbante, jus suum obtinuerunt adversus Ubertum episcopum parmensem, quia plurima eorum praedia occupaverat. Vide Rubeum, *Hist. Ravenn.*, lib. V, et Labbeum, *Conc. ad eum ann.* Lambertum hunc, cujus in eo Concilio causa est acta, Lamberti alterius, qui anno MX vivebat, patrem fuisse Richizi seu Mundi avum ex eo conjicit clarissimus Montius, quod ipse et Petrus ejus frater anno DCCCCLXXIV opima latifundia « in Lopolito, in Castellione » aliisque locis coemerunt, ubi saeculo XI ac XII Richizus et alii Lambertinorum non dubii progenitores avitas possessiones habebant. Extant emptionis tabulae in archivo monachorum s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis, cum aliis chartis saeculi X, ad eosdem fratres pertinentibus, in quibus sic appellantur « Petrus et Lambertus germani filii bone memorie Johannis et nepoti quondam Petroni Ducis atque Marchionis ». Vide etiam Murator., *Antiquit. med. aevi*, dissert. I.

tuere Lambertum hunc Richizi sive Mundi patrem (1). Ex ejus nomine appellationem sive agnomen ea gens accepit, quod adhuc retinet ac retinebit, ut auguror, apprime sibi et civitati nostrae gloriosum, quandiu stabit ipsa civitas. Sed cum haec scriberem, tristis heu! nuncius allatus est de morte Lucretiae Savorgnanae Joanni Lambertino Benedicti XIV nepoti fratris nuptae; quae vix decimo conjugii mense expleto, nec prole suscepta, quam immaturam gerebat, magnum et suis omnibus et civitati universae luctum reliquit (2).

RICHIZUS sive MUNDUS Lamberti filius. — Admodum celebre est Mundi nomen in hac familia. Sed verum hujus hominis nomen Richizus fuit; sic enim in antiquis tabulis indicatur: *Richizus, qui dicitur Mundus.* Hic anno MLXII humanis excesserat, relicta Ema uxore et duobus filiis, Ansaldo et Lamberto (3).

LAMBERTUS II Mundi filius, Lamberti I nepos. — Hunc viventem habemus anno MLXII, anno MLXXXI et rursus anno MCIV, ex tabulis supra indicatis.

GUIDO I Lamberti filius, Mundi nepos. — In tabulis monachorum s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis, cum aliquot aliis primariae nobilitatis viris subscribit *Guido de Lamberto de Mundo* (4). Scriptae sunt anno MCXXVII. Ad annum MCXXXXII aliquid ex ejus actis reperio in tabulis archivi Canonicorum Regularium s. Joannis in Monte (5). Anno etiam MCLV cum Lambertinus ejus filius feudum quoddam ab Archiepiscopo ravennati in Ferrariensium finibus accepisset, magnates quidam Guidoni suam fidem obstrinxerunt ne Lambertinum in ejus feudi possessione turbarent (6). Anno MCLXIV cum haberetur consilium populi bononiensis ad accipiendam deditionem Badali et Batidicii, quae castra in potestatem Communis bononiensis ultro venire optabant, primus post consules assedit Guido Lamberti filius, Mundi nepos, et Lambertinus ejus filius; ex quo intelligimus vel aetate vel dignitate ceteris civibus Guidonem praestitisse, ac quasi senatus principem esse habitum (7).

LAMBERTINUS Guidonis filius, Lamberti nepos. — Erat cum patre in eo Consilio, quod habitum diximus ob deditionem Badali et Batidicii. Sed etiam multo ante, anno scilicet MCLVII, in charta canonicorum s. Joannis in Monte nominatur cum patre, avo et proavo, *Lambertinus* scilicet *filius Guidonis de Lamberto de Mundo* (8). Hic anno MCLXV graviter offensus nescio qua injuria incolarum castri Galeriae, non aliter in gratiam eos recepit quam imperatis obsidibus bene multis, quod quidem ostendit magnam per illud tempus fuisse Lambertinorum potentiam (9). Acceperat Lambertinus decennio ante feudum quoddam ab archiepiscopo ravennate in territorio ferrariensi (10), cujus tuendi causa natam arbitror eam controversiam cum Galeriae incolis. Quid vero de Egano Lambertino sentiendum, quem summo consensu narrant historici nostri anno MCXXXXVI primaria ex juventute in hastiludii certamine insignem retulisse palmam (11)? Hunc suspicatur clarissimus Montius vel Lambertini fratrem fuisse vel fortasse Lambertinum ipsum, cui Hegani praenomen a saeculo XIV in ea gente deinceps usitatissimum posteritas adjunxerit.

(1) « Anno MCIV die XVII mensis Julii Lambertus, filius Mundi de Lamberto, Raginerius et Albertus germani fil. Lamberti de Bero rogati testes etc. ». Ex tab. archivi s. Agnetis, fasc. † n. 2.

(2) Obiit die XXXI Martii, anno MDCCLXIII.

(3) « Anno MLXII die XV Octobris, indictione I. Petimus a vobis domina Ema relicta quondam bone memorie domini Richizi.... Ansaldo et Lamberto germanis filiis predicti Richizi qui vocabatur Mundo.... de predicto Mundo uti nobis domino Winizone gratia Dei presbyter monachus et abbas de predicto monasterio s. Stephani, qui vocatur Jerusalem etc. concedere dignetis rem juris vestri idest super civitate Bononia in monasterio s. Victoris juxta ipsam Ecclesiam etc. ».

« Anno MLXXXI die III kal. Aprilis. In presentia bonorum hominum Petrus judex filius Johannis de Butifredo, Hieremia filius Raginberti, Lambertus filii Richici qui vocabatur Mundo etc. ». Ex tab. archivi mon. s. Stephani.

(4) Extant apud Senatum Bonon.

(5) « Anno MCXXXXII die.... Constat me Wido de Lamberto Mundo hoc permutationis iastrumento etc. do tibi domino Alberto Preposito etc. peciam unam terre in loco qui dicitur Lopolito etc. A mane possidet Bualellus de Ramberto Geremie etc. ». Inter testes: « Girardus de Gisla ». Ex archivo s. Joann. in Monte, fasc. V, n. XXIX.

(6) Ex tabulis archivi Lambertin. in Appendice.

(7) « Guido de Lamberto de Mundo et Lambertinus ejus filius ». Ex actis publ. civitatis ad eum annum in *Reg. gross.* pag. 35, ubi annus MCLXXIV per errorem adscribitur, ut ex indictione XII, aliisque indiciis liquet.

(8) Ext. in archivo s. Joann. in Monte.

(9) Ex tabulis hoc anno scriptis in archiv. Lambertin. — *Vide Appendicem.*

(10) *Ibid.*

(11) LEAND. ALBERTI, Dec. I, lib. VII. — GHIRARDACCI, lib. II.

Guido II Lambertini filius, Guidonis nepos. — Domi forisque clarissimus fuit Guido Lambertini filius. Ejus summa auctoritas in patria fuit summaque laus prudentiae. Itaque a multis civitatibus in praetorem expetitus est, ob hanc etiam causam quod pacis auctor praecipuus haberetur; quod iis temporibus haud certe tranquillissimis plurimi faciendum erat. Jam inde ab anno MCLXXX ad rempublicam accesserat; quo anno consulatum gessit, summum tunc magistratum, ut ex actis publicis Ghirardaccius aliique tradiderunt. Anno MCCI primas partes egisse videtur in foedere cum Ravennatibus firmando, quod acri bello multarum civitatum finem imposuit. Profert hujus foederis semilaceras tabulas Hieronymus Rubeus in sexto ravennatium historiarum libro (1). Anno MCCIX, cum Wolcherus patriarcha aquilejensis Othonis IV Imperatoris legatus a Bononiensibus peteret ut Imperatori traderent Medicinae castrum aliaque loca, quae olim ad comitissam Mathildem pertinuerant, nec possent aequis viribus cum Imperatore certare ut ea loca retinerent, tempori cedendum duxerunt. Itaque in Consilio civitatis praetor Bononiensium, qui tunc erat Giliolus de Sessa regiensis, ex Consilii sententia et auctoritate mandavit Guidoni Lambertino ut Imperatoris legato satisfaceret et eorum locorum possessionem, nomine Communis bononiensis, abdicaret et legato praesenti traderet; quod ipse conceptis verbis fecit, salvo jure, si quod civitas bononiensis in ea loca haberet (2). Haec viderat in veteri tabulario populi bononiensis Ghirardaccius, sed non nimis accurate expressit in quarto historiarum bononiensium libro, ubi in hoc etiam peccat quod Guidonem Lambertinum doctorem legum fuisse dicit (3); in quo pariter Alidosius erravit (4). Disceptavit iisdem temporibus cum Ubaldo archiepiscopo ravennate ob ingentia quaedam praedia et latifundia, quae olim fuerant Ecclesiae ravennatis et a Lambertinis tunc possidebantur. Post multorum annorum disceptationem, cum Guido praedia multa Ecclesiae ravennati restituisset, eadem rursus ab archiepiscopo beneficiario jure accepit. Fuere autem ea loca, de quibus disceptatum est, Curtis Cavalli, Curia Podii, Fibla et Morticinum ex parte dimidia, Bucca de Tono et agri quidam in Pagnone et Brillo (5). Ex his aliqua ad hanc usque diem Lambertini possident, exiguas aviti patrimonii reliquias et adhuc antiquum Podii nomen manet. Nunc Podium Rognaticum et Podium Lambertinorum appellatur, non ignobile castrum, juxta Ferrariensium fines, quod a tribus amplius saeculis cum jurisdictione, ut ajunt, misti ac meri imperii obtinent. Multa etiam praedia beneficiario jure accepit Guido a Gerardo abbate s. Michaelis castri Brittorum, quod celebre monasterium fuit nostrorum Camaldulensium; atque in his *locum paganorum destructum prope stratam majorem* (6). Hujus *loci paganorum* nullum restat vestigium. Non reliquias aliquot Claternae civitatis, quae erat ad Claternam amnem in via Aemilia, quae hic *Strata major* appellatur, intelligere liceat, judicabunt alii. Fortasse templi alicujus aut alterius cujusve magni aedificii reliquiae restabant, quae, propterea quod a paganis conditum fuerat, Locus Paganorum dicebantur. Praeturam Regii Lepidi gessit Guido Lambertinus semel et iterum, anno scilicet MCLXXXXIX et MCCXI (7), et superest adhuc insigne monumentum Guidoni positum a Regiensibus anno MCLXXXXIX (8). Caesenatium quoque praetor fuit ad annum

(1) Rubeus, *Hist. Ravenn.*, lib. VI, pag. 367, 368.

(2) *Reg. gross.* in archivo publ., pag. 289.

(3) Ghirardacci, lib. IV.

(4) Alidosi, *Dottori di legge* etc., pag. 91.

(5) Anno MCCVIII Archipresbyter Carpensis et Praepositus s. Marini judices a Pontifice delegati adjudicant Archiepiscopo Ravennati « Curtem Cavalli, Curiam Podii, Fiblam et Morticinum ex parte dimidia, Buccam de Tono, et quasdam alias terras in Pagnone et Brillo » quae tenebantur a Guidone Lambertino. — Ex archivo Eccles. Metrop. Rav. Pluteo I, 4201.

Iidem judices eadem de re decernunt, anno MCCXI et MCCXIII. — *Ibid.*, 4647 et 4693.

Anno MCCXIV Guido Lambertinus concedit Archiepiscopo Ravennati « unum Quarterium et dimidium Cogolariae, Pagnoni et Cretae » a quo ipsi contra confirmantur quaedam stagna » scilicet quarta pars Auguselli, Botta Farinata cum Rupta, medietas Battagliae et Mezani et Novae, praedium Petri de Doza et aedificium in Cavalli » aliaque ibi designata. — *Ibid.*, Pluteo L, 4707.

Idem Archiepiscopus Guidoni emphyteutico jure concedit ea ipsa, quae ab eo acceperat, aliaque ibidem indicata. — *Ibid.*, L, 4708.

(6) « Anno MCCVIII die VIII exeuntis Julii.... Item concedo tibi (Guidoni de Lambertino) locum, qui dicitur Paganorum, destructum, cum suis pertinentiis et certis finibus. Ab Aquilone juxta Stratam Majorem sunt pertice C.... ». *Annal. Camaldul.*, t. IV, Append. p. 272.

(7) Ex *Memor. Potest. Regii* apud Murator. *Rer. Ital. Script.*, pag. 1079, 1082.

(8) A. M. C. nonagesimo VIII.

Hoc opus est actum Guidonis tempore factum
Qui Lambertini cognomen gestat avini.
Hunc hominem cautum tribuit Bononia lautum
Urbi Regine rectorem celibe fide
Besmantum cepit Pulganum grandine fregit
Hanc portam Crucis censemus jubare lucis.

Ex Murator., *Antiquit. med. aevi*, dissert. XXVI.

MCCXV, quo anno Donigalliam castrum pro republica caesenati in deditionem accepit (1). Sed et faventinam praeturam bis gessit, anno MCCXII et MCCXVI, magno ejus civitatis bono. Cum enim Ravennates, Imolenses, Forolivienses aliique populi contra Faventinos conspirassent, eorum consilia prudentia sua elusit et ortam in ipsis prope Faventinorum finibus rebellionem vi et armis extinxit, castris aliquot Imolensium in potestatem Faventinorum redactis, ut narrat magister Tolosanus canonicus faventinus auctor synchronus, cujus chronicon publica luce dignissimum penes me manu exaratum habeo. Quandiu postea vixerit me latet. Anno MCCXXI certe decesserat (2).

Lambertus frater Guidonis II, de quo supra dictum est; hunc agnoscimus ex veteri charta archivi s. Francisci, ad annum MCLXXVI, ubi *Guido de Lambertino* paciscitur pro se et *Lamberto fratre suo,* item ex testamento, quod fecit ipse Lambertus kalendis Decembribus anno MCCXXI (3), in quo dicitur *Lambertus frater quondam Guidonis Lambertini* codicillos dedit eodem die (4). Haeredes ab eo filii instituti, Lambertinus, Jacobinus, Guido.

Guido III, Jacobus, Mundus, Guidonis II filii, Lambertini nepotes, Guido III primum mihi occurrit ad annum MCCXIX. Erat in castris apud Imolam praefectus quarumdam cohortium, cum Imolenses sese in Bononiensium ac Faventinorum potestate futuros spoponderunt (5). Nec dubito quin ille idem sit Guido, quem ajunt historici nostri anno MCCXVI aut verius fortasse MCCXVII a Petro Antissiodorensi costantinopolitano imperatore electo, Lambertinorum hospite, equestribus insignibus ornatum (6). Anno MCCXXV cum Simeone ravennate archiepiscopo nomine familiae suae transegit, ac veteri controversiae, nondum ex omni parte sedatae, finem imposuit (7). Romam brevi erat profecturus, cum haec agerentur, Guido (8) orator, ut puto, destinatus ad Honorium III Pontificem, cujus sibi conciliandi curam eo tempore civitati nostrae praebebat multa jam moliens Fridericus II Imperator. Mediolani certe fuit anno MCCXXIX cum aliis Bononiensium legatis in conventu, quem Lombardiae civitates indixerant, ad societatem adversus eumdem Fridericum instaurandam (9). Anno MCCLV adhuc vivebat et erat quasi totius familiae caput (10).

Dominus Jacobus quondam domini Guidonis de Lambertino primus nominatur inter canonicos, qui anno MCCXXXIII Henrico bononiensi episcopo assensi sunt, cum arbitrum eligeret Fratrem Joannem Vicetinum ad definiendam controversiam, quam habebat cum Communi bononiensi, quoad jurisdictionem s. Joannis in Persiceto aliorumque locorum (11); et alibi quoque ejus nomen occurrit in monumentis Ecclesiae bononiensis, cujus negotiis tractandis non minori auctoritate praefuisse visus est ac frater ejus Guido in reipublicae administratione versaretur. Anno MCCXXXXIV in dissensione cleri electus est episcopus bononiensis Jacobus canonicus, quem vix alium fuisse suspicari possumus quam hunc nostrum, multis et suis et suae gentis meritis clarum. Sed aliis Albertum pariter canonicum eligentibus, Innocentius IV utramque electionem irritam esse jussit et episcopum civitati nostrae dedit Fratrem Jacobum Boncambium Ordinis Praedicatorum (12).

Hujus et Guidonis III fratrem fuisse Mundum, constat ex tabulis anno MCCXXII scriptis, in quibus legitur Guidonem Guidonis Lambertini, nempe Guidonem, quem III dicimus, vendidisse molendini partem dimidiam, quam indivisam possidebat cum *Guidone et Mundolino nepotibus suis, filiis olim domini Mundi* (13). Erat igitur Mundus Guidonis frater.

Jacobinus Lamberti filius Lambertini nepos. — Eum habemus cum fratribus in testamento et codicillis Lamberti patris, de quibus supra. In chartula anni MCCXXXII (14) et alibi dicitur *Jacobinus Lamberti Guidonis Lambertini.* Nimirum Guidonis II ea claritas fuerat, ut ab illo et Lambertus frater et ejus posteri quasi agnomen sibi assumerent. Decessit Jacobinus anno

(1) Extant ejus rei acta in *Codice diplomatico manuscripto civit. Bonon.* in Biblioth. pub. bonon.

(2) Ex testamento Lamberti fratris, de quo infra.

(3) Extat in archivo Lambertinorum.

(4) *Ibid.*

(5) *Reg. gross.*, pag. 339.

(6) Leand. Alberti, Dec. I, lib. IX. — Ghirardacci, lib. IV, pag. 119, ubi etiam Constantiam Friderici II Imperatoris conjugem eodem anno MCCXVI a Lambertinis exceptam narrant.

(7) Ex tabulis in *Codice diplomatico bonon.* Biblioth. Instit. Scientiarum.

(8) Ex iisdem tabulis.

(9) Corius, *Hist. Mediolan.*, p. II.

(10) Ex tabulis illius anni, quae extant in archivo Lambertinorum, ad diem VIII Novembris.

(11) *Reg. novo,* pag. 353.

(12) Ex literis Innocentii IV in *Codice diplom. Eccl. Bonon.* Biblioth. Instit. Scientiarum.

(13) *Reg. gross.*, pag. 526 et 528, ubi rursus Guido III « Barbanus » dicitur, idest, patruus Guidonis et Mundolini.

(14) Eam supra dedimus in adnotationibus ad *Stemma Azonis* jurisconsulti, pag. 111.

MCCXXXVII testamento prius condito (1), quo Guidonem et Lambertinum filios pupillos, e Giburga conjuge susceptos, haeredes instituit.

Lambertinus, Hugolinus Capretius, Petrus, Guidonis III filii. — Eos agnoscimus in tabulis anno MCCLI scriptis (2), ex quibus apparet Petrum jam tunc fato functum fuisse. Lambertinus maximus suae stirpis mature in republica versatus est, et jam anno MCCXXXIV in Consilio civitatis inter primores censebatur, cum frinianenses dynastae se et oppida sua in fidem Communis bononiensis tradiderunt (3). Militarium quoque munerum saepe particeps fuit (4) et ad brixianam praeturam vocatus clarissimum legum doctorem Rolandinum Romancium assessorem secum adduxit (5). Vergente aetate religione tactus eorum ordini adscribi voluit, qui Fratres Poenitentiae dicebantur (6); eaque causa est cur in monumentis quibusdam Frater Lambertinus appelletur. Testamentum et codicillos pluries fecit (7) mortemque obiit anno MCCLXXXIV (8).

Hugolinus, qui cognomento Capretius dictus est et ipse Guidonis III filius, anno MCCLVIII mutinensem praeturam gessit (9), manente adhuc foedere, quo Mutinenses a Bononiensibus eum magistratum petere oportebat. Triennio post nobilissimis hominibus se adjunxit Ordinem B. M. V. Gloriosae instituentibus, ut supra diximus; in ipsis tamen novi sodalitii primordiis e vivis sublatus (10). Ejus non infrequens mentio est in bononiensi historia et in antiquis monumentis.

Guidomundus et Mundolinus, Mundi filii, notissimi sunt ex antiquis tabulis. *Mundolinus filius quondam domini Mundi Guidonis Lambertini* pro se et nomine filii sui Jacobi nominatur in divisione quorumdam bonorum in charta anno MCCLIV scripta, quae est in tabulario Fratrum Minorum. Ex ea apparet Mundolinum fuisse Mundi filium. At Guidomundum, sive Guidonem, nam etiam hoc nomine aliquando appellatus est, Mundolini fratrem fuisse, ostendunt tabulae anno MCCLI scriptae, quas supra dedimus. Porro Guidomundus et Mundolinus plures reliquerunt filios, a quibus eorum progenies mirum in modum propagata est, quae tamen una cum reliqua Guidonis II posteritate, ante initium saeculi XVI penitus defecit. In Memorialibus Communis Bononiae ad annum MCCLXXIII, quo Guidomundus decessit, ejus filios habemus, Rizzardum, Paulum et Thomam (11). Mundolini quoque filii in iisdem libris saepissime occurrunt, Jacobus cognomento Veclus, quem supra nominatum vidimus, Simon, qui Laudensium (12) et Faventinorum (13) aliquando praetor fuit, Guilielmus Clericus et Ecclesiae s. Mariae Majoris prior, Petrus item et Matthaeus, neque deinceps in eorum agnationem inquirere vacat.

Guido Cataneus, Lambertinus Cataneus. — Hos habuit filios Jacobinus Lamberti filius ex Giburga Arriveria uxore (14). Quo tempore Carolus Andegavensis, Provinciae comes, Siciliae

(1) Extat in archivo Lambertinorum.

(2) « MCCLI indict. IX die IX intrantis Decembris. Dominus Guido Tantidenari et dominus Henrigiptus ejus frater dederunt et consignaverunt domino Guidoni Lambertini recipienti pro se et filiis suis, scilicet pro domino Lambertino domino Ugolino et pro herede quondam domini Petri et domino Guidomundo et domino Mundolino suo fratri et Guidoni quondam dominae Giburgae, recipienti pro se et Lambertino suo fratre totum podere quod habet in curia Castagnoli majoris etc. Actum in curia domini Guidonis Lambertini etc. ». Ex archivo Lambertinorum.

(3) *Regist. novo*, pag. 45.

(4) Ex veteri libro expensarum civitatis in archivo publ. ad annum MCCXXXX.

(5) Brixianam praeturam certissime obivit, incertum quo anno. Vide supra in Rolandino Romancio. Vicetinam quoque et alias ei vulgo tribuunt, quas Rambertinus Guidonis Bualelli revera gessit.

(6) « III exeuntis Novembris MCCXXI dominus Lambertinus de Lambertinis Frater penitentie etc. ». *Ex Memor. Thomaxini Beneintendi.*

(7) « MCCLXXIII die VIII Octobris. Nobilis vir dominus Lambertinus de Lambertinis quondam domini Guidonis fecit suum testamentum praesente Fratre Jacobo Iseo, Fratre Mattheo doctore Theologiae, Fratre Azone de Bononia sacerdotibus, Fratre Vendemiatore de Ferraria cantore, Fratre Johanne de Mutina, qui dicitur Elemosinarius, Fratre Mario de Sclavonia, Fratre Thomaxino de Canitulo et Fratre Egidio de Marchia Anconitana Ordinis Minorum etc. ». Ex *Mem. Com. Bonon.*, in quibus aliud indicatur Lambertini testamentum conditum anno MCCLXXIV, aliud anno MCCLXXV.

(8) « Vivebat Januario MCCLXXXIV. Decurrente eodem anno Galeottus filius et Jacobus nepos haereditatem ejus creverunt ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(9) Scilicet qui Aigonibus, seu Guelphis, jus diceret; Grasulphi enim, sive Ghibellini Arimundum Jacobi Bernardi (de Carbonensibus) eodem anno praetorem habuerunt. Vide Jo. de Bazano, *Chron. Mutin.*, apud Murator., *Rer. Ital. Script.*, t. XV, pag. 564.

(10) Confirmatus est Ordo Militum Beatae Mariae Virginis ab Urbano IV die XXIII Decembris MCCLXI. Die autem VIII Septembris MCCLXII Hugolinus jam obierat, ut constat ex chartula archivi Lambertinorum eo die perscripta, in qua habentur haec verba: « possident heredes domini Ugolini Caprezi ».

(11) Vide supra in Pace de Pacibus.

(12) Anno MCCLXXXVIII ex *Mem. Com. Bonon.*

(13) Anno MCCLXXXIX. *Ibid.*

(14) « MCCLXXXXIV, IX Septembris. Dominus Guido et dominus Lambertinus Catanei fratres et filii

regnum invasurus auxiliares copias ex Lombardia contrahebat, civium bononiensium quatuor millia ad id bellum profectos, Guidone Lambertino duce, narrant historici (1); quem quidem Guidonem hunc nostrum Jacobini filium fuisse conjicit clarissimus Montius, vel ex ipso Catanei, sive Captanei agnomine, quod per idem tempus, nempe anno MCCLXVI ipse et Lambertinus ejus frater adepti sunt, quodque ab illa expeditione in patriam reduces videntur reportasse (2). Vixit Lambertinus usque ad annum MCCCIII (3), Guido usque ad annum MCCCVII fecitque haeredem testamento (4) Eganum, fratris sui Lambertini filium.

Guido, Brandelisius, Galeottus, Lambertini filii, Guidonis III nepotes (5), praeturam in variis Italiae civitatibus cum laude administrarunt. Forolivii Guido (6); eadem in urbe (7) et postea Caesenae (8) Brandelisius; Astae Pompejae (9), Dertonae (10), Caesenae item (11) et Cremonae (12) et Narniae (13) Galeottus. Caesenae quidem cum id munus obiret anno MCCLXXV occupata repente a foroliviensibus Ghibellinis civitate, Galeottus ipse Forolivium captivus abductus est, ut narrat Petrus Cantinellus in chronico ad eum annum. Functus est etiam cum aliis praeclaris civibus legatione ad Nicolaum III Pontificem anno MCCLXXVIII, cujus legationis causas in Rolandino Romancio supra exposuimus, et anno MCCLXXX in extraordinario IX Consulum magistratu brevi tempore civitati praefuit (14). Filio ejus Francisco data est uxor Leonoria Francisci Accursii filia (15), cum antea Galeotti ipsius soror Anna Castellano Francisci filio nupsisset (16).

Calorius, Saracenus, Petrus Capretius, Guilielmus, Bartholinus, Robertus, Hugolini Capretii filii, quos in multis monumentis tum singulos tum etiam universos habemus (17). Lambertinus, qui Saracenus vulgo dictus est, mutinensem praeturam ingressus anno MCCLXXII ex certis causis ante legitimum tempus eam dimisit (18). De Petro Capretio satis jam dictum est. Inter ceteros vero fratres vel maxime emicuit Guilielmus, militaribus praefecturis domi forisque gestis nobilitatus. Hic anno MCCLXX et MCCLXXXXI ab archiepiscopo ravennate praedia multa beneficiario jure accepit in Argentano (19). Praeturam gessit Astae Pompejae (20), Ferrariae (21),

quondam domini Jacobini de Lambertinis concesserunt ad affictum etc. unum casamentum positum in curia Rognatici etc. ». *Ex Memor. Guidonis de Casola.*

(1) Leand. Alberti, Dec. I, lib. III. — Ghirardacci, lib. VII.

(2) Ex quampluris chartis archivi Lambertinorum, ad duos fratres Jacobini filios pertinentibus, constat nondum Cataneos appellatos ad diem III kal. Novembres MCCLXV; quo die tabulae Guidonis nomine praescriptae significant, eum pecunias tam coegisse, quasi ad iter se compararet. At postridie kal. Apriles MCCLXVI « Cataneum » jam exhibent tabulae, idque agnomen ab eo et Lambertino fratre constantissime postea usurpatum est. Incidit autem praelium ad Beneventum, quo victus Manfredus vitam cum regno amisit, ad diem IV kal. Martias anni ejusdem MCCLXVI.

(3) Ex tabulis archivi Lambertinorum.

(4) Guidonis Catanei testamentum scriptum die XII Augusti MCCCVII extat in eodem archivo.

(5) Ex monumentis, de quibus infra.

(6) « MCCLXVIII die II Novembris. Dominus Lambertinus quondam domini Guidonis Lambertini et dominus Brandelixius ejus filius emancipatus promittunt se facturos ut Brandelixius et Jacobus quondam Guidonis Lambertini filii ipsius domini Lambertini ratam habebunt solutionem lib. C resid. lib. CCC ravenn. quae ipsi debebantur pro regimine civit. Forolivii etc. ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(7) Anno MCCLXX ex *Mem. Com. Bonon.* ad diem X exeuntis Januarii.

(8) Anno MCCLXXIV ibid. ad diem VIII Januarii.

(9) Anno MCCLXXI ibid. ad diem X Decembris MCCLXX.

(10) Anno MCCLXXII ex *Mem. Com. Bonon.*

(11) Anno MCCLXXV ex *Chron. Petri Cantinelli.*

(12) Anno MCCLXXXIII ex *Mem. Com. Bonon.* ad diem III Maji.

(13) Anno MCCLXXXIV *ibid.*

(14) Vide supra in Alberto Odofredo.

(15) Vide supra in Francisco Accursio.

(16) « MCCLXXXIV die.... Januarii dominus Franciscus quondam domini Accursii legis doctoris fuit confessus habuisse a domino Lambertino, quondam domini Guidonis Lambertini, dante et solvente in dotem et pro dote dominae Annae suae filiae futurae sponsae et uxoris Castellani filii dicti domini Francisci DCC libr. Bonon..... Dominus Galeottus filius dicti domini Lambertini emancipatus promisit etc. ». *Ex Mem. Com. Bonon.*

(17) « Anno MCCLXVIII. Dominus Lambertinus dictus Saracenus, dominus Petrus Caprezus, dominus Guilielmus, Bertolinus, Robertus, qui dicitur Gozus, Gruamons filius quondam domini Calorii omnes fratres et filii quondam domini Ugolini Cavrezi.... contenti sunt recepisse a domina Otta, filia domini Arriverii de Lambertatiis, uxor domini Lambertini lib. MC nomine dotis etc. ». *Ibid.*

(18) Murator., *Antiquit. med. aevi,* diss. XXXXVI.

(19) Ex tab. archiv. Eccl. Ravenn., Q. 9374, H. 6474 et 6282.

(20) Anno MCCLXXII ex *Mem. Com. Bonon.*

(21) Anno MCCLXXVI. — Vide supra in Pace de Pacibus.

Imolae (1), Pisis (2), Placentiae (3), iterumque Astae Pompejae. Sed cum Bononiam ex ea civitate rediret anno MCCLXXXXII et transitum faceret per Alexandrinorum fines, impetus in eum factus est a Jacobo Lanzavecchia, a quo armis et equis spoliatus est et ipse comprehensus, jure, ut ajebant, represaliarum, quod se in Bononienses habere, apud quos ante annos fere viginti praefectus populi fuerat, Lanzavecchia contendebat. Ea de re cum Calorius Guilielmi filius querelam ad magistratus et ad populi Consilium detulisset, sic omnium animos affecit unius civis calamitas, ut ad eum recuperandum sex nobiles legatos Alexandriam protinus mitti visum fuerit, et Alexandrinos, si abnuerent, Bononiensium finibus interdici; omnibus denique Lombardiae civitatibus preces adhiberi ut pro egregio viro et optime de patria merito in libertatem vindicando studium pariter suum et auctoritatem interponerent (4).

EGANUS Lambertini Catanei filius (5), inclytus homo genere ac divitiis omnibusque belli et pacis ornamentis florentissimus; Lambertinorum, quotquot initio saeculi XVI supererant, parens et propagator. Ab eo praeclarae hujus stirpis usque ad nostram aetatem et ad Benedictum XIV Pontificem (6) deducendae, in alia operis nostri parte exordium capiemus (7).

XXXXIX.

GUILIELMUS DURANTIS

EPISCOPUS MIMATENSIS.

I. Qui vir quantusque fuerit Guilielmus Durantis (8), si doctrinam eruditionemque spectes, scripta ejus declarant. Nam neque civilis aut canonici juris peritiorem, praesertim in iis quae ad forum et judicia ecclesiastica pertinent, neque in ecclesiasticis disciplinis magis exercitatum quempiam ejus aetate reperies. Sed claruit etiam alio laudum genere, quod majorem habet admirationem. Qui enim et excellens jurisprudentiae professor in schola fuerat et strenuus justitiae vindex in foro et judiciis, mox autem in episcopali cathedra eximius animarum rector et magister populi fidelis, idem singulari prudentia fuit regendis populis nec bellica virtute caruit. Sed vixit ea aetate, qua pauci erant vel potius nulli, qui illustrium virorum memoriam literis retinerent. Quare hujus praestantis viri, quemadmodum et plurium, qui eodem saeculo vixerunt, nisi scripta aliqua extarent, vix tenuis fama superesset. Sed hujus tamen antiquae famae vestigia si quis persequi velit, talem fuisse virum hunc intelliget inculto eo saeculo natum ut paucos admodum pares tulerit nostra aetas, quam cultissimam praedicamus.

II. Natus est Guilielmus Durantis nobili genere (9) in oppido inferioris Occitaniae

(1) Anno MCCLXXXIII ex *Mem. Com. Bonon.* ad diem XXVIII Octobris.

(2) Anno MCCLXXXVI. Vicarius Comitis Hugolini de Donnoratico. — Vide *Chron. Pis.* in *Rer. Ital. Script.*, edit. Florent., t. I, pag. 573.

(3) Anno MCCLXXXX. — Vide UMBERTUM LOCATUM, *Hist. Placentiae* ad eum annum.

(4) Ex *lib. Reform. F* ad diem XXII Augusti.

(5) « Dominus Guido Cataneus quondam domini Jacobini de Lambertinis ».

« Dominus Eganus ejus nepos quondam domini Lambertini Catanei quondam domini Jacobini de Lambertinis ». Ex tab. census anno MCCCIV Heganus alibi scribitur.

(6) Egani filius Guido, Guidonis Eganus II, Egani Aldreghettus, Aldreghetti Albertus, Alberti Bartholomaeus, Bartholomaei Jo. Baptista, Jo. Baptistae Ludovicus, Ludovici Bartholomaeus alter, Bartholomaei Julius Caesar, Julii Caesaris Joannes, Joannis Marcellus, Marcelli Prosper Laurentius, qui Benedictus XIV Pontifex fuit. — Vide DULPHUM, *Famil. Nob. Bonon.*, pag. 434.

(7) SAVIOLI. *Annali Bolognesi,* t. I, parte I, sez. VII. (C. A.)

(8) Alii Guilielmum Durandum, aut Durandi non recte appellant. Sed castrum Durantis de ejus nomine dictum, quae vera sit ejus appellatio, ni fallor, ostendit.

(9) Claro genere ortum fuisse Guilielmum Durantis arguunt Sammarthani in *Gallia Christiana* ex familiae insignibus, ejus tumulo insculptis. In historia generali Occitaniae anno MDCCXXXXII Parisiis edita *(Histoire Générale de Languedoc)* ad annum MCLXXXX inter alios nobiles viros memoratur « Poncius Duranti » testis

Podiomissone, biterrensis dioecesis, ut de se ipse testatur[1] et in sepulcrali ejus titulo notatum est[2]. Falluntur ergo auctores *Galliae christianae* et si qui alii sunt, qui pagum cognominem dioecesis rejensis, quae est in Provincia, Guilielmi Durantis patriam fuisse statuunt[3]. Videtur autem in lucem editus anno MCCXXXVII, ut intelligi potest ex tota ejus vitae chronotaxi, quam infra exponemus. Ex insigni libro, quem edidit, et *Speculum juris* nuncupavit, *Speculator* vulgo dictus est et hoc nomine notissimus. Adolescens studiorum causa in Italiam venit; et quoniam clericali militiae vel nomen jam tum dederat vel dare meditabatur, ad jus canonicum se potissimum contulit, praeceptore usus Bernardo Parmensi decretalium glossatore, quem magistrum suum in *Speculo* appellat[4]. Diplovataccius Bonaguidae Arretini auditorem fuisse putat[5], ac vulgo etiam existimatur Ostiensem audiisse[6]; sed difficile est tempus et locum decernere, quo in ejus disciplina esse potuerit[7]. Quem praeceptorem in jure civili habuerit non liquet. Potuit Accursium aut Odofredum, aut alium ex clarioribus legum interpretibus audire, qui per idem tempus in academia nostra docebant. Sed quoscumque tandem praeceptores habuerit mature admodum ad famam non vulgaris doctrinae pervenit, quippe ad eum causa quaedam commissa refertur annum nondum agentem quartum et vigesimum, et annos natus non amplus XXXIV edidisse dicitur *Speculum juris*[8]. Narrat ipse Bononiae se doctorem creatum, aitque collegium doctorum bononiensium, cum de ejus doctrina primum ac privatum, ut moris erat, experimentum caperent antequam doctoris insignia obtineret, in quadam juris opinione, de qua aliorum dissensus fuerat, convenisse[9]. Nullum igitur dubium quin in scholis nostris docendi munere functus sit, tum antequam in doctorum album referretur, ut solebant nobiliores quique scholares qui ad doctoris honores aspirabant, tum magis etiam postea; nondum enim doctoris appellatio titulus erat sine re, ut nunc est et magni nominis umbra.

actis quibusdam episcopi monspeliensis (t. III, p. 188) et apud Baluzium in *Conc. Gall. Narb.* (Append. p. 119 etc.) ad annum MCCLI et MCCLII « Guillermus Duranti Canonicus Magalonensis », qui major aetate quam noster, ac fortasse ejus patruus fuisse videtur.

(1) « Puy-Misson » ad fluviolum Libonem, duabus leucis a biterrensi urbe, versus septemtriones.

(2) « Quid si impetrans contra me dicat me narbonensem, cum tamen ego sim de biterrensi dioecesi oriundus, per alia tamen scripto contenta constet de mea persona, ut quia dicitur ibi: Conquestus est nobis talis de magistro Guilielmo subdiacono et capellano nostro etc. ». GUILIEL. DURANT., *Repertor. Jur.*, tit. *De rescriptis*. — Vide infra inscript. sepulcr.

(3) Ex eo nimirum decepti, quod alicubi Guilielmus se ipsum Provincialem vocet (*Specul.*, tit. *De feudis*). At Provinciae nomen Durantis aetate tam late patebat, ut universam illam, etiam ultra Rhodanum, oram complecteretur. Vide *Hist. Gén. de Languedoc*, t. IV, p. 73 et 547, ubi Guilielmus Durantis Podiomissoni Biterrensi egregie vindicatur.

(4) « Dicit Bernardus magister meus et bene etc. Vincentius tamen notat qualiter Bernardus Compostellanus in curia contrarium judicavit ». SPECUL., tit. *De inquisitionibus*, § *Impugnatur*.

Haud sane ita locutus esse Guilielmus, si, ut multi crediderunt, non Bernardus Parmensis, sed Bernardus Compostellanus ejus praeceptor fuisset.

(5) DIPLOVAT. in *Bonaguida Arretino*.

(6) Scriptores plerique omnes, qui de his agunt, Speculatorem Ostiensis discipulum fuisse tradunt et moventur Speculatoris ipsius auctoritate. Sic enim alicubi Speculator ait: « Contra duas praecipuas opiniones opponitur quod dicunt Lau. et T. ejus discipulus, et B. discipulus T. et Vinc. et dominus meus Osti. ». SPECUL., tit. *De restit. in integr.* et alibi. — Sed fortasse vocat Ostiensem dominum suum aliter ac discipuli magistrum solebant. Fuit enim Guilielmus Durantis in Ostiensi familia, ejusque Auditor, ut vocant, generalis.

(7) Septimum vix aetatis annum agebat Guilielmus Durantis, cum ex Anglia decedens Henricus Segusinus ad episcopatum sistaricensem promotus est; anno scilicet MCCXXXXIV. — Vide quae in H. OSTIENSI dicta sunt.

(8) M. MANTUA ex JASON. in l. *Properandum*, c. *De judic.* — Vide etiam infra.

(9) « Hic erat casus: Judex vult sententiam interlocutoriam statim exequi. Insto ego et dico: Domine cum habeam decem dies ad appellandum, non procedatis in causa usque ad illud tempus, quia forte appellabo. Quaeritur, quid juris? Quidam dixerunt, quod non poterit judex procedere, sed valet tantum in definitiva, quae transit in rem judicatam. Secus in interlocutoria, quam judex poterit quandocumque voluerit revocare. Et sic obtinuit et in hoc etiam omnes doctores Bononiae in nostra privata examinatione concordaverunt ». SPECUL., tit. *De appellat.*, § 5 *Restat videre*.

III. Sed cum Mutinenses ad jus canonicum interpretandum magno, ut credibile est, stipendio oblato, ab scholis nostris abduxerunt (1). Verum quandiu in ea civitate docuerit non liquet. Postmodum assedit judiciis exercendis Cardinali Ostiensi (2), qui cum esset juris consultissimus, hoc homine peritiorem quique sibi magis in causis cognoscendis satisfaceret reperire non poterat. Sic autem deinceps in foro versatus est Guilielmus, ut quasi principatum quemdam in eo obtinuerit, in hoc enim maxime ejus industria emicuit ut civilem et ecclesiasticam jurisprudentiam omnem ad fori exercitationem et judiciorum usum accommodaret, quod in suo *Juris speculo* egregie perfecit, *Magister practicae* propterea appellatus (3).

IV. Expeditissima illi haec via fuit ad gratiam Romanorum Pontificum, quorum aetate vixit. A Clemente IV auditor generalis causarum palatii apostolici electus est (4), subdiaconus item et capellanus pontificius (5); pluresque exinde canonicatus in variis Ecclesiis, carnotensi, bellovacensi et narbonensi, obtinuit (6). Carus aeque fuit Gregorio X, qui cum celebrandum esset concilium lugdunense II oecumenicum, hunc praeclarum virum penes se habere voluit, a quo magnopere adjutus est in edendis ejus concilii constitutionibus (7), quas ille postmodum justo commentario illustravit (8).

V. Apud Nicolaum III major etiam ejus existimatio fuisse videtur. Illo enim sedente decanatum consecutus est in Ecclesia carnotensi, suffectus Guilielmo episcopo antissiodorensi, qui insignem illam dignitatem, quandiu vixit, retinuerat, ut habemus ex literis Nicolai III a clarissimo Garampio indicatis. Datae sunt hae literae VII kalendas Novembres anno II, idest, anno MCCLXXIX, iisque permittit Pontifex ut cum decanatu carnotensi retinere possit Ecclesiam s. Mariae de Olivario narbonensis dioecesis et praebendas narbonensem et bellovacensem. Nec vero satis habuit Nicolaus hominem praeclare jam doctrina ac prudentia commendatum auxisse ecclesiasticis dignitatibus sed et provinciae Patrimonii eum praefecit; quo in munere non solum aequitate et severitate judiciorum, sed etiam armis, ut ea egebant tempora, provinciae tranquillitatem procuravit. Itaque non semel pugnandum ei fuit aperto marte ad factiosorum et rebellium audaciam comprimendam. Praeerat Guilielmus ei provinciae utraque potestate ecclesiastica et civili, quare ut ejus felicitati non solum in praesens sed etiam in futurum tempus prospiceret leges sive statuta ecclesiastica et civilia edidit, regendis iis populis et civitatibus accommodata (9). Ei quoque negotium ab eodem Pontifice datum est anno MCCLXXVIII, ut civitatem nostram et flaminiam provinciam nomine ipsius Pontificis

(1) « Licet contrarium servaretur Mutinae eo tempore, quo ibi in decretis legebam ». *Ibid.*, tit. *De tutore*, § 5 *Generaliter*, v. *Fiet autem*.

(2) Specul., tit. *De appellat.*, § 9 *Nunc dicamus*.

(3) Petrus Corneus eum appellat « summum Practicum » Consil. LXXXVIII in prooem. et Consil. CCCI, et Aubertus Miraeus in adnotatis ad Trithem. *De script. Eccles.* observat eum vocari « Magistrum Practicae ».

(4) *Gall. Christ.*, t. I, pag. 94.

(5) Videtur a Clemente ipso subdiaconatus ordinem accepisse; cum enim post annos multos creatus sit decanus carnotensis, ex indulgentia Nicolai III obtinuit, ut reliquos sacros ordines a quolibet episcopo posset accipere, quin ei fraudi esset, quod ad subdiaconatum promotus fuerat a Romano Pontifice. Id constat ex Nicolai III literis ad Durantem datis VIII id. Novembres MCCLXXIX, quas indicavit clarissimus Garampius.

(6) Ex variis formulis in Speculo propositis. Vide tit. *De libell. concept.*, tit. *De rescript.* et tit. *De salariis*.

(7) *Ibid.* Vide et Labbe in *Historica synopsi Concil. Lugdun.* ejus actis praefixa Concil., t. XI.

(8) Vide infra, ubi de Guilielmi scriptis.

(9) « Et nos, dum essemus auditor generalis causarum palatii domini Papae, satis bene quo ad hoc salarium (Notariorum) ipsum procuravimus ordinari. Sed dum Patrimonium b. Petri temporaliter et spiritualiter gereremus, inter plura etiam statuta civilia et ecclesiastica, quae ibi edidimus, super officialium salariis poenalem ordinationem fecimus generalem ». Specul., tit. *De salariis*, § *Nunc de procuratorum*.

in fidem acciperet, postquam Rodulphus Imperator omni jure super ea loca Romanae Ecclesiae cessisset (1).

VI. Successit Nicolao III Martinus IV, qui Guilielmo civitatem nostram et Flaminiam cum comitatu Britonorii spirituali auctoritate tuendam commisit (2). Sunt ea de re literae Martini IV ad Guilielmum ipsum datae III kalendas Junias anno I, idest, anno MCCLXXXI, quibus illum in spiritualibus vicarium suum creavit; et aliae eodem die scriptae ad magistratus civitatum et magnates atque episcopos, quibus mandat ut eidem vicario ab se constituto obediant. Eas vidimus in codice diplomatico manuscripto civitatis Bononiae in bibliotheca Instituti Scientiarum. Fuit eodem tempore Flaminiae et duarum civitatum, quas diximus, rector et comes Joannes Appia, sive de Epa, ad quem civilis administratio pertinebat. Sed ex nonnullis item Martini IV literis, quas in eodem codice diplomatico vidimus, interdum constat Guilielmum Durantis aliquam partem civilis administrationis attigisse (3). Post autem majorem auctoritatem obtinuit in Flaminiam nostramque civitatem et comitatum britonoriensem, addita Massa Trabaria, quae est parva provincia ducatui urbinati nunc adjuncta (4). Successit igitur Guilielmus Joanni Appiae, sive de Epa, Flaminiae comes et rector creatus anno MCCLXXXIV (5), quo tempore provincia omnis magnis Ghibellinorum motibus agitabatur. Itaque hic etiam, non minus quam in administranda Patrimonii provincia, necesse habuit armis uti aut

(1) « Quando primo civitas Bononiae et provincia Romandiolae ad Ecclesiam Romanam pervenerunt (in § *Statim* dicit « Quod redierunt » Joann. Andreae).... sacramenta fidelitatis a baronibus et a syndicis omnium universitatum in generalibus parlamentis, nec non a singularibus personis recepimus sub haec forma: Juro ego, quod ab hac hora in antea fidelis et obediens ero b. Petro principi Apostolorum, et vobis ss. Patri et domino Nicolao Papae III, vestrisque successoribus canonice intrantibus ». Specul., tit. *De feudis,* § 2 *Quoniam,* n. 73.

De eadem re ita Petrus Cantinellius sychronus scriptor in Chronico manuscripto: « Postea per singulas terras nuncii Summi Pontificis accesserunt, facientes ratificare singula Communia terrarum, quae per eorum syndicos facta fuerant, et facientes omnes et singulos homines a XIV supra ad LIX annos (Ghirardaccius *Histor. Bonon.* lib. VIII et Hieronymus Rubeus *Histor. Ravenn.* lib. VI, pag. 456, recte annos dicunt LXX) jurare fidelitatem praedictam Summo Pontifici et Romanae Ecclesiae. Et sic factum est. Nuncii vero Summi Pontificis, qui pervenerunt in Romaniam pro praedictis, fuerunt dominus Guilielmus Durantes canonicus carnotensis capellanus domini Papae, Frater Joannes de Viterbio et Frater Laurentius de Tuderto Ordinis Praedicatorum ».

Legationem per id tempus a civitate nostra ad Pontificem decretam vide supra in Rolandino Romancio et Antolino de Manzolino.

(2) « Guilielmus Durantis decanus carnotensis domini Papae capellanus, Romandiolae, civitatis Bononiae et comitatus Britonorii vicarius in spiritualibus generalis etc. ». Ita se inscribit in tabulis anno MCCLXXXI scriptis, quae sunt in archivo Metropolitanae Ecclesiae Ravennatis B 414, aliisque multis alibi visis.

(3) Habemus in codice diplomatico civitatis Bononiae literas Martini IV ad eum una et ad Joannem de Epa Flaminiae comitem, datas idibus Septembribus anno MCCLXXXII, quibus eos satagere jubet ut Bononienses stipendia solvant Ecclesiae Romanae militibus. Sunt aliae ad eos literae ejusdem Pontificis, eodemque anno postridiae kalendas Octobres scriptae, quibus mandat ut militares copias augeant ad retundendos Ghibellinos, qui, duce Guidone Feretrano strenuissimo viro, magnam Flaminiae partem occupaverant; et aliae rursum eodem die scriptae, quibus illis communicat ea de re consilia Caroli Regis Siciliae. Denique insequenti anno MCCLXXXIII VII id. Martias aliis ad Guilielmum Durantis literis mandat Pontifex, ut mutuo accipiat X mil. libr. Turonensium nomine Romanae Ecclesiae pro expensis belli, quod contra Guidonem Feretranum in Flaminia gerebatur. Thesaurarius Romanae Ecclesiae in *Mem. Com. Bonon.* dicitur ad eumdem annum MCLXXXIII.

(4) Meminit ipse hujus suae praefecturae in Specul. tit. *De jurisd. omn. jud.,* § 1 *Expedito,* ubi ait, se ita invenisse factum « in Patrimonio b. Petri, dum eramus ibi rector et capitaneus generalis, vel etiam in provincia Romaniolae, dum essemus ibi et in civitatibus Bononiae, Urbini et Massae et Urbariae (lege Massae Trabariae) comes et rector generalis ».

(5) Petrus Cantinellius in Chronico Guilielmum scribit ab Honorio IV, qui anno MCCLXXXV Pontifex creatus est, Flaminiae provinciae praefectum; sed manifestum est, etiam sub Honorii antecessore hanc provinciam cum Massa Trabaria administratam. Id constat ex ejus titulo sepulcrali, in quo hos versus habemus:

» . . . . paruit Romania sceptro
» Belligeri Comitis Martini tempore Quarti ».

Et, eodem Martino IV regnante, ab eo conditum est Castrum Durantis in Massa Trabaria anno MCCLXXXIV, ut postea dicemus. Quare in tabulis Metropolitanae Ecclesiae Ravennatis anno MCCLXXXIV scriptis dicitur « Romaniolae Rector ». *Archiv. Metrop. Eccl. Rav.* B, 366.

potius semper esse in armis (1), sine quibus ejus auctoritas viluisset. Qui igitur, ut sacratum virum decebat, *mente pius erat, sermone gravis, gestuque modestus,* idem, cum opus fuit,

Extitit infestus super hostes more leonis,
Indomitos domuit populos, ferroque rebelles
Impulit, Ecclesiae victos servire coegit (2).

VII. Reliquit autem eximium hujus praefecturae suae monumentum in Massa Trabaria. Anno enim MCCLXXXIV cum Castrum Riparum urbinatium Ghibellinorum incursionibus prope jam vastatum esset, Guilielmus ejus loci incolis novas sedes opportunissimo loco constituit in subjecta planitie ad Metaurum flumen, ubi erat praenobilis abbatia s. Christophori. Ibi igitur novum oppidum ejus auctoritate construi coeptum est, in quo ipse primum lapidem jecit, atque ex suo nomine, ut urbium conditores solent, dici voluit et Castrum Durantis appellari (3). Mansit autem haec appellatio usque ad Urbani VIII pontificatum; qui cum oppidum hoc satis populosum episcopali cathedra et civitatis insignibus decorasset, Urbaniam de suo nomine dici mandavit. Extabat olim ejus rei memoria in curia oppidi, ubi sub insignibus Guilielmi Durantis in marmore sculptis hi versus legebantur:

Fulget in his armis Guilielmus marchio magnus
Durantis terrae primus, Speculi quoque auctor,
Mille ducentis octoginta quatuor annis.

Debemus hos versus diligentissimo Diplovataccio, qui eos servavit, nam nullum nunc eorum vestigium superest.

VIII. Honorius IV, qui Martino IV successit, non minoris fecit Durantis virtutem atque prudentiam, quam Pontifices superiores. Ab eo rursum creatus est aut verius confirmatus Flaminiae comes (4), eique administratio tradita ejus provinciae, quae tunc ut cum maxime prudentem et sagacem rectorem requirebat. Nuper enim ex ea excesserat Guido Monteferetranus comes, Ghibellinae factionis princeps; et multae civitates atque oppida ejus provinciae, quae antea a Ghibellinis tenebantur, in potestatem Romani Pontificis vi et armis adactae redierant. Itaque non exigua cura et vigilantia rectoris opus erat ad retinendam provinciae tranquillitatem et novos Ghibellinorum motus cavendos. Praefuit ei provinciae Guilielmus annis circiter duobus. Quare fallitur Echardus, qui, decedente Martino IV, Guilielmum Durantem existimat in Gallias rediisse, atque eo tempore publicis muneribus solutum cogitare potuisse de religiosae vitae instituto amplectendo, ac tum demum in Ordinem Praedicatorum esse receptum. Guilielmus

(1) Ita habemus ex Chronico Petri Cantinellii ad ann. MCCLXXXV et MCCLXXXVI ut jure « belligeri Comitis » appellatio ei tributa sit in titulo sepulcrali.

(2) Vide infra Guil. Durantis epitaphium.

(3) Communicavit mihi vir humanissimus comes Alexander Matarozzius, patricius urbinas et urbaniensis, tabulas anno MCCLXXXIV scriptas, quibus Guilielmus Durantis procuratorem constituit, qui vacuam aream emat in Castro Durantis ad novum coenobium pro Fratribus Minoribus construendum; quibus haec verba adscripta sunt: « Actum in exercitu ecclesiastico congregato per ipsum dominum Comitem prope Urbinum ante papilionem ipsius domini Comitis, in praesentia religiosi viri domini Alberici de Scaloco.... An. Dom. MCCLXXXIV die V Julii, Pontificatus domini Martini PP. IV ».

(4) Ita narrant Petrus Cantinellius in Chronico manuscripto his verbis: « Eodem anno (MCCLXXXV) die VI exeuntis Martii dominus Papa Martinus.... obiit in civitate Perusii. Eodem vero anno die III intrantis Aprilis electus est Summus Pontifex dominus Papa Honorius, qui fuit dominus Jacobus de Sabellis de Roma, qui erat cardinalis. Item factus est comes Romaniolae pro S. R. E. dominus Guilielmus Durantis, qui postea factus est episcopus mimatensis ».

ab Italia non discessit et initio statim pontificatus Honorii IV idem imperium in Flaminiam obtinuit, quod sub Martino IV gesserat (1).

IX. Interea sede episcopali mimatensi vacante (2), clerus mimatensis per compromissum, ut ajunt, Guilielmum episcopum elegit. Sed quoniam tunc erat Sedis Apostolicae servitiis adstrictus, adhuc nimirum Flaminiae praeses, injussu Romani Pontificis negavit se electorum votis assensurum. Re itaque ad Pontificem delata, ille ad Guilielmum scripsit permisitque ut delatum sibi munus subiret, qua de re habemus Honorii Pontificis literas ad eum datas, quas *Galliae Christianae* auctores in episcopis mimatensibus ediderunt. Sed cum oporteret Guilielmum accedere ad archiepiscopum bituricensem metropolitanum suum, ut is ejus electionem ratam haberet, neque id fieri posset ab homine in difficillimae provinciae administratione occupato, mandavit Pontifex archiepiscopo ravennati ut in electionem episcopi mimatensis diligenter inquireret, et, si rite factam cognovisset, auctoritate apostolica confirmaret. Quae cum ab archiepiscopo ravennate perfecta fuissent, Pontifex ipse Guilielmi Durantis electionem in episcopum mimatensem confirmavit (3). Postmodum autem idem Pontifex Honorius IV archiepiscopo ravennati scripsit ut Guilielmum electum episcopum consecraret. Haec omnia habemus ex Honorii ipsius literis datis nonis Novembribus et II nonas Februarias anno I et kalendis Juniis anno II, quarum primam et alteram edidit Ughellus in *Episcopis Urbaniensibus*, tertiam communicavit clarissimus Garampius, mihi semper cum praefatione laudis et grati animi significatione nominandus. Annuente itaque Pontifice episcopatum mimatensem accepit, quem non brevi tempore absens administravit ex auctoritate Romanorum Pontificum, qui etiam post illud tempus regendis pontificiae ditionis populis ejus opera quandoque usi sunt (4).

X. Honesta tandem missione impetrata, ad suam Ecclesiam se recepit anno MCCLXXXXI (5), ubi satis otii nactus est perficiendis suis scriptis et novis etiam inchoandis. Ediderat ante multos annos *Speculum juris;* quem librum cum summopere commendari et expeti ab omnibus intelligeret, qui judicia exercerent, novas curas in

(1) « Dicto anno (MCCLXXXV) die II intrantis Madii occisus fuit gladio Manfredus de Manfredis et Albergutius ejus filius, et eos occiderunt Franciscus quondam Albrighetti de Manfredis et Hugolinus filius Fratri Alberici de Manfredis.... dum ipsi omnes veniebant a confinibus a civitate Ravennae licentia domini Guilielmi Durantis comitis Romaniolae ». Ex Chron. Petri Cantinellii manuscripto, ex quo etiam insequenti anno MCCLXXXVI, saltem usque ad mensem Novembris, Guilielmum Durantis Flaminiae comitem fuisse constat.

(2) Mimatum Occitaniae superioris urbs, vulgo « Mende ».

(3) Quamquam Honorius IV ratam habuisset Guilielmi Durantis electionem, ut constat ex literis pontificiis in *Gallia Christiana* editis, et ab Ughello memoratis (*Ital. Sac.*, t. II in *Ep. Urbanien.*), tamen sive quod vivente Honorio ipso ad suam sedem non accesserit, sive alia quavis ex causa, post Honorii Pontificis obitum, qui contigit anno MCCLXXXVII initio Aprilis, archiepiscopus bituricensis, in cujus provincia tunc erat Ecclesia mimatensis, Guilielmi electionem in episcopum mimatensem confirmandam censuit. Vide ECHARD, *Scriptor. Ord. Praedicat.*, t. I, pag. 481, et *Gall. Christ.*, loc. cit.

(4) Anno MCCLXXXV paschali tempore electus est episcopus mimatensis. Habemus autem in codice diplomatico manuscripto civitatis Bononiae literas Honorii IV datas anno MCCLXXXVI die XII Februarii et inscriptas « magistro Guilielmo Duranti electo Mimatensi Romaniolae rectori ». Mandat Pontifex, ut restitutis a Bononiensibus Medicina et Argelata, eos interdicto solvat. Rursum saltem Novembri mense Flaminiae praeerat, ut supra ex Cantinellii chronico adnotatum est. Ac fortasse eam provinciam rexit ad initium usque anni MCCLXXXVII, quo successorem habuit Petrum Stephani proconsulem Romanorum, cujus neque Rubeus in historia ravennate, neque Cantinellius in chronico mentionem ingerunt ante annum MCCLXXXVII et quidem inceptum. Anno autem MCCLXXXIX die XII Februarii Romae praesentem reperio cuidam instrumento, quod refertur in epistola Nicolai IV quinquagesima anni II in Regesto Vaticano ejus anni pag. 120. Rursum eodem anno, XX Augusti, Reate erat ex epistola ejusdem Pontificis et ejusdem anni MCCLXXXIX. Anno demum MCCLXXXX die XIV Aprilis adhuc Romae degentem ostendit ejusdem Pontificis epistola anni III, MCCLXXXX, quas una cum aliis ante indicatis communicavit mihi clarissimus Garampius.

(5) Anno demum MCCLXXXXI Ecclesiae possessionem inivit. *Gall. Christ.*, t. I in *Episc. Mimat.*

eum contulit et iterum magnopere auctum in lucem emisit. Sed qui, cum in foro versaretur, id operis excogitavit, quo eximii jurisconsulti laudem consecutus est, idem in episcopali officio et sacrarum rerum procurationi intentus, dignam episcopo cogitationem suscepit, ut de sacris Ecclesiae ritibus ac caeremoniis accurate tractaret, earumque usum, praestantiam atque originem explicaret. Atque id perfecit eo in opere, quod inscripsit *Rationale divinorum officiorum;* quo non solum vicit superiorum omnium scriptorum industriam, qui in eo argumento versati erant, sed diu etiam spem ceteris praeripuisse visus est melius aliquid in eo genere efficiendi. In eo enim tanta est ecclesiasticae eruditionis copia, ut non videatur ab alio scribi potuisse quam ab eo, qui aetatem omnem in sacris studiis contriverit. Quod si qua in eo nunc reprehendunt severiores critici, ea donanda sunt aetati qua Guilielmus Durantis vixit, quae nondum ab historia ecclesiastica et sacris disciplinis barbariem sequiori aevo contractam eliminaverat. Ad haec librum pontificalem scripsit, uno scilicet volumine complexus ritus omnes et caeremonias, quae propriae sunt episcoporum, dum sacras cujuscumque generis functiones et ministeria peragunt.

XI. Haesit in suo episcopatu Guilielmus annis circiter quatuor (1); post autem inde abductus est et majoribus curis, quam unquam antea, implicitus. Voluerat Bonifacius VIII illum ad Ecclesiam ravennatem transferre. Cum enim post obitum Bonifacii Flisci a clero ravennate electus esset archiepiscopus Rambertus Malatesta, Pontifex hanc electionem irritavit voluitque ei Ecclesiae Guilielmum Durantis praeficere. Sed is oblatam a Pontifice dignitatem modeste recusavit noluitque Ecclesiam mimatensem, quam veluti sponsam sacro sibi foedere junctam diligebat, dimittere, ut nobiliorem ditioremque acciperet (2). Graviorem tamen sarcinam sibi imponi passus est ab eodem Pontifice, cui iniquum videbatur tantum virum unius parvi episcopatus administratione totum occupari. Ei igitur duas eodem tempore amplissimas provincias easdemque difficillimas regendas commisit, Picenum et Flaminiam, creavitque Piceni marchionem et Flaminiae comitem, et quidem anno MCCLXXXXV, non insequenti ut scribit Hieronymus Rubeus; sunt enim Bonifacii literae anno I, V kalendas Decembres scriptae, quibus praecipit Bononiensibus ut obsequentes sint Guidoni episcopo papiensi legato suo, quem conciliandae pacis causa in Romandiolam destinaverat, aitque se statim ac fuit ad pontificatum provectus, ut ejus provinciae prosperitati consuleret et quieti, quae jamdiu magnis armorum motibus agitabatur, Guilielmum episcopum mimatensem, virum utique magni consilii multaeque circumspectionis et prudentiae *et conditionum ejus provinciae doctum* abunde *et expertum,* ipsi provinciae praefecisse (3). Atque haec extrema fuit Guilielmi praefectura, haud sane admodum felix. Vix enim utramque provinciam administrare coepit (4) cum adeo graves armorum motus exorti sunt, ut satis virium iis comprimendis non habuerit. Ac frustra conatus est Flaminiae civitates ab Azone Atestino Ferrariensium principe sollicitatas a defectione cohibere. Gravis erat Azoni potentia Bononiensium, qui cum pro Ecclesia Romana starent, Azo cum Ghibellinorum principibus,

(1) Ab anno scilicet MCCLXXXXI ad annum MCCLXXXXV quo Flaminiae comes et Piceni marchio creatus est.

(2) *Annales Cesenat.* apud MURATOR., *Rer. Ital. Script.*, t. XIV, pag. 1110. — RUBEUS, *Histor. Ravenn.*, lib. VI, pag. 487.

(3) Communicavit has literas clarissimus Garampius.

(4) Bonifacius VIII anno I, VIII kal. Octobres, scilicet anno MCCLXXXXV, ep. DXXIV, mandat Guilielmo episcopo mimatensi Anconitanae Marchiae et Romandiolae rectori, ut Commune Ripae Transonis admittat ad honestam compositionem, ob tumulum in eo oppido excitatum contra Hugolinum Joannini S. R. E. rebellem. Communicavit mihi hanc epistolam clarissimus Garampius.

quos per id tempus sibi adjunxerat, conventu habito apud Argentam oppidum, omnem fere Flaminiam ad bellum nostris Bononiensibus inferendum excitavit. Quorum consilia cum persensisset Guilielmus, de tota hac machinatione Bononienses admonuit, datis literis ad Guilielmum Lambertinum ceterosque, qui a populo bononiensi rei bellicae praefecti fuerant, ut quam celerrime arma compararent seque contra ingruentem procellam munirent(1). Sed quam luctuosa fuerit Bononiensibus ea conjuratio Ghibellinorum, quique ejus exitus fuerit, narrant abunde eorum temporum scriptores (2). Guilielmus vero iratus Flaminiae civitatibus et dynastis ghibellinae factionis, qui pacem fregerant et Bononienses Ecclesiae Romanae fideles per summam injuriam armis lacessiverant, jamque Forum Cornelii et alia loca occupaverant, ac majora etiam moliebantur, cum eos videret nulla ratione ad sana consilia perduci posse, iis sacris interdixit nonnullosque magnis pecuniis multavit. Inde in Picenum se recepit, mox Romam profectus est, incertum revocatus ne a Pontifice an abdicata sponte utriusque provinciae praefectura, in qua fortasse annum integrum non egit (3).

XII. Romam igitur reversus anno MCCLXXXXVI, paulo post humanis exemptus est. Decessit kalendis Novembribus ejus anni ac nobili ornatissimoque sepulcro tumulatus est apud Fratres Praedicatores in aede s. Mariae supra Minervam, quod sepulcrum ad hanc diem integerrimum extat. Illud nuper aeri incisum habemus in secundo libro Annalium Ordinis Praedicatorum (4). In ima sepulcri parte haec verba leguntur:

HOC · EST · SEPULCRUM · DOMINI · GUILIELMI · DURANTI · EPISCOPI · MIMATENSIS
JOHANNES · FILIUS · MAGISTRI · COSIMATI · FECIT · HOC · OPUS

Infra sepulcrum vero in templi pavimento Durantis elogium praelongum in grandi lapide sculptum cernitur; quod hic damus aliquanto emendatius quam antea prodiit. Inelegantibus et rudi minerva scriptis versibus exaratum est, sed plurimi tamen est faciendum; tam multa enim de hujus praestantis viri vita moribusque, de magistratibus ac rebus gestis deque libris ab eo editis continet, ut nihil afferri possit opportunius ad ejus memoriam illustrandam.

Hic jacet egregius doctor presul mimatensis
Nomine Duranti Guilielmus; regula morum,
Splendor honestatis et casti candor amoris,
Altum consiliis, speciosum, mente serenum,
Hunc insignibant. Immotus turbine mentis,
Mente pius, sermone gravis, gestuque modestus,
Extitit infestus super hostes more leonis.
Indomitos domuit populos, ferroque rebelles
Impulit, Ecclesiae victos servire coegit.
Comprobat officiis, paruit Romania sceptro
Belligeri comitis Martini tempore Quarti.

(1) Edidit Ghirardaccius has literas Guilielmi Durantis; de quo multa sunt apud Ghirardaccium ipsum *Hist. Bonon.* lib. X, et Hieronymum Rubeum *Hist. Ravenn.* lib. VII ad annum MCCLXXXXV et MCCLXXXXVI.

(2) Ghirardacc. et Rubeus, *loc. cit.*

(3) Anno MCCLXXXXV utriusque provinciae regimen assumpsit. Insequenti anno, Majo mense sententiam dixit in Ghibellinos, qui conspirationem fecerant; nec ulla deinceps ejus acta in Flaminia aut Piceno leguntur apud Rubeum, aliosve scriptores.

(4) Editum est hoc epitaphium in *Gallia Christiana* in *Episcopis Mimatensibus*, ab Echardo in *Scriptoribus Ordinis Praedicatorum*, t. I et alibi.

Edidit in jure librum, quo jus reperitur,
Et Speculum juris, Patrum quoque Pontificale,
Et Rationale Divinorum patefecit.
Instruxit clerum scriptis monuitque statutis.
Gregorii deni, Nicolai scita perenni
Glossa diffudit populis, sensusque profundos
Scire dedit mentes corusca luce studentum.
Quem memori laudi genuit Provincia dignum,
Et dedit a Podio Missone diocesis illum,
Inde Biterrensis. Presignis curia Papae,
Dum foret Ecclesiae Mimatensis sede quietus,
Hunc vocat, octavus Bonifacius altius illum
Promovet. Hic renuit Ravennae presul haberi.
Fit comes invictus simul hinc et marchio tandem.
Et Romam rediit Domini sub mille trecentis
Quatuor amotis annis tumulante Minerva.
Subripit hunc festiva dies et prima Novembris.
Gaudia cum Sanctis tenet omnibus. Inde sacerdos
Pro quo perpetuo datur hac celebrare capella.

XIII. Obiit igitur Guilielmus anno MCCLXXXXVI kalendis Novembris, ut in ejus titulo sepulcrali scriptum est. Sic autem tota ejus vitae ratio ex conjectura quadam fingi potest, sed certa ratione constitui non potest. Cum scriberet *Speculum juris,* erat annorum XXXIV, ut ipse de se tradit in eodem libro (1). Rursum in eodem libro est aliqua formula, quae annum MCCLXXI velut praesentem adscriptum habet (2). Si haec duo ita componantur, ut anno MCCLXXI *Speculum juris* ediderit annum agens quartum et trigesimum, natus esset Guilielmus anno MCCXXXVII et annos vixisset non amplius sexaginta. Itaque annum agens LIX Flaminiae et Piceni administrationem accepisset, quae aetas aptissima adhuc erat rebus gerendis; alioqui vix potuisset Bonifacius homini graviori aetate laboranti tantum onus tam difficili tempore prudenter imponere.

XIV. Sed accidit Guilielmo Duranti, quod multis summis viris, qui sequiori aevo vixerunt, ut, nisi quid inauditum et portentosum de eo diceretur, satis celebris esse posse non videretur apud posteros ejus memoria. Sic igitur a Joanne Nostradamo Provinciali scriptore traditum est Guilielmum Durantis, jurisconsultum eumdem et poetam praeclarum, cum ex Balba sive, ut alii volunt, ex Blancargensa familia puellam deperiret ejusque laudes versibus saepe celebrasset, mathematicum etiam de illius vita consuluisse, a quo responsum acceperit mira in ejus puellae morte eventura. Cum autem post aliquot annos pro mortua elata esset Guilielmum dolore victum interiisse, et eam, quae mortua credebatur, cedente vi morbi respirasse et sanitati redditam diu postea vixisse ac demum cum monasticam vitam professa esset sexagenariam obiisse; funestum vero ipsius Durantis casum accidisse anno MCCLXX (3). Sed quam haec omnia falsa

(1) « Sicut patet in causa decimarum anglicana, nunc coram nostro pendente examine, quae ante nostrae nativitatis tempus, quod est XXXIV annorum, fuit ad apostolicae sedis examen perlata ». SPECULAT., tit. *De appell.*, § *Nunc breviter*.

(2) « Item hodie sunt anni Domini MCCLXXI etc. ». *Id.*, tit. *De instrument. edit.*, § 1 *Breviter item hodie.*

(3) Joannes Nostradamus in *Vitis Poetarum Provincialium,* quas fere a Monacho Montis Majoris, ab Hugone de s. Caesario, a Monacho Insularum Stoechadum aliisque sublestae fidei scriptoribus mutuatus est. Sed Monachum tamen Montis Majoris, qui ceteris antiquior fuit, nihil de Guilielmo Durantis scripsisse fatetur.

sint et ab omni veri specie aliena, res ipsa loquitur. Nisi quis forte suspicetur alium fuisse Guilielmum Durantis nostro antiquiorem poetices laude clarum, ut erant illis temporibus Provinciales et Occitani ei studio magnopere dediti, quem a nobilissimo ejusdem nominis canonum professore non satis accurate posteritas distinxerit (1).

XV. Quod autem aliqui existimant Guilielmum in Praedicatorum Ordine ac coetu aliquando vixisse, quam ob causam locum ei tribuerunt inter scriptores ejus Ordinis, ne id quidem omnino certum arbitror, nunquam enim Fratris titulo donatum reperio in innumeris antiquis tabulis et monumentis, in quibus ejus nomen occurrit (2). Solemnis autem erat religiosorum Ordinum professoribus ea appellatio, quam retinebant constantissime quamquam ad subliminores dignitates ecclesiasticas evecti. Accedit quod in ejus praelongo epitaphio, in quo tota fere ejus vitae series descripta habetur, altum est ea de re silentium. Neque obest, quod in ejus sepulcri fronte ad pedes Deiparae Virginis tessellato opere picta est Guilielmi imago Dominicanorum veste ornata. Nam revera Guilielmus Durantis ita amicus fuit Ordinis Praedicatorum, ut a quibusdam reputatus sit ei Ordini nomen dedisse, ut inquit Sebastianus de Olmeda in chronico Magistrorum Generalium ejus Ordinis. Itaque, ob singularem amorem erga hunc Ordinem, potuit ipse sub extremum vitae spiritum professionem ejus suscipere vel haeredibus suis, aut testamenti curatoribus praescribere, ut imaginem suam in sepulcri fronte ponerent Dominicanorum veste insignem.

XVI. Multa de praeclari hujus viri moribus et vita narrantur dignissima, quae ex hominum memoria nunquam elabantur. Laudatur in primis summa ejus sobrietas. Ingluviem vero et vinolentiam sic odisse dicitur ut animi pestem, quae labefactaret ingenium et memoriam obtunderet. Itaque ex hac perpetua ejus frugalitate extitisse incredibilem ejus memoriam, qua tantum valuisse dicitur ut librum semel lectum statim recitare potuerit. Cum ab iis consuleretur, qui iniquo jure utebantur, sua provinciali lingua respondere solebat: *Mais val calar, que sol parlar;* hoc est, praestat tacere quam male loqui (3). De venerabili Eucharistiae Sacramento haec ejus verba referuntur: *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus* (4). Neque illud in minima laude ponendum, si verum esset quod narrat Pancirolus, eum scilicet, quamvis scientia juris canonici et civilis nulli fortasse concederet, suae tamen eruditioni et doctrinae diffisum aliqua ex suis scriptis Jacobo Antonio Stenno jurisconsulto pata-

(1) « Guilielmum Durantis canonicum magalonensem supra vidimus a Baluzio memoratum anno MCCLI, eumdem fortasse, qui notarius archiepiscopus narbonensis dicitur anno MCCXXV ». *Gallia Christiana,* t. VI, Instr. p. 59. Quis vero facile sibi persuaserit, sacratum hunc virum amatoriis cantiunculis pangendis aetatem trivisse?

(2) In actis visitationis provinciarum burdigalensis et bituricensis Simonis de Belloloco archiepiscopi bituricensis ab anno MCCLXXXIV ad MCCLXXXXI, t. IV *Miscellan. Steph. Baluzii* haec verba leguntur: « Die Veneris sequenti » scilicet XVI Aprilis MCCLXXXVII « in mane audivimus missam .... qua audita ipse et episcopus claromontensis et multi alii tractaverunt de confirmatione Fratris Durandi electi mimatensis et fuit ibidem confirmatus ». Ita legitur in his actis, ex quibus invictum haberetur argumentum ad probandum Guilielmum Durantis, de quo ibi agitur, fuisse alicujus religiosi Ordinis professorem. Sed obstant innumera alia acta et Romanorum Pontificum epistolae, in quibus nunquam Fratris titulus Duranti tribuitur. Ac fortasse illa acta non admodum genuina sunt, aut certe oscitanter descripta. Nunquam enim episcopi, aut alii ecclesiastici viri, suppresso nomine, solo cognomine designari, illis praesertim temporibus, consueverant. Quare « F. Durandi » pro « G. Duranti » scriptorum incuria obrepsisse suspicari possumus.

(3) Haec de Guilielmo Durantis provincialium poetarum biographi, de quibus supra diximus. Quod si duo homines fuerunt eodem nomine, ex quibus illi unum effecerint, in jurisconsultum ea magis quam in poetam cadere videntur. At summam illam memoriae vim, quae videretur esse super naturam, Monachus insularum Stoechadum gemmae tribuere non dubitavit, quam Guilielmus circulo aureo inclusam gestare consueverit. Hoc scilicet deerat, ut tam praestanti viro magiae labem aliquis conaretur inspergere; quod etiam multis aliis claris viris contigerat.

(4) Pancirol. in *Guil. Durant.*

vino, cui Malitiae cognomen erat, legenda et emendanda tradidisse, antequam proferrentur in lucem. At medio demum saeculo XIV vixit Antonius Stennus (1), id enim verum illius nomen fuit et quidem mediocri fama, longe serius quam ut cum *Speculatore* versari potuerit ejusque scripta emendare.

XVII. In summa opinione doctrinae ab omni reprehensione cavere sibi non potuit. Est enim qui ei vitio vertat, quod quaestiones non paucas, in jure difficiles, indefinitas reliquerit, quodque ex aliorum scriptis nimis multa suffuratus sit et in suum *Juris speculum* intulerit. Sed in altero prudentiam ejus laudandam aliqui contra existimabunt, in altero autem non tantopere culpandum, qui ea, quae ab aliis sapienter excogitata sunt, in communem utilitatem collegerit et tam multis de suo additis nova luce donaverit. Dispungit facile hanc posteriorem accusationem Joannes Andreae, qui in additionibus ad *Speculum* hanc maxime ob causam utilissimum esse dicit hunc librum, quod tractatus multos clarissimorum doctorum magna ex parte exhibeat, qui omnibus in promptu esse non poterant, ac fortasse etiam periissent, ut Joannis Fasoli *De summaria cognitione,* Martini de Fano *De homagiis,* ejusdem *De alimentis* et *Quaestiones de jure emphyteutico,* Jacobi Balduini *De primo et secundo decreto,* Odofredi *De positionibus,* Joannis Blanci *De executoribus ultimarum voluntatum,* Thomae Piperatae *De fama,* aliorumque multorum (2).

XVIII. Habuit Guilielmus fratris filium homonymum, qui et eidem in cathedra mimatensi successor datus est a Bonifacio VIII (3). Atque hic etiam doctrina non vulgari fuit et scripta aliqua edidit. Verum celebritas senioris Guilielmi famam junioris fere extinxit. Hinc patruo tributa nepotis scripta. Sed immaniter hic erravit Pancirolus, cum scripsit Guilielmum Durantis Speculatorem appellatum, quem unum ipse noverat, nam juniorem Guilielmum non noverat, librum *De concilio,* ac *De modo celebrandi concilii generalis* circa annum MCCLXVIII edidisse, quo tempore Clemens V concilium viennense indixerat. Neque enim circa annum MCCLXVIII celebratum est concilium viennense, neque ejus concilii tempore vivebat Speculator. Sed hoc et ejusmodi gravissima errata aliorum culpa invecta arbitror in elegantissimos Panciroli libros, qui post auctoris mortem editi sunt. Liber autem *De modo celebrandi concilii et corruptelis in Ecclesia reformandis,* foetus est Guilielmi Durantis junioris, qui illum scripsisse dicitur jussu Clementis V (4). Hic porro est Guilielmus Durantis, ad quem anno MCCCXXVI de statu orientalium provinciarum, ac de belli sacri apparatibus Marinus Sanutus venetus literas dedit (5), *Episcopum Mematensem, Comitemque Gabalitani* (6) *et Procuratorem*

(1) Facciol., *Fast. Gymn. Patav.*, t. I, pag. 37.

(2) Joann. Andreae in addit. ad *Specul.*, tit. *De jurisd. omn. jud.*, § 8 postremo. Ubi animadvertit ibi esse additionem priori editioni factam et sumptam ex tractatu Joannis Fasoli pisani, legum doctoris, *De summaria cognitione,* qui exiit in lucem post primam *Speculi* editionem. Dissimulandum tamen non est reprehendi Speculatorem ob haec furta vel ab ipso Joanne Andreae, a quo minime reprehendendus fuerat, quippe qui eodem vitio laboravit et cum ab aliis doctoribus, tum vero a Speculatore ipso multa mutuatus est, nulla ejus facta mentione, ut observat Simon Majolus non uno loco in adnotatis ad *Commentarium Guilielmi Durantis* in *Constitutiones Gregorii X.*

(3) « Nuper siquidem Ecclesia mimatensis per obitum bonae memoriae Guillelmi episcopi mimatensis, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta.... ad te ipsius ecclesiae archidiaconum, quem ejusdem episcopi praedecessoris tui, cujus nepos fuisti, consideratione, benevolentia gratiosa prosequimur, convertimus nostrae considerationis intuitum etc. ». Bonifac. VIII, *Ep. ad Guil. episc. mimat.* XVI kal. Januarias, anno II, idest, anno MCCLXXXXVI.

(4) *Gallia Christiana* in *Episcopis Mimatensibus,* t. I, pag. 96.

(5) Marinus Sanutus in *Libro Secretorum Crucis,* edit. Jacobi Bongarsii, pag. 274.

(6) « De Gevaudan ». Sic appellatus est Guilielmus Durantis junior, ex quo jura illius comitatus ad episcopatum mimatensem antiquitus pertinentia eidem asseruit anno MCCCVI *Hist. Gén. de Languedoc*, t. II, pag. 594 et seq.

Passagii eum vocans. Neque dubitat clarissimus Montius quin ille idem sit qui nuncius a Pontifice et a Rege Francorum ad Soldanum missus, cum mandatis confectis ex Aegypto reverteretur, extremum diem in Cypro obiit habuitque Nicosiae sepulcrum cum hoc titulo:

HIC · JACET · REVERENDUS · IN · CHRISTO · PATER
GUILIELMUS · DURANTIS
DEI · GRATIA · EPISCOPUS · MIMATENSIS
COMESQUE · GABALITANI
PEREGRINUS · AD · SANCTUM · SEPULCHRUM
NUNCIUS · DOMINORUM · PAPAE · ET · REGIS · FRANCIAE · AD · SOLDANUM
QUI · IN · REGRESSU · OBIIT · IN · MONASTERIO · BELLILOCI · IN · CYPRO
ANNO · DOMINI · MCCC . . . . . · DIE · . . . · JULII
CUJUS · ANIMA · REQUIESCAT · IN · PACE

Inscriptionem nobis servavit Diplovataccius (1) ex Baldi tractatu *De commemoratione clarorum doctorum*, cum uterque eorum ad Guilielmum Durantis Speculatorem vulgo dictum pertinere putasset; quem in errorem ii quoque lapsi sunt, qui se Nicosiae Speculatoris sepulcrum vidisse Pancirolo affirmarunt(2). Annum quidem emortualem MCCCVI mendose exhibet Diplovataccii codex, sed pro eo reponendus haud dubie MCCCXXVIII, nimirum extremus Guilielmi junioris vitae annus, ut ex monumentis in *Gallia christiana* indicatis colligitur (3); quo anno sub exitum Octobris Soldani responsa ad Joannem XXII Pontificem et ad Philippum VI Regem Francorum retulisse constat Joannem e Janvilla (4), qui Guilielmi Durantis, quoad vixit, in illa peregrinatione comes fuisse videtur.

XIX. Sed quid est, quod in *Gallia christiana* hujus Guilielmi junioris tumulus in ecclesia s. Mariae de Cassiano biterrensis dioecesis extare dicitur (5)? Nempe illud, quod aliis claris viris interdum accidit, ut eorum sepulcra pluribus in locis ostenderentur, nec tamen inscriptio ulla affertur, quae Guilielmum Durantis in cassianensi aede humatum esse doceat. Quare suspicatur clarissimus Montius non sepulcrum illud esse, sed cenotaphium aut aliud ejusmodi monumentum a Guilielmo IV Durantis, anno MCCCXXXII Canonicorum Regularium illius loci priore (6), ad repraesentandam memoriam propinqui sui mimatensis episcopi, qui in diversissima orbis terrarum parte decesserat, excitatum.

XX. Notandus est etiam error eorum, qui Guilielmum Durantis non distinxerunt a Durando de S. Porciano (7), illustri scriptore Ordinis Praedicatorum. Errandi causam fortasse praebuit, quod *Speculator* a multis Durandus inepte appellatus est non solum in libris editis, sed etiam in aliquibus manu exaratis.

(1) « Speculator fuit oriundus de Provincia, ut in compilatione ejus operis invenitur .... de valentioribus doctoribus mundi. Nicosiae in Cypro extat epitaphium infrascriptum *Hic jacet* etc. ». BALD., *De commemor. clar. doct.* apud DIPLOVAT. in *Guil. Durant.*

(2) PANCIROL., *loc. cit.*

(3) *Gall. Christ., loc. cit.*

(4) « Joannes e Janvilla ad Soldanum Babilonium missus pro syriacis rebus promovendis, reversus ex Asia nonnulla Soldani responsa attulit, de quibus Joannes Papa Philippum Regem Francorum IV kal. Novembris deliberare jussit ». RAYNALD., *Annal. Ecclesiast.* ad annum MCCCXXVIII sub fin.

(5) *Gall. Christ., loc. cit.*

(6) Guilielmus I Durantis canonicus magalonensis, de quo supra. Guilielmus II episcopus mimatensis, dictus Speculator. Guilielmus III episcopus item mimatensis. Guilielmus IV hic prior canonicorum regular. s. Mariae in Cassiano.

Vide *Gall. Christ.*, t. VI, pag. 494.

(7) Qui catalogos bibliothecarum Angliae et Britanniae concinnavit, in hoc errore fuisse videtur; tribuit enim Guilielmo nostro *Commentarios super Lib. Sententiarum* quos Durandus a S. Porciano edidit.

GUILIELMI DURANTIS SCRIPTA.

Speculum juris. Magnum opus et multarum vigiliarum, quod auctori Speculatoris nomen acquisivit. Dicatum fuit Ottobono Flisco Cardinali, Innocentii IV fratris filio, qui Pontifex renunciatus, Hadrianus V dictus est. Haec fuit prima hujus operis editio, quae prodiisse videtur anno MCCLXXI, ut supra dictum est. Post annos multos, secundis curis ornatum et magnopere auctum, rursum hoc opus in lucem emisit (1); cui denique Joannes Andreae magna additamenta fecit et Baldus etiam nonnihil adjecit. Mirum autem, quam magnis laudibus tota jurisprudentum respublica olim hunc librum prosecuta sit, ad quem omnes quasi ad fontem accederent, quoties aliquid vel novum vel dubium occurreret (2). Ac ferunt Andream Siculum dicere consuevisse, si, libris omnibus jurisprudentiae pereuntibus, optio daretur unius ab interitu servandi, *Speculum juris* se ceteris antehabiturum (3). Quare Baldus sic eum librum omnibus, qui in foro versarentur, necessarium reputabat, ut ne censeri quidem inter jurisperitos cuiquam licere diceret qui eo libro careret.

Hujus operis plurimas editiones habemus. Rarissima est illa, quae Bononiae prodiit anno MCCCCLXXIV die quinta Januarii *per egregium virum Balthassarem de Azoguidis civem bononiensem,* ut ad calcem primi voluminis adnotatum est. Eam vidimus in ditissima et ornatissima bibliotheca Monachorum Montis Oliveti ad s. Michaelis in Busco prope Bononiam; ac nuper etiam illatam audio in bibliothecam publicam bononiensem. Tribus magnis voluminibus totum opus continetur, habetque Joannis Andreae et Baldi auctaria suis quaeque locis inserta. Prodiit etiam Lugduni anno MDIV cum additionibus Joannis Andreae et Baldi. Alias editiones memorat Guilielmus Cave, quas hic recensere nihil attinet.

Hoc opus in codicibus manu exaratis modo *Speculum juris,* modo *Speculum judiciale,* modo etiam *Opus practicae juris* inscribitur. In codice bodlejano, 1416, *Summa summarum* appellatur.

Repertorium juris. Dubitavi aliquando num hic primus fuerit Guilielmi Durantis foetus literarius. Videbam enim hunc librum ante cetera ejus scripta recenseri in ejus sepulcrali titulo, eumdemque alicubi citatum videram in *Speculo juris.* Sed ex ejus prooemio scriptum constat post *Speculum juris,* nempe post primam editionem. Itaque fieri potuit ut in prooemio *Repertorii juris* nominaret *Speculum juris,* uti fuerat primo editum. In *Speculo* autem *Juris* secundae editionis citare potuit hoc suum *Repertorium,* cujus hic titulus est in codice Altempsiano, nunc Vaticano: *Alpha et Omega Jesu Christe. Incipit Repertorium magistri Guilielmi Duranti de jure canonico reverendo in Christi patri ac domino Mattheo Dei gratia s. Mariae in Porticu cardinali magister Guilielmus Durantis domini Papae subdiaconus et capellanus etc.* Hujus libri plures editiones habemus. Editum est Francofurti anno MDLXXXXII, Lugduni MDXVI et MDLI. Sed praestat ceteris editionibus ea, quae prodiit Venetiis anno MCCCCLXXXXVI.

Rationale divinorum officiorum. Ut in *Speculo juris* totam veluti juris molem strictim ornateque collegit, sic in *Rationali divinorum officiorum* quae ad ecclesiastica munera et divina officia pertinent diligenter exponit. Atque hic liber non minimus olim necessarius existimabatur rerum ecclesiasticarum studiosis, quam *Speculum juris* iis, qui jurisprudentiae studia sequebantur. Accusatur tamen, quod libros Joannis Belethi expilaverit (4); sed levis est haec querela, ipse enim ingenue fatetur se aliorum laboribus profecisse. Ait enim, se illud opus *tam ex diversis aliorum libellis et commentariis, more mellificantis apis, quam ex iis, quae sibi divina gratia propinavit, fructuose collegisse et hanc doctrinam interno fluentem nectare velut favum mellis in divinis officiis speculari volentibus divino suffultum praesidio propinasse.* Ita praeclarum opus concludit Guilielmus; quod saepissime typis excusum est, ut hinc etiam appareat quanto olim in pretio fuerit. Ac fortasse nullus est liber, si sa-

(1) Cum *Speculum Juris* secundo edidit, Flaminiam et Massam Trabariam rexerat; meminit enim hujus praefecturae suae non semel in *Speculo.* Ergo non ante annum MCCLXXXVII, quo a Flaminia discessit, *Speculum Juris* secundo editum est.

(2) Diplovat. in *Guil. Durant.*

(3) *Ibid.*

(4) Crenius, dissert. III, *De furibus librariis,* p. 265.

cros codices excipias, qui ante saeculum XIV tam saepe impressus sit; ex quo intelligimus quod hominum judicium de eo libro per plura saecula fuerit. Omnium rarissima est editio facta Moguntiae anno MCCCCLIX, cujus olim exemplar vidi apud canonicos ecclesiae nucerinae in Umbria. Prodiit rursum *Ulmae anno MCCCCLXXIII, Venetiis MCCCCLXXXV, Argentorati MCCCCXXXVI, Basileae MCCCCLXXXVIII, Norimbergae MCCCCLXXXXIII.* Alibi postea saepissime. *Lugduni anno MDXVI et MDLI Rationale divinorum officiorum* editum est cum *Speculo* et *Repertorio.* Innumeri codices manuscripti hunc Durantis librum habent in bibliothecis paulo instructioribus, qui etiam in gallicam linguam versus est jussu Caroli V Francorum Regis. *Le Rational de l' office divin de Guillaume Durandi, mis en françois par Jean Golein Carme, par ordre du Roi Charles V.* Ita recensetur inter codices bibliothecae Regis, Parisiis, num. 6840.

Pontificale. Hunc librum a Guilielmo scriptum constat ex eo versu ejus epitaphii: *Et Speculum juris, Patrum quoque Pontificale.* De quo libro ita scribit Augustinus Patritius, episcopus pientinus, in prooemio sui *Pontificalis: Detinuit me Guilielmi Duranti episcopi mimatensis auctoritas, qui pontificalem librum, quo maxime utuntur antistites, edidit, vir sane multa doctrina summoque ingenio praeditus, inter sui saeculi pontificii juris professores clarissimus, qui Speculum juris, Rationale divinorum officiorum et pleraque alia disertissime scripsit.* Est hoc, ni fallor, *Pontificale Romanum,* cujus mentio est in Clementina unic. *De jurejurando;* quod quidem non primo compositum est a Guilielmo nostro, sed ex antiquiore formatum et ad sui temporis mores aptatum.

In sacrosanctum lugdunense concilium sub Gregorio X Commentarius. Nemo melius interpretari poterat constitutiones in concilio lugdunensi a Gregorio X editas, quam Guilielmus Durantis, qui non solum concilio interfuit, sed Pontificem ipsum in iis constitutionibus scribendis adjuvit, eique auctor fuit ut aliquas earum promulgaret (1). Hunc porro doctum et eruditum Commentarium cum blattis et tineis pugnantem Simon Majolus, vir emunctae naris multisque eruditissimis scriptis clarus, qui postea vulturanensis episcopus fuit, cum reperisset, novis adnotationibus ab se illustratum, Fani in patria sua edendum curavit, praemissa Durantis vita, quam ex ejus libris et Diplovataccii insigni opere de claris legum doctoribus, quo nos quoque usi sumus, magna ex parte accepit. Scite autem animadvertit Simon Majolus, accidisse huic Durantis Commentario in constitutiones Gregorii X id, quod acciderat plerisque omnibus nostrorum doctorum commentariis in antiquas collectiones decretalium, qui postquam antiquae illae decretales in Gregorii IX collectionem migrarunt, paulatim negligi et jacere coeperunt. Ita postquam Gregorii X constitutiones in Sextum decretalium receptae sunt; Durantis glossae, et si quae fuerunt aliorum interpretum et doctorum, manibus paulatim exciderunt. Sed tamen Joannes Andreae et ceteri, qui Sextum decretalium librum interpretati sunt, plurima ex his Durantis glossis acceperunt et quidem plerumque suppresso auctoris nomine, ut Majolus observat. Editus est hic Durantis liber Fani anno MDLXIX ex pervetusto codice, quem Majolus reperit in bibliotheca Thomae Diplovataccii, ut ipse narrat in Historia totius orbis, centuria XIII, cap. XXI.

Etiam Nicolai III constitutiones aliquas ab eo expositas discimus ex ejus epitaphio, in quo legimus:

> Gregorii deni, Nicolai scita perenni
> Glossa diffudit.

Sed has Durantis glossas nullibi vidimus.

Breviarium glossarum et textuum juris canonici sub ejus nomine habemus typis editum Parisiis anno MDXIX.

Scripsit item in decretales Gregorii IX et Gratiani Decretum; glossas nimirum more veterum doctorum, quas vel periisse vel adhuc tineas pascere existimat Caveus.

(1) Guilielmus Durantis, *Commentarium in prooemio Constitutionum Gregorii X* et in *Speculo Juris,* tit. *De appellat.,* ait, constitutionem *De electione* se procurante editam, ab eo nimirum Pontifice.

Statuta etiam edidit legesque non solum pro civili sed etiam pro ecclesiastico regimine civitatum provinciae Patrimonii, quo tempore ei praeerat, ut supra diximus; idque indicare videtur versiculus ille in ejus inscriptione sepulcrali:

Instruxit clerum scriptis, monuitque statutis.

Addit Pancirolus Speculatorem edidisse *Speculum legatorum*, egregium opus, in quo de eorum officio et potestate latius disputavit, aitque se librum illum nondum impressum in manibus habuisse. Sed revera impressus est hic Durantis liber non quidem seorsim, ut in Panciroli manus incidit, sed insertus *Speculo juris* tit. *De legatis.* In prima editione *Speculi* auctor ipse dixerat se scribere *Speculum legatorum*, quod postea in *Speculum* ipsum intulit, cum illud opus magnopere auctum emisit in publicum (1). Sed librum hunc, ut primum ab auctore ipso editus est et a Pancirolo visus, ego quoque nuper vidi in codice Altempsiano, nunc Vaticano. Erat codex notatus T. II, 3, nunc n. 7. Auctor hunc librum inscripsit Latino cardinali Ostiensi: sic enim incipit:

Reverendo in Christo patri domino fratri Latino, Dei gratia ostiensi et velletrensi episcopo, Apostolicae Sedis legato, Guilielmus Durandi domini Papae capellanus, decretorum professor humillimus, reverentiam debitam et devotam.

Super Legatorum Sedis Apostolicae potestate diversitatem corporum diversitas sequitur animorum; periti etenim juris inter se ab invicem dissidentes varia super hoc secuti sunt et diversa.

L.

MARSILIUS MANTIGHELLIUS.

I. Marsilii Mantighellii bononiensis primum mihi memoria occurrit ad annum MCCLXIII in tabulis, quas vidi in archivo Fratrum Minorum ad divi Francisci. In iis dicitur notarius tantum; neque praeter fas est ut idem ex notario factus esset decretorum doctor, qualem postea fuisse Marsilium Mantighellium novimus. Sic etiam Fridericum de Scalis, Galvanum de Allegralcore et plures sequentibus temporibus legum et canonum professores, antequam doctores crearentur, notarios fuisse constat. Quidquid ea de re sit, non infimum locum tenuit Marsilius Mantighellius inter professores juris pontificii in academia nostra sub finem saeculi XIII. Alidosius eum dicit Marini filium ex Ceretolo, agri bononiensis fundo, eumque memorat ad annum MCCLX (2). Sed neque Marini filius fuit (Mannum enim Marsilii patrem fuisse ex pluribus antiquis tabulis constat a clarissimo Montio visis), neque ullis ex monumentis oriundum a Ceretolo fuisse accepimus. Habuit et alterum filium Mannus, Marsilii fratrem natu majorem, nomine Mantighellum, ex primis medicinae professoribus, qui in academia nostra doctoris titulo insignes fuerunt.

II. Anno MCCLXIX nondum videtur doctoris insignia consecutus (3). Sed quadriennio post et doctorem decretorum creatum fuisse manifestum est et uxorem duxisse (4).

(1) Ita narrat Joann. Andreae in addit. ad *Specul.*, tit. *De legato.*

(2) Alidosi. *Dottori bolognesi di legge* etc., p. 166.

(3) « Die III Januarii MCCLXIX dominus Marsilius de Manteghellis vendit Decretum domino Bartholomeo domini Bertholini de Cesena ». Ex *Mem. Com. Bon.*, ubi doctor decretorum minime dicitur.

(4) « Anno MCCLXXIII die X exeuntis Augusti dominus Mannus de Mantighellis, dominus Mantighellus, dominus Marsilius, dominus Bonazunta fratres et filii domini Manni compromiserunt se in dominum Bonazuntam priorem ecclesie s. Barbatiani .... tamquam in arbitratores occasione questionis existentis inter ipsos super solutione cujusdam debiti LXX libr. Bonon. quod dicitur contractum fuisse occasione conventus dicti domini Marsilii sive partis ipsius et cujusdam alterius debiti LXXII libr. Bonon. quod quidem debitum contractum fuit occasione indumenti dominae Joannae uxoris dicti domini

Post autem saepe ejus nomen occurrit inter canonum professores, atque illud praecipue de illo observatum est in causis ecclesiasticis et negotiis ad episcopatum bononiensem pertinentibus assidue versatum esse, quod tabulae eorum temporum ostendunt. Illud in primis memoratu dignum quod anno MCCLXXIX interfuit scribendis legibus ab episcopo bononiensi latis pro Communi castri Unzolae, quod castrum ad Ecclesiam bononiensem pertinebat (1). Anno MCCLXXXXVII cum aliis doctoribus tunc temporis in schola legentibus vacationem a militia obtinuit, primusque inter decretorum professores appellatur, quod aetatis praerogativa factum puto (2). Eum habuit magistrum in jure canonico Joannes Andreae, qui saepe dominum suum appellat et cum laudis praefatione nominat (3). Reliquit autem plures quaestiones, quas pro more temporis in scholis agitaverat, quas vidit Diplovataccius. *Vidi*, inquit, *quaestiones ipsius. Incipiunt quaestiones domini Marsilii decretorum doctoris. Quaestio talis est: Utrum compaternitas contrahatur etc.* Alia etiam Marsilium scripsisse dicit Diplovataccius, quae tamen non indicat. Aliquae porro ex ejus quaestionibus, quas Diplovataccius memorat, habentur Caesenae in codice manuscripto bibliothecae Fratrum Minorum (4), atque in primis illa: *Utrum compaternitas contrahatur per procuratorem;* quae etiam quaestio a Joanne Andreae agitata refertur in Mercurialibus ad rubr. *De cognatione spirituali.*

III. Non minimam fuisse ejus auctoritatem inter academiae nostrae professores conjicere possumus ex eo quod, orto dissidio inter scholares ultramontanos ob rectoris electionem, cum aliter inter dissidentes convenire non posset, quod alii Guilielmum de Monasterio Canonicum remensem, alii Beltramen quemdam elegissent, arbitrium ea de re a scholaribus datum est Bernardino Mediceo judici et assessori Hugolini Rubei capitanei populi bononiensis, Paci de Pacibus legum et Marsilio Mantighellio decretorum doctoribus (5). Haec anno MCCLXXXI gesta sunt, cum jamdiu Marsilius inter professores celebraretur. Sed etiam antequam doctor creatus esset et magistri solum appellatione gauderet, arbiter electus est cum Hugolino Zamboni legum doctore et Jacobo de Canonica doctore decretorum, in controversia quadam quae inter duos ecclesiasticos viros agebatur (6).

IV. Obiit Marsilius vel anno ipso MCCC vel non multo ante (8) aut post. Februario certe anni MCCCI jam fato cesserat. Id ostendunt plures contractuum tabulae per illud tempus scriptae; quibus Joannes Marsilii filius et haeres foenori dat scholaribus pecunias (7). Fuit autem et Joannes ipse canonum professor, *vir excolendae memoriae ac doctor excellentissimus* post mortem appellatus; sed Venetiis aetatem egisse videtur, ubi anno MCCCXXXXII testamentum condidit, ac Philippum ex Alberto filio praemortuo nepotem haeredem instituit (9). Neque fortasse ab eodem quaestus genere abhorruerat Marsilius ipse, cum in vivis ageret; cui, cum decessit, magister Joannes de Funda

Marsilii ». Ex *Mem. Com. Bonon.* Solemnis doctorum inauguratio « conventum » dictam censeo, quod in doctorum conventu fiebat, non sine magnis sumptibus.

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Ex *Act. pub.* saepe citat. *Vide Appendicem.*

(3) « Per hanc literam tenebat dominus meus, Marsilius nomine, quod parochiani vel populus possidere et praescribere poterat jus praesentandi in parochiali ». JOANN. ANDREAE ad c. *Querelam. De electione.*

« Quaestio quam disputavit dominus meus dominus Marsilius ». Idem. *In reg.* in argumentum et alibi pluries.

(4) Extat in codice membranaceo bibliothecae Fratrum Minorum Caesenae, in quo Joannis Andreae aliorumque plurium quaestiones continentur.

(5) Ex *Mem. Com. Bon.* an. MCCLXXXI ad diem III Julii.

(6) Ex *Mem. Com. Bon.* an. MCCLXVIII ad diem XIX Aprilis.

(7) Vivum exhibent die XXV Julii MCCLXXXXIX. Tab. in *Mem. Com. Bon.*

(8) Ex *Mem. Com. Bon.* ejus anni.

(9) Ex *Mem. Com. Bon.* anni MCCCXXXXIV.

teutonicus et Otto dux brunswicensis, scholares bononienses, quatuor et quingentas libras Bononinorum debebant mutuo ab eo acceptas (1). Atque Joannem illum de Funda, si ita legendum est, plerumque enim in his scholarium peregrinis nominibus scribendis turpiter a notariis nostris erratum est et Ottonem Brunswicensium ducem Marsilii ipsius auditores fuisse, verisimillimum est; suis enim fere scholaribus professores pecuniam committebant. Fuisse etiam opinor inter ejus scholares Tanum Frescobaldum et Joannem de Calcina, qui in ejus schola eruditi, in eadem docere coeperint, Marsilio ipso adhuc vivente (2); siquidem post ejus obitum disceptatum est inter eos, utri pertinere deberet ea schola, in qua Marsilius, dum viveret, legere solebat (3). Sed clarissimus omnium, quos in jure canonico erudierit, Joannes Andreae procul dubio fuit, qui magistrum longo intervallo superavit et principatum inter professores sui temporis obtinuit. Hic saepe Marsilium Mantighellium dominum suum appellat (4); nec audiendus est Diplovataccius, qui alicubi pro Marsilio Palmerium legit, mendoso, ut arbitror, usus exemplari (5).

LI.

GARSIAS HISPANUS.

Fuerunt Bononiae studiorum causa, vergente saeculo XIII, Hispani plures, qui Garsiae nomine dicerentur (6). In his duo fuere canonici compostellani; quorum alter inter professores juris canonici non infimum locum tenuit, Garsias Joannis (7), alter nomine tantum notus, Garsias Sebastiani appellatus est (8). Erat uterque Bononiae anno MCCLXXVII. Biennio post Garsias Joannis decretales interpretatus est in scholis Aegidii Fuscararii, ut supra diximus (9). Postmodum ab universitate scholarium expetitus est ad decretorum librum interpretandum. Ante illud tempus nemo, quod constet, in academia nostra docuerat stipendio publice constituto. Id primum Garsiae Hispano concessum videtur. Egerunt magno studio scholares in Consilio DC Virum, penes quos erat eo tempore Reipublicae administratio, de honesto stipendio Garsiae constituendo, ut integrum decretorum volumen in scholis nostris interpretaretur, initio lectionum facto a festo s. Michaelis exeunte Septembri ejus anni, qui fuit annus MCCLXXX. Itaque ex Consilii sententia CL librae Bononinorum Garsiae in eam rem decretae sunt (10); quod satis congruum stipendium eo tempore reputari debebat pro aestimatione monetae,

(1) « MCCCI die .... Octob. Dominus Johannes quondam domini Marsilii doctoris decretorum recepit a domino magistro Johanne de Funda teotonico, scholari bononiensi, dante pro se et domino Octone duce de Bruxuich scholari bononiensi quingentas quatuor libras Bononinorum, quas eidem domino Marsilio solvere tenebantur ex causa mutui .... et absolvit et liberavit eosdem ex instrumento domini Mathei Cambii, facto hodie Bononiae in domo domini Tedixii de Flisco presentibus domino Tano de Frescobaldis decretorum doctore etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(2) Ibid. ad diem XX Novembris.

(3) Ex *Lib. Reform.*

(4) Ex supra adnotatis.

(5) Vide infra in Palmerio.

(6) In elenco scholarium, quem infra damus, anno MCCLXVIII occurrit Garsias Lupi; anno MCCLXIX Garsias filius domini Petri Zamoreni, et Garsias Fernandi; anno MCCLXX rursus Garsias Fernandi Ladomerii portionarius Calagorris, fortasse idem cum superiore; anno MCCLXXVII Garsias Joannis decretorum doctor et Garsias Sebastiani canonicus compostellanus; an. MCCLXXIX Garsias canonicus et scholasticus compostellanus, idem, ut opinor, cum superiore; anno dein MCCLXXXIII Garsias Periti et rursum Garsias Sebastiani canonicus compostellanus.

(7) Ex ante adnotatis.

(8) Ibid.

(9) Vide supra in Aegidio Fuscarario.

(10) Ex tabulis in *Mem. Com. Bon.* descriptis, quas vide in Appendice.

quae tunc multo major erat, quam nunc vulgo persuasum est. Est igitur omnium primus Garsias, cui ex aere publico aliquid constitutum fuisse apparet stipendii loco ut doceret in scholis nostris. Ex eo intelligi potest quod de hoc canonum professore scholarium judicium fuerit. Sed ubi is decretorum lectionem, ad quam conductus fuerat, absolvit, neque ei prorogatum est stipendium nec alius quispiam ei successisse videtur, vel quod scholares nullum elegerint vel quod aegre concederent moderatores civitatis scholaribus hanc professorum destinationem, antea in academia nostra inauditam; quam postea, elapsis paucis annis, non extemporaneo decreto, ut tunc primum factum fuerat, sed perpetua lege permiserunt (1). Garsias autem quandiu postea Bononiae permanserit incompertum est. Disputavit quaestionem aliquam in scholis nostris cum Joanne de Montemurlo celebri ejusdem aetatis professore (2); atque illum non semel laudat Joannes Andreae, qui etiam hunc ejus versiculum affert:

Latria sit domino, debetur dulia servo (3),

et Baldus doctorem famosissimum appellat (4).

GARSIAE SCRIPTA.

Commentaria, seu glossae in libros V Decretalium. Hoc opus, incertum qua ex causa, ab auctore perfectum non est; sed magno tamen in pretio fuit apud posteriores decretalium interpretes, qui illo usi sunt. Memoratur in tabulis cujusdam venditionis anno MCCLXXXXV *unum par Decretalium cum apparatu Bernardi cum novis et novissimis, cum apparatu Garsiae* (5).

Glossae in decretales Gregorii X. Sunt in codice 3949 regiae bibliothecae parisiensis. Cum Garsias florere coeperit annis multis antequam Bonifacius VIII ediderit sextum librum decretalium, in quem receptae sunt constitutiones Gregorii X, quae editae fuerant in concilio lugdunensi II, recte operam suam in iis interpretandis collocavit; quod ante etiam fecerat Guilielmus Durantis, ut suo loco diximus: *Ex Indice Biblioth. Reg. de Jure Canon. To. III.*

Plura ejus Consilia reperiri ait Diplovataccius. Sed vereor ne hujus Garsiae sint Consilia Garsiae Hispani, quae vidit Diplovataccius. Floruit in scholis nostris Garsias Hispanus canonum professor multo recentior, quippe qui vix post initium saeculi XV. Atque hujus esse arbitror Consilia, quae vidit Diplovataccius. Potius itaque disputationes aliquot a Garsia hoc antiquiore relictas crediderim, quod et indicasse videtur Joannes Andreae et maxime ex usu erat ejus temporis, quo ille in scholis docebat. Alia plura ab eo scripta dicit Diplovataccius, quae cujusmodi sint non indicat.

(1) Vide infra in ALTIGRADO.

(2) JOANN. ANDREAE in c. *Fin. Ut lite pendente in Sexto.*

(3) Idem in c. *Si canonici. De offic. ordin.*

(4) BALDUS in tract. *De commem. famos. doct.* apud DIPLOVAT. *loc. cit.*

(5) In *Mem. Com. Bon.* ejus anni.

LII.

OPIZO DE CASTELLO.

Ex nobilissima gente Malaspina prodiisse videtur Opizo de Castello, qui post medium XIII saeculum in nostris scholis jus canonicum professus est. Nam in ea gente, quae late in tractu sive provincia lunensi (nostris *la Lunigiana*) dominabatur, et aliqui fuere qui de Castello dicebantur [1], et usitatum inter eos fuit Opizonis nomen. Quare non immerito noster hic Opizo decretorum doctor Alberti marchionis Malaspinae negotia tractavit Bononiae, idque anno MCCLXVII, ut ex infra adnotatis apparet. Sed videtur prius in Anglia fuisse [2]. Erat jam tum decretorum doctor. Post annos aliquot canonicum tornacensem appellatum reperio [3]; eum vero canonicatum absens tenuit, ut alii saepe doctores scholae muneribus occupati. Est ejus mentio saepe in Memorialibus Communis Bononiae usque ad annum MCLXXXXII, sed monumenta nostra de eo post illum annum silent.

LIII.

MARTINUS HISPANUS.

I. Hispanorum, qui saeculo XIII jus canonicum in scholis nostris vel didicerunt vel professi sunt, agmen claudet Martinus Eximini filius [4], non ignobilis vir, qui diu in civitate nostra commoratus est. Ejus crebra mentio est in Memorialibus Communis Bononiae ob multos contractus quos egit, ut solebant scholares exteri, praesertim divites. In iis passim dicitur *Martinus Esimini,* vel *Eximini, de Turolio Caesaraugustanae dioecesis* [5]. Anno MCCLXXIV Bononiae erat inter scholares [6]. Confecto autem studiorum curriculo a civitate nostra non discessit, ubi et causis patrocinandis et docendo

(1) « Anno MCCXXXXIV.... Cum inter dominum Veltrum, Morellum, Corradum de Castello excepto Guilielmo Nigro ex una parte etc. ». Ex tabulis apud clarissimum Targionum, t. VI, pag. 366.

Rursum: « Anno MCCLXVII die IV Augusti. Ad inquisitionem domini Raynerii de Rocha procuratoris domini Isnardi et Alberti quondam domini Opizonis Marchionis Malaspine ut continetur in instrumento facto manu mei Jacobini notarii sub anno MCCLXVI, die XII Septembris, procuratorio nomine pro suprascriptis dominis Isnardo et Alberto marchionibus Malaspinae proponentis et dicentis ipsum dominum Opizonem quondam domini Morelli de Castello quod cum dominus Isnardus suprascriptus pro se et fratre suo Alberto vel unoquoque eorum mutuo, acceperit a dicto domino Opizone de Castello quondam domini Morelli de Castello libras CCL etc. ». Ex tabulis Jacobini Pinelli quondam Lazari Sarzanensis. Communicavit Franciscus M. Larius Sarzanensis eruditus et diligens antiquitatis investigator; qui alias plures indicavit antiquas tabulas, ex quibus apparet ea ipsa aetate, qua Bononiae vivebat Opizo de Castello decretorum doctor et paulo ante, fuisse alios, qui idem nomen in eadem familia gererent.

(2) « Anno MCCLXVII die VI intrante Majo. Dominus Opizus doctor decretorum procuratorio nomine domini Alberti Malaspine confessus fuit se recepisse a Michaele Ammanati et sociis MCCXXXXVIII lib. Bon. pro cambio LXXXVIII March. Sterling. quas dicti mercatores ab ipso domino Opizone pro dicto domino Alberto solvente in Anglia receperunt ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(3) « Anno MCLXXXXII die.... dominus Opizo de Castello de Lunexana canonicus Tornacensis ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(4) Ex infra adnotandis. « Eximini », an rectius « Ximeni » filius?

(5) Ex *Mem. Com. Bon.* anno MCCLXXIV die XI Augusti, et alibi.

(6) Ibid.

incubuit in jurisperitorum ordinem primum cooptatus (1), mox inter decretorum doctores adlectus (2). Cum diu Bononiae fuisset et quasi civis haberetur, rebus publicis tractandis aliquando, raro exemplo, adhibitus est, quamvis clericus esset; anno enim MCCLXXXXIV cum Gardino legum et Bonincontro decretorum doctoribus ad Ildebrandinum Romandiolae comitem legatus est (3). Anno MCCLXXXII sacerdotium obtinuerat s. Mariae de Cubla in patria sua (4); nec tamen ab academia nostra discessit; anno enim MCCLXXXXVII Rectores Universitatis negotium ei dederunt, ut foenori acciperet CL libras Bononinorum Stephano Bonerio canonum professori solvendas, quem ad interpretandum Gratiani Decretum conduxerant (5). Anno etiam MCCLXXXXVIII, tanquam procurator Guidonis de Baysio archidiaconi bononiensis, in quorum collegium Guido ipse Bonifacii VIII beneficio receptus fuerat (6). Deinceps nulla Martini Hispani mentio.

II. Habuimus Bononiae ad annos MCCLXVIII, MCCLXIX et MCCLXX Fratrem Martinum Eximini hispanum, praeceptorem hospitalis Roscidae Vallis in Ecclesia s. Mariae de Mascarella et syndicum sive procuratorem hujus hospitalis per omnem Italiam; cui anno MCCLXXI successit Frater Dominicus Garsiae (7). Num idem fuerit Martinus, qui, relicto habitu et instituto Fratrum Hospitalis Roscidae Vallis, ad scholas accesserit et doctor decretorum creatus sit, res admodum dubia est; nec quidquam ad id definiendum aliunde suppetit.

LIV.

GUILIELMUS BONCONSILIUS.

JACOBINUS ARPINELLUS.

I. Bonifacii Bonconsilii celebris legum doctoris nepos Guilielmus (8) jus canonicum in academia nostra professus est, inclinante saeculo XIII. Ejus pater Ubaldus dicebatur, Bonifacii filius, eratque adhuc ambiguum ejus familiae cognomen, nam Guilielmum hunc decretorum doctorem quandoque de Malconsiliis dictum reperio (9), licet passim de Bonconsiliis diceretur; et hoc tandem melioris ominis cognomen prae altero illo obtinuit.

(1) « Anno MCCLXXXVI. Dominus Martinus Isimini Yspanus jurisperitus etc. » patrocinium praestat Archipresbytero et Canonicis Montisibelli. *Ibid.*

(2) « D. Martinus Hispanus doctor decretorum » nominatur in *Mem. Com. Bon.* ad anno MCCLXXXII, et deinceps.

(3) Ghirardaccius, lib. X.

(4) Ex *Mem. Com. Bon.* ad eum annum.

(5) « Anno MCCLXXXXVII die XXI Septembris. Dominus Martinus Yspanus rector Ecclesie de Cubla cesaraugustanea dioecesis sindicus et procurator Rectorum et Universitis scholarium ultramont. et citramont. etc. promisit dare et restituere Joanni .... de societate Schallorum de Florentia CL libr. Bonon. hinc ad sex menses .... quam quantitatem dictus sindicus procuratorio nomine habuit .... solvendam et dandam domino Stephano Bonerii chanonico narbonen. decretorum doctori pro suo salario legendi Decretum etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(6) « MCCLXXXXVIII die I Julii. Cum dominus Guido quondam domini Ugonis Abaixii archidiaconus bononiensis admissus ac receptus fuerit in canonicum et fratrem majoris Ecclesie bonon.... predictus dominus Guido et ipsius precibus et mandato dominus Martinus Hispanus quondam domini Eximini Rector Ecclesie S. M. de Cubla cexaraugustane Dioces. promiserunt etc. » Ex *Mem. Com. Bon.*

(7) Ex *Mem. Com. Bon.* ad eos annos.

(8) « Anno MCCLXXXVI, XII Decembris. Dominus Ubaldus Bonifacii Bonoconsilii vendit domino Thaddeo Alderotti de Florentia duas domos .... et promisit se facturum ut dominus Guilielmus decretorum doctor et dominus Gerardus ejus filii venditioni consentiant ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(9) « Anno MCCLXXXXII die XXVII Aprilis. Coram domino Gerardo de Cornazano canonico tornacensi vicario domini O. episcopi bonon. petit dominus Spinellus de Ravenna clericus scholaris bononiensis filius quondam domini Apollonii de Ferraria dari sibi curatorem etc. presentibus domino Guilielmo de Malcunsigliis decretorum doctor etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

Clericali militiae nomen aliquando dederat Guilielmus et erat Rector Ecclesiae s. Blasii de Saliceto, anno MCCLXXV (1). Sed nondum sacris ordinibus initiato vitae institutum mutare integrum fuit et matrimonio semel atque iterum se obstringere. Anno MCCLXXXXI monachi pomposiani Guilielmum elegerunt sui monasterii advocatum (2); at brevi admodum tempore patrocinium eis praestitit, nam eo ipso anno vel insequenti humanis excessit (3). Duas habuit uxores, ex quarum altera Bonifacium filium suscepit, qui adulta aetate erat cum is ex hac vita decessit; alteram extremis vitae annis suscepit (4).

II. Vivebat eodem tempore Jacobinus decretorum doctor, Bonacursii Arpinelli tabellionis filius (5); ex primis, qui Ecclesiae servitio minime addicti, in academia nostra jus canonicum professi sunt; quod antea ecclesiastici viri veluti proprium ac suum sibi retinebant. Ejus sunt plures contractuum tabulae in Memorialibus Communis Bononiae, in quibus nihil memoratu dignum. Uxorem habuit nomine Contissam, Aldrovandini de Albaris filiam (6). Cum esset canonum professor inde ab anno MCCLXVIII vitam produxit ad annum MCCLXXXXVIII, ut ex tabulis apparet in archivo monialium Sanctae Agnetis asservatis (7). Alidosius vixisse ait ad annum usque MCCCXIV, quo anno testamentum fecerit (8). Id vero dubio procul falsum est. Anno enim MCCCI certe obierat, cum Jacobus ejus filius in notariorum ordinem adlectus est (9). Etiam in tabulis census acti anno MCCCIV descripti sunt una cum matre *Bonacursius, Michael, Jacobus quondam domini Jacobini Arpinelli.*

LV.

LAIGO. BRANDELISIUS RICCADONNA.

I. Laigonem canonicum bononiensem, juris pontificii interpretem, laudat Joannes Andreae in *Mercurialibus* et alibi (10). Neque hunc ignoravit Diplovataccius. *Lago,* inquit, *canonista supremus et canonicus bononiensis eodem tempore floruit,* aetate nimirum Friderici de Scalis, Joannis de Montemurlo, quos ante recensuerat. Sed verum ejus nomen fuisse novimus Laigonem sive Laigonum ex tabulis Ecclesiae bononiensis ad annum MCCLXXXII scriptis (11), in quibus cum aliquot aliis canonicis *Laigonus canonicus sancti*

(1) « MCCLXXV die XI intrantis Julii dominus Guilielmus de Bonis consiliis doctor decretorum clericus et Rector Ecclesie s. Blasii de Saliceto Bonon. dioces. dedit et locavit ad affictum etc. ». *Ibid.*

(2) « Anno MCCLXXXXI die XIV Octobris. Dominus Blaxius prior s. Marie de Argellata et dominus Petrus prior s. Siri de Bononia receperunt dominum Guilielmum de Bonconsiliis decretorum doctorem in advocatum dicti Monasterii (S. M. de Pomposia) et suorum membrorum in civitate Bonon. etc. ». *Ibid.*

(3) « Anno MCCLXXXXII die VII Novembris. Bonifacius Guilielmi filius adultus post patris mortem divisionem iniit bonorum, quae communiter cum suis affinibus possidebat ». *Ibid.*

(4) « Anno MCCLXXXX uxorem duxit Claram Munarolam viduam ». Ex *Memor.* ejus anni.

(5) « Dominus Jacobinus quondam Bonacursii Guidonis Arpinelli decretorum doctor etc. ». Ex *Memor.* anni MCCLXVIII et seq.

Fuerat autem Bonacursius Guidonis Arpinelli notarius Communis bononiensis ut apparet ex actis multis in *Reg. gross.*

(6) Ex *Memor.* anni MCCLXX ad diem XIII Febr.

(7) In his tabulis « Bonabarsii » filius dicitur, in ceteris omnibus « Bonacursi » sive « Bonacursii ».

(8) *Dottori bolognesi di legge* etc., pag. 94.

(9) « Dominus Jacobus quondam domini Jacobini Arpinelli ». Ex *Matricula Notariorum* ad eum annum.

(10) « Scire debes quod dominus Laigo canonicus bonon. decretorum doctor, qui paulo ante quam inciperem audire jura decesserat, dixerat quod hic deficiebat additio Bernardi satis longa ». Joann. Andreae ad c. *Relatum. Qui matrim. accus. poss.*

(11) Ext. in arch. Canon. s. Petri in *lib. Axium,* p. 33.

Petri decretorum doctor nominatur. Discimus hinc hujus professoris nomen ac praeterea nihil. Hunc Alidosius ait natum ex Basacomatribus, clara admodum familia, et scripsisse *Quaestiones* ab Alberico Rosate laudatas (1). Sed mirifice fallitur quoad hujus doctoris familiam, quam omnino ignoramus. Laigonem vero Basacomatrem Simonis filium, hominem laicum, juris civilis professorem fuisse nescivit, qui saeculo XIV vixit; de quo suo loco dicendum erit.

II. Insalutatum hic praeterire non licet Brandelisium Riccadonnam, canonicum bononiensem et decretorum professorem, qui vixit exeunte XIII saeculo et attigit initium XIV. Hic patrem habuit Bualellum Riccadonnam, quae familia inter nobiles civitatis nostrae censebatur (2). Ac fuit ejus frater Arpinellus Riccadonna, canonicus item bononiensis quique post mortem magistri Sinigardi archipresbyteratum Ecclesiae bononiensis consecutus est et annis plurimis tenuit; electus etiam aliquando episcopus faventinus, quamquam episcopatum inire non potuerit, quod electio reputata sit non rite facta ut in electorum dissidio (3). Brandelisius anno MCCLXXXVIII cum duobus aliis spectatae prudentiae civibus DCCC Virum decreto legatus est ad episcopos imolensem et faventinum, ut aliqua Reipublicae negotia magni momenti tractarent (4). Ejus saepissime occurrit mentio in antiquis tabulis, sed in iis nihil est memoria dignum. Dubium tamen non est, quin magnae auctoritatis fuerit (5). Testamentum ter fecit, primum anno MCCLXXIII, mox anno MCCLXXXXVI, demum anno MCCCVI, quo obiisse videtur. Secundi ac postremi testamenti tabulis sacerdotem in majori ecclesia bononiensi instituit, qui statis diebus pro ejus anima sacrum faceret (6).

LVI.

JACOBUS DE BAYSIO.

Floruerunt hoc ipso tempore in academia nostra duo canonum professores nobilitate generis clarissimi, Guido et Jacobus de Baysio fratres, patria regienses. Sed Guido doctrina etiam et dignitatibus illustrior fuit, sub Archidiaconi nomine inter juris canonici professores notissimus. De illo inter archidiaconos bononienses agemus. Jacobus doctor decretorum Bononiae degebat ad annum MCCLXXXVI (7). Nec dubium est quin docendi munere fungeretur, et quidem in suis (8) non autem in alienis scholis, ut doctores multi vel novitii vel tenuis famae facere solebant. Pro more eorum temporum

(1) Alidosi. *Dottori bolognesi di legge* etc., p. 154.

(2) « Nobilis vir dominus Brandelixius de Richadonnis ». Ita dicitur in *Mem. Com. Bon.* MCCCCIV.

(3) « Anno MCCLXXVIII die X exeuntis Martii dominus Arpinellus de Richadonnis archipresbyter bonon. electus in episcopum Ecclesiae faventinae suo proprio nomine dominus Alderotus prepositus faventinus, dominus Alborixinus, dominus Joanninus, dominus Oliverius, dominus Jacobinus, canonici Ecclesie faventine, promiserunt in solidum solvere domino Egidio de Foscherariis, doctori decretorum, LX lib. Bonon. hinc ad sex menses pro patrocinio ut idem dominus Gilius prestitit vel prestare promisit in causa electionis predicti domini Arpinelli facte de eo ad episcopatum faventinum etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(4) Ex *Lib. Reform.* ejus anni.

(5) « Anno MCCLXXXIV die VI Junii. In discretos et peritos viros Brandelixium de Richadonna decretorum doctorem, Albertum Odofredi legum doctorem, Thomasium Guidonis Ubaldini, Pacem de Pacibus, Basacomatrem de Basacomatribus, Antolinum de Manzolino legum doctorem, Bonincontrum decretorum doctorem, et Julianum domini Cambii jurisperitum compromittunt presbiter Nicolaus rector Ecclesiae s. Jacobi de Ponte Idicis et Bonifacius de Asinellis etc. ».

(6) Ex *Mem. Com. Bon.* ad eos annos.

(7) Ex *Mem. Com. Bon.*

(8) Ex instrumento anni MCCLXXXVIII stipulato « in scholis domini Jacobi de Baysio ». *Ibid.*

disputationes in scholis habuit earumque nonnullas scriptas reliquit, quibus usus est Joannes Andreae [1] aliique, ut opinor, qui postea fuerunt. Earum unam vidi in codice manuscripto Fratrum Minorum Caesenae [2]. Non ignoravit hunc canonum professorem Diplovataccius eumque Archidiaconi fratrem fuisse agnovit; quod ex Joanne Andreae accipere potuit [3]. Hic etiam ejus disputationes, sive *Quaestiones,* ab se visas memorat [4]. Sed erravit tamen cum patria mutinensem fuisse scripsit.

LVII.

JACOBUS CASTELLIUS.

I. Jacobus Castellius nec decretorum doctor in vetustis monumentis fuisse traditur, nec ulla scripta, quod quidem sciamus, reliquit; sed tamen in jure canonico tantum valere creditus est, quantum quisque ex professoribus sui temporis. Ac tale fuit totius academiae nostrae judicium. Cum enim in scholis et in judiciis perpetuae orirentur dissensiones ob multas decretales Romanorum Pontificum, quae emerserant post collectionem gregorianam, quarum aliae a quibusdam doctoribus uti spuriae rejiciebantur, aliae pugnare cum aliis decretalibus videbantur; ubi electus est Romanus Pontifex Bonifacius VIII, quem constabat humani divinique juris consultissimum esse, communi sententia deliberatum est in academia nostra, adeundum esse Pontificem ipsum et nomine totius academiae orandum ut hasce juris pontificii ambiguitates tolleret. Itaque ob hanc causam legatus est ad Pontificem Jacobus Castellius, quem is libenter audivit eumque successum haec legatio habuit, ut Bonifacius Gregorium IX imitatus novum juris canonici codicem, quem Sextum Decretalium vocamus, edendum curaverit. Narrat hanc Jacobi Castellii legationem Joannes Andreae, qui eo ipso tempore, quo haec gesta sunt, adolescens juri canonico dabat operam in scholis nostris, aitque Jacobum magnum quidem juris pontificii scientia fuisse sed statura corporis exiguum; quare illud ei accidisse, ut cum coram Pontifice et Cardinalibus stans diceret et mandata academiae nostrae exponeret, Pontifex, qui in genua provolutum putabat, annuerit ut surgeret; eoque errore Pontificis cognito Cardinalem Portuensem, qui Pontifici assidebat, dixisse: *Pater Sancte Zachaeus est* [5].

II. Fuit Jacobus Ecclesiae bononiensis servitio addictus in eorum ordine, quos mansionarios dicimus et jam inde ab anno MCCLXXIV magistri titulum usurpare coeperat; quo anno interfuit quibusdam actis capitularibus Fratrum Militiae Templi cum Marsilio Mantighellio illustri canonum professore [6]. Grimaldini Castellii filius fuisse per-

(1) JOANN. ANDREAE in c. *Usurarum,* tit. *De usuris,* et *De reg. jur.* in *Sext.*, c. *In poenit. fac.*

(2) « Quaestio talis est: Quidam usurarius manifestus .... In quaestione hac proposita mihi Jacobi de Baisio civi regino in civitate Bononiae videtur ita responderi posse etc. ». Ext. in codice manuscripto biblioth. Fratr. Min. Caesenae saepius cit.

(3) JOANN. ANDREAE, *loc. cit.*

(4) « Tempore istius (Guidonis de Baysio Archidiaconi) floruit Jacobus de Abaisio mutinensis frater dicti Archidiaconi. Vidi quaestiones suas: Incipit prima Quaestio: Quaestio talis est ». DIPLOVAT. in *Guid. de Baysio.*

(5) « Me teste fuit super hoc requisitus (Bonifacius VIII) ab universitate Bonon. per nuncium suum ad hoc missum, discretum virum bonae memoriae, dominum Jacobum de Castello, mansionarium bononiensem, qui homuncio erat, idest parvus homo corpore et intelligas; quod magnus fuit in hujus juris scientia. Cum proponeret coram Papa Bonifacio stans, Bonifacius credens genuflexum, monebat eum ut surgeret; et tunc fertur Portuensem, scilicet, Fr. Matthaeum de Aquasparta dixisse ad Papam: Zachaeus est ». JOANN. ANDREAE in prooemio *Sext. Decretal.*, v. *A multis.*

(6) « Actum in domo Templariorum de Bononia in camara predicti fratris magistri Alberti, presente domino Marsilio magistro decretorum, magistro Jacobo de Castello etc. ». Ex *Memor. Com. Bonon.* die XII exeuntis Martii.

libetur; sed omnino praeter rationem. Qui enim vivebat eodem tempore Jacobus Castellius Grimaldini filius, in monumentis nostrae civitatis notissimus, vir quidem fuit apprime nobilis sed neque ecclesiastico coetui adscriptus (1), neque in jurisprudentiae studiis, quod constet, versatus. De legatione etiam, qua apud Pontificem functus est Jacobus Castellius noster, ita loquuntur scriptores nonnulli ut eo ipso suam inscitiam satis superque ostendant.

LVIII.

GUILIELMUS DE MANDAGOTO

S. R. E. CARDINALIS.

I. Miris modis corruptum legitur in antiquorum scriptis hujus clarissimi viri gentilitium nomen (2). Lutevae in Occitania natus medio circiter saeculo XIII ex praenobili familia, Bononiam venit in scholis nostris ac praesertim in jurisprudentia et eloquentia erudiendus. Anno MCCLXX Bononiae degebat inter scholares eratque jam tum canonicatu nemausensi ornatus (3). Triennio post adhuc Bononiae erat necdum doctor creatus; quem honorem anno MCCLXXV manifestum est ab eo adeptum (4). Quare nullum est dubium quin juri pontificio interpretando in nostris scholis vacaverit, non solum cum doctor creatus est, sed etiam cum sibi viam sterneret ad eum gradum, ad quem nemini adspirare licebat, qui diuturnum doctrinae experimentum docendo non fecisset. Quandiu post anno MCCLXXV in academia nostra moram duxerit incompertum est. Relictis scholis adhaesit Bernardo Languisello episcopo portuensi, Sedis Apostolicae legato, in cujus comitatu erat anno MCCLXXXV (5). Apud ipsum causis cognoscendis intendisse videtur. Erat tunc archidiaconus nemausensis, quo tempore, vulgata jam ejus fama doctrinae, capellanus pontificius creatus est, incertum a quo Pontifice. Talem se dicit Guilielmus in inscriptione libri *De electionibus,* de quo infra dicemus. Sed et archidiaconum ucetiensem et praepositum Ecclesiae tolosanae aliquando fuisse constat (6). Dein a Bonifacio VIII, qui, ut erat ipse juris peritissimus, Guilielmum de Mandagoto in eadem facultate excellentem plurimi aestimabat, creatus est archiepiscopus ebredunensis circiter annum MCCLXXXXV; idemque a Clemente V, qui anno MCCCV comitatui

(1) « Dominus Jacobus quondam domini Grimaldini de Castello » extat in tabulis an. MCCCIV et MCCCVIII, in quibus nulli omnino clerici, sive ecclesiastici viri descripti sunt, neque ex more describi debuerunt.

(2) « De Mandagato » alicubi dicitur, « de Mandago, de Mandagon » et pejus alibi « Guido Magadus ». Atqui huic familiae nomen dedit vicus « Mandagout » alesiensis dioecesis, ad radices Gebennarum, haud longe a Luteva. Vide *Mem. de l'Academie Royale des sciences,* anno MDCCLXII, pag. 632.

(3) « Dominus Guilielmus de Mandegoto canonicus nemauxensis » cum aliis scholaribus gallis foenori pecuniam accipit. Ex tab. in *Mem. Com. Bon.* ejus anni.

(4) « MCCLXXV die VIII exeuntis Septembris. Dominus Guilielmus filius domini Guilielmi de Mandeguto doctorem decretorum etc. ». Sic ejus nomen describitur in *Mem. Com. Bon.* ad eum annum.

Ptolomaeus Lucensis in *Vita Clementi V* narrat, anno MCCCXII novem cardinales ab eo Pontifice creatos, ex quibus quatuor erant doctores juris, quorum unus fuit Guilielmus de Mandagato tunc archiepiscopus aquensis. Apud BALUZIUM, *Pap. Avenion.,* t. I, pag. 78.

(5) « Anno MCCLXXXV die Jovis prima Februarii indictione XIII. Actum Imole manu Jacobi de Bargiaco auctoritate apostolica notarii, presentibus Bernardo Laiguiscello archidiacono aureliacensi (erat is agnatus Bernardi Cardinalis Legati tunc Imolae degentis) magistro Guilielmo de Mandagon archidiacono nemausensi Raymundo de Vodabla canonico ferrariensi et aliis ». Ex actis in quadam controversia nostrorum Camaldulensium, de quibus vide *Annal. Camald.,* t. V, pag. 167.

(6) BALUZ., *loc. cit.,* pag. 666, et *Hist. Gen. de Languedoc,* t. III, pag. 153.

vindascino rectorem eum praefecerat, archiepiscopus aquensis in Narbonensi secunda renunciatus est et mox anno MCCCXII S. R. E. cardinalis episcopus praenestinus. Vitam duxit usque ad annum MCCCXXI Avenione demum extinctus, doctrina, pietate, rebusque gestis clarissimus (1). Eum cardinales itali, quibus cura erat, ut optimum Pontificem eligerent qui ingruentibus christianae reipublicae malis occurreret, summo studio egerunt ut in locum Clementis V sufficerent; verum cardinales aliquot vascones obstitere (2).

II. Sed hoc etiam ad ejus commendationem facit, quod a Bonifacio VIII ad conficiendum novum pontificiarum legum codicem, quem Sextum Decretalium appellamus, cum Berengario biterrensi episcopo et Richardo Petrono senensi delectus est, ut Bonifacius ipse testatur in ejus libri prooemio, ubi tres illos egregios viros juris pontificii scientia excellentes cum praefatione laudis commemorat.

GUILIELMI DE MANDAGOTO SCRIPTA.

Libellus electionum sive *Summa de electionibus praelatorum*. Laudatur maxime ab antiquis canonum interpretibus hic Guilielmi de Mandagoto tractatus de electione praelatorum; de quo ita Diplovataccius: *Composuit libellum de electionibus faciendis, quem per modum textus et glossarum ordinavit* (3). Prius nimirum libellum hunc composuit, in quo strictim et quasi per summa capita exposuit quae ad electionum materiam ex jure canonico pertinent. Deinde huic ipsi libello commentaria perpetua subnexuit, in quibus non solum dilucide explicavit electionum doctrinam ex jure pontificio propositam, sed multa addidit, quae, ut ipse inquit, brevitatis causa in textu omiserat. Non semel typis editus est hic liber cum suis commentariis; et laudatur in primis editio, quae prodiit Coloniae anno MDLXXIII cum additionibus Boerii. Reperitur etiam passim manuscriptum inter antiquos ditiorum bibliothecarum codices, ex quo apparet magno olim usui juris pontificii studiosis hunc librum fuisse. Ejus tale initium est in codice Vaticano: *Incipit libellus electionum a magistro G. de Mandagoto super electionibus faciendis et earum processibus. Venerabili viro, discretione, scientia et moribus multipliciter radiganti, magistro suo karissimo, domino Berengario Fredoli succentori* (Apud Ciacconium, ubi de Guilielmo de Mandagoto agitur inter cardinales Clementis V, perperam legitur *successori*) *biterrensi, domini Papae capellano et doctori fecundissimo decretorum, Guilielmus de Mandagoto archidiaconus nemausensis et ejusdem domini Papae capellanus salutem etc.* (4)

Hunc Guilielmi librum Joannes Andreae, aliorum doctorum precibus, ad nova jura exegit et reformavit, ut tradit Diplovataccius (5); cumque saepius typis editum habemus.

Summa super decretalibus. Indicatur a Diplovataccio his verbis: *Composuit etiam Summam super decretalibus; incipit: Alpha et Omega unum in essentia trinum in personis* (6).

Liber Dictaminum Guilielmi de Mandagoto, in quo continentur formulae, quibus pater filio, filius patri, avus nepoti, amicus amico etc. scribere, vel etiam eum alloqui debeat. Commemorat hunc librum Cangius in lexico V *Dictamen*.

Scripsisse etiam a Ciaconio aliquid dicitur de legum disciplina; quod cujusmodi sit, non intelligo (7). Falconius noster (8) epistolam ei tribuit ad Bononienses de recuperanda Ferraria, sed ea est Guilielmi Arrufati cardinalis, cui revera a Ghirardaccio, libro XVI Historiarum Bononiensium, adscribitur (9).

(1) Haec latius a Baluzio exponuntur, et in *Historia Generali Occitaniae,* loc. cit.

(2) BALUZ., t. II, pag. 289 seq., ubi affertur epistola Napoleonis Ursini cardinalis ad Philippum Regem Francorum, in qua mira de optimi hujus cardinalis meritis narrantur.

(3) DIPLOVAT. in *Bonifacio VIII.*

(4) Codex Vatic. 2646.

(5) DIPLOVAT., *loc. cit.*

(6) *Ibid.*

(7) CIACON. in *Guil. de Mandag.*, t. II nuperae editionis, inter *Cardinal. Clem. V.*

(8) FALCON., *Hist. Bonon.*, lib. III.

(9) GHIRARDACCIUS, lib. XVI.

LIX.

BERENGARIUS FREDOLI

S. R. E. CARDINALIS.

Guilielmus de Mandagoto Berengarium Fredoli magistrum suum carissimum appellat in inscriptione libri de electione praelatorum, quem Berengario ipsi dicavit, ut supra demonstratum est. Nemo igitur mihi vitio vertat, quod hunc celebrem juris pontificii professorem nostris adjungo. Cum enim Guilielmus in academia nostra eruditus sit, facile illum potuit in scholis nostris docentem audire, quantumvis aetate et fama ipsi proximus (1). Neque vero credibile est Bonifacium VIII hunc etiam delegisse, ut ejus opera uteretur in edendo VI decretalium libro, nisi diu in Italia versatus optimam de se opinionem apud Pontificem excitasset. Cum autem eo ipso tempore, quo Guilielmus de Mandagoto suum ei librum de electione praelatorum dicavit, esse jam capellanus pontificius, ut ex ejus libri inscriptione apparet, multo ante pontificatum Bonifacii VIII Berengarium oportet carum Pontificibus fuisse. Praeclaro Fredolorum genere ortus, qui verunensis oppidi in Occitania inferiori, haud longe a Montepessulano, domini fuerunt (2), ob famam eruditionis ac doctrinae, admodum juvenis canonicatum in Ecclesia biterrensi obtinuit; mox ibidem succentor et abbas saecularis s. Aphrodisii, canonicus etiam narbonensis et aquensis, itemque corbariensis archidiaconus creatus est (3). A Caelestino V Pontifice anno MCCLXXXXIV biterrensi insula ornatus (4), successori ejus Bonifacio VIII, ut supra ostendimus, in conficiendo VI decretalium libro utilem operam navavit. Anno demum MCCCV, sub initium pontificatus Clementis V, cardinalis S. R. E. ab eo dictus est, presbyter primum ss. Nerei et Achillei, deinde episcopus tusculanus (5). Avenione mortuum III idus Junias anni MCCCXXIII ex fide veteris necrologii Ecclesiae narbonensis referunt Auctores Galliae Christianae; id vero cum eo non consentit, quod recitant paulo post; nimirum, anno MCCCXXI Guilielmum Fredoli, tunc biterrensem episcopum, Berengarii hujus cardinalis patrui sui corpus Avenione, ubi tumulatum fuerat, ad aram sancti Stephani in sua ecclesia humandum transtulisse (6). Alterutro sane loco mendum aliquod lateat necesse est, ut tamen in re admodum dubia necrologii auctoritas pluris facienda videtur.

(1) Ut Guilielmus magistrum suum Berengarium hic appellat, sic vicissim Berengarius scripta quaedam sua anno MCCC Guilielmo tradidit emendanda. — Vide infra.

(2) Guilielmi Fredoli verunensis dynastae filius, decretorum doctor appellatur anno MCCLXXIX. Vide *Hist. Gen. de Languedoc*, t. IV, pag. 30 et 96.

(3) Vide *Gall. Christ.* in *Episc. Biterr.*, et *Hist. Gen. de Languedoc*, loc. cit.

(4) Rite id probant auctores *Galliae Christianae* adversus Baluzium, qui anno demum MCCLXXXXVIII episcopum biterrensem a Bonifacio VIII creatum existimaverat.

(5) Nempe anno MCCCIX. Vide Ciacon. et Ughell. in *Episc. Tusculanis*.

Fuerunt autem per ea tempora ex Fredolorum gente antistites tres Berengarii nomine; scilicet, Berengarius I, ab anno MCCLXII ad MCCLXXXXVI episcopus magalonensis; Berengarius II Guilielmi filius, canonum professor, episcopus biterrensis et cardinalis tusculanus; demum Berengarius III Petri filius, ex biterrensi pariter episcopo anno MCCCXI a Clemente V cardinalis presbyter renunciatus et quinquennio post a Joanne XXII episcopus portuensis. Quo agnationis gradu inter se juncti fuerint, non satis liquet. Vide Auctores supra cit.

(6) *Gall. Christ.*, loc. cit.

BERENGARII SCRIPTA.

Repertorium super *Speculo juris* editum *a Berengario Cardinali.* Hunc habet titulum in codice Vaticano (1). Praelongum est opus et spissum, secundum alphabeti ordinem digestum ac tale initium habet: *Quia inusitata est lectio Speculi judicialis, in quo judices et lectores, consiliarii, advocati, tabelliones etc. ideo nos Berengarius, miseratione divina tituli ss. Nerei et Achillei presbiter cardinalis, quondam episcopus biterrensis, ad inveniendas faciliter materias hujus libri etc. Datum Burdegalae, in festo Nativitatis Domini MCCCVI.*

Similem Indicem, sive Repertorium, concinnavit Berengarius in Summam Ostiensis, quod vocavit *Oculum,* dicavitque Guilielmo de Mandagoto, a quo libellum *De electionibus* acceperat, ut refert Joannes Andreae (2). Id puto esse *Inventarium juris canonici,* quod *Galliae christianae* Auctores in bibliotheca colbertina extare tradunt, anno MCCC a Berengario scriptum et ad Guilielmum de Mandagoto missum, quasi ejus opera emendandum (3).

Tractatus quoque Berengarii *De excommunicationibus* recensetur inter codices ejusdem bibliothecae (4).

LX.

ALTIGRADUS DE LENDINARIA

EPISCOPUS VICETINUS.

I. Est populosum et opulentum oppidum Lendinaria prope Ferrariensium fines, ad Athesim flumen, quod olim oppidum obtinuere Catanei, gens vetusta et nobilis, post autem in ditionem Atestinorum principum venit, demum Venetae Reipublicae subjectum fuit, cui etiamnum paret (5). Ex ea Cataneorum familia natus est Altigradus, sive, ut alicubi etiam legitur, Altegradus de Lendinaria appellatus, decretorum doctor illustris. Fuit is omnium primus, qui cum Dino Mugellano, eximio juris caesarei interprete, in scholis nostris conductus est ad docendum stipendio ex aerario publico attributo. Certe ante duos hosce professores, neminem compertum habeo publice in academia nostra conductum. Anno quidem MCCLXXX stipendium Garsiae Hispano decretum fuerat, ut supra dictum est; vero neque post annum illum prorogatum Garsiae lectionem novimus, neque ulla stabili lege cautum erat aliquid a populo bononiensi, de arcessendis in annos singulos deinceps aliquot doctoribus; quod tunc primo factum, cum Altigradus et Dinus sunt conducti. Sed cum Dini fama adhuc integra vigeat, ejusque nomen inter veteres jurisconsultos maxime celebretur, Altigradus aetate nostra prope ignotus est in literaria republica, quamquam, dum viveret, in magna fuerit doctrinae excellentis opinione, dignus qui cum Dino, et quidem majore stipendio, ad docendum in academia nostra invitaretur. Valebat, opinor, in schola plurimum, sed cum nihil fere mandarit literis ejus memoria extincta est. Fuit is anno MCCLXXXIX, petente universitate scholarium, ut dictum est, ad lectionem ordinariam decretorum a Communi Bononiensium electus annuo stipendio librarum Bononinorum CL, cum Dino centenae tantum

(1) Codex Vatic. 1295.

(2) « Sciendum, quod Guilielmus de Mandago.... composuit libellum de electionibus, et inscripsit domino Berengario.... qui dominus Berengarius vice versa opus, quod per alphabetum super Summam Ostiensis composuit et vocavit Oculum, dicto domino Guilielmo direxit ». JOANN. ANDREAE in addit. ad *Specul.,* tit. *De electione.*

(3) *Gall. Christ.* in *Episc. Biterr.*

(4) *Ibid.*

(5) MURATORI. *Antichità Estensi,* t. II, pag. 37.

attributae fuerint pro lectione Digestorum extra ordinem [1]. Id enim circa illud tempus in academia nostra institutum est, ut, quamvis plurimi essent omnium disciplinarum professores, qui publice docerent, nulla ex publico mercede sibi constituta, universus scholarium coetus, qui juri canonico et civili dabat operam, duos celebres professores, alterum juris canonici alterum civilis, arbitratu suo eligeret, cui certum ex aerario publico stipendium tribueretur. Crevit autem deinceps professorum numerus, qui mercede constituta docerent; ac tandem eo ventum est ut professoribus universis honorarium constitueretur; qua de re alibi diximus.

II. Sed Altigradum quisnam casus academiae nostrae abstulerit, incompertum est. Nulla certe ejus mentio in civitatis nostrae monumentis, nisi ad eum annum, quo publice conductum diximus. Verum, cum inter episcopos vicetinos Altigradum de Lendinaria reperiam initio saeculi XIV eam cathedram obtinentem, non dubito quin idem sit Altigradus noster; praesertim cum vicetinus iste episcopus decretorum doctor in titulo ad ejus sepulcrum posito dicatur et temporis ratio egregie constet. Videtur autem ex nostris scholis ad Romanam Curiam migrasse, aut certe ex docendi munere ad ecclesiasticas procurationes pro Sede Apostolica adhibitus. Fuit enim Sedis Apostolicae notarius, ut in pluribus Benedicti XI literis appellatur; et quo tempore electus est episcopus vicetinus, occupatus erat Romanae Ecclesiae negotiis. Putat Ughellus Altigradum vicetinae Ecclesiae episcopum creatum fuisse anno MCCCIV, VIII kalendas Martias, idque ex literis Benedicti XI eo die datis. Verum Pontifex iis literis non electionem Altigradi indicat, sed, quod eo tempore impeditus esset Sedis Apostolicae negotiis tractandis, inducias ei permittit ad consecrationem episcopalem accipiendam. Ita me docuit clarissimus Garampius, mihi semper cum honoris et grati animi significatione nominandus, qui et alias ejusdem Pontificis literas indicavit, datas eodem die, quibus Pontifex mandavit abbati s. Justinae, archipresbytero canonicae decimanorum in Ecclesia mediolanensi et archidiacono neugradensi in Ecclesia strigoniensi viderent diligenter ne quid detrimenti caperet Altigradus, propterea quod intra tempus lege praescriptum sacratus non esset. Erat Altigradus, cum episcopus renunciatus est, patavinae Ecclesiae archipresbyter, ut ex iisdem Benedicti XI literis apparet [2].

III. Sunt aliae plures in regestis Vaticanis hujus Pontificis epistolae ad Altigradum pertinentes, quas item commonstravit clarissimus Garampius [3]. Atque eae quidem de rebus haud magni momenti sunt, sed valent tamen ad ostendendum illustres Altigradi affinitates et quam nobili loco natus esset, quamque carus Pontifici optimo atque incomparabili Benedicto XI, quam esse non minimam Altigradi laudem puto. Tales sunt Pontificis literae, quibus Jacobinum filium nothum *nobilis viri Manuelis de Cataneis Lendinariae clericum adriensem, natum ex soluto et soluta ejusdemque Altigradi nepotem*, restituit natalibus [4]. Idem indulget Pontifex Theobaldo nato quondam nobilis viri Friderici de Arco scholari tridentinae dioecesis, ipsius item Altigradi *nepoti* [5]. Eadem indulgentia utitur Pontifex in Guilielmum de Comitibus, scholarem patavinum Altigradi familiarem, ex illegitimo item concubitu natum [6]. Permittit etiam Altigrado, ut duo clerici ex ejus contubernio et famulatu, in annos quinque suorum beneficiorum fructus capere

(1) Ex *Lib. Reform. Com. Bon.* ad eum annum.
(2) In *Reg. Benedicti XI*, an. I, ep. 405.
(3) *Ibid.*, ep. 222, 512, 615 etc.
(4) *Ibid.*, ep. 409.
(5) *Ibid.*, ep. 322.
(6) *Ibid.*, ep. 300.

possint, licet absentes (1). Denique idem Pontifex, datis literis episcopo patavino et Altigrado ipsi vicetino electo, concedit ut archipresbyteratum Ecclesiae patavinae, quo se Altigradus in manibus Pontificis abdicaverat, conferre libere possent cui ipsi voluissent, modo esset canonicus patavinus (2).

IV. Gessit Altigradus episcopatum vicetinum ad annum usque MCCCXIV magni et excelsi animi vir et Atestinorum principum amicissimus; quibus etiam magna equestris militiae subsidia suppeditasse dicitur in bello contra Venetos. Alia narrat Ughellus de Altigrado, quae hic regerere non vacat, aitque illum Patavii in patria sua obiisse; quasi vero ejus patria non fuerit Lendinaria, quo ex oppido quasi cognomentum duxit. Denique eum tradit in ecclesia s. Augustini depositum in marmoreo sepulcro, cum hac inscriptione:

HIC · JACET · VENERABILIS · IN · CHRISTO · PATER
ALTOGRADUS · CATANEUS · DE · LENDENARIA
ET · DOCTOR · DECRETORUM · ET · EPISCOPUS · VICENTINUS
QUI · FELICITER · DE · HOC · MUNDO · MIGRAVIT
PRIMA · DIE · OCTOBRIS · MCCCXIV · INDICTIONE · XII
CUJUS · ANIMA · REQUIESCAT · IN · PACE
AMEN

Reliquit Altigradus *Quaestiones* aliquot, quas vidit Joannes Andreae (3); praeterea nihil; ut mirum non sit ejus nomen inter claros juris canonici professores frustra requiri.

LXI.

STEPHANUS BONERIUS.

I. Altigradi successor in cathedra juris pontificii, cujus professorem eligere coeperant scholares, Stephanus Bonerius fuit, natione gallus et canonicus narbonensis. Is de Singano dicebatur (4), qui locus est in Provincia; atque ex eo loco ejus familia originem duxerat vel ipse in eo natales habuerat. Erat ille in Curia Romana cum scholares nostri ejus fama permoti de eo conducendo egerunt apud magistratus civitatis, qui datis ad illum literis et oblato stipendio Bononiam adduxerunt ad lectionem ordinariam decretorum (5). Eo munere functus est Stephanus annis septem, prorogata in annos singulos populi decreto lectione, ab anno scilicet MCCLXXXX ad annum MCCLXXXXVII (6).

(1) In *Reg. Benedicti XI,* an. I, ep. 409.

(2) *Ibid.,* ep. 512.

(3) « Altigradus demum episcopus vicentinus in sua disputatione differentiam facit etc. ». JOANN. ANDREAE, c. *Tua fraternitas. De adult.*

(4) De Singano dicitur in inscriptione sepulcrali, quam infra damus. In actis publicis archivi bononiensis « Stephanus Bonerii » vel « Bonerius » non semel appellatur.

(5) Anno MCCLXXXXI die VII Februarii petunt scholarium Rectores a Consilio populi bononiensis ut quoniam populus Potestati et Capitaneo negotium dederat conducendi publice duos excellentes professores, quorum alter lectionem ordinariam decretorum, alter extraordinariam legum habeat, librae CL decernantur « domino magistro Stephano canonico narbonensi doctori in decretis qui vocatus fuit de Romana Curia per dominum Potestatem et dominum Capitaneum et Antianos et Consules populi bononiensis per literas Communis Bononiensis et librae C Dino Mugellano legenti extraordinarie in legibus ». Cui petitioni Consilium annuit. — Ex act. pub. ejus anni in *Lib. Reform. Communis Bonon.*

(6) Ex actis publ. ad eum annum.

Verum hoc ipso anno MCCLXXXXVII stipendium ex publico non habuit, sed inusitata collatione a scholaribus, incertum quanam ex causa, ac fortasse ob aerarii publici angustias propter grave bellum, quod Bononienses per illud tempus cum Azone Atestino Ferrariensium marchione gerebant. Vidimus tabulas publicas, quibus Martinus rector Ecclesiae s. Mariae de Cubla caesaraugustanae dioeceseos, procurator rectorum universitatis scholarium bononiensium, fatetur se foenori accepisse ab argentariis societatis Scalarum CL libras Bononinorum, Stephano Bonerio persolvendas ob lectionem ordinariam decretorum, quam in scholis nostris habebat. Eae sunt scriptae anno MCCLXXXXVII [1]. Neque diu postea Bononiae versatus est Stephanus Bonerius, sed Romam reversus est ac paulo post in ea civitate extremum obiit diem, ubi honorifice tumulatus est in templo Arae Caeli; extatque ad hanc diem titulus ad ejus sepulcrum positus, qui est hujusmodi:

HIC · JACET · DOCTOR · EGREGIUS · DECRETORUM
DOMINUS · STEPHANUS · DE · SINGANO · PROVINCIALIS
QUI · VII · ANNIS · BONONIAE
AD · COMMUNIS · SALARIUM · CONTINUATA · LECTURA
VOCATUS · PER · DOMINUM · PORTUENSEM
FINE · LAUDABILI · IN · DOMINO · REQUIEVIT
ANNO · DOMINI · MCCLXXXXVIII · OCTAVO · IDUS · MADII
CUJUS · ANIMA · REQUIESCAT · IN · PACE
AMEN

Quod hic dicitur *vocatus per Dominum Portuensem* sic interpretor, ut invitatus a Cardinali Portuensi Romam venerit.

II. Dubitavi autem aliquando num Stephanus iste Bonerius idem esset qui postea episcopatum faventinum gessit. Sed omnem dubitationem abjeci ejus titulo sepulcrali reperto. Hunc itaque professoris nostri fratris filium existimo, aut certe ex ejus familia. Hic primum Ecclesiae Romanae thesaurarius fuit [2], dein episcopus faventinus [3], mox rector Aemiliae provinciae [4], denique vicarius et vicecomes Fortanerii archiepiscopi ravennatis [5].

III. Stephanus Bonerius ille senior et canonum professor *Disputationes* aliquot reliquit more doctorum ejus aetatis, qui in ejusmodi disputationibus ingenium exercebant. Earum unam memorat Joanne Andreae in decretalium Commentariis [6].

(1) *Vide Appendicem.*

(2) « Anno MCCCXXXX Stephanus Bonerii rector ecclesiarum de Gaurelac et Varinac sarlatensis diocesis, provincie romane thesaurarius pro S. R. E. ». Ita dicitur in tabulis archivi Fratrum Minorum, I, 52.

(3) Vide UGHELL. in *Ep. Favent.* — Electum constat episcopum faventinum anno MCCCXXXXIII ex charta archivi Metropol. Eccl. Ravenn. E, 1570.

(4) Rector Romandiolae creatur a Clemente VI, anno MCCCLXXXXVII. — Ex charta ejusdem archivi, Q, 8655.

(5) Anno MCCCLXXXXVIII erat vicarius et vicecomes Fratris Fortanerii archiep. Ravennae. — Ex charta ejusdem archivi, A, 108.

(6) « Et fuit hoc terminatum in disputatione per dominum Stephanum etc. ». JOANN. ANDREAE, *Novell.* ad tit. *De electione, c. Ecclesia vestra.*

LXII.

GUILIELMUS DE PETRALATA.

Guilielmi de Petralata canonum professoris memoriam servavit Joannes Andreae, qui ejus meminit in *Commentariis ad Regulas Juris in Sexto* et alibi. Neque illum ignoravit diligentissimus Diplovataccius, qui eum dicit Bononiae floruisse multo ante quam ederetur a Bonifacio VIII sextus decretalium liber. Neque hic prorsus fallitur; annis enim aliquot ante Bonifacii VIII pontificatum Guilielmum de Petralata decretorum professorem Bononiae vixisse indubium est. Ejus saepe mentio est cum aliis exteris scholaribus in Memorialibus Communis Bononiae, ubi multae sunt tabulae contractuum, quos ipse celebravit, vel quibus praesens interfuit, anno MCCLXXXXII (1) et deinceps scriptae. Ac dubitavi aliquando num natione germanus esset, quod non semel cum scholaribus germanis aliquid negotii commune habuisse viderem (2). Solebant enim singularum nationum scholares societatem quamdam inter se inire suaque negotia seorsim ab aliis tractare. Sed Joannes Andreae provincialem fuisse dicit (3), nempe ex oppidulo Delphinatus Petralata in ipsis Provinciae finibus. Fuit professione monachus (4) ac prior Cardeliaci in dioecesi cadurcensi; sic enim appellatur in tabulis anno MCCLXXXXIV scriptis (5). Videtur autem hunc prioratum consecutus eo tempore, quo in scholis nostris degebat; in tabulis enim ante illum annum scriptis eo dignitatis titulo caret. Anno MCCLXXXXVII electus est ab Universitate scholarium ad interpretandum Decretum extra ordinem. Discesserat ille ex scholis nostris; quare revocatus est populi bononiensis decreto (6) eique oblatum est stipendium quinquaginta librarum. Num Bononiam ad docendum redierit, compertum non habeo. Id unum constat aliquandiu ejus nomen inter professores juris canonici celebratum esse et disputationes ejus, quas in scholis habuerat, ab iis non neglectas (7). Sed eae postea perierunt, nec ullum earum vestigium reperire licuit in libris sive editis sive manuscriptis.

(1) « Anno MCCLXXXXII die .... dominus Guilielmus de Petralata monachus de Sejavano doctor decretalium » mutuo accipit etc. praesente « domino Richardo canonico de Cassiano ». Ex *Mem. Com. Bon.*

In aliis tabulis rectius dicitur « monachus de Serignano ».

(2) Ex *Mem. Com. Bon.* anno MCCLXXXXII etc.

(3) « Consideranda fuit haec quaestio domini Guilielmi de Petralata Provincialis ». JOANN. ANDREAE in *Sext.*, c. *Si pater. De testam. et ult. volunt.*

(4) Ex tabulis anni MCCLXXXXII supra cit.

(5) Ex *Mem. Com. Bon.*

(6) « Anno MCCLXXXXVII die IX Octobris. Item quid placeat vobis et dominis Antianis .... Petunt rectores consiliarii et tota universitas scholarium pro augmentatione studii .... Item quod scribatur domino Guilielmo de Petralata doctori decretorum ut ipse veniat in civitate Bononie ad legendum decretum in anno proximo cum salario consueto a Communi Bonon. solvendo cum sit ab universitate communiter electus etc. ». Ex *Lib. Reform. Com. Bon.*

(7) « Tenuit hoc in disputatione sua Guilielmus de Petralata ». JOANN. ANDREAE in *Sext.*, c. *Commissa. De electione.*

LXIII.

OCTAVANTES FLORENTINUS.

Octavantem non semel laudat Joannes Andreae ut illustrem juris pontificii interpretem. Erat is patria florentinus, Guidolotti filius (1) et affinis Thaddaei Alderotti medicorum aetatis suae principis (2); indeque ab anno MCCLXXVIII versabatur in scholis nostris (3). Triennio post vicariam operam in administrando episcopatu praestabat Octaviano Ubaldino episcopo bononiensi eratque tunc temporis canonicus plebis Cassiae; sic enim dicitur in publicis tabulis, quas ex Memorialibus Communis Bononiae hic indicamus (4). Nondum tamen erat doctoris gradu insignitus; qui gradus nisi probatissimis viris nondum aetate illa conferebatur. Anno MCCLXXX adhuc scholaris procuratorem suum delegit magistrum Laurum de Burgo s. Laurentii (5). Post aliquot annos constat illum a scholaribus electum ad jus canonicum in academia nostra interpretandum, stipendio eodem atque eodem loco quo antea Altigradus. Anno enim MCCCV et duobus, qui secuti sunt, decretorum librum interpretabatur (6). Is etiam per illud tempus cum aliis clarissimis decretorum et legum doctoribus in consilio adhibitus est a Quaesitoribus fidei in causis fori sui definiendis (7). Scripsit Octavantes plures quaestiones, quas in scholis ex usu temporum illorum tractaverat, in quibus Bernardum, Ostiensem et Innocentium allegat, ut notat Diplovataccius (8). Eas saepe citat Joannes Andreae, praesertim in reg. *Cui licet*. Narrat idem Diplovataccius Octavantem appellari magnae auctoritatis doctorem a Bonaguida Arretino sub initium tractatus, quem *De dispensationibus* inscripsit. Sed Bonaguida Arretinus in tractatu *De dispensationibus* nec memorat nec memorare potest Octavantem, qui annis pluribus post ejus aetatem inter scholares academiae nostrae degebat cum Innocentii IV aetate Bonaguida ipse floruerit. Neque reipsa alium doctorem eo loco nominavit Bonaguida quam Goffredum. Mendoso igitur exemplari usum puto Diplovataccium, in quo pro Goffredo scriptus esset Octavantes, nisi memoriae lapsu in hunc errorem incidit.

(1) « Dominus Octavante domini Guidolotti de Florentia decretorum doctor ». Ita ejus nomen recensetur inter doctores, qui anno MCCCV assidebant Quaesitori fidei in civitate nostra, haereticae pravitatis judicia agenti. Ex codice membranaceo archivi Sacrae Inquisitionis Bononiae, alibi cit.

(2) Thaddaeo Adela Octavantis soror nupserat anno MCCLXXIV. Vide infra in Thaddaeo.

(3) « Eo anno die .... Octavantes de Florentia vendit Beltrando de Spinali Gallo scholari bononiensi Codicem pretio lib.... ». Ex *Mem. Com. Bon.* ejus anni.

(4) « Anno MCCLXXXI die VII exeunte Madio » presbyter Aimericus canonicus plebis Butrii promisit domino Paulo de Graidanis canonico bononiensi se deinceps nullam molestiam ei illaturum ob archipresbyteratum plebis Butrii, sponte cedens omni juri quod in eum haberet, ac ratum habens laudum Arpinelli archipresbyteri bononiensis arbitri inter eos electi.

« Ex instrumento facto heri in palatio episcopali, ubi jus redditur coram domino Octavante canonico plebis Cassiae, vicario venerabilis patris domini Octaviani Dei gratia episcopi Bononiae ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(5) Ibid.

(6) Ex actis publicis in *Lib. Reform. Com. Bon.* ad an. MCCCV, MCCCVI, MCCCVII.

(7) Ex cod. membran. archivi Sac. Inquisit. Bonon. cit. ad an. MCCCV.

(8) « Hoc tempore (quo vivebat Jacobus de Ardizone) secundum aliquos floruit Octavantes de Florentia, qui disputavit plures quaestiones etc. ». Diplovat. in *Jac. de Ardiz.* — Sed fuit Jacobus de Ardizone Octavante longe antiquior.

LXIV.

JOANNES DE MONTEMURLO.

Ex Montemurlo, in agro florentino Vallis Arni castro (1), agnomen duxit Joannes canonum professor non incelebris ejus aetatis. Erat Cori filius (2), diuque in academia nostra versatus est, primum inter auditores, deinde inter professores sacrorum canonum. Atque id munus pluribus annis gessit non minimo famae et opum incremento. Multum certe agri in Bononiensium finibus sibi comparaverat, quod ejus filii postea possederunt (3). Neque alienus videtur fuisse ab iis artibus, quibus aliquot ex professoribus nostris quaestum fecisse constat (4). Ejus primum mentionem reperio ad annum MCCLXXVIII cum Inghiramo et aliis scholaribus ex Thuscia (5); anno etiam MCCLXXIX cum Octavante Florentino, qui tunc inter scholares merebatur ac postmodum inter professores claruit (6). Omnino autem videtur Joannes ab academia nostra nunquam discessisse, in qua et extremum clausit diem anno MCCCI, patre ejus adhuc superstite et duobus filiis, Philippo et Joanne, quorum tutelam suscepit ipse Corus, Joannis pater (7). Habuit et fratrem, qui erat prior canonicorum s. Frigdiani Lucensium, nomine Jacobum, qui, patre Coro concedente, haereditatem nepotum pupillorum administravit (8). Quamvis autem mors satis immatura hunc professorem abstulerit, ejus tamen memoria haud plane extincta est, eum quippe laudant Joannes Andreae (9) et Albericus de Rosate (10). Diplovataccius quoque eum recenset inter claros juris pontificii interpretes, ac multa scripsisse ait et praesertim quaestiones plures, quas extare dicit. Earum una incipit: *Dominus Papa mandavit;* ac disputata est Bononiae anno MCCLXXXXIX mense Aprili, ut ad ejus finem notatum est (11). Alteram memorat Joannes Andreae (12), quam disputatam fuisse ait *Bononiae per Garsiam et Johannem de Montemurlo.* Primam reperi manu

(1) Est locus eodem nomine etiam in maritima Senensium ora prope Monterium. Sed Joannem de Montemurlo florentinum fuisse docent monumenta, quae extant in *Mem. Com. Bon.* ad annum MCCCCI, et florentinum pariter appellat Diplovataccius.

(2) « MCCLXXXI. Johannes domini Cori de Montemurlo emit Digestum novum cum apparatu Accursii a domino Balderico de Leodio, pretio libr. XXXX Bonon. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(3) Vide quae infra adnotantur.

(4) « Anno MCCLXXXXII die XIV Octobris dominus Guilielmus filius quondam domini Henrici de Inbria de Novaria, dominus Robertus de Vicecomitibus ordinarius in Ecclesia majori mediolanensi, dominus Gurzolus filius quondam Galvani de Stefanardis de Mediolano, scholares bononienses promiserunt solvere domino Johanni de Montemurlo, decretorum doctori, L lib. Bonon. hinc ad proximam pascha; et in pignus dederunt unum par decretalium cum apparatu magistri Bernardi, presentibus dominis Valentino de Garganis, filio domini Alberti de Pergamo, domino Arditione de Comite, canonicis Ecclesie s. Laurentii Majoris de Mediolano, scholaribus bononiensibus ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(5) Ex tab. in *Mem. Com. Bon.* ejus anni.

(6) Ibid.

(7) « MCCCI die IV Julii. Dominus Core quondam domini Latini de Montemurlo avus paternus et tutor Philippi et Johannis fratrum, filiorum et heredum quondam domini Johannis de Montemurlo, decretorum doctoris, substituit alium loco sui ad agendum maxime in lite contra priorem s. Fridiani de Luca ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(8) « MCCCI die IX Julii, dominus Spinabellus canonicus s. Fridiani de Luca civis bononiensis procurator domini Jacobi prioris s. Fridiani, administratoris bonorum hereditatis et heredum quondam domini Johannis de Monte Murlo, scilicet Philippi et Johannis filiorum dicti Johannis doctoris decretorum et fratris dicti domini Jacobi prioris, locat magistro Guidoni plures agros in territorio bononiensi ». Ibid.

(9) Diplovat. in *Joann. de Montemurlo.*

(10) Ibid.

(11) « Quaestio talis est: Dominus Papa mandavit per suas literas ». Extat in codice bibliotecae Fratrum Minorum Caesenae.

(12) Jo. Andreae in c. *Fin. Ut lit. pend.* in *Sexto.*

exaratam Caesenae in codice bibliothecae Fratrum Minorum. Est in eodem codice alia quaestio ejusdem doctoris, quae ita incipit: *Plebanus et canonicus plebis de Montemurlo etc.*

LXV.

JOANNES PASSAVANTIUS.

Anno MCCLXXXXIX Joannes Gerardi Passavantii ad lectionem decretorum extraordinariam a scholaribus electus est, decreto L librarum stipendio ex aere publico (1). Fuit id novum in scholis nostris, ut civis bononiensis a scholaribus ad docendum constituto stipendio eligeretur. Qui ante illud tempus a scholaribus electi et stipendio conducti docuerant, extranei fuerunt. Hic anno insequenti testamentum condidit (2), quo haeredem instituit Laurentium fratrem, patre adhuc superstite (3), a quo emancipatus fuerat. Nulla deinceps ejus memoria occurrit ut credibile sit paulo post conditum testamentum in ipso juventutis flore decessisse. Hic propterea ignotus fuit scriptoribus nostris; sed tenuis, quae de illo restat, memoria lucem affert iis, quae Joannes Andreae tradit in prooemio Glossarum ad Clementinas. Ait enim se aliquando, postea quam doctor decretorum creatus est, atque in collegium doctorum juris canonici cooptatus, quartum in collegio fuisse, qui Joannis nomine diceretur (4). De tribus, qui illum aetate anteibant, cum simul in collegio essent, alterum fuisse non dubito Joannem de Calcina, de quo inter professores saeculi XIV dicetur, alterum Joannem de Montemurlo, qui, licet ex Thuscia esset, ob longum in civitate nostra domicilium, uti civis habebatur. Qui tertium locum repleat, praeter hunc Joannem Passavantium, neminem reperire licet, cujus aetas mirifice congruit, anno enim MCCLXXXXVIII Joannes Andreae in doctorum album relatus est, ut suo loco dicemus. Haec clarissimus Montius.

LXVI.

BONVICINUS.

Bonvicini decretorum doctoris, qui exeunte saeculo XIII vixit, neque cognomen novimus neque parentes neque fortunam. Quod enim eum tradit Alidosius ex Francuccia gente ortum, Militum B. M. V. Ordini nomen dedisse (5), nullo prorsus idoneo testimonio nititur (6); tantum ex eo, quod reipublicae muneribus non semel perfunctus est, colligere licet et civem bononiensem et laicum hominem fuisse. Adhibitus est in primis anno MCCLXXXXIX cum Ubaldino Malavolta legum doctore in pacis negotio,

(1) Ex *Lib. Reform. Q.* ad mensem Octobris.

(2) « Anno MCCC, XI Augusti. Dominus Johannes filius domini Gerardi de Passavantis doctor decretorum emancipatus a dicto suo patre fecit suum testamentum etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(3) Anno MCCCI inter Antianos Populi Bononiensis habemus Gerardum Passavantium apud GHIRARDACC., *Hist. Bonon.*, lib. XIII ex *Lib. Reform.*

(4) « Ego etiam qui minor sum inter XII doctores collegii bononiensis, me quartum fuisse (memini) Joannem, nunc inter eos solus ». JOANN. ANDREAE *in prooem. ad Clementinas.*

(5) ALIDOSI, *Dottori bolognesi* etc., pag. 41.

(6) Illud dubio procul Alidosium fefellit, quod per ea fere tempora vixerunt Bonvicinus Francuccius notarius et Frater Bonvicinus Ordinis Poenitentiae, cujus etiam filii notarii fuerunt. Vide *Matric. ant. Notar.* in archivo pub.

quae cum Azone Atestino et Flaminiae populis conciliabatur (1). Anno MCCCIII, XVI kalendas Novembres, cum illi, qui Medicinae castrum Romanae Ecclesiae nomine tenebant, nunciata Bonifacii VIII morte protinus recessissent, ad deliberandum, quid facto opus esset, in Consilio civitatis XI Sapientes delecti, quorum fuere quatuor legum, tres vero decretorum doctores et in his Bonvicinus (2). Neque diu postea vixisse videtur; nusquam certe vel in tabulis census anno MCCCIV confectis, vel in aliis deinceps monumentis ejus memoria occurrit.

LXVII.

BONCIUS

CANONICUS SANCTI FRIGDIANI.

I. Docuit Bononiae jus pontificium iisdem fere temporibus Frater Boncius canonicus lucensis s. Frigdiani, omnium primus, cui ad extraordinariam Decreti lectionem stipendium ex publico tributum fuerit. Sedato enim tumultu, quem anno MCCLXXXXV leges quaedam, novissime a populo bononiensi latae, in scholarium coetu excitaverant (3), ad Jannatium Salimbenium praefectum populi, cui dissidii illius componendi arbitrium datum fuerat, postulata quaedam retulerunt Hugolinus de Montezanico et Jacobus Bonsignorius, rectorum atque universitatis causam agentes; in quibus et illud erat, ut scholares jure suo possent quotannis professorem eligere, qui Decretum legeret extra ordinem, ejusque rei gratia L librarum stipendium ex publico acciperet (4). Primus igitur tunc nominatus est hic Frater Boncius, deinde anno MCCLXXXXVII Guilielmus de Petralata; extremo prope saeculi anno Joannes Passavantius (5). Ab eo tempore doctores tres habuit academia nostra aere publico conductos; unum, qui Decreta ordinario, ut ajebant, loco, alterum, qui Infortiatum aut Digestum novum, tertium, qui eumdem ipsum decretorum librum extra ordinem interpretaretur (6).

II. Sed cum annos amplius duodecim longe a nostra civitate abfuisset Frater Boncius, fama interim et honoribus auctus jamque prior Ecclesiae s. Martini apud Senas creatus, ad lectionem ordinariam decretorum a scholaribus rursus accitus est anno MCCCIX (7) in locum Octavantis Florentini eique stipendium CL librarum ex more constitutum. Quandiu Bononiae versatus fuerit, non liquet; illud constat, editas ab eo disputationes aliquot, quas Joannes Andreae illorum temporum aequalis cum laude commemorat (8).

(1) Ghirardaccius, lib. IX, ubi turbato ordine acta haec, quae ad annum MCCLXXXXIX manifeste pertinent, ad MCCLXXXIX referuntur.

(2) Ex *Lib. Reform. C.*

(3) Vide Ghirardaccium, lib. X.

(4) « Secunda petitio est quod provideatis de doctore legente extraordinarie in Decretis scilicet de Fratre Boncio canonico s. Frediani decretorum doctore ac de aliis quos pro tempore universitas predicto Fratri Boncio subrogabit sub hoc competens salarium assignando scilicet L lib. Bon. annuatim ». Ex *Lib. Reform. A.*

(5) Vide supra in Guilielmo de Petralata, et Joanne Passavantio.

(6) Vide supra in Altigrado de Lendenaria.

(7) Ex *Lib. Reform. G.*

(8) « Disputatum hic fuit per recolendae memoriae Fratrem Bontium priorem s. Martini de Senis ». Joann. Andreae, c. *Religiosus. De testam.* etc.

LXVIII.

PALMERIUS DE CASULA.

Floruit in scholis nostris extremis XIII saeculi annis Palmerius de Casula, Benvenuti filius [1], sacrorum canonum professor non ignobilis, qui et saeculum XIV attigit. Hic etsi decretorum doctor anno MCCLXXXX nuncupari coeperat [2]; septennio tamen post jus canonicum extra ordinem legebat inter eos, quos baccalaureos appellabant et quorum nomina edita fuerant a scholarium universitate. Ob eam rem excusationem a militia habuit populi bononiensis decreto cum aliis doctoribus, qui eodem munere fungebantur [3]. Hinc intelligi potest clero adscriptum non fuisse; ad laicos enim ea lex pertinebat, qua militiae muneribus cives subjiciebantur. Graves habuit simultates cum magistro Alberto de Maloriclis medico ejusque familia. Ad arma itum erat ac toti viciniae metus incussus. Hinc edicto populi bononiensis proscripti Spagnolus Alberti filius, Hugolinus Meligotti aliique plures. Cumque aliquando dubitatum esset, num ea proscriptio vim haberet, propterea quod a scriba praetoris in ea redigenda in publicas tabulas erratum erat et aliquid omissum ex formula, quam statuta legesque populi bononiensis praescribunt, Consilium populi ei rei cautum esse voluit statuitque scribae erratum impedimento esse non debere, quo minus ea proscriptio jure facta videretur. Haec anno MCCCIII gesta sunt VIII kalendas Novembres [4]. Ac non multo post, cum latum esset in Consilio de conciliandа pace inter Palmerium ejusque fratres et magistrum Albertum ac ejus familiam, Antianis negotium datum est ut pro potestate eos homines ad concordiam redigerent [5]. Extat Palmerii memoria in actis civitatis usque ad annum MCCCVIII [6], quo anno Marchesinus et Bernardus ejus fratres, qui Ghibellinis favere existimabantur, una cum plurimis aliis civibus, seditione facta, proscripti et in exilium acti sunt [7]. Palmerius ipse an ad confinia, ut ajebant, amandatus fuerit, an voluntario discessu securitati suae prospexerit, non liquet. Hic etiam disputationes, sive quaestiones ex jure canonico reliquit, quibus usus est Joannes Andreae [8]. Earum quoque specimen habemus in saepius memorato codice bibliothecae caesenatis Fratrum Minorum [9]. Etiam in insigni codice bibliothecae ghisianae, quo permagnus numerus quaestionum hujusmodi a nostris doctoribus, tam in jure canonico quam in civili dispu-

(1) « MCCCVI die XXII Aprilis. Dominus Palmerius decretorum doctor, Marchesinus et Bernardus fratres, filii quondam domini Benvenuti de Casolis Cap. s. Christophori de Saragotia etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.* illius anni.

(2) « MCCLXXXX die XXVI Januarii. Dominus Palmerius decretorum doctor, filius domini Benvenuti Guidonis Bonifacii, emancipatus a patre, vendit etc. ». Ibid. ad eum annum.

(3) Ex *Lib. Reform. Com. Bon.* an. MCCLXXXXVII.

(4) Ex *Lib. Reform.* ad diem XXV Octob. MCCCIII.

(5) Ibid. ad diem XXI Novembris.

(6) In *Mem. Com. Bon.* ad diem II Aprilis.

(7) « Marchesinus; Bernardus de Casola ». In lib. bannitorum tempore domini Bertholdi de s. Miniato praetoris bononiensis; scilicet anno MCCCVIII.

(8) Joann. Andreae in reg. *Ex eo,* et in reg. *Rationi. De reg. juris* in *Sext.*

(9) « PALMERIUS ET JOHANNES ANDREAE. Baptizavit, seu lavavit, Judaeus, Paganus, Haereticus; quaeritur an oriatur cognatio spiritualis. Quaestio tamen Palmerii fuit solum de Haeretico ». Ita adscriptum est initio hujus quaestionis in cod. bibl. Fr. Minorum Caesenae plut. II.

tatarum continetur, una est, quae Marsilii, Palmerii et Joannis Andreae nomina habet adscripta. Palmerium memorat Diplovataccius, qui eum Joannis Andreae praeceptorem non recte existimat fuisse (1).

LXIX.

HENRICUS SEPTALA

ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS.

Ignotum antehac academiae nostrae professorem suppeditat nobis catalogus archiepiscoporum mediolanensium a Muratorio vulgatus (2). Cum anno MCCXII vacasset Ecclesia mediolanensis in magna electorum dissensione, quae mensibus fere undecim duraverat, nec ullo modo componi posse videbatur, Innocentius III archiepiscopum creavit Henricum Septalam mediolanensis Ecclesiae cimeliarcham et ipsius Pontificis subdiaconum, qui tunc erat Bononiae in scholis (3). Magnis autem laudibus ab ejus catalogi scriptore effertur Henricus archiepiscopus, quod perpetuum ejus studium fuerit tuendi libertatem ecclesiasticam, comprimendi haereticos suaeque mediolanensis Ecclesiae jura asserendi ac vindicandi; ac tenuisse dicitur cathedram mediolanensem ad annum usque MCCXXX, quo finem vivendi fecit. Neque vero suspicari licet, hunc virum, cum ad archiepiscopatum mediolanensem evocatus est, fuisse in scholis nostris inter auditores potius quam inter professores; erat enim subdiaconus apostolicus, quod munus, praesertim sub tanto Pontifice, nemini nisi doctissimo et pontificii juris consultissimo demandari solebat, nec dubium est quin grandis natu esset aut ea certe aetate, quae nobilissimae Ecclesiae moderatorem decebat. Non temere igitur Henricum Septalam professoribus nostris, qui paulo post initium saeculi XIII floruerunt, adjungimus.

LXX.

JACOBUS

MONACHUS SANCTI PROCULI.

I. Abbatem natione provincialem, juris pontificii clarum interpretem, supra dedimus; prodiit hic ex eodem vitae instituto Jacobus Monachus, qui decurrente pariter saeculo XIII in monasterio s. Proculi Bononiae vixit et eadem professione claruit. Scripsit Commentarium in decretalem *De summa Trinitate et Fide catholica,* anno I, Urbani IV, idest,

(1) « Item et Palmerius, legum doctor et canonum supremus, in jure canonico plura scripsit. Extant ipsius plures disputationes, de quibus Joannes Andreae in regula: *Ex eo,* et in regula: *Rationi.* Ipsum dominum et praeceptorem suum in pluribus locis appellat et praecipue in regula: *Rationi* ». DIPLOVAT. in *Martino Sulimano.*

At in regula: *Rationi* sic loquitur Joannes Andreae: « Haec regula facit ad quaestionem quam post dominum meum et dominum Palmerium disputabam .... primum articulum hujus quaestionis disputavit dominus Palmerius secundum disputavit dominus Marsilius ». Ex his verbis liquido apparet non Palmerium sed Marsilium a Joanne Andreae « Dominum » idest, praeceptorem suum nuncupari. Ea fortasse est quaestio, cujus supra memini ex codice bibliothecae ghisianae.

(2) *Rer. Ital. Script.,* t. I, p. II, pag. 230, 231.

(3) « Propter hujusmodi contentionem dominus Papa, Capituli nuntiis ad se convocatis, dominum Henricum de Setara hujus Ecclesiae cimeliarcham et ipsius Apostolici subdiaconum, qui erat Bononiae in scholis, in pastorem elegit Anno Domini MCCXIII, IV die Novembris ». *Ibid.*

anno MCCLXI, quod Ottobono diacono cardinali s. Hadriani dicavit (1). Sed quoniam decretalis illa, quam interpretandam suscepit, rem theologicam potius complectitur quam juridicam, in sacris literis non leviter eruditum fuisse oportuit hunc monachum, ut argumentum illud cum dignitate tractare potuerit. Ex Memorialibus Communis Bononiensium hunc monachum, qui Urbano IV Pontifice scribere jam coeperat, adhuc in vivis fuisse novimus ad annum MCCLXXXV (2). Atque inde etiam ejus natale solum agnoscimus; dicitur enim *Dompnus magister Jacobus de Casaglia.* Est autem *Casaglia* locus ad tria circiter passuum millia supra Bononiam in collibus ad solem occiduum.

II. Vidi nuper in antiquo codice membranaceo, qui scriptus videtur circa finem saeculi XIII, compendium libri decretorum Gratiani, cujus tale est initium: *Omnibus religiosis ac aliis pauperibus sacerdotibus, qui propter paupertatem copiam doctorum ac apparatuum habere non possunt, Jacobus pauper monachus et presbyter religiosus ad augmentum scientiae cum mei recommendatione salutem. Dominus per prophetam etc.* Sic porro definit hujus compendii prooemium: *In isto parvulo libello discant quod debeant respuere vel tenere cujus causa materialis sunt leges et canones efficiens Gratianus Clusinus episcopus, formalis, idest modus agendi, de canonibus obscuris ac de vita et moribus scientia plenissimum documentum, finalis autem salus animarum et ipsa justitia ut reddatur unicuique quod suum est.* Fuit olim hic codex Philippi Antonii Gualterii cardinalis, nuper autem cum tota manuscriptorum codicum ejusdem cardinalis ditissima supellectile in bibliothecam migravit illustrissimi viri Francisci Xaverii Zeladae, Sacrae Rotae auditoris, cujus haud postrema laus est quod literas et literatos homines singulari amore complectatur et foveat. Sed Jacobus iste monachus, qui librum decretorum Gratiani in epitomen redegit, quamquam definire non ausim, num fuerit Jacobus ille monachus s. Proculi, qui interpretatus est decretales *De summa Trinitate,* verisimile tamen admodum judico; nomen enim et professio et studiorum ratio mire congruunt, nec aetas repugnat.

---

(1) Extat in codice manuscripto Gymnas. Navar. Paris. ex Echard, *De Script. Ord. Praedic.*, t. I, p. 124.

(2) « Anno MCCLXXV die V Novembris magister Jacobus » inter monachos s. Proculi recensetur, qui cum Azone Abbate actis quibusdam subscribunt. Ex *Memorialibus Communis Bononiensium.*

« Anno MCCLXXIX magister dominus Jacobus de Casaglia » monachus s. Proculi cum Rodulpho Abbate, et aliis monachis procuratorem sui Monasterii constituit. *Ibid.*

« Anno MCCLXXXV, XV Aprilis. Dominus magister Jacobus de Casaglia, monachus s. Proculi » praesens cuidam instrumento. *Ibid.*

ARTIS NOTARIAE PROFESSORES.

I. Artem notariam nobilitavit plurimum Rolandinus Passagerius, qui ejus artis Summam scripsit omnium consensu probatam et communi usu hodiedum recepta. Sed etiam ante Rolandinum ea professio in honore fuit in scholis nostris, nec mirum est egregie cultam fuisse in ea civitate, in qua legum studia principatum tenebant. Vel ipse Irnerius jurisprudentiae instaurator formularum librum reliquit tabellionum usui accommodatum [1]. Atque haec sunt prima hujus artis elementa, quam postea perfecit Rolandinus. Sic autem hujus artis professio Bononiae floruit decurrente XIII saeculo, ut quemadmodum grammatici et medici post professores legum et decretorum, doctoris gradum et insignia ambierunt, quibus non solum a reliqua hominum turba, sed etiam a ceteris earumdem facultatum professoribus secernebantur ii, qui publicum ingenii et doctrinae experimentum fecerant et, publico judicio probati, ad docendum delecti erant; ita etiam apud artis notariae professores doctoris gradus insignia recepta sunt; quod haud scio, an unquam in ulla accademia, praeter nostram, fuerit institutum.

II. Habuere igitur scholae nostrae aliquando artis notariae doctores, qui jamdiu creari desierunt quemadmodum et doctores grammaticae, quorum nomen temporibus nostris inauditum est quamvis non desint excellentes humaniorum literarum professores quovis honore dignissimi. Sed licet jamdiu obsoleverit vetus ille mos creandi doctores notariae, non deest tamen in academia nostra publicus professor, qui artem illam humanae societati utilissimam doceat. Solet autem ejus artis praecepta sive exempla ex Summa Rolandini petere, qua nihil commodius et utilius in ea facultate ad hanc diem editum est. Sed quoniam haec disciplina nata quodammodo videbatur in civitate nostra et Rolandini opera ad summam dignitatem provecta, eo factum est ut nemini eam docere licuerit in nostris scholis nisi Rolandino ipsi, quoad vixit, aut iis, qui vel essent cives bononienses, aut annos viginti in civium censu essent habiti. Itaque, cum anno MCCLXXXIV duo quidam ejus facultatis professores, Nicolinus Fraxinetanus papiensis et Montes Auximanus, ad artem notariam Bononiae docendam se comparassent, intercessit Rolandinus, a quo tandem lite per transactionem composita, duo illi magistri vix

(1) « Dominum quoque Guernerium subtilissimum juris professorem et libri autenticorum interpretatorem traditur, formas instrumentorum non vilipendisse; sed formularium tabellionum cum cura et solicitudine maxima conscripsisse ». Petrus de Unzola in *Aurora Novissima*, in prooemio.

obtinuerunt, ut non amplius quam anno uno eam facultatem profiteri possent et scholares docere, quos jam sibi adsciverant. Damus in Appendice ejus transactionis tabulas, in quibus legitur *lis orta* esse de jure *regendi et docendi artem et scientiam notariae;* ex quibus versis apparet non solum vulgari artis nomine eam facultatem tunc appellari consuevisse, sed scientiam quoque dictam, ut qui eam profitebantur nobiliorum quarumvis facultatum doctores aemulari viderentur.

III. Sed artis notariae doctores et magistri non eam solum facultatem in suis scholis docebant. Prima etiam juris elementa tradere consueverant. Quatuor nimirum Institutionum libros interpretabantur. Hos enim libros, utpote captu faciles, haud dignos fere existimabant prisci doctores et legum domini, ut iis in schola interpretandis operam navarent. Itaque Justiniani Institutiones olim in academia nostra exponere solebant notariae doctores aut jurisprudentiae candidati, doctoris insignia nondum assecuti, vel denique doctores novitii, quorum adhuc non erat ad nobiliores legum libros interpretandos assurgere; qua de re alibi diximus.

IV. Ad notariae professores quod attinet, quamquam plures admodum fuerint, qui eam facultatem omni tempore docuerunt, perpaucos tamen reperio doctoris titulo insignes, idque vel ob veterum monumentorum inopiam, vel quod paucis ille honos concederetur. De his nunc dicendum erit; nam de reliquis omnibus, quorum identidem nomina occurrunt in antiquis tabulis, operae pretium non est curiosius inquirere. Praetermittere tamen non licet Raynerium Perusinum, qui quamvis non alio quam magistri titulo donetur, quod nondum, ut opinor, ejus aetate inter professores notariae doctores creari coepissent, silentio tamen praetereundus non est, maxime ob hanc causam quod hic omnium primus est, quem constet Bononiae notariam publice docuisse.

I.

RAYNERIUS PERUSINUS.

In matricula notariorum, quae primum Bononiae confecta est anno MCCXIX [1] adscriptum habemus Raynerium Perusinum, magistri titulo a ceteris ejus temporis notariis sive scribis publicis distinctum [2]. Nec dubium est quin magistri appellatio hominem designaret, qui notariam artem, quam exercebat, in schola doceret. Habemus tabulas cujusdam contractus, quae scriptae sunt anno MCCXXVIII, XVII kalendas Maji, *in scholis magistri Raynerii de Portanova* [3]. In iis memoratur etiam ejus uxor Anastasia, quae dicitur *uxor Raynerii . . . magistri notariae.* Sed Raynerius iste non solum notariae, sed etiam juris civilis peritus erat; quare judicem se et notarium publicis tabulis subscribere solebat [4].

(1) Hujus matriculae, quae ad nostra usque tempora nunquam est interrupta, Odofredus meminit in l. *Placet nostrae clementiae*, c. *De Episc. et Cler.:* « Unde vero hic, si est aliquod corpus approbatum, ut est clericorum vel medicorum, nomina debent scribi in aliquo brevi vel libro; et si aliquis delinquat in officio suo, nomen debet deleri de illo brevi vel de illo libro; ut est hodie in Tabellionibus, qui habent eorum nomina scripta in quodam quaterno, et si aliquis delinquit in officio suo, nomen ejus raditur de quaterno illo etc. ».

(2) « Magister Raynerius Peruxinus ». Ita ejus nomen in matricula notariorum scriptum est.

(3) Extant in archivo s. Michaelis in Busco monachorum Monti Oliveti.

(4) Anno MCCXXVI die II Augusti .... « Ego Raynerius Peruxinus de Porta Nova Bononiae, imperiali auctoritate judex et notarius, dictis omnibus presens extiti etc. ». Extat in archivo s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis.

II.

SALATHIEL MARTINI PAPAE.

ZACHARIAS.

I. Primus, quem notariae doctorem appellatum reperiam, est Salathiel Martini Papae filius. Hic anno MCCXXXVII notariorum ordini adscriptus est (1). Sed nondum tunc notariae doctores audiri coeperant. Id aliquanto serius institutum arbitror, medio circiter saeculo XIII. Anno MCCXXXXIX eo honore Salathiel gaudebat, quo anno inter Antianos populi bononiensis primum ac praecipuum magistratum adlectus est (2). Fuit hic etiam in jure civili eruditus, atque inter judices sive jurisperitos adnumeratus (3). Anno MCCLXXIV adhuc vivebat, nec immunis evasit ab ea calamitate, quae civitatem nostram ac praecipue Lambertaccios eorumque amicos afflixit. Erat ex horum numero Salathiel; quare cum iis civitate jussus est excedere. Sed mitissima fuit ejus exilii poena, fuit enim eorum exulum numero, quos de Guarnata exteriori dixerunt, quibus sic erat civitatis ingressu interdictum, ut intra Sapinam et Rhenum consistere deberent, duos amnes civitati vicinos (4). At non diu postea vixit Salathiel; nulla enim deinceps ejus memoria occurrit. Filium habuerat Alcottum nomine, qui eamdem cum patre professionem secutus est et anno MCCLVII in notariorum album adscriptus (5). Sed hic patri praemortuus est. Obiit enim Salathiel sine liberis masculis (6) atque aliquid ex ejus haereditate ad Fratres Praedicatores pervenit (7). Erat Salathielis domus Bononiae notissima diu post ejus mortem; ad eam enim, ut ad alia quaedam celebriora civitatis loca, praecones magistratuum edicta vulgabant (8).

II. Vixit iisdem temporibus Zacharias artis notariae doctor, cujus nomen occurrit in matricula antiqua notariorum bononiensium ad annum MCCLVIII. Erat ex adlectis ejus corporis, ad quos pertinebat experimentum capere et judicare de eorum peritia, qui inter notarios cooptari cupiebant. Atque ad eumdem annum Salathiel et Rolandinus Passagerius eodem doctoris titulo simul omnes insigniti occurrunt.

(1) Ex matricula veterum notariorum, in archivo Communis Bononiae.

(2) Anno MCCXXXXIX magister Salathiel doctor Notariae et Antiani Populi Bononiensis interest feriundo foederi cum Mutinensibus. Ex *Regist. Novo*, p. XXXIV in eodem archivo.

(3) Alcottus ejus filius, de quo infra, in matricula notariorum dicitur « filius domini magistri Salathielis judicis et notarii ».

(4) Ex *Lib. Confinat.* in eodem archivo.

(5) Ex Matricula cit.

(6) « Margaritae filiae quondam domini Salathielis Martini Papae, uxori domini Salinguerrae domini Taurelli de Taurellis, vendit dominus Rolandinus, filius quondam domini Rodolfini Florette de Vivario capelle s. Stephani, doctor artis notarie » praedia quaedam pretio librarum CCCCLXXV Bononinorum. Ex *Memorialibus Communis Bononiae* anno MCCLXXXV, die XV Aprilis. Rursus ex *Memor*. anni MCCLXXXIX die XXVI Junii constat, executores testamenti magistri Salathielis Martini Papae fuisse « Frater Petrum domini Gardini et Fratrem Albertum domini Pauli de Cazitis Ordinis Praedicatorum » eosque aliqua praedia vendidisse, quorum rationem reddunt Rolando filii Donidei de Clagnano haeredi ipsius Salathielis ejusque uxori Bertiliae et Margaritae filiae, quibus etiam restituerunt « librum Authenticorum et librum Casuum domini Guilielmi de Cauriana super Codice, unum sciphum argenteum, unum coclearium argenteum, tres annulos aureos etc. ».

(7) In charta archivi Fratrum Praedicatorum, quae scripta est anno MCCLXXXXII, nominantur bona, quae obvenerunt ex haereditate magistri Salathielis.

(8) Ita praescribitur in Statutis Bononiae, anno MCCLXXXVIII.

III.

ROLANDINUS PASSAGERIUS.

I. Quantum valuerit Rolandinus Passagerius in arte notariae, cujus veluti parens et auctor semper habitus est, norunt omnes. Sed quantus vir fuerit quantaeque auctoritatis in civitate nostra, quae nunquam magis opibus et potentia floruit quam ejus aetate, paucis adeo notum est, ut ne historici quidem nostri, quamquam magnis laudibus Rolandinum efferunt, satis cognitum habuisse videantur. Natus est Rolandinus, quantum conjicere possumus, haud multo post initium saeculi XIII patre Rodulphino Florettae filio, honestis natalibus, familia ex Thuscia oriunda (1); sed quae nec majorum opibus nec nobilitate claresceret. In antiquis aetatis suae monumentis modo Rolandinus Passagerius, modo Rolandinus Rodulphini Florettae appellatur (2), ut appareat, aliquid celebritatis in sua familia Florettam Rolandini aviam habuisse, quae ejus famam in morte extingui non siverit. Anno MCCXXXIV inter publicos scribas, sive notarios, adlectus est (3); atque habere potuit praeceptorem in ea facultate Raynerium Perusinum, de quo supra diximus. Sed juri etiam civili non perfunctorie vacavit, cujus praesidio destitutus perficere non potuisset eam ipsam facultatem, quam profitebatur, praeterquamquod in iis libris, quos *Flores testamentorum* inscripsit, non leviter se versatum in jure civili ostendit.

II. Sed immerito tamen a quibusdam inter legum doctores recensetur (4); a quibusdam etiam utriusque juris professione illustris fuisse dicitur (5). Potuit quidem aliquando Institutiones juris civilis in suis scholis interpretari, ut alios notariae professores factitasse diximus. Sed quoniam ejus prima ac potissima cura fuit, ut artem notariae, quam profitebatur, nondum ad illud tempus satis accurate tractatam, perficeret, ei totum se dedit, maluitque in ea facultate primas obtinere quam in jure civili secundas tertiasve; si has quidem sperare licebat post Accursium, Odofredum, aliosque celeberrimos legum professores. Itaque nunquam doctor legum aut decretorum, nedum utriusque juris, creatus est, sed doctor tantum artis notariae. In quo quidem ita sibi placuit ut Accursium et aliquot alios legum doctores nobilissimos aemulatus, qui se dominos legum ambitiose appellabant, non solum notariae doctor sed quandoque etiam *rector et dominus* dici voluerit (6); nempe ut homines intelligerent se regere scholas, non uti magistellum quemdam ex trivio sed ut excellentem superioribus illis haud imparem professorem.

III. Sed visus est etiam Rolandinus, pro infelici eorum temporum gustu quo humaniores literae miserandum in modum jacebant, non obscuri dictatoris famam consecutus. Dictatores autem appellabantur ii, qui artem dictaminis, hoc est, bene scribendi profitebantur et maxime epistolari stilo florebant. Itaque cum Fridericus II ad populum

(1) Ex eo patet quod Thuscorum societati adscriptus fuerit Rolandinus. — Vide supra in Accursio.

(2) Vide quae infra adnotantur.

(3) « Anno MCCXXXIV Rolandinus filius domini Rodulphini Albergatoris (inter notarios adlectus est) viso privilegio domini Coradi de Laumello Comitis Palatini, scripto manu Azonis Dominici notarii ». Ex matric. notarior. Indicavit clarissimus Montius.

(4) Ghirardaccius, lib. XIII.

(5) Vide *Tractat. Univers. Juris,* t. VIII, I, pag. 198.

(6) « Anno MCCLXXXIII die XVII Junii dominus Rolandinus filius quondam Rodolfini Florette artis notariae rector et dominus » donaverat inter vivos Fratribus Praedicatoribus « domum unam et casamentum cum medietate putei in terra s. Vitalis tenus Reno etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

bononiensem literas minarum plenas dedisset, ut eos induceret ad reddendum Hentium Regem ejus filium, quem bello captum in vinculis habebant, Rolandino negotium datum est ut responsum scriberet, quod habemus apud Ghirardaccium ex latino italice redditum (1). Neque id erat praeter morem eorum temporum ut qui notariam artem profiterentur, iidem eloquentiae studia colerent quantum aetas illa ferebat (2). Petrus Boaterius Rolandini interpres et notariae artis doctor insignis, in commentariis ad Summam artis notariae Rolandini versus latinos dedit, rudes quidem et ineptos sed qui tamen ostendunt quam laudem affectarit. Sed et celebris ille Brunettus Latinus, qui primus dicitur Florentinos ad eloquentiam informasse, notarius fuit (3); eamdemque artem professus est Franciscus de Barberino, qui Rolandini aetate florere coepit et celebratur inter primos, qui italicam linguam suis scriptis illustrarunt (4). Colutius quoque Salutatus Reipublicae Florentinae cancellarius, de elegantioribus literis optime meritus, ex notariorum numero fuit (5). Successisse autem notarios iis, quos dictatores vocabant quique artem dictaminis profitebantur, satis manifestum arbitror. Hinc quoties insignis aliqua legatio a populo bononiensi decernebatur ad Pontificem, aut ad alios principes ac civitates aliquis ex notariorum ordine plerumque addebatur, qui secretarii, ut nunc dicimus, munere fungeretur et epistolas legatorum nomine et si quid aliud opus esset accurate perscriberet. Quare ab iis, qui in notariorum ordinem adlegi optabant, id in primis quaerebatur, quid latine scribendo et dictando valerent (6).

IV. Sed Rolandinum Passagerium auctor est Ghirardaccius relictis scholis ad alia omnia applicuisse animum, et cum esset primicerius societatis, quam de Cruce appellabant, ejus societatis honoribus augendis laborasse plurimum, ejusque aedes magnis suis sumptibus extruendas curasse. Sed haec majora sunt quam ut possint tribus verbis explicari. Magnam sibi existimationem jam constituerat Rolandinus inter cives cum Jeremiensium et Lambertacciorum factiones exortae sunt; sed ejus fortunae ac felicitatis fuit quod eos secutus est, qui, cum ventum est ad arma, superiores fuerunt. Lambertacciis igitur devictis et proscriptis, sic cum Jeremiensibus civitatem retinuit ut deinceps non modo imminuta ejus auctoritas non fuerit sed potius magnopere aucta. Et quoniam ad restituendam civitatis tranquillitatem et sananda gravissima vulnera, quae in eo bello pertulerat, praecipue curandum erat, ut si qua reliqua essent in male affectis civium animis dissensionum semina, statim ac apparere coepissent, praefocarentur, ac Lambertacciis, quibus jam constabat cum Jeremiensibus convenire non posse, viae omnes praecluderentur ad reditum; propterea instituta est societas ex delectis civibus, manu promptis et virtute praestantibus, qui, quasi in excubiis positi, perpetuo vigilarent ad civitatis salutem. Hanc autem societatem vel Rolandinus ipse instituit vel certe legibus informavit; ejusque dux atque praefectus, sive, ut dici amavit, primicerius fuit. Crucis

(1) Retulit hanc epistolam Ghirardaccius, lib. VI, sed siluit esse a Rolandino scriptam. In *Chronicis Bononiensibus* manuscriptis habet hunc titulum: « Epistola responsiva per Bononienses, quam dictavit Rolandinus Passagerius ».

(2) In *Statutis Populi Bonon.* anni MCCXXXXVI decernitur novos notarios examinandos esse per quatuor « notarios electos a Consulibus artis tabellionatus coram Potestate et ejus judicibus, qui inquirant qualiter sciant scribere et qualiter legere scripturas, quas fecerint, vulgariter et literaliter et qualiter latinare et dictare ». Ex *Stat.* an. MCCXXXXIX.

(3) PHILIPP. VILLAN., *De clar. Florent.*, aliique.

(4) « Anno MCCLXXXXIV die XXII Septembris dominus Sinibaldus episcopus imolensis renovat in emphiteusim nobili militi domino Comacio de Gallucciis, ejusque heredibus in XXIX annis ad renovandum Terram Consilicis secundum antiqua pacta etc. Pro renovatione solv. C lib. bonon. parvor. presente domino Marsilio de Manteghellis decretorum doctore.... Bragoneria Saraceni de Certaldo, et Francisco de Barberino notar. etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(5) PHILIPP. VILLAN., *loc. cit.*

(6) Vide adnotata supra ex *Statut. Bonon.*

autem appellatio huic societati indita est, non quod ad locum quemdam sive ecclesiam conveniret, quae de Cruce diceretur quamque aedificasset Rolandinus, ut quispiam male intellectis Ghirardaccii verbis suspicari posset, sed quod ejus societatis homines, cum Jeremienses essent, hoc est Guelphi et Romanae Ecclesiae devoti, et ad reprimendos Lambertaccios, qui Ghibellini erant et Romanae Ecclesiae adversi censebantur, comparati, in scutis, quibus inter cetera arma utebantur, rubeam crucem pictam gerebant. Et erat jam tum rubea crux insigne publicum civitatis, quo nunc etiam utitur, ut hinc maxime appareat Romanae Ecclesiae devotissimam semper fuisse.

V. Sed societas Crucis, invisa Lambertacciis, apud Nicolaum III in aliquam suspicionem adducta videtur. Cum enim anno MCCLXXVIII, ipso agente Pontifice, pax inita esset inter Jeremienses et Lambertaccios, et pacis leges ab eo perscriptae, rebus omnibus compositis, quae ad civitatis tranquillitatem pertinere videbantur, Nicolaus Pontifex de societate Crucis ejusque legibus et statutis maturius postea cognoscendum censuit, atque interea mandavit ut Rolandinus Passagerius nominatim, et mortalium quilibet ab omni ejus societatis procuratione atque administratione abstineret, donec ipse de re tota deliberasset (1). Verum ea pax brevissima fuit et, Lambertacciis vix dum in civitatem receptis, novae statim exortae contentiones et rursum arma, rursum caedes civium et incendia domorum, rursum denique, adversa parte devicta et ejecta, civitatis imperium ad solos Jeremienses rediit, inter quos ut cum maxime praestitit Rolandinus. Itaque et praefecturam retinuit ejus societatis, quae tanto magis tunc necessaria videbatur quanto majori studio Lambertaccii modo clanculum et veluti per cuniculos modo aperta vi in civitatem irrumpere nitebantur, et deinceps quasi antesignanus et moderator Jeremiensium haberi coepit. Itaque non solum rector et consul civitatis aliquando fuit (2), sed (quod nescio an ulli unquam contigerit) Antianus perpetuus populi bononiensis creatus est, cujus magistratus ut in civitate libera summa tunc erat auctoritas (3). Sunt autem multae leges Rolandino potissimum auctore per illud tempus latae (4); et nihil eorum, quae ad publicam tranquillitatem pertinerent, non ex ejus sententia et auctoritate actum. Praesertim autem proscriptionum conditiones ejus nutu constitutae, quae aliae aliis duriores fuerunt, ut quisque majori minorive noxa tenebatur. Extant adhuc veteres tabulae, quibus continentur nomina Lambertacciorum, qui civitate expulsi sunt ingenti numero et ad aliquot hominum millia. Si qui autem, ejuratis Lambertacciis, ad Jeremienses se adjungere voluissent, ut in patriam restituerentur, id etiam ex Rolandini potissimum arbitrio pendebat (5).

(1) « Verum cum quaedam societas esse dicatur in civitate praedicta, quae societas Crucis inibi nominatur, circa cujus conditionem ei merita, nec minus ejus effectum, proponimus maturius ad quietem ejus civitatis et civium cogitare, ut exinde prosperitatis commoda Deo dante subsequantur, et ideo provisionem hujusmodi societatis omnimodam, et eam contingentia nobis specialiter reservamus, monentes et mandantes quod Rolandinus Passagerii, vel quivis de capitanaria, rectoria vel quovis alio officio sive administratione ipsius capitanariae quocumque nomine censeatur, se interim nullatenus intromittant, donec super hoc per nos aliter ordinatum fuerit ». Ex constit. Nicolai III *De pace Jeremiensium et Lambertacciorum* apud PETRUM CANTINELLIUM in chronico penes me manuscripto. Extat etiam apud GHIRARDACCIUM, lib. VIII, sed non parum mendose.


(2) Anno MCCLXXX Februario mense in actis publicis occurrit « Dominus Rolandinus Passagerius consul et rector civit. Bonon. » de quo magistratu alibi diximus.

(3) « Antianus perpetuus » dicitur Rolandinus in adnotatis ad tabulas proscriptorum, de quibus infra. Sed videtur tamen eo honore brevi se abdicasse; neque enim ejus nomen deinceps in tabulis eorum magistratuum, nisi raro admodum, reperitur, ut animadvertit clarissimus Montius.

(4) Anno MCCLXXXII leges latae sunt, quae « sacratae » dicebantur, et rursum anno MCCLXXXIV aliae, quae « sacratissimae » dictae sunt, quibus neque a Consilio civitatis, sed solum ab universo Populo Bononiensi derogari poterat. Eo autem spectabant, ut omnis spes reditus Lambertacciis praecluderetur, et nobilibus ac potentibus civibus in ordinem redactis, regimen civitatis integrum Populo servaretur, iisque, qui in Populo maxime valebant; quorum praecipuus habebatur Rolandinus.

(5) In tabulis proscriptorum, sive « Bannitorum » libris, ut vulgo appellantur, ad singula nomina illorum,

VI. Sed quoniam difficile fuisset tantam potestatem in magna et factionibus divexata civitate exercere sine multorum offensione, populus bononiensis certos ei custodes attribuit, quibus stipendium e publico praestabatur; quo facto satis ostensum est plurimum interesse hominem illum esse salvum, quo maxime salus et quies civitatis nitebatur (1). Vixit autem Rolandinus in tanta dignitate ad summam senectutem; decessit enim anno MCCC, III idus Octobres; et in splendidum illud et magno principe dignum sepulcrum illatum est, quod adhuc extat prope ecclesiam Fratrum Praedicatorum in adjacenti area, patulo et aperto loco, ut tunc fere solebant illustrium hominum et doctrina praestantium sepulcra excitari. Ejus hic ichnographiam damus.




qui vivente Rolandino restituti sunt, id ejus auctoritate factum indicatur in hunc aut similem modum: « Infrascripti Sibertus et Petrobonus cancellati fuerunt per me Albertum Bonfilioli notarium eo quod facti sunt de parte Geremiensium, et partem juraverunt presentibus domino capitaneo partis et domino Rolandino Passagerii perpetuo antiano Populi Bonon. sub anno Dom. MCCLXXXVIII ». Et ita passim; sed quandoque etiam Rolandinus ante reliquos Jeremiensium principes nominatur in hunc modum: « Ego Jacobus Amoricti notarius cancellavi Gandulfinum de mandato et voluntate domini Rolandini Passagerii et capitaneorum partis ecclesie. Anno MCCLXXIX ».

(1) « Anno MCCLXXVIII die XVI intrante Martio dominus Rolandinus Passagerii primicerius societatis Crucis » procuratorem constituit ad accipiendum « a depositario Communis Bononiae libras LXXXI Bononinorum pro soldo trium suorum custodum ». Ex *Memorialibus Communis Bononiae.*

Sculptus est Rolandinus in altera tumuli facie ex cathedra docens scholares in subselliis sedentes, ut claros quosque doctores in eorum temporum monumentis expressos videmus. Ac supra tumulum in umbella, sive pyramide, quae illum obtegit, hi versus leguntur:

Autore magno nature lege vocato
Patre Rolandino cetus preconsule primo
Hunc hic scribe locant Octobris tertia dena
Mille trecentenis celestis prolis ab annis.
Restaur. anno MDCIII.

Aenigmati similis quibusdam visa est haec inscriptio, quam qui emendare voluerunt, corruperunt magis. Ita accidit Guidoni Pancirolo, qui in secundo versu legendum putavit *Patre Rolandino natus proconsule primo.* Itaque Rolandini Romancii filium ibi se agnovisse existimavit, in eo sepulcro jacentem. Atque ita duplici se errore haud ferendo implicuit (1). Sed in eo versu nihil mutandum fuerat, si quid ego video. Dicitur ibi Rolandinus honoris causa *pater et primus praeconsul coetus,* sive collegii, et, uti dicunt, universitatis tabellionum, qui illum condiderunt in tam nobili tumulo, ut proximo versu indicatur; et pater quidem recte dicitur, tum ob artem notariam tam insigniter ab eo auctam et perfectam, tum vero maxime ob collegium, sive tabellionum universitatem, anno MCCLXXXIII in meliorem formam ab eo redactam, cui certas leges a populo bononiensi probatas proposuit aedibusque extruendis praefuisse dicitur, in quibus suos conventus haberent (2). *Praeconsul* autem dicebatur ejus collegii in civitate nostra splendidissimi moderator et princeps, cujus magna olim auctoritas fuit; nunc correctorem appellant (3). Neque hunc tantummodo sepulcri honorem Rolandino detulit collegium notariorum; sed cum anno MCCCCLXXXIII nobile sacellum s. Cruci dicatum in primaria sancti Petronii aede construeret, marmoreo sepimento, quod in fronte illius posuit, hinc Rolandini, inde ejus disciputi et interpretis Petri de Unciola imagines, ex antiquis, ut videntur, exemplaribus ductas, una cum aliis anaglyphis, sculpi curavit; cujus operis affabre et singulari artificio elaborati speciem hic exhibemus.



VII. Uxorem duxerat Rolandinus, quantum conjicere possumus, in ipso juventutis flore sed non admodum felici omine; neque enim ex illa prolem tulit, quod infirma

(1) PANCIROL., lib. II, cap. XXXXIII.

(2) Constructae aedes notariorum an. MCCLXXXVII, ut patet ex *Mem. Com. Bon.* illius anni.

(3) Anno jam MCCXXXXVII notariorum collegium, sive societas, coiverat, cui tunc VI consules pari auctoritate praeerant, ut liquet ex matricula notariorum ad eum annum. A Rolandino praeconsulis dignitas instituta, eamque princeps ipse gessit anno MCCLXXXIII.

valetudine uteretur (1). Aliam quoque duxit anno MCCLXVIII (2), cum esset jam provecta aetate; sed ne ex hac quidem liberos suscepit. Filiam tamen habuit ex alio complexu, cui ut donare inter vivos posset, populus bononiensis indulsit (3). Eamdem postea, ut haeredem jure instituere posset, natalibus restituendam curavit per Bartholomaeum Venerosium comitem palatinum in Langobardia, Bertholotti nomine notissimum, qui hoc privilegium a Friderico II, quemadmodum et ejus majores ab aliis Imperatoribus, obtinuerat. Ne quis autem de Bertholotti comitis auctoritate dubitaret, Rolandinus collegium doctorum, advocatorum et judicum bononiensium ea de re consuluit; qui id jure factum censuerunt. Damus in Appendice hanc sententiam, sive consilium, collegii jurisperitorum bononiensium, quod latum est anno MCCLXXXVI; cui adjecimus Friderici II aliorumque Imperatorum diplomata pro Bertholotto comite ejusque majoribus.

VIII. Rolandinum magnopere laudant, praeter scriptores bononienses, Diplovataccius, Pancirolus aliique fere, qui de claris legum professoribus scripserunt. Sed Casimiri Oudini insigne erratum est, qui hunc confundit cum Rolandino Patavino historiarum scriptore (4). Guilielmus Durantis tanti hunc hominem adhuc viventem fecit, ut non solum imitari illum studuerit, sed multa ex eo excerpserit, aut potius totam fere ejus *Summam artis notariae* in suum *Speculum juris* intulerit (5).

ROLANDINI PASSAGERII SCRIPTA.

Scripsit Rolandinus, ut saepe dictum est, *Summam artis notariae,* qua sibi devinxit mortales omnes. In ea enim accurate perscripsit quaecumque a publicis scribis servanda sunt in stipulandis pro varietate negotiorum instrumentis et singulorum instrumentorum formulas ad juris apices digestas proposuit; qua re publicarum tabularum firmitati contra scribarum inscitiam egregie prospexit. Orditur opus his verbis: *Antiquis temporibus;* suntque illius tres veluti partes, prima de contractibus et pactis, altera de ultimis voluntatibus, tertia de judiciis. Ac sane celeberrima olim fuit haec Summa non minus quam Azonis Summa in legibus et Cardinalis Ostiensis in decretis, ac vulgo *Rolandina* sive *Orlandina* dicebatur (6). Saepius typis edita est; sed laudatur in primis ea editio, quam curavit Gerardus Mulertus Carolo V Imperatori a consiliis. Is enim librum mendis plurimis deformatum optime restituit et commentariis etiam illustravit. Sed multo ante Mulertum amplis commentariis Summam Rolandini instruxere Petrus de Unciola et Petrus Boaterius notariae professores, de quibus suo loco agemus. Fatetur autem Rolandinus se non potuisse tantum opus suscipere, nisi postquam diu versatus esset in ea facultate seque tandem id operis aggressum esse victum suorum fratrum, hoc est, tabellionum officiis (7), qui ab eo exoptabant scripto traditam eam facultatem, in qua judicabatur excellere. Scribebat autem medio circiter saeculo XIII, ut ex variis instrumentorum formulis apparet. Ac Petrus Boaterius, Rolandini interpres, cum in suis commentariis quaereret quo anno Rolandini Summa prodierit, annum MCCLVI designavit (8). Sed quoniam post emissam in publicum *Summam artis*

(1) Ita exposuit Rolandinus ipse in supplici libello, quem anno MCCLXXXVI porrexit collegio doctorum, advocatorum et judicum bononiensium; de qua re infra.

(2) Ex *Mem. Com. Bon.*

(3) Anno MCCLXXXV petente Rolandino, ut Bartholomaeae, alias Bitiniae, filiae suae spuriae donare posset usque ad CCC libras Bononinorum populus bononiensis annuit, ut ex actis publicis ejus anni.

(4) CASIMIR. OUDIN., *De Script. Eccles.*, t. II, p. 484.

(5) « Habuimus tandem duos Rolandinos, scilicet Rolandinum de Romanciis et Rolandinum Passagerium. Primus fuit legum doctor.... Secundus fecit *Summam artis notariae,* quam quasi totam inseruit hic auctor etc. ». JOANNES ANDREAE in Additionibus ad *Speculum Juris* in prooemio.

(6) Ut « Orlandus » pro « Rolandus » sive « Orlandina » pro « Rolandina » in sermone vulgi invaluit.

(7) Vide *Rolandini Summam* in prooemio.

(8) « Iste Rolandinus floruit anno MCCLVI Bononiae, prout percipitur ex dictis per Petrum de Boateriis in dicta lectura in sexta rubr. *Quando fuit inventus* ». DIPLOVAT. in *Roland. Passag.*

notariae aliqua deesse comperiit, quae ad contractuum et pactorum theoriam cognoscendam pertinerent, propterea tractatum addidit, quem *Notularum*, adnotationum scilicet, inscripsit, quem ad calcem Summae in libris editis et manu exaratis habemus (1).

Sed ne ita quidem satis perfectam et absolutam existimavit Rolandinus artem notariam. Itaque, ut novam lucem adderet iis, quae in ea arte tradiderat, in suam ipsam Summam commentaria aggressus est scribere (2), quae *Aurorae* nomine notissima sunt et edita sunt cum Summa ipsa. Verum ea non perduxit ultra caput V, quod est *De locato et conducto.* Quare Petrus de Unciola ex eo loco, ubi Rolandinus desierat, *Summam Rolandinam* interpretari coepit et suam hanc lucubrationem *Aurorae novissimae* nomine nuncupavit, quae item cum Summa Rolandini edita est. Incipit Rolandini *Aurora* his verbis: *Solet aromatum esse natura ut longe magis contrita redoleant etc.*

Scripsit praeterea Rolandinus *Flores testamentorum,* hunc enim titulum habet liber ab eo editus et quatuor in partes distributus, quarum prima est de testamentis et ultimis voluntatibus, de codicillis altera, tertia de donationibus causa mortis, quarta denique de successionibus ab intestato. Atque hunc *Florem* decerpsisse se scribit ex pratis excellentissimorum philosophorum juris romani, Azonis, Accursii et Odofredi (3), quorum doctrina se egregie eruditum ostendit. Rolandino auctores et suasores ad istud opus aggrediendum fuere aliquot gravissimi patres *Divi Ordinis Praedicatorum* (4), ut Rolandinus ipse in prooemio fatetur. Ne sane miror Fratres Praedicatores optasse ut Rolandinus de re testamentaria scriberet, in qua aequum erat ipsos quoque non leviter erudiri, qui ob magnam prudentiae ac probitatis opinionem saepissime testamentorum curatores in civitate nostra eligi solebant, non solum a vili plebecula sed a magnatibus plerisque et spectatissimis civibus. Editus est *Flos testamentorum Rolandini* inter *Tractatus universi juris,* in partes discerptus, quasi tot essent tractatus diversi. Atque his etiam multa adjecit Gerardus Mulertus, cujus cura prodierunt. In codice manuscripto bibliothecae Sanctae Crucis in Jerusalem ad calcem hujus operis haec leguntur: *Explicit Flos magistri Rolandini. Deo gratias. Amen.*

Gloria, laus et honor tibi sit rex Christe Redemptor,
Incoeptum pietas nam tua clausit opus.

Anno Domini MCCLXXXXV, indictione VIII.

IV.

NICOLINUS DE FRAXINETA.

MONTES AUXIMANUS.

Artem notariam Bononiae docuerunt anno MCCLXXXIV Nicolinus de Fraxineta papiensis et Montes Auximanus, de quibus supra dictum est. Crediderim in schola Rolandini eruditos; sed cum docendi munus arripere voluissent, obstitit Rolandinus ipse; a quo vix tandem impetrarunt ut annum unum docere possent.

(1) « Rolandinus videns, quia posuerat tantum practice de contractibus et pactis in primis septem capitulis, ideo ipse voluit compilare hunc tractatum ad emendationem sui erroris, ponendo de contractis et pactis theorice; nam de aliis duabus partibus, scilicet ultimarum voluntatum et judiciorum, ipse posuerat tam practice quam theorice ». In prooemio *Commentarii ad Tractatum Notularum*, post *Rolandini Summam.*

(2) « Primo textum conscripsi, deinde post multorum annorum curriculum praesentem addidi apparatum ». Rolandinus in prooem. *Aurorae.*

(3) Rolandin. in prooem. *Floris Testam.*

(4) Ibid.

V.

PETRUS DE UNCIOLA.

Post Rolandinum inter notariae professores maxime laudatus est Petrus de Unzola, sive de Unciola, qui locus est agri bononiensis, unde originem duxit. Patrem habuit Joannem Laurentii filium de Unciola notarium. Inter notarios adlectus est Petrus anno MCCLXXV (1), nec ante annum MCCCI notariae doctorem creatum fuisse constat ex monumentis nostris (2). Anno MCCCXII testamentum condidit, in quo, cum liberis careret, haeredes scripsit Michaelem et Blasium fratres suos (3). Fallitur igitur Ghirardaccius, qui Petrum obiisse narrat anno MCCLXXXXVII et nobili sepulcro conditum apud Fratres Minores, quod tabellionum universitas extruendum curavit (4). Nunc aliud hujus viri monumentum non superest, praeter effigiem marmori insculptam, quam in aede s. Petronii, ex adverso imagini Rolandini Passagerii extare diximus, prout apposita hic tabula ostendit.

SCRIPTA PETRI DE UNCIOLA.

Auroram Rolandini, quousque eam perduxit auctor, supplevit pluribus in locis Petrus de Unciola; deinde etc.

Auroram novissimam scripsit, quae sunt additamenta ad *Auroram* ipsam, idest glossae et adnotationes ad *Summam* Rolandini, quae incipiunt ad medium fere capitulum *De locato et conducto*, in quo desiit Rolandinus. Sed ne hic quidem in omnes partes *Summae Rolandinae* adnotationes scripsit, nec *Aurora novissima* ad omnes particulas ejus *Summae* extenditur. Quare Bartholomaeus Orarius patavinus in editione *Summae Rolandinae*, quam curavit anno MDXII, scholia adjecit ad ea loca, quae Rolandinus ipse et Petrus de Unciola intacta reliquerant. Habet *Aurora novissima* hunc titulum: *Aurora novissima domini Petri de Unzola civis bononiensis super continuatione quinti capituli Summae domini Rolandini.* Omnis autem hic apparatus glossarum ex *Aurora* Rolandini et *Aurora novissima* Petri de Unciola, quandoque dictus est *Meridiana*, quod non dubiam lucem afferret ut in aurora esse solet, sed ut in meridie clarissimam. *Meridiana*, sive totus commentarius, hoc initium habet: *In medio Ecclesiae aperuit os suum etc.*

Commentaria etiam edidit in tractatum *Notularum* Rolandini Passagerii. Ea vidi in codice Vaticano cum hoc titulo: *Lectura Petri de Unciola super tractatu Notularum.* Incipiunt: *Tabellionatus scientia.* Circa finem, ubi agit de annis ad instrumenta publica apponendis, formulas non semel proponit, quae habent annum MCCLXXXXVII (5).

Scripsisse etiam videtur seorsim in eam *Summae Rolandinae* partem, quae est de Judiciis. Incipit: *Fecit Deus ab initio hominem* (6).

---

(1) Ex *Matric. Notar.*

(2) Ita animadvertit clarissimus Montius.

(3) Ex *Mem. Com. Bon.* — Vide supra adnotationem ad Guilielmum Accursium.

(4) Ghirardaccius, lib. XI.

(5) Cod. Urbino-Vaticanus 171.

(6) « Petrus de Unzola bononiensis doctor memorandus, qui pulchrum commentum super Arte Notariae et Summa Rolandini composuit, et super Judiciis. Incipit: *Fecit Deus ab initio hominem* etc. ». Diplovat. in *Petro de Unciola*.

MEDICINAE PROFESSORES.

I. Hujusmodi initia fuerint scholae medicae bononiensis, quae multos edidit clarissimos professores et nunc etiam maxime floret, nullis certis monumentis assequi licet. Quamquam autem non assentior Montalbano aliisque, qui cum eo existimant collegium medicorum jam inde ab anno MCLVI fuisse institutum et conditas leges et statuta collegii (1); aliquam tamen medicinae scholam jam tum Bononiae fuisse, nullus dubito. Ut enim nunquam deesse potuerunt in civitate copiosa et florenti qui medicinam facerent, ita et aliquam ejus facultatis sive publicam sive privatam institutionem et scholam fuisse oportet. Quoniam autem philosophiae studia multo citius celebrari apud nos coeperunt quam multi vulgo existimant; novimus enim saeculo XII, et quidem non admodum fortasse adulto, non defuisse qui ex ipsis scholis parisiensibus ad nostras venerint et novam tradendae philosophiae rationem a nostris doctoribus didicerint (2); vix credibile est ob summam philosophiae et medicinae conjunctionem et, ut ita dicam, affinitatem, nullam medicinae scholam Bononiae per illud tempus fuisse, cum ibi philosophica schola tam illustris haberetur.

II. Initio autem saeculi XIII multos fuisse, qui medicinam Bononiae docuerint, pro certo habeo. Vetuit Honorius III, datis literis ad episcopum bononiensem, ne ecclesiastici viri ad audiendas in scholis leges et medicinam accederent. Verebatur nimirum ne ob eam causam theologia desereretur (3). Sed id argumento est magnum jam tum concursum factum fuisse ad discendam in scholis nostris medicinam. Paulo ante illud tempus audiri apud nos coeperant medicinae magistri, cum antea omnes, qui eam facultatem profitebantur, non aliter quam medici vulgo dicerentur. Primus, quem magistri appellationem inter medicos usurpasse reperiam, est Jacobus Britonoriensis, qui vixit

(1) Orlandius in *Script. Bonon.*, pag. 319.

(2) « Cum primum adolescens admodum studiorum causa migrassem in Gallias.... contuli me ad peripateticum palatinum.... Deinde post discessum ejus adhaesi magistro Alberico, qui inter ceteros opinatissimus dialectibus enitebat. Sic ferme toto biennio conversatus in Monte, artis hujus praeceptoribus usus sum Alberico et magistro Roberto Melidunensi.... Postea unus eorum profectus Bononiam dedidicit quod docuerat, siquidem et reversus dedocuit. An melius, judicent, qui ante et postea audierunt ». Jo. Sarisber., lib. II, *Metalog.*, cap. X. Parisios venerat studiorum causa Joannes Sarisberien. anno MCXXXVII. Vide Bulaeum, *Hist. Universit. Paris.*, t. II, pag. 143.

(3) C. *Super specula*, Decretal. *Ne Clerici vel Monachi.* « Contra religiosas personas (de claustris) exeuntes ad audiendum leges vel physicam Alexander praedecessor noster olim statuit etc. ».

Bononiae exeunte saeculo XII et decessit anno MCCXIII. Atque ita videntur initio discreti, qui medicinam docerent, a cetera medicantium turba, ut illi magistri dicerentur, reliqui non item.

III. Sed ante medium saeculum XIII auctus videtur honor scholae medicae bononiensis et concursus ad eam factus non solum ex universa Italia sed ex remotissimis etiam regionibus. Aliquid autem innovatum per illud tempus in facultate medica, inde, ni fallor, licet conjicere quod discretio quaedam inter ejus professores facta videtur. Cum enim antea omnes, qui medicinam profitebantur, non aliter quam *medici*, vel, qui praecipuus erat honos, *magistri* appellarentur; ante medium XIII saeculum nobiliores quosdam medicos reperio, qui vulgata illa et communi appellatione non contenti, *medici physici* aut *physicae* seu *physicalis scientiae* professores dici amarunt. Atque hi quidem initio non admodum multi fuisse videntur, prae ingenti numero medicorum, qui Bononiae qua cives, qua advenae degebant. Hos autem ita dictos existimo, quod non levi tantum institutione medicam artem didicissent, sed accuratius in philosophia eruditi et in antiquorum libris versati, arcana medicinae subtilius penetrare crederentur eamque medicinae partem, quae manu exercetur, tanquam ignobilem et medicis philosophis indignam, praeterirent. Hinc alios in monumentis civitatis nostrae *medicos physicos,* alios *medicos chirurgos* sive *medicos vulnerum* appellatos novimus. Sed chirurgi demum in imis subselliis relicti, quibus posteriori aevo ne medicorum quidem nomen phisicae, ut ajebant, professores reliquerunt.

IV. Ex primis, quos medicos physicos Bononiae appellatos constet, Petrum Vercellensem reperio, qui anno MCCXXII Bononiae agebat et diu postea vixit; eratque eodem tempore Bononiae magister Petrus Perusinus *medicus vulnerum* appellatus; quae nova tunc et insolens appellatio nascentem apud nos distinctionem inter medicos physicos et chirurgos indicare videtur (1). Sed ut jamdiu inter professores juris civilis et canonici, qui supra ceteros eruditione et doctrina efferebantur et publice docere volebant, rite, ut ita dicam, inaugurati, doctoris insignia capiebant; ita etiam, ubi nobilitata est ab his medicis philosophis sive physicis, quos diximus, medica nostra schola, inter medicinae professores honorum gradus invecti sunt et doctores creari coeperunt paulo post medium XIII saeculum; magistri titulum jam sibi vindicantibus quotquot clinicam medicinam aut chirurgicam, cujusvis licet scholastici muneris expertes, factitabant.

V. Celebritatem attulit in primis scholae medicae bononiensi Thaddaeus Alderottus, qui quasi medicinae instaurator aetate illa habitus est. Huic immunitates et privilegia a populo bononiensi concessa sunt et ejus item scholaribus; quae postea communicata sunt scholaribus reliquorum medicinae doctorum. Sunt ea de re antiquae leges et statuta populi bononiensis, quibus nominatim scholares magistri Thaddaei et aliorum medicinae doctorum aequantur scholaribus juris civilis et canonici (2). Sed novi isti honores medicae scholae in causa fuisse videntur ut doctores hujus facultatis eorumque auditores, qui antea cum reliqua doctorum et studiosorum multitudine unum corpus constituerant, secessionem tentaverint et novam universitatem condere aggressi sint. Equidem crediderim aliquam societatem fuisse ante hoc tempus inter eos, qui medicinam profi-

(1) « MCCXXXXVI, IV Martii obiit magister Petrus Perosinus medicus vulnerum ». Ex Necrolog. s. Salvatoris. *Appendix*.

(2) Vide excerpta antiqu. Statut. Populi Bonon. ad rubr. « De privilegio magistri Thaddaei doctoris fixice et scholarium ejus etc. ». *Appendix*.

terentur, eorumque consensu defectos eos, qui publice docere vellent; sed nondum certa collegii forma constituta erat nec scriptae leges, quibus schola medica regeretur. Id vero tunc tandem institutum est cum addita sunt honoris insignia medicinae professoribus et creati doctores ejus facultatis.

VI. Igitur schola medica a claris doctoribus, praesertim a Thaddaeo Florentino, nobilitata et privilegiis ornata a populo bononiensi, universitatem extulit, quae artistarum jure dicta est; non enim solum complectebatur medicos sed aliarum quoque artium professores et studiosos, quaeque universitatem juristarum perpetuo aemulari consuevit, quemadmodum schola ipsa medica juris civilis et canonici scholas imitari satagebat. Itaque, ut legum et canonum interpretes toti erant in enucleandis Justiniani et Gratiani libris et Pontificum decretalibus, quos libros in scholis legebant et spissis commentariis et glossis onerabant, ita et medicinae professores principum medicorum libros sive graecorum sive arabum non viva tantum voce in scholis exponere amarunt, sed glossas addiderunt plerumque ex penetralibus philosophiae peripateticae petitas, quae ad ostentationem potius ingenii conducere poterant, quam ad rei medicae incrementum. Et alios quidem horum librorum ordinariae, alios autem extraordinariae, ut ajebant, lectioni deputabant (1); in quo certe juris civilis et canonici doctores imitabantur. Eos etiam aemulati sunt, cum a glossis et commentariis ad quaestiones, disputationes et quodlibeta commigrarunt. Haec magno ingenii acumine et magnis etiam clamoribus agitabantur in scholis et scriptis postea vulgabantur. A garrulis nimirum peripateticis hoc malum in doctrinas omnes manavit (2). Sed nova artistarum universitas in hoc etiam aemulata esse videtur juristarum universitatem, quod, ut illa quosdam doctores eligere coeperat, qui jus canonicum et civile publice interpretarentur, qua de re alio loco dictum est; ita et nova haec universitas simile quiddam tentasse visa est et magistros elegisse, qui ejus arbitratu docerent; quo ex numero fuisse novimus Franciscum Asculanum, vulgo Ciccum appellatum, non minus doctrina quam vitae suae casibus et infelici exitu celebrem, qui extremis hujus saeculi XIII annis astrologiam Bononiae docuit a scholaribus electus (3) sed, ut credere fas est, constituta ab ipsis mercede. Primus enim ab eadem universitate anno MCCCVIII ad medicinam docendam electus stipendium ex publico accepit Joannes Parmensis, vir aetate sua admodum celebris, de quo alio loco dicemus.

VII. Quae porro fama esset scholae medicae bononiensis et nostri collegii medicorum, inclinante saeculo XIII, hoc insigni argumento comprobatur. Guilielmus Brixiensis, non recte Brixinensem appellat clarissimus Facciolatus (4), vir aetate sua celeberrimus, qui et canonicus parisiensis fuit et archidiaconus bononiensis et aggregator vulgo in schola medica est appellatus, quem titulum sibi fecit in subscriptione insignis operis ab eo editi, quod *Practica* inscribitur (5), postquam annis multis dialecticam et philoso-

(1) Habemus ex antiquis Statutis civitatis nostrae, quinam libri in scholis medicorum legerentur ordinarie, quive extra ordinem.

(2) Vidimus in cod. Vatic. 2418 Quodlibeta « magistri Juliani de Bononia et magistri Bertuccii », qui saeculo XIV magna nominis celebritate floruerunt. Disputationes vero et quaestiones illustrium medicorum ejus aevi innumeras habemus, rara quidem typis editas, plerasque ineditas, quas diligenter recensebimus, ubi de his doctoribus agetur.

(3) « Incipit scriptum de principiis astrologiae secundum Cicchum, dum juvenis erat electus per universitatem Bononiae ad legendum ». Ita in cod. Vatic. 4464. Cadit autem Francisci Asculani juventus in extremos annos saeculi XIII; qua de re alio loco agemus, ubi de hoc celebri viro sermo erit.

(4) FACCIOLAT., t. I, pag. 13.

(5) « Et sic clementissimo concedente Deo expletum est opus aggregatoris brixiani de omnibus aegritudinis particularibus et passionibus a vertice capitis ad plantam pedis etc. ». GUILIELMUS BRIXIENSIS, *Practica*, in fine.

phiam publico stipendio docuisset in scholis patavinis, cum ad medicinam se conferre vellet, Bononiam venit seque erudiendum tradidit Thaddaeo Alderotto; quo auspice doctoris insignia in nostro collegio accepit. Id narrat in epistola ad Ulricum scholasticum viennensem Engelbertus abbas admontensis, qui Guilielmum quinquennio audierat logicam et philosophiam Patavii docentem, antequam ad academiam nostram accederet (1). Cum autem Engelbertus Patavium profectus sit paulo post concilium lugdunense II, quod celebratum est anno MCCLXXIV, non ante annum circiter MCCLXXX Guilielmus Brixiensis ad Thaddaeum audiendum in scholis nostris venire potuit. Et revera ex monumentis nostris, quae cum epistola Engelberti Abbatis mire consentiunt, manifestum est Guilielmum Brixiensem anno MCCLXXXVI Bononiae fuisse *magistrum* quidem *in physica* tunc appellatum, sed nondum doctoris titulo insignitum (2). Itaque vir ille clarissimus *conventum in medicina suscepit,* ut inquit Engelbertus, idest, doctor in conventu magistrorum nostrorum creatus est sub illud fere tempus, quo nata est nostra medicorum universitas.

VIII. Sed medica ipsa facultas, praeter eos qui doctorum aut scholarium numero erant et proprie ad medicorum sive artistarum universitatem pertinebant, plures complectebatur classes et veluti ordines hominum, qui alias atque alias medicinae partes tractabant. Erant enim et *medici plagarum* (3), sive chirurgi, et *medici ocularii* (4), et qui, in herniis curandis praecipue occupati, *medici crepatorum* (5) vulgo appellari consueverant. Infimi gradus habebantur *medici barberii* (6), quos paulo supra barbitonsores nostros se extulisse arbitror quique magis usitatas et communes chirurgiae functiones exercebant, quod hodiedum praestant non pauci barbitonsores in civitate nostra a medicorum collegio probati. Postremo ne mulieres quidem *medicae* deerant (7), ut non injuria conquestus fuerit Guido de Cauliaco chirurgiam, a doctis medicis relictam, a mechanicis hominibus aliquando occupatam fuisse (8). Verum isti plerique omnes multo infra doctorum dignitatem positi censebantur, neque ad eorum honores ac titulos aspirabant. Postea tamen usu receptum est, ut etiam ex chirurgis, qui, artis illius primarios auctores interpretando et objecta diluendo, suae doctrinae specimen coram medicorum collegio rite praebuissent, *chirurgiae doctores* ex formula appellarentur (9); sed hujus consuetudinis ante saeculum XIV nullum prorsus vestigium apparet.

IX. Quoniam autem medicina ab Arabibus ad nos profecta eas labes secum attulit, quas apud eam gentem contraxerat, non minima medicorum nostrorum cura fuit astrologiae perdiscendae, ejus nimirum vanissimae artis, quae judiciis ab astrorum positionibus, aspectibus et conjunctionibus petitis nitebatur. Hanc veluti sociam et opitulatricem medi-

(1) « Ego itaque tunc Paduam veniens, ut praedixi, continuavi studium in logica et philosophia quinque annis sub magistro Guilielmo de Brixia, tunc actu ad salarium legente ibidem, viro magnae reputationis, postmodum facto Parisius canonico per dominum Bonifacium Papam (VIII) et medico etiam ipsius domini Papae, postquam a Padua recedens, conventum suscepit in medicinis Bononiae sub magistro Tatheo, medico praecipuo ». Extat apud Pezium, t. I, pag. 429 sequ.

(2) « Anno MCCLXXXVI die XXVII Aprilis magister Guilielmus de Brixia, filius domini Jacobi de Corvis, magister in fixica » praesens cuidam instrumento in *Memorial. Damiani Notarii,* pag. 158.

(3) « Magister Deotesalvi medicus plagarum curare debeat etc. ». Ex *Stat. Cir.* anno MCCLVIII.

(4) « Magister Petrus quondam Boni de Mezalla, qui fuit de Tuscia, medicus oculorum etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.* anno MCCLXXXIII.

(5) « Magister Ansaldus quondam Guilielmi Fabe de Lavania promisit instruere Castellanum Engrammi in officio medicationis crepatorum etc. ». Ex iisdem *Memor.* anno MCCLXXXIX.

(6) « Magister Joannes medicus barberius etc. ». Ex *Memor.* anno MCCLXXXIII.

(7) « Jacobina, filia quondam Bartholomei, medica ». Ex *Tab. census* anno MCCCIV.

(8) Guido de Cauliaco in prooem. *Chirurgiae.*

(9) Ex *Statut. Collegii Medicor.* an. MCCCLXXVIII et MDVIII. Novissimus omnium chirurgiae doctor creatus est Hercules Cattaneus bergomas an. MDCXXXXIV.

cinae reputabant, neque bonum esse medicum quempiam arbitrabantur, qui hujus artis adminiculo careret[1]. Itaque non dedignabantur aliqui physicae seu medicinae et astrologiae doctores appellari[2]; et medici quique nobilissimi hanc astrologiae peritiam affectabant, ut eorum scripta, quorum pars magna inedita est, aperte declarant. Et sane Guido de Cauliaco, quem Fallopius Hippocrati comparare non veretur[3], librum de astrologia scripsit[4]; et quantum huic arti tribueret constat ex eo quod pestem illam maximam describens, quae anno MCCCXXXXVIII post immensam stragem late habitam Avenionem pervenit, ubi is archiatri officio fungebatur apud Clementem VI, eam praesignatam fuisse tradidit ex Saturni, Jovis et Martis conjunctione: *majores enim conjunctiones,* inquit, *significant res admirandas, fortes et terribiles, ut mutationes regnorum, adventus prophetarum et mortalitates magnas*[5]. Cito admodum instituta est in scholis nostris astrologiae lectio, quam tamen retinebant plerumque novitii medicinae professores, qui gradum sibi deinde faciebant ad nobiliores medicinae lectiones; ut manifestum erit ex iis, quae in progressu hujus operis de professoribus astrologiae et medicinae posteriorum temporum dicemus.

X. Sed multo magis ex anatomes ac rei herbariae quam ex astrologiae studio medicina juvari poterat. Anatomes usum et honorem fuisse aliquem in academia nostra vel saeculo ipso XIII et ante Mundini aetatem, qui saeculo XIV ineunte primus huic studio facem praetulisse creditur, non inani fortasse conjectura ducimur ad suspicandum. Nam et Guilielmus de Saliceto, qui chirurgiae institutiones circiter annum MCCLXX Bononiae scribebat[6], librum earum quartum *Anatomiae* totum attribuit, et Thaddàeus Florentinus, quem nostrae hujus scholae principem fuisse ostendimus, controversiam quamdam definire non ausus est, neque certum de illa judicium ferre, quod nunquam, ut ipse fatetur, praegnantis mulieris anatomen inspexisset[7]; unde conjectari licet in aliis cadaveribus, quorum ei copia longe facilius quam foeminarum utero gerentium fieri poterat, vel incidendis vel, cum a peritis secarentur, observandis, exercitatum fuisse.

XI. Neque botanices auxilio destituta erat schola medica bononiensis jam inde a saeculo XIII. Quod ut ostendam nihil aliud agam quam ut ea, quae in hanc rem inventa et animadversa sunt a clarissimo Montio, diligenter exponam. Anno MDCCLIII edidit vir clarissimus brevem descriptionem horti medici bononiensis, cui ipse praefectus est. In ea nullos fuisse scripsit antiquiori aevo botanices professores in civitate nostra a medicis distinctos: *Non enim,* inquit, *temporibus illis herbariae rei studia a medicae artis institutis distingui solebant, neque alii botanici numerabantur quam diligentiores medici, quibus plantarum ad morbos curandos utilium cognitio plus aliquanto quam ceteris cordi erat.* Sed nunc aliter judicat, posteaquam vetusta civitatis monumenta scrutatus est; ac probe perspectum habet multo antiquiore fuisse botanicorum professionem in civitate nostra quam ante existimaverat.

(1) « Oportet Medicum de necessitate scire ac considerare naturas stellarum et earum conjunctiones, ad hoc ut diversarum aegritudinum et dierum creticorum habeat notiones, quoniam alterabilis est equidem ipsa natura secundum aspectus et conjunctiones corporum superiorum.... Medicus sine astrologia est quasi oculus, qui non est in potentia ad operationem ». CICCUS ASCULAN. in prooem. *Astrolog.*

(2) Vide infra, ubi de magistro BONINSEGNA, qui doctor et magister in physica et astrologia dicebatur.

(3) FREIUD, *Histor. Medic.*, in *Guidone de Cauliaco.*

(4) GUIDO DE CAULIACO, *Chirurgiae,* trac. II, doct. II, cap. V.

(5) *Ibid.*, loc. cit.

(6) Vide infra in GUILIELMO DE SALICETO.

(7) « Ad hanc quaestionem non possum cum certitudinè respondere, quia nec invenio determinatam ab auctoribus expresse, neque anatomiam vidi in muliere pregnante etc. ». THADDAEUS in *Aphorismo XXXIX, sectione V.*

XII. Habemus in tabulis canonicorum Ecclesiae Metropolitanae bononiensis, ad annum MCCXXXIV scriptis, Zachariam *de Herbis* (1), et ejus filium Dominicum in antiquis quoque tabulis promiscue *de Herbis et Herbolarium* nuncupatum (2); ex quo apparet, non ita appellatos ex familiae agnomine, sed quod uterque rei herbariae studiosus et peritus esset, uno verbo quod botanicum ageret. Quamquam autem *domini* titulus, quem Dominico Zachariae filio tributum videmus, hominem ostendat haud plane infimae sortis, ut fere sunt nostrorum temporum rhizotomi, a ligone et aratro abducti; placet nihilominus exemplum aliud afferre herbarii iisdem temporibus Bononiae degentis, cui et domini et magistri appellationem tributam novimus. Fuit is Guilielmus Provincialis, qui Bononiae botanicen profitebatur anno MCCLXXIV et deinceps (3). Incertum est num Bononiam venerit studiorum causa, an vero ut botanicen exerceret doceretve. Illud constat sic illum Bononiae domicilium habuisse, ut, quasi jam bononiensis factus, patriam suam, quae erat Grinnicum Provinciae civitas, vulgo *Grasse*, prorsus deseruisse videretur (4). Vix autem dubitari potest quin ideo magistri titulo insigniretur, quod operam daret erudiendis scholaribus, qui exquisitiorem herbarum cognitionem assequi cuperent.

XIII. Vivebat eodem tempore Michael pharmacopoeus simul et herbarius, *de Herbis* propterea appellatus, cujus crebra mentio est in antiquis tabulis ab anno MCCLXVIII ad extremos annos saeculi XIII. Videtur autem prae ceteris pharmaceuticae artis professoribus in herbarum ad medicinam pertinentium cognitione peritus fuisse, eamque ob causam de Herbis appellatus (5). Hic anno MCCLXXXII in secunda expulsione Lambertacciorum e civitate ejectus est et jussus intra fines agri bononiensis aliquandiu consistere (6). Nihil illi gravius ob eam causam accidisse compertum est. Est autem memoratu dignum, nunquam herbariae rei studiosos in civitate nostra defuisse, usque ad illud tempus cum botanice majori copia eruditionis et doctrinae tractari coepit, ejusque peculiaris lectio tandem decreta et publicus professor adlectus. In tabulis census civium anno MCCCIV, habiti in parochia s. Archangeli, occurrit *Rolandinus, qui dicitur Dinus, quondam Bartholomei Carnelvarii.* Idem in tabulis census anno MCCCXXIX scriptis *Speciarius* appellatur. Sed illum fuisse herbariae rei peritum apparet ex tabulis anni MCCCLXXII, in quibus nominatur *magister Johannes quondam magistri Rolandini*

(1) « Anno MCCXXXIV, V exeuntis Octobris. Actum in episcopatu Bononie praesente presbitero Aldrovando capellano sacristie, Zacaria de Herbis et Rolando de Foliano etc. ». Ex archivo canonicorum s. Petri.

(2) « Anno MCCLXXII, VII exeuntis Julii. Dominus Dominicus quondam Zachariae erbolarius fuit confessus se habuisse et recepisse etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

« MCCLXXIII.... Dominus Dominicus quondam Zacharie de Herbis etc. ». *Ibid.*

« MCCLXXV, XIII exeuntis Martii. Actum in statione domini Bonrecuperi speciarii presente domino Dominico de Herbis etc. ». *Ibid.*

(3) « Anno MCCLXXIV, XII intrante Martio. Dominus Giliolus Schoti, dominus Henrigiptus de Bagno, ejus frater, confessi sunt habuisse a Johanne filio domini Rolandi Henrigipti de Cidricola LXXXIV libr. Bonon. pro tribus curribus, quos habuit in exercitu apud Forlivium.... presente domino Dominico quondam Zacharie, domino Guilielmo Provinciali qui fuit de Crassa ». Ex *Memorialibus Communis Bononiae.*

« Anno MCCLXXIV, V exeuntis Septembris. Actum in statione domini Guilielmi Accursii, in qua moratur dominus Simon specialis, present..... domino Guilielmo Provinciali herbolario qui fuit de Crassa etc. ». *Ibid.* ex *Mem. Ugolini Regatii.*

« Anno MCCLXXVII, III Maji. Dominus Simon quondam Rufini specialis fuit confessus habuisse a magistro Thomaxino canonico Plebis Cortone doctore fixico lib. XXIV Bonon.... Actum in statione magistri Simonis, presente magistro Benedicto medico de Faventia, magistro Guilielmo Provinciali erbolario etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.* illius anni.

(4) Id ostendit usitata illa dicendi formula « Guilielmus Provincialis qui fuit de Crassa » quam in re simili saepissime usurpatam novimus.

(5) « Anno MCCLXXII, X exeunte Augusto, dominus Aldinus quondam domini Aldini fuit confessus sibi esse satisfactum a domino Michaele Speciali de Herbis etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(6) Ex *Lib. Confinator.* anno MCCLXXXII.

Carnelvarii de Herbis (1). Nec desunt monumenta plura, ex quibus constat et Rolandinum et Joannem ejus filium herbarios fuisse (2). Sed Dinus quoque, Joannis filius et Rolandini nepos, patris et avi professionem secutus est (3), annisque ut minimum CL ea familia botanicos aluisse videtur.

XIV. Neque mirum est jam inde a saeculo XIII viguisse in civitate nostra botanices studium, si non eruditum et elegans, ut aetate nostra, at accuratum certe et industrium; neque enim eo praesidio carere poterat medicina eo tempore, cum multo crebrior erat herbarum usus in medicamentis conficiendis, quam sit aetate nostra. Itaque herbarios eas herbas cognoscere oportebat, quibus medicina utebatur; eas autem magna ex parte in promptu vix habere potuissent, extraneas potissimum, nisi in hortis excoluissent diligenter. Hinc magna cognatio inter pharmacopoeos et herbarios et magna rursus utrorumque cum medicis. Et quoniam in eadem urbis regione, quae de *Porta nova* dicebatur, in qua medicinae professores plerique habitare consueverant, et quo magis confluebant ejus artis studiosi, herbarii quoque habitare solebant; credibile est, non id casu factum, sed ob eam causam ut qui scholas medicas in ea regione adirent, possent etiam ab herbariis erudiri in cognitione herbarum. Haec habui ex clarissimo Montio, cui in ulla parte antiquae historiae civitatis nostrae nihil est ignotum aut obscurum. Deinceps de singulis medicinae professoribus dicendum.

I.

MARTINUS.

GUALFREDUS. MORANDUS. SICHIFREDUS. GRILLUS. BONATTUS. BRANCA. JOANNES.

I. Ante saeculum XII, ut rara sunt monumenta civitatis nostrae, nullum novimus, qui apud nos medicinam vel docendo vel exercendo professus sit. Decurrente autem saeculo XII medicos quidem plures deprehendimus, sed qui doctores aut magistri dicerentur nullos. Anno MCV Martinum medicum prodit vetus charta canonicorum sancti Joannis in Monte; idemque cum Bonmartino filio memoratur in aliis eorumdem canonicorum et monachorum sancti Stephani monumentis usque ad annum MCXXXX (4). Vivebat eodem tempore Gualfredus Medicus, cujus pariter mentio est in tabulis monachorum sancti Stephani (5), et Morandus etiam medicus memoratur in tabulis eorumdem monachorum anno MCXXXXIX scriptis (6); necnon Sichifredus Medicus, cujus filius

(1) In *Lib. Provisor.* anni MCCCLXXII in archivo publico Bononiae.

(2) « Anno MCCCLXVI die XXX Julii. Accesserunt Guida et Belda.... quae venditionem facere intendunt.... de duabus domibus.... juxta viam publicam et juxta magistrum Joannem Dini erbolarium ». Ex *Mem. Uxeppi de Plastellis.*

Item in *Provisor.* anni MCCLXXIII, die III Julii, occurrit « Magister Johannes quondam magistri Dini de Herbis »; et die VIII Octobris: « Dinus et Piccinus filius quondam Johannis magistri Dini de Herbis ».

(3) In *Matricula Speciarorum* ad annum MCCCCX: « Dinus Johannis Rolandini Carnelvarii »; ad annum MCCCCXII: « Johannes magistri Dini de Erbis »; et ad anni MCCCCXXXXI: « Mattheus Dini de Erbis ».

(4) Ex charta archivi monachorum s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis.

(5) Ibid.

(6) « Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo nono, mense Septembris, indictione XII. Ego quidem Bononius, gratia Dei abbas s. Stephani, que vocatur Jerusalem, presenti die do et concedo, tibi Morando medico

Vivianus circa idem tempus agros quosdam in emphyteusim accepit a canonicis sancti Victoris [1].

II. Aliquanto notior est nostris scriptoribus Grillus Medicus, qui anno MCLXIV Nonacrinae filiae suae tumulum posuit in ecclesia sancti Stephani cum hoc titulo:

ANNO · MCLXIV · INDICTIONE · XII · II · IDUS · SEPTEMBRIS
HIC · NONACRINA · JACET · MEDICANTIS · FILIA · GRILLI
COELESTIS · MEDICUS · DET · QUOD · PATER · HAUD · DEDIT · ILLI
QUAM · SANARE · MINUS · POTUIT · MEDICINA · PATERNA
COELESTIS · MEDICUS · SALVET · DANS · REGNA · SUPERNA
SIT · PETRUS · DE · ALBERICUS · ME · FECIT

Ita exscripsit Alidosius. Nunc hujus tumuli nullum vestigium superest. Sed mirificus sane interpres fuit Alidosius eorum verborum: *Sit Petrus de Albericus me fecit.* Hinc enim novum medicinae professorem extudit *Petrum de Alberico*, quem ad annum MCLXIV viventem in suo catalogo recensuit [2]. Atqui Ovidius Montalbanus amplius etiam ingenio suo indulsit, cum in syllabo doctorum collegii philosophiae et medicinae, quem sub alieno nomine vulgavit anno MDCLXIV, Petrum hunc fuisse tradidit fratrem Hugonis illius Alberici de Porta Ravennate, quem Alidosius inter doctores artium liberalium, incertum qua conjectura inductus, numeraverat. Itaque duos hos fratres primo loco memorat, quasi collegii utriusque fundatores sive restauratores; sed aliter de hoc, ut ipse putabat, medicinae professore et Grilli discipulo, idem Montalbanus scripserat in *Minervalibus*, quae anno MDCXXXXI ediderat. Ibi eum appellaverat Albericum; eique nescio quam versionem *Aphorismorum Hippocratis* tribuerat. Nugae scilicet et somnia; unum enim novimus Hugonem Albericium de Porta Ravennate nobilissimum jurisconsultum, quem Irnerii discipulum fuisse vulgo perhibent, ac de illo egimus inter legum professores. Expungendus igitur fictitius iste Albericus catalogo scriptorum italicorum, in quem clarissimus Mazzucchellius a Montalbano deceptus illum intrusit. Vixit aliquanto serius Petrus Alberici notarius [3]. Hic fortasse auctor ejus tituli sepulcralis; ut erant fere iis temporibus notarii humaniorum literarum cultores. Sed num is ex Albericia gente fuerit, ex qua Hugo de Porta Ravennate, plane incertum est.

II. Bonattus et Branca medici solo nomine noti eodem tempore vixerunt [4], et paulo serius Joannes Medicus, qui cum jerosolymitanam peregrinationem suscepturus esset, anno MCLXXXIX testamentum condidit, quod vidimus in tabulario canonicorum s. Joannis in Monte [5]. Legavit ille nonnulla ad causas pias; atque in his XII nummos imperiales reliquit ponti Idicis et ponti Claternae totidem. Crediderim medicum hunc iter illud suscepisse in comitatu Bononiensium nostrorum, qui frequentes ad bellum sacrum accepta cruce proficiscebantur; quod postmodum fecisse novimus etiam Hugonem Lucensem, medicum insignem, de quo infra dicemus.

et Richilde socie tue, filia Martini calegarii portionem de terra etc. Hugo causidicus filius Alberici Lambardo; Orlandus de Varegnana etc. ». Ex charta archivi monachorum s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis.

(1) Ex tabulis archivi s. Joannis in Monte ad annum MCXXXXIII vel MCLVIII scriptis, ut ex apposita indictione VI apparet.

(2) Alidosius, pag. 76 et 153.

(3) Ex pluribus contractuum tabulis ab eo scriptis, quas vidit clarissimus Montius.

(4) Bonattum exhibent tabulae archivi Fratrum Minorum anno MCLXXVI scriptae, Brancam tabulae archivi s. Joannis in Monte scriptae anno MCLXXIX.

(5) « Anno MCCLXXXIX die .... Dominus Joannes medicus cupiens ire ad sepulcrum Domini suum fecit testamentum etc. ». Extat in archivo s. Joann. in Monte.

II.

NIGER.

Eodem labente saeculo et initio sequentis vixit Niger Medicus, non obscurus homo et, quantum conjicere licet, ecclesiasticis honoribus spectandus. Eumdem enim primo canonicum Ecclesiae Bononiensis, mox ejusdem Ecclesiae archipresbyterum fuisse arbitror. Anno certe MCLXXXXIV Nigrum Medicum cum archidiacono et aliquot canonicis bononiensibus interfuisse novimus, cum episcopus bononiensis primum lapidem poneret ad novam ecclesiam s. Mariae Montis Guardiae construendam (1). Miserat illum lapidem Caelestinus III Romanus Pontifex ad Angelicam illustrem ascetriam, ejus ecclesiae, quae insignem parthenonem adjunctum habuit, fundatricem; nec dubito quin Niger ille medicus, qui cum canonicis et archidiacono bononiensi interfuit primo ejus templi lapidi ponendo, ipse quoque canonicus fuerit, nempe ille idem, qui post annos aliquot ejusdem Ecclesiae bononiensis archipresbyteratum gerebat (2). Neque mirum est sacratum virum medicinam professum esse. Non erat id alienum ab eorum temporum moribus; et quamquam Honorius III sua decretali vetuerit ne clerici aut monachi medicinae scholas adirent, non defuere tamen, etiam post illum Pontificem, qui ex utroque ordine eam facultatem professi sint.

III.

JACOBUS BRITONORIENSIS.

Ex oppido Aemiliae Britonorio, unde duxit originem, cognomentum sumpsit Jacobus Britonoriensis, medicus aetate sua illustris. Hic primus est omnium medicorum, qui magistri appellatione celebretur in monumentis nostris, quod utrum ad artis medicae praestantiam an ad docendi officium pertinuerit judicare non ausim. Floruit Bononiae annis multis ante exitum saeculi XII, quo tempore Canonicos Regulares s. Joannis in Monte amavit coluitque plurimum. Sed tandem anno MCLXXXXIX exeunte, abdicatis rerum humanarum curis, eorum institutum amplexus est (3). Eo anno pridie kalendas

(1) « Anno MCLXXXXIV, die VI exeunte Madio, indictione XII. Testibus dominis Gerardus Bononiae archidiaconus et presbiter Azo.... Niger Medicus. Dominus Ger. bonon. episcopus posuit lapidem in fundamento ecclesie Montis Garde ad honorem Dei et s. Marie et domini Papae et bononiensis Ecclesie salva ratione omnium ibi jus habentium etc. ». Ex archivo monialium s. Mathiae. Vidit clarissimus Montius.

(2) « Anno MCLXXXXVII mense Madio Gerardus archidiaconus s. Petri, Niger archipresbiter.... Enrigittus de Fratta, magister Oddo canonici » ratam habent sententiam latam a Gerardo subtili judice Matthaei de Corrigio potestatis bononiensis in quadam lite vertente inter canonicos s. Petri et Azolinam uxorem quondam domini Gerardi de Lamula. Ex archivo canonicorum Eccles. Bonon., fascic. II, n. 3.

(3) Habemus tabulas anno MCC die VII Aprilis scriptas, quarum hoc est initium: « Ego Guidottus canonicus et camerlingus s. Joannis in Monte consentientibus fratribus meis, scilicet presbytero Yoseph et presbytero Gerardo et presbytero Johanne et magistro Jacobo de Brettenorio etc. canonicis predicte ecclesie etc. ». Indicavit clarissimus Montius. Ex iis autem apparet, Jacobum Britonoriensem paulo post conditum testamentum inter canonicos s. Joannis in Monte receptum fuisse, nam testamentum condiderat pridie kalendas novembris anni praecedentis.

Novembres, antequam professionem in eo Ordine emitteret, testamentum condidit ut eos factitasse comperimus, qui in adulta aetate ad religiosos ordines convolabant. In eo testamento, quod in Appendice producimus, multa ad pias causas legavit. In his *Bibliothecam* unam ecclesiae s. Victoris et item alteram ecclesiae s. Joannis in Monte. Utraque nimirum ecclesia eorumdem canonicorum erat. *Bibliothecae* autem nomine totum sacrorum bibliorum corpus designatum constat (1). Rursum ecclesiae s. Joannis in Monte vineam legavit, ad *Paradisum* ejus ecclesiae sartum tectum servandum. Paradisum autem interpretor amplam et elegantem porticum ante ecclesiam ipsam ex veteri more constructam. Priscis enim temporibus nefas erat ecclesiae aditum in propatulo esse, nullis septis aut porticibus a profanorum incursibus munitum, contra quam nostris temporibus fieri videmus. Itaque porticum ante fores patentem, columnis fultam marmoribus et picturis pro ecclesiarum opibus et amplitudine ornatam, apud sequioris aevi scriptores quandoque paradisum appellatam novimus (2). Retinet adhuc paradisi nomen propilaeum sive atrium, quod est ante basilicam Montis Casini, cujus propilaei turres dedicatae sunt anno MLXXV, ut nuper adnotatum vidi in antiquo kalendario casinensi, quod est inter codices manuscriptos doctissimi et humanissimi praesulis Stephani Borgiae (3). Erat in eo paradiso altare s. Michaeli Archangelo et s. Thomae archiepiscopo cantuariensi et martyri dicatum, quod anno MCCIV Jacobus ipse consecrandum curavit, ut ex tabulis quas in Appendice dabimus. Fortasse ejus opera erectum fuerat. Est illud etiam memoratu dignum in eo testamento, quod sarciendis et reficiendis pontibus, qui erant in via Aemilia, quantum intra fines agri bononiensis protenditur, aliquid pecuniae legavit. Id olim quasi ad pias causas fieri consueverat et, ut ipse inquit, *pro remedio animae suae*. Ita tunc ad pietatem pertinere putabant viatorum commodis prospicere, quibus nunc gravibus, et utinam non iniquis, pedagiis difficiliora redduntur itinera. Obiit Jacobus anno MCCXIII, III kalendas Octobres, quo die indicatur ejus obitus in veteri necrologio Canonicorum Regularium s. Victoris et s. Joannis in Monte his verbis: *Ob. dompnus Jacobus medicus canonicus frater noster de Bretenorio.*

IV.

BONMARTINUS.

MANFREDUS. PALMERIUS.

I. Non prorsus ab hominum memoria excidit Bonmartinus Medicus, qui floruit initio XIII saeculi. Alidosius Bonum Martini appellat (4), quasi Bonus esset Martini filius. Videtur a Martino illo originem duxisse, quem initio saeculi XII vixisse diximus. Sed magis ego hunc hominem memorabilem judico ob pietatis religionisque studium, quam ob medicam professionem. Contulit enim non tenuem opem pio cuidam sodalitio, quod ad quartum circiter a civitate nostra milliarium prope Genam fluviolum aetate illa coaluvit. Auctor pii operis Albertus presbyter, ejusque adjutor procul dubio fuit Bonmartinus Medicus. Hic anno MCCIV cum Rolandino argentario agrum emit pro

(1) Vide *Cangii Glossarium*. V. *Bibliotheca*.
(2) Ibid. V. *Paradisus*.
(3) « Dedicatio turrium paradisi MLXXV ». Ita ibi legitur. Vide et *Chronic. Casin.* ad eum annum.
(4) Alidosius, pag. 23 ad annum MCLXX.

nascente hoc sodalitio ad eum locum, quem diximus (1). Biennio post Bonmartinus idem cum Huguccione episcopo ferrariensi, celebri quondam academiae nostrae professore, et aliis honestissimis viris interfuit donationi cuidam piae huic societati factae (2). Deinceps per annos aliquot nihil fere hujus societatis nomine actum transactumque est, quin Bonmartinus Medicus interfuerit (3). Societas s. Catharinae de Quarto, sive de Gena, haec primum dicta est quod esset in Quarti paroecia et prope Genam fluviolum constituta (4). Sed brevi tempore ex tenuissimis principiis prope ad formam religiosi ordinis excrevit et suis legibus regebatur, quas Albertus presbyter, instituti auctor et moderator, primus perscripserat. Erant hae leges non magnopere dissimiles ab iis, quae pro canonicis mantuanis s. Marci conditae fuerant, sed aliquanto rigidiores. Hic est Albertus, quem narrant in funere s. Dominici corpus ejus complexum non prius osculari destitisse, quam vocem audiret sancti viri sibi praenunciantis fore ut, eo anno nondum circumacto, beata immortalitate una secum potiretur (5). Neque oraculo fides abfuit; Alberto ipso intra quintum mensem vita functo (6). Anno MCCLXXXXVII Fratres et Sorores, quae ad s. Catharinae de Quarto degebant, non pauciores erant quam CL (7). Quamquam enim haec religiosa societas ex foeminis potissimum coalesceret, una tamen aderant religiosi viri aliquot ejusdem instituti sectatores, quorum qui toti societati praeerat Prior dicebatur. Manavit in alia loca pium hoc institutum; nam conventus s. Jacobi de Mella prope Brixiam et ferrariensis sanctae Mariae de Misericordia et cremonensis s. Mariae Vallis Viridis huic nostro se subjecerant et Priori s. Catharinae de Quarto parebant (8). Universa haec familia Ordinem s. Augustini profitebatur, sed initio saeculi XIV moderatorem habuit Raynerium mei camaldulensis Ordinis monachum, qui in tabulis eorum temporum dicitur *Prior et Rector Ordinis s. Catharinae de Quarto et sanctae Mariae Magdalenae de Bononia stratae sancti Donati* (9). Venerant scilicet jam tum

(1) « Anno MCCIV, XVII kal. Januarii, indict. VII. Verardus de Beccatellis et Albertus piscator vendiderunt et tradiderunt Bonomartino medico et Rodaldino Campsori recipientibus ad honorem Dei et S. Spiritus et beate Caterine virginis et martiris et nomine societatis que dicitur societas s. Caterine tantam quantitatem terre arative.... que terra posita est in pertinentia Quarti desuper juxta navigium etc. ». Ex tabulis archivi s. Joannis Baptistae.

(2) Ex tabulis anno MCCVI, die XII Martii scriptis, in eodem archivo.

(3) Ex pluribus tabulis in eodem archivo asservatis.

(4) Ex tabulis praedictis.

(5) Vide MAMACH., *Annal.*, pag. 662.

(6) « In nomine D. N. J. C. An. MCCXXII, die IV intrante Januario, indictione X, tempore d. Honorii Papae et d. Friderici Imp. Nos Universitas et Collegium Fratrum et Sororum monast. s. Caterine de Quarto bon. dioeces. adunati in unum more solito, nomine S. Spiritus invocato propter mortem Ven. Fr. Alberti primi prioris et fundatoris nostri Ordinis, eligimus in priorem pastorem et rectorem nostrum et monast. memorati etc. ». Ex tabulis ejusdem archivi.

(7) « Cum igitur, sicut accepimus, ecclesia s. Catharinae ad navigium Genae adeo tenues habeat facultates, quod eaedem non solum ad solutionem debitorum, quibus ecclesia ipsa gravatur, verum etiam ad sustentationem Prioris, Fratrum et Sororum, qui centum et quinquaginta numero et plures esse dicuntur ». Ex litteris Innoc. IV in Cod. Diplomat. Bononiensi.

Idem Innocentius IV « Priori et Conventui s. Catharinae de Quarto Ordinis s. Augustini » concessit, ut in penuria olei « sagimine » uti possent. *Ibid.*

(8) Ex tabulis archivi s. Joanni Baptistae.

(9) « Anno MCCCIII, die XIII Maji. Religiosus vir dominus, dominus Raynerius prior et rector ordinis et conventus ecclesie s. Cateline de Quarto et s. Mariae Magdalenae de Bononia stratae s. Donati; Domina Sor. Palmeria magistra dicti ordinis et conventus; Dominus Hugolinus, Frater Sanctus, Soror Bonora ». Sequuntur moniales numero viginti sex. Ex *Mem. Com. Bon.*

Rursum: « Anno MCCCV die XXIX Octobris. Religiosus vir Frater Raynerius prior monialium sororum ss. Caterine de Quarto et Mariae Magdalene de Bonon. Fr. Ugolinus et Fr. Santus dicti monasterii; domina Soror Bitina magistra » et aliae numero XXVII « que sunt ultra quam decem partes Capituli ». Facultatem petunt vendendi ab Episcopo Bonon. *Ibid.*

« Anno » dein « MCCCVIII die IX Februarii. Convocatis dominabus et sororibus monasterii s. Mariae Magdalenae et s. Cateline stratae s. Donati.... mandato religiosi viri Fr. Raynerii Ordinis camaldulensis prioris dictarum dominarum et monasterii, nec non religiose domine Sor. Agnexie magistre et sororis Agnexine vicarie ». Sequuntur Sorores numero XXXV. Fratres nulli. *Ibidem.*

moniales istae in urbem cum paucis, qui supererant, Fratribus et ad s. Mariae Magdalenae consederant in via sancti Donati (1). Post autem, mutatis iterum sedibus adoptatisque constitutionibus Ordinis Praedicatorum, ad s. Joannis Baptistae constiterunt (2), quod est admodum celebre civitatis nostrae monasterium, in cujus archivo tabulae et monumenta antiqui ejus Ordinis ad Quartum instituti asservantur. Ea vidit clarissimus Montius, a quo haec accepimus scriptoribus nostris omnino ignota. Quo anno Bonmartinus Medicus obierit, non liquet. Alidosius hunc titulum affert, qui ad ejus tumulum positus fuerat:

ANNO · DOMINI · MCCII · HOC · TUMULUM
BONI · MARTINI · MEDICI · EST

Sed anno saltem MCCVIII adhuc Bonmartinus vivebat, ut apparet ex actis multis societatis s. Catharinae de Quarto a clarissimo Montio visis, quibus ille interfuit. Vel igitur Bonmartinus tumulum sibi vivens posuit vel male ejus titulus descriptus est ab Alidosio. Nunc in ecclesia s. Joannis in Monte, ubi humatum fuisse scribit Alidosius, nullum neque sepulcri neque tituli sepulcralis vestigium superest. Filium reliquit Bonmartinus, Sinibaldum nomine, ex quo natus est *magister Azolinus Medicus,* cujus non rara mentio est in Memorialibus Communis Bononiae (3).

II. Possem hic memorare Manfredum et Palmerium medicos, Bonmartini aetati suppares (4); quorum alter filium reliquit Ostesanum alter Cambium, item medicos (5); ac possem etiam non unum Montalbani erratum notare, qui et Palmerium, ex Canitula, ut ipse putat, familia ortum, et Manfredi nepotem Thomam, Ostesani filium, inter primos et antiquissimos collegii medicorum sodales reponit (6); quamquam neque medicus fuerit Thomas neque eo tempore vixerit, quo ipse existimat; collegium vero aut societatem aliquam medicorum nondum illa aetate institutam fuisse constet. Sed inanis esset istiusmodi ineptiarum labor.

V.

HUGO DE LUCA.

I. Ex infinita prope medicantium multitudine, qui per omnem aetatem Bononiae fuerunt, nemo ad magnam nominis celebritatem pervenit ante magistrum Hugonem. Hic Lucae in Thuscia natus est, non multo post medium XII saeculum, ex Borgognonum familia (7), quantum conjicere possumus, admodum illustri, nam et Hugonis filius

(1) Anno MCCLXXXXI.

(2) Anno MCCCCLXVIII.

(3) « Anno MCCLXIX. Magister Azolinus medicus nepos quondam magistri Bonmartini Medici etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

« Anno MCCLXXX. Magister Azolinus quondam Sinibaldi Bonmartini Medici etc. ». *Ibid.* Vidit clarissimus Montius.

(4) Ex actis in *Registro Grosso* descriptis ad annum MCCXVIII et MCCXXII.

(5) Ex *Memor. Com. Bonon.* ad annum MCCLXVII, MCCLXXXI et alibi.

(6) In *Catalogo Doct. Colleg. in art. liberal.,* qui editus est nomine Joannis Baptistae Cavatiae.

(7) Ex Borgognonum gente fuisse Hugonem, docent litterae magistratuum lucensium ad Commune bononiensem scriptae anno MCCCVIII, quibus « magistris Veltro et Veltruccio de Borgognonibus civibus bonon. oriundis de civitate Luca » remissionem quorumdam onerum deprecantur. Extant in *Lib. Reform.* ejus anni. Erat autem magister Veltrus Hugonis filius, Veltruccius ejusdem nepos, ut infra demonstrabitur. Sed Borgognonum cognomen neque Hugo ipse, posteaquam Bononiam venit, neque ejus posteri usurparunt, ab antiqua patria « de Luca » per duo fere saecula appellati.

Ubertus in Ordinem militum b. Virginis, quos vulgo Gaudentes appellabant, adscitus est, qui Ordo, nisi ex nobili gente progenito, iis temporibus patebat nemini, et Rodulphus Lucensis, qui Bononiae praeturam gerebat eo anno, quo Hugo Medicus Bononiam venit, ex familia Borgognonum erat, Hugoni ipsi, ut videtur, propinquus. Hugo igitur cum supra vulgus medicorum aetatis suae multo se efferret, omnium primus a populo bononiensi conductus est ad medicinam ac praesertim chirurgiam, non quidem in civitate nostra docendam, nondum enim fortasse publica schola ejus facultatis instituta fuerat, sed exercendam.

II. Id accidit anno MCCXIV cum esset Bononiae praetor Rodulphus comes Borgognonus lucensis, cujus opera id negotii confectum videtur. Est autem Hugoni tributa a populo bononiensi, ut medicinam Bononiae profiteretur, sexcentarum librarum monetae bononiensis summa, non in annuum stipendium, ut aliqui non recte existimarunt (1), sed, ut dicere amabant, in feudum. In eumdem modum aliis professoribus quandoque grandis pecunia ab aliis civitatibus semel tradita, ut se publice ad aliquam facultatem vel docendam vel exercendam obligarent; quod novi scriptores praeter rationem interpretati sunt de annuo stipendio. Sed nondum invaluerat mos conducendi annuo stipendio professores. Id multo serius Bononiae institutum. Iis pecunia dabatur in feudum, quemadmodum etiam a Regiensibus tributa est Guidoni Suzario, ut leges in regiensi academia traderet (2). Et multo ante Pillius centum argenti marcas a Mutinensibus acceperat, ut in ea civitate doceret (3). Erat autem late patens feudi appellatio iis temporibus; et quisquis sive pecuniam sive aliud quidpiam accepisset, ut obstringeretur ad praestandum alteri servitium aliquod sive in pace sive in bello, is feudum accipere dicebatur, quod inutile non erit hoc loco exemplis aliquot explicare, ad scriptores eorum temporum intelligendos.

III. Itaque in statutis antiquissimis Communis bononiensis, libro VIII, habetur caput quoddam, sive rubrica: *De feudo non accipiendo a quolibet* (4). Cavetur autem eo capite, ne quis a quolibet, ac nominatim *a Marchione Estensi, vel ab haeredibus domini Saglinguerre accipiat pecuniam ad retinendam alicujus partem*, idest, ut aliquam partem ex pacto sequatur. Ex eo intelligimus fuisse homines, qui accepta pecunia se alteri addicebant, ejusque partem in pace ac bello sequi tenebantur atque eam pecuniam feudi nomine dicebant. Similiter libro IX ad rubricam: *Quod nullus electus ad aliquod laborerium etc.* haec leguntur: *Quoniam Commune Bononiae per officiales, qui eliguntur super laboreriis, saepius expensis inutilibus aggravatur, statuimus quod nullus, qui electus fuerit ad aliquod laborerium, possit seu debeat aliquod feudum recipere a Communi Bononiae nisi ipsum laborerium fuerit utilitatis ejusdem Communis Bononiensis.* Hic feudum pro mercede acceptum videtur. Similiter pro mercede atque honorario feudi nomen usurpatum video in tabulis, anno MCCLXXIX scriptis (5). Atque in eumdem modum id,

(1) « Il quinto dì d'Ottobre i Bolognesi condussero a Bologna uno Ugo da Lucca Medico Cirugico con provisione di lire seicento di Bolognini per ciascun anno ». Ghirardacci, *Historia di Bologna*, lib. IV.

(2) Panciroл., lib. II, c. XXXXI.

(3) Vide *Summa Placentin.*, lib. X, rubr. C, *De princip. et origin.*

(4) Haec Statutorum collectio annum praefert MCCXXXXIX, sed plures Communis Bonon. leges continent multo ante editas. Haec autem edita dicitur in Consilio Civitatis anno MCCXI, Salinguerra vivo; ut non haeredes illius, sed Salinguerram ipsum, tunc ibi nominatum fuisse oporteat. Extat in archivo Civit. Bonon.

(5) « Anno MCCLXXIX, die V exeuntis Aprilis. Dominus Fulcus de Pace legum doctor et dominus Galeottus de Lambertinis in solidum promiserunt dare domino Pascipovero quondam domini Castellani Bajoli C libras Bononinorum hinc ad festum s. Michaelis proxime venturum pro suo feudo et salario, quod ire debet cum domino Bonvillano de Pace in civitate Pistorii pro judice etc. ». Ex *Memorialibus Communis Bononiae.*

quod praefecti juri dicundo a colonis et incolis agri bononiensis pensionis nomine exigebant, feudum appellatur libro X statutorum, quae supra memoravimus. Ibi enim ad rubricam: *De feudo potestatum terrarum bononiensium*, legitur: *Habeat de illa terra a quolibet habente boves unam quartarolam foeni.*

IV. Itaque Hugo Medicus, sexcentis libris in feudum acceptis, civitate donatus est ac suam operam Bononiensibus locavit iis conditionibus, quae in tabulis ea de re confectis continentur. In primis autem tenebatur sex mensibus in annos singulos in civitate morari et duobus item mensibus arbitrio praetoris. Si bellum esset, debebat in exercitu Bononiensium curandis militibus gratuitam operam impendere. Qui reliqua nosse cupiat, videat ejus contractus tabulas in Appendicem rejectas (1). Verum cum per illud tempus frequentes essent expeditiones in Asiam ad bellum sacrum, Hugo cum nostris Bononiensibus eo profectus est anno MCCXVIII. Non minima scilicet eorum cura fuit ut secum tam excellentem medicum haberent, neque id contra voluntatem Communis bononiensis factum puto. Erat ille cum nostris in celebri obsidione Damiatae anno MCCXX; cumque ea magnis viribus expugnata victoribus in praedam cessisset, Hugo interfuit, cum certa ejus urbis pars nostris Bononiensibus est attributa. Erat ibidem cum Lucensibus crucesignatis Robertus medicus lucensis, cui nostri locaverunt eam urbis partem, quae sibi obtigerat (2); ex quo apparet Lucenses quoque secum in Orientem duxisse medicum, in tam difficili expeditione haud certe inutilem.

V. Sed quandiu Hugo in Oriente moram egerit exploratum non est. Non arbitror tamen admodum diu, ac fortasse eo ipso anno, ut plerique ex nostris, in Italiam reversus est. Certe Bonifacius Guidonis Guizzardi Lambertaccii, alter ex nostrorum ducibus in ea expeditione, insequenti anno MCCXXI in Italiam redierat; eo enim anno patavinam praeturam gessit. Si qui autem ex nostris Damiatae perstiterunt, eodem anno MCCXXI inde exactos oportet, ea civitate rursum in Saracenorum potestatem redacta. Hugo igitur in Italiam reversus civitati nostrae redditus est, ubi ejus familia domicilium posuerat. Ejus mentio est in statutis antiquis populi bononiensis ad rubricam: *De medico plagarum*, ubi statuitur *quod si a magistro Deutesalvi medico vel a magistro* Hugone de Luca *vel ab aliquo medico plagarum, quaesitum fuerit a Potestate de aliquo membro debilitato, quod ipsi de novo jurare teneantur et possit ab eis inquiri et ipsi teneantur dicere veritatem* (3). Adjungitur etiam ut cum in exercitu fuerint non teneantur gestare arma, sed tantum instrumenta artis suae et id quod per civitatem secum ferre pro infirmis solent. In statutis vero anni MCCLIX praecipitur ne praedia empta ab Hugone Medico ex pecunia, quam a Communi Bononiensium acceperat, distrahi et alienari sinantur, et Praetori mandatur det operam ut Hugo Medicus stet conditionibus et pactis, quae cum populo bononiensi inierat. Haec statutorum collectio annum praefert MCCLIX, sed statuta complectitur annis praecedentibus magna ex parte edita, quem-

(1) *Vide Appendicem.*

(2) « In nomine Domini amen. Anno MCCXX, die XII exeuntis Junii, indictione VIII, in civitate Damiate, in ecclesia b. Petri, presentibus testibus ad hoc vocatis, scilicet presbytero Jacomo de Castro Plumacio, domino Hugone Medico de Luca etc. presente etiam et consentiente domino Ubaldo capitaneo et consule lucensi pro se et ejus sotio domino Ramone, dominus Ucherius et magister Robertus capitaneus lucensis et dominus Fillocarus et dominus Adrianus et Clarus et Bolognettus de Bononia electi voluntate et mandato capitaneorum ipsorum et consiliorum ad revidendum et terminandum et dividendum portionem civitatis Damiate, consignatam et datam hominibus crucesignatis Bononie et hominibus et crucesignatis Luce etc. ». Extat in *Registro Grosso* in archivo Com. Bonon.

(3) Extat haec rubrica in fragmentis statutorum anni MCCXXXXIX, et in aliis rursum anno MCCLII editis, ac denique in statutis anni MCCLVIII, ubi tamen Hugonis nomen desideratur, ut infra adnotabimus.

admodum ante monuimus, ut hinc inferre non liceat Hugonem eo anno Bononiae aetatem egisse, quem ne constat quidem num adhuc esset in vivis. Illud unum ex ejus statuti rubrica conjici potest Hugonem aut ejus filios et haeredes non admodum religiose servasse pacta, quibus populo bononiensi jure feudi erant adstricti. Et anno tandem MCCLXXXX Hugonis filii Communi Bononiensium restituerunt pecuniam omnem, quam eorum pater feudi nomine acceperat, atque ita ab omni servitio populi bononiensis liberi evaserunt (1).

VI. Theodoricus Hugonis filius, de quo mox dicemus, se ab illo prope centenario nescio quid in chirurgia didicisse narrat (2). Videtur autem obiisse inter annum MCCLII et MCCLVIII. Ejus enim perhonorifica mentio fit una cum magistro quodam Deotesalvi Medico in statutis Communis bononiensis, anno MCCLII editis. At in statutis anni MCCLVIII solus Deotesalvi Medicus nominatur, nec alia de causa omissus videtur Hugo quam quod fato jam cesserit, ut conjicit clarissimus Montius. Plures autem post se filios reliquit, qui ejus familiam diu Bononiae servarunt, Theodoricum nempe, Veltrum, Franciscum et Ubertum. Theodoricus Ordinem Praedicatorum professus est; Ubertus inter Fratres Gaudentes cooptatus; Veltrus et Franciscus a patre in medicina instituti, eamdem facultatem exercuerunt. Uterque ad multam aetatem vitam produxit, ut erant omnes ex ea familia admodum longaevi.

VII. Fuerant hi a patre in medicina eruditi, privata et domestica disciplina, qua patres solebant tradere filiis arcana illius artis. Atque hic mos erat antiquiorum temporum, cum nondum publicae scholae ejus facultatis patebant. Plerumque autem quae a patribus filii aut lectiores alumni a suis institutoribus acceperant, vetabantur in vulgus prodere. Atque Hugo ipse vel ipsis filiis arcana quaedam artis suae aperire non solebat, nisi juratis se nemini tradituros (3). Itaque ad hanc arcanam tradendae medicinae rationem respexit Theodoricus Hugonis filius, cum in prooemio chirurgiae professus est, se *ejus artis secreta deposito omnis livoris aculeo apertissime manifestare* (4). Perseveravit autem medica professio temporibus multis in Hugonis familia, Franciscus enim Hugonis filius Hugonem ac Veltrum filios in eadem facultate erudivit. Atque hujus Veltri filius fuit Joannes Medicus, qui anno MCCCLXXXXIX testamentum condidit (5). Horum nemo medicinae doctor creatus est; unusquisque enim contentus fuit vulgato magistri titulo, qui erat communis omnibus utcumque eam facultatem et maxime chirurgiam profitentibus.

VIII. Ab Hugone, si non initium, incrementum certe accipere debuit secta illa chirurgorum, quae solo vino, ut ait Guido de Cauliaco, omnia vulnera curabat. Eam

(1) « Anno MCCLXXXX, die XXX Martii, Guilielmus de Sornachis de Luca vice et nomine venerabilis patris domini Theodorici, filii quondam domini Hugonis de Luca et domini Francisci et Uberti, fratrum et filiorum quondam dicti domini Hugonis, et vice et nomine domini Veltri eorum fratris et filius predicti domini Hugonis, ratione feudi sive pecunie date domino magistro Hugoni, eorum patri, per Commune Bononie et ad confitendum dictum feudum et pecunie quantitatem integre solutam et redditam esse per predictos Communi Bononie etc. et cassandum, annullandum, irritandum praedictas obligationes etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(2) « Pulvis mirabilis, quem dominus Hugo sibi appropriat, misceatur. Et ego in rei veritate numquam vidi aliquem nec audivi, qui praedictam curam sciret vel uteretur illa nisi praedictum virum cum suis. Ipse tamen nullum de filiis absque juramento docebat, docuit tamen me jam pene centenarius nullo extorto juramenti foedere. Componitur autem praedictus pulvis de his quinque herbis, videlicet Pilosella, Pimpinella, Gariophyllata, Gentiana et Valeriana; omnium radices et folia; de Gentiana vero radices tantum etc. ». Theodoric., *Chirurg.*, lib. II, cap. II.

(3) Vide inferius adnotata ex *Chirurgia Theodorici*, ubi de Theodorico ipso.

(4) Ex prooemio *Chirurgiae Theodorici* sub fin.

(5) Extat in *Libro Testamentorum* archivi publici.

Guido appellat Bruni et Theodorici sectam. At Hugo, cui maxime familiaris erat ea curandi methodus, extremos vitae suae annos et quidem fere centenarius agebat, cum Brunus suos de re chirurgica libros scriberet (1). Theodoricus autem, qui illam curandi rationem ab Hugone didicerat, non alia de causa nomen fecisse potuit ei sectae, nisi quia cum Bruno seu verius cum Hugone patre suo in ea re consensit. Verum hic tamen non tribuit Hugoni, quod omnia plane vulnera sed quod fere omnia vino curaret. *Praedictus tamen vir mirabilis,* inquit, *magister Hugo omnia fere vulnera cum solo vino et stuppa et ligatura debenti, quam optime facere noverat, sanabat, consolidabat et pulcherrime cicatrices sine unguento aliquo inducebat* (2).

IX. Fuit Hugo chemiae non ignarus, quemadmodum ex Theodorico ejus filio intelligimus. Hic arsenici sublimationem tradit ex Hugonis doctrina (3). Est autem haec operatio inter chemicas haud sane vulgaris. Atque hinc apparet quam antiqua sit apud civitatem nostram ejus artis professio.

VI.

ROLANDUS CREMONENSIS.

De Rolando Cremonensi, viro pietate et doctrina praestanti, qui cum ab academia nostra ad Ordinem Praedicatorum, tunc in civitate nostra exorientem, migrasset, inter primos scholae theologicae in eo Ordine fundatores merito laudatur, dicere decreveram inter theologiae professores; in ea enim facultate maxime floruit, in qua omnium primus inter sui Ordinis Fratres magister Parisiis creatus est. Sed praestat illum inter medicinae professores recensere, medicinam enim Bononiae docuisse et quidem magna nominis celebritate existimo; theologiam vero apud nos docuisse non constat. Narrat Gerardus de Fracheto, accuratus et diligens scriptor qui eadem aetate vixit, Rolandum Cremonensem, *cujus fama celebris et excellens in physicis habebatur, cum Bononiae regeret, Dei spiritu succensum,* repente ad Fratres Praedicatores convolasse et a Reginaldo, qui tunc s. Dominici absentis vices agebat, in Ordinem receptum fuisse, eodem puncto temporis, quo Clarus Sextius, juris canonici antea professor, fratres aliquot de mutanda sodalitate cogitantes ac reliquos eorum defectione perculsos, apta oratione confirmare nitebatur (4). Vix autem dubito quin qui ab hoc scriptore *in phisicis excellens* fuisse dicitur, medicinae professor sit habendus; ita enim requirit usitata loquendi ratio eorum temporum. Neque me movet, quod Echardus inter scriptores Ordinis Praedicatorum de Rolando Cremonensi agens, Gerardi de Fracheto testimonium afferens, ita legit: *cujus fama celebris et excellens in philosophicis habebatur* (5); ex quo aliquis concluderet egregium quidem philosophum fuisse Rolandum, minime vero medicum. Frustra enim hunc locum emendat Echardus, contra veterum manuscriptorum codicum fidem, quibus libri

(1) Brunus chirurgiam magnam absolvit an. MCCLII, ut ad ejus calcem adnotatum est, cum Hugo ante annos octo et triginta tanquam aetatis suae professor celeberrimus Bononiam venerit.

(2) Theodoric., *Chirurg.*, lib. I, c. XI.

(3) « Arsenicum sublimatum secundum dominum Hugonem sic sit etc. ». *Ibid.*, lib. IV, cap. VIII.

(4) « Vix sermonem compleverat (Clarus) et ecce magister Rolandus Cremonensis, qui tunc regebat Bononiae, cujus fama celebris et excellens in physicis habebatur, qui etiam postea primus inter Fratres in theologia legit Parisius, succensus spiritu Dei de mundo fugiens solus venit ad Fratres, et quasi ebrius spiritu, nulla praelocutione praemissa, se recipi postulavit ». Gerard. de Fracheto in *Vitis Fratrum*, p. I, cap. IV.

(5) T. I, pag. 125, col. 2.

editi consentiunt. In duobus certe manuscriptis codicibus, quorum unus auctori suo coaevus est, alter autem aliquanto minoris antiquitatis, sed tamen emendatissimus et integerrimus, quos ostendit mihi vir clarissimus Thomas Mamacchius, Rolandus *in physicis* excelluisse dicitur. Recte igitur, nisi magnopere fallor, inter antiquiores scholae medicae bononiensis professores numerandus est vir ille celeberrimus. Quoniam autem anno MCCXIX in Ordinem Praedicatorum adlectus est, ut Echardus demonstrat, oportet illum ante annos aliquot in academia nostra versatum regendis medicinae scholis incubuisse, neque enim subito et tumultuaria opera celebris et excellentis viri famam consequi potuisset. Sed is postea, relicta medicina, ad sacra studia se contulit et primus omnium fuit, qui in scholis parisiensibus in theologia Fratres sui Ordinis erudierit. Multa deinceps praeclarissime gessit, quae diligenter exposita et illustrata sunt ab Echardo inter scriptores Ordinis Praedicatorum. Multa etiam scripsit, quae accurate ab eo recensentur. Ea hic si regerere vellem, actum agerem.

VII.

NICOLAUS FERNHAM

EPISCOPUS DUNELMENSIS.

Dubitavi quem in ordinem referrem Nicolaum de Fernham anglum, qui prius philosophiae professor in scholis parisiensibus fuerat, dein medicinae in nostris; post autem totum se dedit rerum divinarum studio atque in theologum illustrem evasit. Sed praestat eum in classem medicam referre, quoniam eam facultatem apud nos professus est [1]. Fuit Nicolaus de Fernham, alias de Fuly, natione anglus, ex eorum numero, qui anno MCCXXIX Parisiis Oxonium concessit, ob turbas in universitate illa excitatas, quas Bulaeus in ejus historia exponit [2]. Cum diu in artibus, philosophia scilicet, Parisiis docuisset, Bononiam venit ubi medicinam, in qua etiam excellens habebatur, publice professus est [3]. Deinde ad sacrarum literarum studia se contulit, in quibus etiam adeo profecit, ut magisterii honorem in ea facultate consecutus sit. Ad summam eruditionem accedebat morum probitas et prudentia singularis. Eo factum est ut Angliae Rex et Regina non solum in familiare consilium adsciverint, sed animarum quoque suarum moderatorem esse voluerint et corporum curatorem. Anno MCCXXXIX electus in episcopum conventrensem, recusavit tantum onus suscipere [4]. Rursum anno MCCXXXXI a monachis dunelmensibus episcopatus dunelmensis ei delatus est, quorum electioni cum minime assentiri vellet, fractus tandem non solum eorum precibus et lacrymis, sed objurgationibus etiam Roberti lincolniensis episcopi, qui gravissimis rationibus ostendit non posse illum sine piaculo onus illud declinare, tandem acquievit, ac de medico corporum factus est medicus animarum, ut ait vetus rerum anglicarum

(1) « Rexerat autem ipse dictus Nicolaus in Artibus Parisius per plures annos, deinde de (in) arte medicinae Bononiae, in qua claruit gratiosus et peritus excellenter ». MATTH. PARIS., *Histor. Anglic.* ad an. MCCXXXXI.

(2) BULAEUS, *Histor. Univ. Paris.*, t. III, pag. 133.

(3) MATTH. PARIS., *ibid.*

(4) MATTH. PARIS. ad annum MCCXXXIX.

scriptor (1). Haec narrat Matthaeus Paris Nicolai ipsius et synchronus et amicus (2). Habita autem ratione temporum conjici potest illum non multo post annum MCCXXX in academia nostra medicinam docuisse.

VIII.

ROLANDUS PARMENSIS.

I. Rolandus ex primis est, qui accurate de chirurgia scripserint post Graecos nimirum et Arabes. Eum Guido de Cauliaco Rogerio proximum, Bruno superiorem aetate facit. Vixit autem Rolandus cum Hugone Lucensi et Theodorico ejus filio, ut ex Theodorico ipso accipimus, qui Rolandum carpit, quasi alienis opibus ditare se vellet, sibique tribueret insignem curationem viri nobilis ab Hugone feliciter susceptam et absolutam. Locus singularis est ex Theodorici chirurgia, quem hic afferre non piget: *Commendat,* inquit, *se quidam, sicut Rolandus et alieno vestitus vellere fimbrias suas nititur dilatare, quod quemdam obscissa parte pulmonis sanavit. In rei veritate quidam domicellus bononiensis nobilis, me tunc Bononiae existente, per manum domini Hugonis parte pulmonis abscissa, magistro Rolando adsistente et vidente sanatus est* (3).

II. Haec Theodoricus; at si Rolandum ipsum audire velimus, fortasse haerebimus utri fides adhibenda sit (4). Guido de Cauliaco neutri credendum putat, et curationem illam, quam uterque sibi arrogat, ad fabulas ablegandam existimat (5). Sed fieri tamen potuit ut curationem, quam prius ab Hugone factam viderat Rolandus, ipse quoque post aliquod tempus feliciter tentaverit ac perfecerit; quod Theodoricus, Ordini Praedicatorum jam adscriptus et Bononia absens, ignoraverit.

III. Fuit Rolandus patria parmensis, ut non semel se ipsum dicit in chirurgiae libro, qui editus est in collectione Veterum Medicorum. Constat autem et illum aliquando Bononiae versatum, ac vero simillimum est, ea ipsa artis suae praecepta, quae scripta reliquit et typis edita habemus, iis, qui facultatem illam profiteri vellent, exposuisse, nondum constitutis publicis professoribus, qui medicinam in academia nostra docerent. Novum ille quidem opus non excudit, sed Rogerii chirurgiam totidem verbis descripsit, id quod vir candidus non dissimulat (6); multas tamen easque non parvi momenti adnotationes de suo penu adjecit et, quae dubia videri poterant, suarum curationum exemplis identidem propositis confirmavit.

(1) « Ecclesia dunelmensis dein pastore viduata, tandem suscepit magistrum Nicolaum de Ferneham in episcopum, virum grandaevum et regis medicum, qui de medico corporum factus est medicus animarum ». Ex *Chronic. de Mailors* inter *Rer. Anglic. Scriptor. veter.*, t. I, pag. 205, ad an. MCCXXXXI.

(2) Matth. Paris., *ibid.*

(3) Theodoric., *Chirurg.*, lib. II, c. XVII.

(4) « Quod quidem ego Rolandus Parmensis, gratia favente divina, expertus sum operando; vocatus enim ad quemdam bononiensem, quinto vel sexto die vulnerationis, inveni pulmonis partem exivisse exterius inter costas.... Convocati ergo peritiores chirurgi bononienses eum pro mortuo relinquerunt. Ego autem ipsius et amicorum suorum precibus condescendens, ab episcopo venia impetrata, et tam ab ipso quam a domino suo, et illorum amicioribus securitate obtenta, XXX fere rogantibus atque adstantibus, cutim circa vulnus pro latitudine unguis minoris digiti circumcidi.... et cum pulvere rubeo et aliis adjutoriis frequenter procurato consolidatum est Dei gratia vulnus et sanatus ille est. Post multum vero temporis cum domino suo Gerardo Rolandini Jerosolymam adivit, et inde jamdudum digressus, sanus atque incolumis vivit ».

(5) « Non obstante Rolando et Theodorico, qui de hoc etiam reprehendendo Rolandum, qui jactavit curasse se partem abscissam pulmonis ab extra cum pulvere rubeo, affirmat illud idem se vidisse ». Guiliel. de Caul., tract. III, doctr. II, cap. I.

(6) « Ego Rolandus Parmensis in opere praesenti, juxta meum posse, in omnibus sensum et literaturam Rogerii sum secutus; nec mirum si imperitia mea hoc egerit cum paene omnes sapientes hoc egisse noscantur etc. ». Roland., *Chirurg.* in fine.

IX.

THEODORICUS DE LUCA

EPISCOPUS CERVIENSIS.

I. Tam multa atque diversa fuere Theodorici studia et officia ut, quamquam cetera deessent, eo solum nomine maxime esset commemorandus. Pater ejus Hugo Borgognonus, ex clara apud Lucenses familia, de quo supra diximus. Cum is anno MCCXIV Bononiam venisset a populo bononiensi conductus ad medicinam exercendam, venit una Theodoricus, puer vix annos sex natus (1). Is patris studia secutus est, ab eo in medicina eruditus, praesertim in ea parte in qua plurimum excellebat, nempe in chirurgia. Socios habuit in eisdem studiis et in eadem facultate exercenda Veltrum et Franciscum fratres (2), qui item a patre eruditi sunt, nec ignobilem locum tenuerunt inter medicinae et chirurgiae professores. Sed eos Theodoricus celebritate nominis superavit.

II. Cum autem Theodorici adolescentia in illud tempus inciderit, quo Praedicatorum Ordo vix dum exortus mirum in modum in civitate nostra clarescere coeperat multique ad eum, ut saepe dictum est, ingenio et doctrina praestantes viri convolabant, Theodoricus ex eo numero fuit. Et quoniam alicubi in suis scriptis fatetur non tandiu in *domini Hugonis*, hoc est patris sui, disciplina fuisse, quandiu opus erat ut perfectam medicae artis cognitionem adipisceretur (3), quo factum est ut multa ex iis, quae postea scripta reliquit, suis ipse experimentis cognoverit, credibile est illum non admodum provecta aetate atque in ipso juventutis flore Ordini Praedicatorum nomen dedisse, non multo post annum MCCXXX aut MCCXXXI, quo beatus Dominicus innumeris miraculis clarus in sanctorum album relatus est, vix annos decem postquam extremum diem Bononiae obierat.

III. Sed Theodoricus inter Fratres Praedicatores receptus, obscurus in eo Ordine non latuit. Medicam facultatem, quam a patre didicerat et quantum conjicere possumus magno plausu majorique omnium expectatione exercuerat, minime deseruit. Ac mirum fortasse cuipiam videbitur id permisisse primos illos Ordinis moderatores, quos de sanctissimi instituti sui disciplina tanto magis sollicitos fuisse existimo, quanto propius aberant ab ipsius Ordinis origine. Sed hoc dandum fuisse arbitror non tam Theodorici praestantiae in arte medica, quam ejus probitati et virtuti, ut non solum medendis suis fratribus intra coenobium operam impendere sineretur, sed etiam expetitus ab extraneis crederetur citra noxae periculum posse artem medicam extra claustra exercere.

IV. Sed quamquam in hanc facultate praecipue excelleret, non caruit tamen alio doctrinae genere, quod magis hominem religiosum decet. Poenitentiarius fuit Romani Pontificis Innocentii IV, ut opinor (4); quod munus in hominem sacris disciplinis non

(1) Id colligitur ex titulo sepulcrali ipsius Theodorici, in quo dicitur obiisse anno MCCLXXXXVIII « habens in aetate sua LXXXXIII annos ». Cum igitur Hugo Theodorici pater Bononiam venerit anno MCCXIV, octenni major esse non poterat, natus nimirum anno MCCV aut MCCVI.

(2) Uterque magistri titulo insignis occurrit saepissime in antiquis tabulis, ac praesertim in *Mem. Com. Bon.*

(3) « Quia vero modico valde tempore sui cum domino Hugone praedicto, neque videre neque comprehendere neque discere ad plenum potui expertissimas curas ejus, ideo in parte ista imperfectum ex propria experientia et antiquorum curabo perficere, Galeni maxime, quem a praedicto viro eximio in nullo novimus discordare ». Theodoric., prooem. *Chirurgiae.*

(4) « Venerabili patri et amico carissimo D. A. Dei gratia episcopo vicentino, Frater Theodoricus ejusdem patientia bononiensis Ecclesiae minister indignus opus

optime eruditum conferri non poterat, praesertim a doctissimo Pontifice, quem fuisse constat Innocentium IV. Postea creatus est episcopus bitontinus, incertum quo anno. Sed anno certe MCCLXII eam Ecclesiam obtinuerat et absens regebat. Erat eo anno Lucae in patria sua et anno etiam insequenti (1). Eidem Clemens IV anno MCCLXV, adhuc Lucae degenti, mandavit ut Lucenses ad bellum, quod Ecclesia Romana contra Manfredum regem parabat, hortaretur (2). Ac fieri potuit ut ob Manfredi tyrannidem diu debuerit Theodoricus ab episcopatu suo abesse. Sed eum tamen aliquando adivisse ac praesens administrasse videtur, fortasse antequam Manfredus ab Alexandro IV hostis declaratus fuerit et sacris interdictus; quod actum est anno MCCLIX (3).

V. Eo ipso anno, quo Manfredus debellatus est, Theodoricus translatus est ad episcopatum cerviensem, biennio jam vacantem, ut constat ex literis Clementis IV datis anno II, V idus Junii. Eas Ughellus viderat in autographis vaticanis, sed cum ejus nomen una et altera litera Theodoricum expressum esset, Thomam fuisse hunc episcopum putavit. Itaque Theodoricum inter episcopos bitontinos agnoscit nullum; inter cervienses vero Thomam interserit, quem annis octo episcopatum cerviensem tenuisse dicit, cui demum anno MCCLXXIV successerit Theodoricus ex Ordine Praedicatorum assumptus (4).

VI. Episcopatum cerviensem adeptus vix unquam a civitate nostra discessit, uti antea patriam suam incoluerat, cum episcopatum bitontinum gereret (5), tum vero plane visus est lares sibi apud nos perpetuo figere velle. Sed facile non est causam demonstrare, cur tam multis annis, quibus episcopatum cerviensem gessit, ab anno scilicet MCCLXVI ad MCCLXXXXVIII, vel nullam vel parum certe diuturnam moram apud Ecclesiam suam fecerit (6). Non dubito tamen, quin Romanorum Pontificum indulgentia obtinuerit ut absens Ecclesiam suam administrare posset. Ei Nicolaus IV *ne in officii pontificalis opprobrium indigentiae onere praegravaretur,* concessit ut salis certum numerum ex salinis Ecclesiae cerviensis singulis annis Bononiam transferre posset absque ullis vectigalibus (7).

diutius affectatum. Dudum, Pater clarissime, Romae pariter existentes me vestrum tunc temporis capellanum et poenitentiarium domini Papae affectuose rogastis etc. ». THEODORIC. in prooemio cit.

(1) Ex monumentis archivi Fratrum Praedicatorum conventus lucensis, quae indicavit eruditus vir Fridericus Vincentius de Podio, ejusdem Ordinis professor in Appendice ad *Miscellaneam Baluzii,* editam Lucae anno MDCCLXIV, pag. 607.

(2) Extant Clementis IV literae in eodem archivo. *Ibid.,* pag. 600.

(3) Ob Manfredi tyrannidem putat vir eruditus, quem supra laudavi, Fridericus Vincentius de Podio, nunquam a Theodorico gubernatam aut visam ecclesiam bitontinam, sed aliud suadere videtur id, quod ille narrat libro II, cap. XVII *Chirurgiae,* de quodam, qui ad illum ex urbe Salerno venit ut curaretur: « Venit ergo de Salerno ad me etc. ». Videtur igitur, non longe a civitate salernitana tunc fuisse, Bitonti nimirum in Ecclesia sua.

(4) UGHELL. in *Episc. Cervien.*

(5) Id conjicio ex his tabulis, quae sunt in *Mem. Com. Bon.:* « Cum olim Barletus de Cremona vendiderit Fr. Tederigo de Ordine Fratrum Predicatorum, et episcopo botontino, hortum cum edificio et arboribus et vitibus retro ecclesiam s. Petri majoris (Lucae) in loco ubi dicitur via mezana.... pretio CC libr. denariorum lucensium, et cum lis et questio esse posset inter ipsum venerabilem patrem dominum Fratrem Tederigum olim botontinum nunc cerviensem episcopum.... Actum in domo dicti domini episcopi presente fratre Rizardo quondam magistri Bonaventure de Luca etc. An. MCCLXXXXII, die XXIX Octobris ».

(6) Patet ex innumeris contractuum tabulis Theodorici episcopi cerviensis, quas habemus in archivis bononiensibus in annos singulos ab anno MCCLXVIII ad MCCLXXXXVIII, quo extremum diem obiit.

(7) « Ne in officii pastoralis obprobrium indigentiae onere praegraveris.... quod de sale tuo, quem de salinis propriis et salinarum pensionibus percipis, extra civitatem eamdem (Cerviensem) usque Bononiam, absque alicujus exactione pedagii tantam annis singulis facere deferri valeas quantitatem, cujus valor apud civitatem cerviensem praedictam summam XXXX librarum turonensium non excedat. Dat. apud Urbemveterem, VII kal. Sept. an. III ». Ex epist. Nicolai III in *Regesto Vaticano.* Communicavit clarissimus Garampius.

VII. Bononiae habitavit in Burgo Ricco, ut hodiedum vocatur vicus e Saragotia celebri civitatis via diductus. Ibi domum habuit cum viridario, eamque domum in ipso episcopatus cerviensis initio sibi aedificandam curavit (1). Plures etiam haud exigui pretii fundos in agro bononiensi et alibi acquisivit. Ac fuit illi quaestus permagnus ex arte medica, quam exercuit etiam postquam episcopus creatus est (2). Itaque, cum ad quaestuosam professionem accederet religioso homine digna parcitas et sobrietas (3), facile potuit divitias non modicas comparare. Ac coeperat etiam antequam episcopus crearetur, abundare opibus, quas ut libere retinere posset dubium non est quin indultum sibi fuerit tum a Romano Pontifice tum ab sui Ordinis praelatis; quemadmodum ex eorumdem indulgentia obtinuit, ut quae ante episcopatum acquisierat, post episcopatum adeptum, retinere posset (4). Videtur autem id unum spectasse in congerendis opibus, ut haberet quo indigentibus succurreret et piis operibus sumptus praestaret, tacite carpens aliquos sui temporis praelatos, qui patrimonium pauperum in equis et armis et vestibus et numerosis famulorum gregibus effraenique luxu absumerent.

VIII. In nova ecclesia Fratrum Praedicatorum, quae ejus aetate extructa est, pietatis suae monumentum insigne reliquit; majus enim sacellum cum altari sua impensa excitavit, ubi et sepulcrum sibi parari voluit (5). Fratribus sui Ordinis conventus lucensis, qui admodum pauperes erant, pro comparandis vestibus non modicam pecuniam, donatione inter vivos facta, attribuit (6). Monialibus conventus lucensis, quas de Angelis vocabant, agros et praedia donavit (7). Testamentum condidit anno MCCLXXXXVIII, XV kalendas Novembris, cum extremo morbo decumberet. Ei scilicet Nicolaus III testandi potestatem fecerat, literis ad eum datis V nonas Maji, anno II, hoc est, anno MCCLXXVIII (8). Sed ante illud tempus testamentum aliud fecerat, cui et codicillos adjecit (9). Fortasse tunc existimabat sine Pontificis venia testamenti factionem sibi competere, propterea quod, annuente Pontifice, lucrum ex medicinae professione factum retinebat. Sed primum illud testamentum cum codicillis posteriori irritum factum est. Itaque haeredes aequis partibus instituit Ecclesiam cerviensem et Fratres

(1) « Anno MCCLXVIII.... Magister Franciscus quondam domini Hugonis de Luca, procurator venerabilis patris Fratris Thederici cerviensis episcopi, absolvit Prosperinum muratorem, qui domos ipsi domino episcopo aedificaverat in Saragotia in Burgo Ricco ». Ex *Memor. Com. Bon.*

(2) « Considerantes fidem, quam ipse Frater Thedericus erga cerviensem gessit Ecclesiam, et legalitatem et famam et industriam personae, qua multa bona quexivit ante ingressum Religionis Fratrum Praedicatorum, post ingressum dicti Ordinis, ac postquam adeptus fuit episcopatum etc. ». Ita loquuntur curatores ejus testamenti, cum divisionem haereditatis facere aggrederentur. Ex *Memor. Com. Bon.* an. MCCLXXXXIX, die XIV Januarii.

(3) « Quia ergo praefatus dominus Frater Thedericus habebat quamdam pecuniae quantitatem, quam illo intuitu studuerat congregare resecando expensas superfluas, quas multi praelati faciunt in equis et armis et multitudine famulorum et vestibus et aliis sumptuosis, et non solum superflua declinando, sed etiam aliquando necessaria restringendo, studuit esse parcus, ut haberet unde posset facere elemosinas competentes ». Ex charta donationis inter vivos, quam Theodoricus fecit Fratribus Praedicatoribus conventus lucensis ». Edita est in Appendice ad t. IV *Miscell. Baluz.*, edit. Luc., p. 608.

(4) « Venerabilis pater et dominus Frater Thedericus.... recogitans, quod postquam ipse professus fuit in Ordine Praedicatorum et antequam promoveretur ad episcopalis apicem dignitatis, multa perquisivit mediantibus laboribus et peritia suae scientiae, et valde multa collata sibi fuerunt a magnis baronibus et praelatis aliisque personis, quae quidem sibi personaliter conferebantur propter predicta et alias gratias a Domino sibi datas, tamen eo ipso aquirebantur Ordini predicto. Et nihilominus ipse post assumptionem episcopatus eadem sibi retinuit de licentia Summi Pontificis et Ordinis memorati ». *Ibid.*

(5) Vide quae supra adnotata sunt.

(6) Ejus donationis chartam in Appendice *Miscellaneorum Baluzii* editam supra indicavimus.

(7) Vide excerpta testamenti Theodorici episcopi cerviensis in Appendice.

(8) Indicavit has literas clarissimus Garampius.

(9) « Anno MCCLXXVII, die XII exeunte Martio, dominus Thedericus episcopus cerviensis fecit codicillum hodie scriptum manu Joannis Armanni notarii in Burgo Ricco, in domo quam habitat ipse dominus episcopus, in presentia presbiteris Cambii sanctae Mariae de Muratellis, Fratris Lotto de Chyna, Fratris Bandino Luchini de Ordinis Predicatorum ». Ex *Mem. Com. Bon.*

sui Ordinis conventus bononiensis et lucensis (1). Pluribus autem legata dedit. In primis reliquit Theodorico (2), Hugoni et Veltruccio (3) nepotibus suis, fratrum suorum filiis, libros suos medicos; ex quo intelligitur plurimum sollicitum fuisse de perennanda ac propaganda in suis posteris facultate medica, quam a patre acceperat. Fratri Hugoni, nepoti item suo, ex Ordine Praedicatorum, Legendas Sanctorum et Summam Monaldinam legavit, necnon florenos aureos XX in annos singulos. Fuit is probatae virtutis et famae in Ordine suo, in quo anno MCCCIII romanae provinciae praefecturam gessit (4). Fratri Theodorico, item nepoti suo et ex Ordine Praedicatorum, omnes sermones suos legavit, sermones nimirum, ut ego interpretor, quos ipse scripserat et in sua bitontina vel fortasse etiam cerviensi Ecclesia, si quando ad eam accessit, ad populum recitavit. Francisco episcopo selymbriensi (5), hic etiam erat ex Ordine Praedicatorum, pro servitiis sibi et Ecclesiae suae cerviensi praestitis, domum reliquit, de Ciconiis appellatam, in Burgo Ricco; quae domus sita dicitur juxta domum episcopi bethleemitani. Videtur autem hujus episcopi selymbriensis opera usus in administrando episcopatu cerviensi. Sacram supellectilem non paucam Ecclesiae suae cerviensi legavit. Mitto cetera, quae in ejus testamenti excerptis in Appendice legi possunt.

(1) Vide excerpta ejus testamenti in Appendice.

(2) Erat Veltri fratris sui filius.

(8) Erant Francisci fratris sui filii. Uterque medicinam professus est.

(4) Ex adnotatis ad chartam Theodorici episcopi in Appendice ad *Miscell. Baluzii,* t. IV cit., pag. 604.

(5) Erant Bononiae frequentes his temporibus episcopi diversarum Ecclesiarum. Alii studiorum causa huc venerant, et cum studiis literarum vacarent, ad sacras infulas evecti sunt. Horum aliquot recensebimus inter scholares illustres. Alii e suis sedibus extorres fuerunt et plures etiam solo nomine et titulo episcopi. Ex horum numero fuerunt Bethleemitanus et Selymbriensis in Theodorici testamento nominati. Franciscum Selymbriensem, sive, ut ajebant, « Salumbriensem », Praedicatorum sacri Ordinis professorem non ignoravit clarissimus Bremond t. II *Bullar. Ord. Praedic.*, pag. 38. Eum dicit « a s. Georgio » appellatum, ad ejus patriam credo indicandam, qui locus fuerit in dioecesi bononiensi, ex s. Georgii nomine dictus, vel forte, quod ex nobili familia ortus esset, ab eo castro in civitatem olim deducta. Addit illum aliquando vices gessisse episcopi leodiensis, opinor, antequam Bononiam venisset, nam Bononiae etiam episcopi bononiensis vices gerebat anno MCCCI, ut ex iisdem Memorialibus ad eumdem annum intelligimus; et Bononiae obiit, ubi tumulum habuit apud suos Fratres, cum hac epigraphe: « Fratris Francisci Episcopi Salumbriensis », quam clarissimus Bremond produxit.

Degebat eodem tempore Bononiae Frater Bonifacius episcopus « bosinensis, bosimensis » interdum, aut « bosonensis » aut « bosiensis » ab imperitis notariis appellatus, cujus mentionem reperio in *Memor. Communis* ab anno MCCLXXXIX ad annum MCCCXVI. Erat hic de Ordine Eremitanorum s. Augustini; eumque Torellus in *Saeculis Augustinianis* anno MCCLXXXV. Tridentinam Ecclesiam absentis episcopi loco administrasse tradit. Bononiae habitabat « extra circlam Burgi s. Mame », et in *Memorialibus* ad annum MCCCXVI dicitur « filius quondam domini Boxii Ugolini Joannis de Bononia ».

Erat ejusdem Ordinis Eremitanorum professor Frater Jacobus episcopus « pavidensis » sive « panidensis (in Thracia) filius domini Ugolini Guidocti de Medicina » in *Memorialibus Communis* aliisque monumentis appellatus, Bononiae degebat in capella s. Vitalis an. MCCCXVI fuitque haeres ex triente Ricasinae Oliverii matris suae.

Habuimus etiam Bononiae per idem fere tempus, nempe anno MCCCX, Bartholomaeum archiepiscopum « corinthiensem » itemque Thomam monachum Ordinis s. Basilii, archiepiscopum « ederissenum »; edessenum interpretor, qui ex Armenia ab Saracenis ejectus Bononiae tandem cum aliquot sodalibus monachis conquievit et impensa sua ecclesiam s. Spiritus exstruendam curavit, ut ex *Memorialibus* anni MCCCXI ad diem XV Octobris intelligimus. Inclinatis scilicet rebus christianorum in oriente ac tandem collapsis, auctaque in dies magis Saracenorum et Turcarum potentia, episcopi plerique e suis sedibus expulsi, praesertim qui ritus latini erant in pluribus civitatibus instituti. His autem fato cedentibus alii in eorum locum deinceps suffecti, quibus nulla spes erat suas Ecclesias adeundi. Hinc magnus episcoporum titularium numerus factus, qui religiosis ordinibus tandem invisus admodum fuit. Facile enim contigere debuit, ut homines eo honore indigni ejusmodi titulares episcopatus aucuparentur, quo se ab Ordinis disciplina subducerent et liberrime extra claustra vagarentur. Itaque quoad suos Eremitanos Gregorius Ariminensis summus Ordinis moderator, vir doctrina et prudentia singulari, ne malum hoc latius serperet, constituit ut a communione Ordinis pellerentur Fratres, qui episcopatus titulares obtinuissent, et si quos reperire licuisset id genus episcopos, carceri mandarentur. Tarvisio datae sunt anno MCCCLVIII ea de re Gregorii Ariminensis literae, quas communicavit mihi clarissimus Augustinus Antonius Georgius ejus Ordinis procurator generalis, vir doctissimus, mihique amicissimus. Sed de his episcopis hactenus.

IX. Obiit Bononiae exeunte anno MCCLXXXXVIII, IX kalendas Januarias, cum vixisset annis LXXXXIII ab Hugone patre suo non degenerans, quem prope centenarium Theodoricus ipse viderat (1). Extremis vitae suae temporibus parum bona valetudine usus est et incommodam habuit senectutem (2). Sepulcrum sibi vivus paraverat in ecclesia Fratrum Praedicatorum prope aram maximam, in sacello, quod ejus impensa constructum fuerat, ubi hic titulus legebatur, quem attulit Ughellus:

SEPULCHRUM · VENERABILIS · PATRIS · THEODORICI · DE · LUCA
EPISCOPI · CERVIENSIS · ORDINIS · FRATRUM · PRAEDICATORUM

Et paulo infra:

HANC · CAPELLAM · FECIT · FIERI
FRATER · THEODORICUS · DE · BORGOGNONIBUS · DE · LUCA
ORDINIS · PRAEDICATORUM · EPISCOPUS · CERVIENSIS
QUI · HABENS · IN · AETATE · SUA · LXXXXIII · ANNOS
IN · EPISCOPATU · VERO . . . . .
OBIIT · ANNO · DOMINI · MCCLXXXXVIII · IN · VIGILIA · NATIVITATIS · DOMINI
ORATE · PRO · EO

X. De gestis ejus in episcopatu bitontino vel cerviensi nihil ad nos pervenit, nisi forte memorandum sit, quod anno MCCLXXIX Plancadulum, Belvidere et Saxum Gattarium, Ecclesiae cerviensis castra, in emphyteusim concessit Andreae Castellani Andalonis ejusque filiis ac nepotibus, acceptis ab eo quadringentis libris Bononinorum et pacta levi pensione deinceps in annos singulos (3). Erat Andreas Castellani ejus filius, qui senator urbis Romae fuerat post Brancaleonem fratris sui filium, antiquae virtutis virum et apud scriptores eorum temporum hoc nomine celebrem, quod magistratum illum, cujus magna erat auctoritas, cum summa severitate exercens, effraenem nobilium romanorum licentiam coercuerit (4). Sed Theodoricus, nisi coactus, ea castra alienavit, ut tunc tempora ferebant, vel non satis firma erant cerviensis Ecclesiae jura in ea castra, vereor ne parum ejusdem Ecclesiae utilitati consuluerit, cum potentissimae familiae ea castra obligavit. Etiam Octavianus Ubaldinus episcopus bononiensis Castellano Andalonis *usumfructum et usum plenum,* sic enim tabulae loquuntur, *serrae Rocchae de Badalo* et castri et nemorum et agrorum adjacentium pro servitiis episcopatus bononiensis impensis et impendendis concessit (5).

XI. Erat Bononiae iisdem temporibus Theodoricus alter, episcopus faventinus, quem aliquando suspicatus sum eumdem esse cum nostro, qui ante bitontinum et cerviensem episcopatum faventinum gessisset. Sed ratione temporum melius considerata, compertum est alterum ab illo esse. Bononiae degebat ad annum MCCLXXVI (6), quo tempore

(1) THEODOR., *Chirurg.,* lib. II.

(2) « Quia ipse (Theodoricus) est senex et debilis et quasi semper graviter infirmatur ». BALUZ., *Miscell.,* t. IV, pag. 609.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) MURATORI, *Annali d' Italia* anno MCCLVIII.

(5) Ex *Mem. Com. Bon.* an. MCCLXVIII, VI Nov.

(6) « Anno MCCLXXVI, die quinta exeunte Augusto, domina Placidia filia quondam domini Auxilitti de contrata s. Dominici ex una parte, domina Caracosa, uxor quondam domini Jacobini de Argelata, ex altera, compromittunt in dominum Fratrem Tedericum episcopum faventinum de lite que vertebatur inter eas, occasione divisionis unius domus positae in dicta contrata ex instrumento manu Venture Bombi notarii dicti domini episcopi, facto heri Bononiae in domo Fratris Bonacursii de Matugnano, presente Fratre Petro de Trento, Fratre Alberico Ord. Predic. etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

« Eodem anno die XV Julii. Venerabilis pater dominus Frater Thedericus episcopus faventinus, heres

Theodoricus noster proculdubio episcopatum cerviensem gerebat. Ughellus hunc quoque faventinum episcopum ignoraverat, sed Tondutio faventinae historiae scriptori aliquid de illo suboluit, non ita tamen ut amplius quam ejus nomen adnotare potuerit.

XII. Utebatur extremo vitae suae tempore, cum ad senectutis incommoda frequentes etiam aegritudines accederent, duobus medicis, Bertholacio Bononiensi (1) et Pancio conterraneo suo (2), quibus legata in testamento dedit; nec dubito quin uterque aliquo in honore fuerit. Sed Pancius aliqua ingenii sui monumenta reliquit eumque interdum laudat Gentilis Fulginas medicus aetate sua celeberrimus. Quaestiones de re medica scripsit, quarum unam vidi in codice manu exarato bibliothecae Fratrum Minorum Caesenae (3), ex qua de ingenio auctoris indicare licet; redundat enim subtilitatibus et speculationibus, ut fere cetera eorum temporum scripta.

XIII. Successorem habuit Theodoricus in episcopatu cerviensi Antonium ex Ordine Minorum (4). Atque hic etiam emendandus est et supplendus Ughellus, qui hunc Theodorici successorem ignoravit, nec alium post illum agnovit quam Matthaeum, qui anno MCCCVIII cerviensem Ecclesiam regebat.

THEODORICI SCRIPTA.

Scripsit Theodoricus *Chirurgiam,* quae admodum diu in pretio fuit. Ea saepius typis excusa est et omnium antiquissima editio est, quae prodiit Venetiis anno MCCCCLXXXXVIII. Passim etiam reperitur manu exarata in bibliothecis, quae antiquis codicibus abundant. Nec defuit, qui selectiora doctrinae capita ex eo libro colligeret et ita in unum redacta vulgaret. Adde, quod vix dum ab auctore edita est, in hispanicam sive catalaunicam linguam est conversa. Hinc factum est ut Echardus ejus auctorem Theodoricum natione hispanum crediderit. Denique, cum tres olim celebrarentur chirurgorum sectae, earum secunda ex Bruni et Theodorici nomine dicebatur (5), ut auctor est Guido de Cauliaco, qui dimidio saeculo post Theodoricum floruit et fortasse illo vivente natus est. Sed tamen Guido ipse Theodoricum reprehendit quod Brunum exscripserit, ac nihil praeterea in librum suum intulerit quam quaedam magistri Hugonis somnia. Verum haec censura plus aequo severior est nec parum injusta. Plura affert Theodoricus experimenta a se capta, plura ab Hugone et ab aliis. Fatetur autem initio operis se de chirurgia scribere secundum rationem medendi ab Hugone usurpatam, atque, ut ipse ait, *secundum medicationem domini Hugonis de Luca.* Erat autem tanta de Hugone hominum existimatio, quemadmodum supra demonstratum est, ut quamquam nihil aliud scripto mandasset Theodoricus, quam quod ex illius disciplina acceperat, non propterea parvi faciendus esset ejus liber. Quoniam revera Guido de Cauliaco existimavit Theodoricum, si quid boni habet, surripuisse ex Bruni *Chirurgia,* et solum quasdam Hugonis fabulas addidisse, cur illum non raro ipse allegat in suis chirurgiae Commentariis? Cur post Guidonem tot alii ejus artis professores? Satis fuerat Brunum laudasse. Nonne fatetur Guido ipse, unam ex chirurgorum sectis, quae aetate sua agnoscebantur, ex Bruni et Theodorici nominibus appellatam?

quondam domini Lucie, vendit jure proprio domine Caracose, filiae domini Bolognitti, stipulanti vice et nomine domine Tassidie sue matris, medietatem unius domus pro indiviso, quam possidet cum domina Placidia, pretio XXV libr. presente Fratre Petro Tridentino, Fratre Guidolino Parmensi etc. ». *Ibid.*

(1) Erat hic Bertholacius Venturae Ursati, cujus crebra mentio in monumentis civitatis, ab an. MCCLXXXIX ad MCCCXII et ultra.

(2) In Theodorici testamento dicitur « Magister Pancia » at apud Gentilem Fulginatem et in codice caesenati « Magister Pancius ».

(3) Est codex IV plutei XXV, in quo post additiones ad *Practicam Mesue* habetur « Quaestio Magistri Pancii de Luca ».

(4) Bonifacius VIII Ecclesiam cerviensem, vacantem per obitum Theodorici episcopi, confert Fratri Antonio ex Ordine Minorum VIII id. April. MCCLXXXXIX. Ex *Registr.* an. V, ep. III. Indicavit clarissimus Garampius.

(5) « Secta secunda fuit Bruni et Theodorici, qui indifferenter omnia vulnera cum vino exsiccabant ». GUID. DE CAUL. in prooem. cap. singul.

Freindius Guidonis de Cauliaco judicium secutus est, sed negare tamen non potuit aliquid singulare esse in Theodorici libro; atque in primis chemiae non plane imperitum fuisse. Nec parvi momenti res est Theodoricum omnium primum fuisse, qui dilucide scripserit de salivatione per unctiones mercuriales procurata et ejus regimen praescripserit, ut Freindius ipse fatetur. Quamquam igitur multa a Bruno acceperit Theodoricus, multa etiam de suo addidit, sive excogitaverit ipse sive ab Hugone patre suo tradita fuerint, qui non fabulis et figmentis, sed doctrina et peritia artis suae ad eam famam, quam diximus, pervenerat.

Sed mirum est cum tam saepe tamque honorifice Theodoricus Hugonem in eo libro nominet, nunquam eum dicere patrem suum. Et tamen id omnino indubium est Theodoricum esse Hugonis filium. Talis nimirum appellatur in tabulis anno MCCLXXXX scriptis, quas ex libris Memorialium Communis Bononiae indicavit mihi clarissimus Montius (1). Anno item MCCLXXXVIII cum Theodoricus testamentum fecisset, voluit Franciscum et Ubertum, germanos fratres suos, filios Hugonis Lucensis illud ratum habere, quemadmodum in iisdem Memorialibus Communis Bononiae adnotatum est, ut idem vir clarissimus animadvertit (2). Sed ipse quoque Theodoricus subobscure videtur indicare se unum esse ex Hugonis filiis cum de arcana quadam curatione agens, quam Hugo non solebat filios suos docere, nisi sacramento adactos, se nemini tradituros, hanc ait se ab Hugone absque ulla religione sacramenti didicisse (3).

Erat adhuc Theodoricus in familia Pontificis Romani, poenitentiarii munere fungens, cum hunc librum scribere aggressus est. Id autem suscepit auctore et suasore Andrea episcopo valentino; sic enim ejus episcopi nomen litera A. indicatum interpretari oportet. Ipse quoque fuit Ordinis Praedicatorum professor et valentinam cathedram tenuisse dicitur ab anno MCCXXXXVIII ad MCCLXXVI. Is autem cum ad Ecclesiam suam ex Italia in Hispaniam properaret, secum attulit Theodorici librum non plane elimatum et absolutum. Quare crebris eum literis et nunciis interpellare non destitit ut opus incudi redderet et perficeret. Id a Theodorico actum est, cum esset jam episcopus bitontinus, quemadmodum in ipso libri prooemio testatnr. Apparet autem non modicum tempus fluxisse a prima hujus libri inchoatione ad postremam ejus editionem ab auctore factam, quae accidere debuit ante annum MCCLXVI, eo enim anno ad Ecclesiam cerviensem a bitontina translatus est.

Hunc librum cum Echardus antiqua illa catalaunica lingua scriptum, quae tunc etiam Valentiae communis erat, in codice bibliothecae regiae parisiensis reperisset, nec de auctoris nomine dubitare posset, quod erat in ipsa libri fronte scriptum, Theodoricum quemdam catalaunum induxit, cui et hunc de chirurgia librum et alia Theodorici cerviensis episcopi opera adjudicavit. Sic autem incipit Theodorici *Chirurgia* in codice regio parisiensi, ut ab Echardo indicatur (4).

Le comensament del libre le qual compilà Frare Thederic de l' ordre delz Predicadors explanar per Galien, correger de Mayoche; et content al comensament quina cosa es cirugia. Al honorable pare e amich molt car Andreu, per la gracia de De bispo de Valencia, frare Thederic.

(1) « Guilielmus de Sornachis de civitate Luca vice et nomine venerabilis patris Thederici filii, quondam domini Hugonis de Luca, et domini Franciscus et Ubertus fratres et filii quondam dicti domini Hugonis, vice et nomine domini Veltri eorum fratris » absolvuntur de feudo ab Hugone de Luca a Communi Bonon. olim accepto. Ex *Mem. Pauli Bellondini* in *Mem. Com. Bon.* die XXX Martii, anno MCCLXXXX.

(2) « Anno MCCLXXXVIII, die XXIII Januarii. Cum venerabilis pater Frater Thedericus Dei gratia episcopus cerviensis ex auctoritate sibi a felicis recordationis domino Nicolao pp..... data et concessa suum testamentum condidisset, voluit quod dominus Frater Ubertus et Franciscus, filii quondam domini Hugonis de Luca germani sui, illud ratificarent ». Ex *Mem. Jacobini de Lobia* in *Mem. Com. Bon.*

(3) « Pulvis mirabilis, quem dominus Hugo sibi appropriat, misceatur. Et ego in veritate numquam vidi aliquem nec audivi, qui praedictam curam sciret vel uteretur illa, nisi praedictum virum cum suis. Ipse tamen nullum de filiis absque juramento docebat. Docuit tamen me jam pene centenarius nullo extorto juramenti foedere ». THEODORIC., *Chirurg.*, lib. II, c. II.

(4) ECHARD, *Scriptor. Ord. Praedic.*, loc. cit.

Tractatum quoque scripsit *De sublimatione Arsenici*, quem Echardus eadem catalaunica lingua scriptum vidit in codice parisiensi ad calcem *Chirurgiae* cum hoc titulo: *Del sublimament de l' Arsenich.*

Scripsit Theodoricus alium librum, qui nondum, quod sciam, typis est editus. Est de cura equorum, ac *Mulomedicinam* inscripsit. Hunc ego vidi in codice chartaceo bibliothecae Barberinae (1), atque habet hunc titulum: *Incipit Mulomedicina ex dictis medicorum mulomedicorum sapientum, compilata a venerabili fratre domino Theodorico Ordinis Praedicatorum episcopo cerviensi. Mulomedicina apud graecos latinosque auctores non fuit cura postrema etc.* Totum autem opus sub finem prooemii in hunc modum partitur. *Primo ergo dicemus de generatione et nutritione equorum. Secundo de laqueatione et domatione. Tertio de custodia et doctrina. Quarto de cognitione pulchritudinis. Quinto de conservatione sanitatis. Sexto de infirmitatibus, medicinis et remediis. Septimo de vitiis corrigendis et potionibus conferendis.* Hic etiam liber eadem catalaunica lingua extat in codice regio et ejusmodi initium habet: *Asa comença la cirugia delz Cavalz, per so que sien curatz, he nudrits, he engendrats secons la sua valor, que li porteyn.* Ac prima quinque capita paucis absolvit, totum in duobus reliquis. Non igitur dedignatus est Theodoricus locum sibi esse inter medicos veterinarios, qui nimirum pecora et jumenta curant et ab aliquibus mulomedici appellantur.

Extat in eodem regio codice tractatus *De cura Accipitrum* eidem Theodorico tributus, cujus pariter initium affert Echardus in hunc modum: *Assi comença le libre del nudriment, he de la cura dells ocels, los quals se portayen ha cassa.*

Inter codices manu exaratos, qui sunt Florentiae in bibliotheca richardiana, recenset clarissimus Lamius *Tractatum Episcopi Cerviensis de Aluminibus et Salibus,* qui pertinere videtur ad Theodoricum. Est autem codex notatus *L. III Chartac. in fol. n. XIII.*

Sermones quoque de rebus sacris edidit, ut fere solebant iis temporibus doctiores quique episcopi. Eos ipse memorat in suo testamento, nec alibi eorum vestigium reperio. Habitos fuisse arbitror in Ecclesia bitontina, vel cerviensi, ad Cleri et populi sui institutionem.

X.

VELTRUS ET FRANCISCUS

THEODORICI FRATRES, HUGONIS DE LUCA FILII.

I. Sejungendi non sunt a Theodorico episcopo cerviensi Veltrus et Franciscus ejus fratres, quos natos in civitate nostra arbitror, postquam Hugo Borgognonus eo venit ad medicinam exercendam (2). Uterque patris professionem cum Theodorico secutus est neuter tamen medicinae doctor est appellatus. Veltrus jam inde ab anno MCCXXXXII inter medicos censebatur. Eo enim anno quaestio in eum habita est, quod noctu armatus per civitatem discurreret. Is autem hac defensione usus est quod non aliter ire poterat ad curandos aegrotos, idque anno superiori Hugoni patri suo concessum fuisse ut ob eamdem causam armatus incederet (3). Non diu tamen postea Bononiae fuisse videtur, ac multa sunt, quae suadent illum ex civitate nostra Lucam migrasse in majorum suorum patriam (4), ibique in summa senectute, Hugoni patri suo et Theodorico


(1) Est codex 1939. Indicavit vir clarissimus Simon Ballerinus, ei bibliothecae praefectus.

(2) Anno MCCCVIII, die VIII Julii. Potestas, Capitaneus et Antiani civitatis Lucae scribunt « pro magistro Veltrio et Veltruccio de Borgognonibus, civibus bononiensibus, oriundis de civitate Luce et civibus lucensibus » ne praestantiae iis et eorum bonis imponantur a populo bononiensi. Dicuntur oriundi de civitate Lucae, quod alibi nati essent. Ex *Lib. Reform.* in archivo pub. Bonon.

(3) Ex chartula Archivi Bonon. ad eum annum.

(4) Ex adnotatis supra (2) vides, eam curam gessisse magistratus lucenses pro magistro Veltro, et Veltruccio ejus nepote, quam non gerebant pro Francisci familia, quod haec nimirum Bononiae domicilium habebat, hi autem Lucae morabantur.

STEMMA HUGONIS MEDICI DE LUCA



(1) Hugo Borgognonus medicus lucensis Bononiam venit anno MCCXIV, vivit anno MCCLII.

(2) Frater Theodoricus Hugonis filius Ordinis Praedicatorum, professor, mox episcopus bitontinus, dein cerviensis. Obiit anno MCCLXXXXVIII.

(3) Veltrus Hugonis filius, medicus MCCXXXXII, vivit anno MCCCXII, ex supra adnotatis.

(4) Franciscus medicus, Hugonis filius ex supra adnotatis: Obierat anno MCCCI.

(5) « Frater Ubertus Ord. B. M. V. et Franciscus Medicus filii quondam domini Ugonis de Luca etc. » Ex *Mem. Com. Bon.* MCCLXXXII.

(6) Theodoricus filius domini Veltri, ex testam. Theodorici episcopi.

(7) Frater Theodoricus, filius Francisci, Ordinis Praedicatoris. Ex *Mem. Com. Bon.*

(8) Hugo Medicus, Francisci filius. Ex testam. Theodorici episcopi vivit anno MCCCXXIX. Ex *Mem. Com. Bon.*

(9) Joannes filius Francisci. Ex instrum. divisionis ad annum MCCCII, in *Mem. Com. Bon.*

(10) Veltrus Medicus filius Francisci. Ex instrum. divisionis memor. Vivit anno MCCCXXIX.

(11) Dominus Rodulphus monacus s. Proculi. Ex *Mem. Com. Bon.* ad annum MCCCV.

(12) Veltruccius filius Fratris Uberti. Ex testam. Fratris Theodorici.

(13) « Dominus Hugo adultus filius quondam domini Veltruccii quondam Fratris Uberti de Luca bononiensis, studens etc. » Ex *Mem. Com. Bon.* anno MCCCXXIX.

(14) « Frater Hugo filius Fratris Uberti de Luca et Frater Tedericus filius domini Francisci de Luca, ambo Ordinis Fratrum Praedicatorum etc. » Ex *Mem. Com. Bon.* anno MCCLXXXXIII.

(15) Joannes Medicus filius Veltri. Ex testam. Betisiae ejus matris ad annum MCCCXXXVIII. Testamentum fecit anno MCCCLXXXXIX.

(16) Frater Hugo filius Veltri. Ex eodem testam. Betisiae matris.

(17) Dominus Paulus filius Veltri. Ex eodem testamento; monachus carthusianus. Ex *Mem. Com. Bon.* ad annum MCCCLXII.

(18) Franciscus }
(19) Antonius } filii Joannis. Ex testam. patris ad annum MCCCLXXXXIX.

fratri hac etiam in re similem, obiisse. Anno MCCCXII adhuc in humanis agebat (1), annis amplius LXX postquam medicinam Bononiae exercere coeperat.

II. Franciscus Veltri frater notior est ex antiquis tabulis civitatis nostrae, ubi medicam facultatem exercuit quoad vixit. Sequebatur ille Lambertacciorum partes cum civiles turbae exortae sunt; sed expulsis et proscriptis Lambertacciis, ipse mitissimam poenam sustinuit. Ad fines *Guarnatae interioris,* sic enim ajebant, damnatus est. Haec autem ejusmodi poena erat, ut non liceret e civitate egredi injussu magistratuum urbanorum. Neque gravius quidquam statutum est in alios fere medicos factionem Lambertacciorum secutos, quamvis in reliquos Lambertaccios ita quandoque saevitum sit, ut atrocitate non videantur caruisse quae in eos latae sunt leges et edicta (2). Sed medicinae professoribus aliquid donandum fuerat ne eorum opera civitas privaretur. Decessit paulo post Theodoricum fratrem suum, episcopum cerviensem. Incertum quo anno, sed certe anno MCCCI obierat (3). Duas uxores habuit Franciscus, ex quarum prima, quae Zacharia dicebatur, suscepit Theodoricum, qui Ordini Praedicatorum nomen dedit, Hugonem medicum et Joannem. Ex altera, quae fuit Imelda Hugonis Peppi de Medicina, Veltrum habuit pariter medicum et Rodulphum s. Proculi monachum (4). Neque ex Veltri filiis defuit, qui medicinam profitetur, ut ex subjecto stemmate apparet (5). Sed horum nemo doctoris gradum consecutus est. Magistri tantum appellatione gaudebant.

XI.

PETRUS VERCELLENSIS.

NICOLAUS. RAYNERIUS ARRETINUS.

LAURENTIUS ET BOCCA PISTORIENSES. JACOBUS URBEVETANUS.

I. Quo tempore vixerunt in civitate nostra Hugo Lucensis et Rolandus, in chirurgia potissimum excellentes, floruit etiam magister Petrus Vercellensis *medicus physicus* appellatus (6). Atque hic ex primis est qui hanc appellationem apud nos usurpasse reperiantur (7). Hinc autem conjici potest coepisse jam tum medicos clinicos, sive physicos, ut sequior aetas dicere consuevit, a chirurgis distingui. Neque fortasse ob aliam causam Petrus hic Vercellensis medicus physicus dici amavit quam quod ipse chirurgiam minime exerceret, quem morem alii postea secuti sunt. Ejus primum mentio occurrit ad annum MCCXXII (8). Habitavit in via Castilionis, unde etiam dictus est *Magister Petrus de strata Castilionis* (9). Constat autem non exiguum quaestum in

(1) In *Mem. Com. Bon.* anno MCCCXII, ad diem XXVII Novembris, inter plures ex eadem Borgognonum familia tamquam viventes nominantur etiam « dominus Veltrus quondam domini Ugonis et dominus Veltrus quondam domini Francisci ».

(2) Vix unus et alter medicus ob factionem Lambertacciorum civitate ejectus est; ceteris tantum vetitum est ne sine magistratuum venia e civitatis moenibus exirent, ut patet ex libris, quos Bannitorum sive Lambertacciorum vocant in archivo publico.

(3) Ex *Mem. Com. Bon.* ejus anni. Vidit clarissimus Montius.

(4) Ex tabulis pluribus, quas vidit idem vir clarissimus.

(5) Veltrus duos habuit filios Paulum et Joannem. Primus Carthusianorum Ordini adscriptus est. Alter medicinam fecit. Ex monumentis a clarissimo Montio visis.

(6) « Magister Petrus fisicus de Vercellis » dicitur in charta archivi monachorum s. Michaelis in Busco ad annum MCCXXXV scripta.

(7) Ita observat clarissimus Montius.

(8) In alia charta monachorum s. Michaelis in Busco.

(9) Ibid.

medicina vel exercenda vel docenda fecisse; fundos enim et praedia non pauca Bononiae acquisivit [1], ubi et ejus familia diu superfuit et alios edidit medicinae professores, parum tamen celebres nec ita fortasse industrios in patrimonio conservando ut Petrus in constituendo fuerat. Anno certe MCCLXXII Aegidius, Petrus et Nicolaus, Petri nepotes, avitam domum, quam habebant in via Castilionis, vendiderunt libris Bononinorum MCCC, ingenti pretio, quo ampla domus et magnatitia per illud tempus aestimari poterat [2]. Post annum MCCXXXXI nulla uspiam occurrit mentio Petri Vercellensis [3]. Guilielmus Petri filius non admodum diu post patrem vixit. Anno MCCLXV e vivis excesserat. Ipse quoque medicinam professus est [4], ac filios reliquit Aegidium, Petrum et Nicolaum, quos ante nominavimus. Atque Aegidius etiam, majorum suorum vestigiis insistens, medicinam fecit [5]. Anno MCCLXXIII erat Aegidius inter administratores societatis Lombardorum [6]. Erat nimirum populus bononiensis distributus in plures societates, quarum aliae armorum erant, aliae artium. Ex harum numero erat societas Lombardorum, in quam qui erant adscripti vel Lombardi erant vel ex lombardo genere prognati. Est autem haec societas nondum prorsus extincta sed redacta est ad paucas aliquot familias, quarum si quae deficiunt aliae deinceps in earum locum sufficiuntur; neque necesse est ut sint lombardae originis, cujusmodi certe non est Lambertinorum nobilissima familia, quae huic societati adscripta est; ex qua cum delectus est anno MDCCLIV societatis praefectus (Massarium vocant), Benedictus XIV Pontifex Maximus, non dedignatus est munus illud suo nomine obire, insigni exemplo cum humanitatis tum amoris erga patriam suam, cujus antiqua instituta quam qui maxime observabat.

II. Alterum medicum physicum cum Petro Vercellensi viventem prodit vetus charta Fratrum Ordinis Servorum ad annum MCCXXXXIII scripta. Sed neque patria ejus neque gens indicatur. Tantum dicitur *magister Nicolaus physicus*. Neque hic esse potest Nicolaus Fernham anglus, de quo supra diximus (art. VII). Is enim eo tempore, relicta medicinae professione, ad episcopatum ascenderat.

III. Addimus et Raynerium physicum arretinum et Laurentium et Boccam pistorienses et Jacobum urbevetanum, qui iisdem temporibus Bononiae vixerunt. *Magister Raynerius physicus Arretinus* occurrit in Memorialibus Communis Bononiensium ad annum MCCLXVII. Laurentius autem Pistoriensis physicus, et *Bocca* item *physicus, filius Joannis Pasqualis notarii pistoriensis* occurrunt in iisdem Memorialibus ad insequentem annum MCCLXVIII. Eodem anno habemus magistrum Jacobum physicum de Urbeveteri, qui nescio quem contractum iniit cum magistro Bocca Pistoriensi.

(1) Ex multis tabulis apud eosdem monachos asservatis. Fortasse aliquid ex haereditate hujus medici et posterorum ejus ad monachos s. Michaelis in Busco pervenit, atque ob eam causam antiquae etiam ejus familiae tabulae in eorum archivum illatae sunt.

(2) « Anno MCCLXXII, IX exeunte Januario. Dominus Egidius, Petrus et Nicolaus, filii quondam domini Guilielmi Medici, nepotes quondam domini Petri Medici, vendiderunt domino Johanni de Zovenzonibus domum suam in strata Castilione, in capella s. Marie Porte Ravennatis, pretio MCCC libr. Bononinorum ». Ex *Memor. Com. Bonon.*

(3) Anno MCCXXXXI in vivis fuisse constat ex tabulis apud monachos s. Michaelis in Busco.

(4) Ex pluribus contractuum tabulis in *Mem. Com. Bon.* Vidit clarissimus Montius.

(5) Ibid.

(6) Ex matricula societatis Lombardorum in archivo publico. Vidit clarissimus Montius.

XII.

SINIGARDUS ARRETINUS

ARCHIPRESBYTER BONONIENSIS.

I. Nobilitavit novam classem physicorum, quos vocabant, Sinigardus, non physicus modo sed et physicae professor appellatus (1). Genus ei clarum apud Arretinos fuit, nisi primus ipse genti suae claritatem dedit et agnomen. Diu certe viguit Arretii Sinigarda gens, ex qua Sinigardus prodiit; nec scio an, ante eum natum, agnomen illud gesserit. Qua aetate Bononiam venerit quove magistro usus sit non constat. Quamquam autem lege cautum esset, ne sacrati viri juris civilis et medicinae studiis vacarent; hic tamen et clericali militiae adscriptus est et medicinam, quantum conjicere possumus, magna hominum approbatione et exercuit et docuit; quod credibile est non sine Romani Pontificis auctoritate fecisse. Canonicatum obtinuit in Ecclesia faventina, quem, ut ego arbitror, absens gessit, in academia nostra docendo occupatus. In tabulis certe canonicorum Ecclesiae faventinae semel tantum occurrit magister Sinigardus praesens Faventiae cum aliis canonicis. Erat tunc in ordine diaconorum, sed tanta tamen opinione prudentiae et doctrinae, ut una cum Peppo Praeposito a ceteris canonicis delectus sit, ut leges et statuta conderet ad ejus collegii institutionem rectamque Ecclesiae faventinae administrationem. Vidimus haec statuta a Peppo et Sinigardo scripta in archivo canonicorum Ecclesiae faventinae, sed, nisi memoria me fallit, nullam notam temporis habent nec intelligi potest quo anno edita fuerint (2). Anno MCCLI, Decembri mense, licet canonicatu faventino potiretur, tamen ab ea civitate abfuisse videtur (3). Vix igitur arbitror illum umquam a scholis nostris defuisse, nisi fortasse ad brevissimum tempus. Propterea a nostris habitus est ut civis et iis auctus honoribus, quos vix credibile videtur homini extero deferri potuisse. Scilicet Ecclesiae bononiensis archipresbyter creatus est, quae dignitas raro exemplo aliis, quam nobilissimis civibus, concedi solebat. Anno MCCLXII eam dignitatem jam obtinuerat (4), quam gessit annos ut minimum duodecim. Cum ea dignitate fungeretur, interfuit concilio provinciali ravennati (5), quod Bononiae celebratum est anno MCCLIX ut fertur, sed melius MCCLXI, ejusque actis subscripsit pro Octaviano episcopo bononiensi (6). Probavit etiam ejusdem Octaviani episcopi statuta quaedam anno MCCLXVI edita, quorum particulas aliquot

(1) « Die I Maji MCCLXVII. Dominus magister Sinicardus physice professor, archipresbiter bononiensis, suum fecit testamentum etc. ». Ex *Memor. Thomaxii Alberti Fabri.*

(2) « Nos Peppus praepositus faventinus et magister Sinigardus canonicus faventinus de voluntate omnium canonicorum statuimus et ordinamus etc. ». Ex charta archivi canonicorum Ecclesiae faventinae. Deest mensis et annus.

(3) « In nomine.... Anno MCCLI, die VII Decembris. Nos Frater Gualterius Dei et Apostolice sedis gratia episcopus faventinus, concessionem infra scriptam per venerabilem patrem dominum Robertum, quondam episcopum faventinum, praedecessorem nostrum, factam capitulo faventino confirmantes, vobis dilectis filiis Oddoni preposito et Johanni et Alexandro et Alberixio presbiteris et Bernardo diacono et Cambio et Alberto subdiaconis, qui estis modo tredecim, pro vobis et aliis absentibus, scilicet Michaele presbitero, Petro de Cento, magistro Sinigardo et Salamone diaconis etc. ». Ex charta archivi canonicorum Ecclesiae faventinae.

(4) Ex tabulis in archivo canonicorum Ecclesiae bononiensis.

(5) Hoc concilium bononiense etiam appellari poterat, licet ex praelatis provinciae ravennatis coaluerit.

(6) Edidit vir clarissimus Jo. Dominicus Mansius, nunc archiepiscopus lucensis, in *Supplementis ad Concilia Labbei,* t. II, col. 1235, ubi pro Octaviano episcopo bononiensi, amanuensium vel typographorum incuria, « Octavius » emersit.

ex semilacera charta archivi metropolitanae Ecclesiae ravennatis in Appendice exhibemus [1]. Octavianus ipse episcopus arbitrum elegit in gravissima controversia, quae exorta erat inter canonicos Ecclesiae bononiensis et Fratres Eremitanos s. Augustini, qui per illud tempus ad s. Jacobi de Sapina degentes secundo admodum populi favore utebantur [2]. Eidem una et abbati s. Proculi mandavit Clemens IV ut absolveret quasdam mercatorum florentinorum societates, quas constabat minime iis criminibus obstrictas, ob quae Urbanus IV florentinam civitatem interdicto ecclesiastico subjecerat. Sunt hac de re literae Clementis IV, Perusii datae IV nonas Junii et III idus Julii anno I [3].

II. Cum anno MCCLXXIV in morbum incidisset, testamentum condidit, cujus exemplum vidimus in archivo monachorum Montis Oliveti ad s. Michaelis in Busco. Multa ad pias causas legata dedit. Fratribus s. Michaelis in Busco, qui tunc Ordinem s. Augustini profitebantur, domum in urbe nostra legavit, ex cujus annuis pensionibus epulum ipsis et Fratribus Minoribus praestaretur quotannis die obitus sui, ut eo die ab utriusque conventus Fratribus sacra funebria pro ejus anima celebrarentur. Haeredes instituit Raynerii, Thomasini et Aldogherii fratrum suorum filios. Damus in Appendice ejus testamenti tabulas, quae scriptae sunt V kalendas Junii. Neque multo post decessit; initio enim Junii extremum diem jam obierat [4].

III. Vixit Bononiae Sinigardus cum magna dignitate habuitque in familia sua et presbyterum, qui ei in sacris ministraret capellani nomine, et medicum, quem arbitror suppetias ei tulisse cum in scholae muneribus tum in curandis aegrotis, ubi opus fuisset [5]. Hic etiam ejus negotia aliquando curavit [6] ac fortasse in ejus disciplina eruditus fuerat. Venetianus huic homini nomen fuit, modo medicus modo physicus aut physicae professor in antiquis tabulis appellatus, nusquam vero medicinae aut physicae doctor, quo titulo ne ipse quidem Sinigardus usus est. Sed Venetianus diu Bononiae medicinam professus est post Sinigardi obitum ac splendide vixit, conductis ad habitandum aedibus, quae magni Accursii fuerant in foro bononiensi [7]. Hic patria arretinus fuit, ex gente quam de Plantavignis dicebant [8]; ex quo factum est ut Alidosius, cui hic medicus haud plane ignotus fuit, bononiensem putaverit, quoniam nostra etiam civitas vetustam familiam habuit hoc agnomine dictam. Pharmaceuticen in primis coluit, ut olim plures medici solebant; quare in antiquis tabulis et medicus et pharmaceuta, sive *Specialis* appellatur [9]. Anno MCCLXXXII testamentum condidit [10]; nec, utrum diu postea vixerit, liquet.

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Ex tabulis archivi canonicorum Ecclesiae bononiensis ad annum MCCLXII. — *Vide Appendicem.*

(3) Ex Reg. Vaticanis. Indicavit clarissimus Garampius.

(4) « Anno MCCLXXIV, die V intrante Junio, vacante archipresbiteratu bononiensis Ecclesie per mortem venerabili patris domini magistri Sinigardi, olim Bononie archipresbiteri etc. ». Ex tabulis in archivo canonicorum Ecclesiae bononiensis, fasc. III, n. 34.

(5) « Anno MCCLXVIII, die XII exeuntis Junii, dominus magister Sinigardus fatetur se recepisse XV libras Venetorum grossorum quas sibi debebat dominus Zanis de Bonzano ex causa mutui, presentibus presbitero Cursio capellano dicti domini archipresbiteri, magistro Venetiano fixico familiari ejusdem, Guilielmo familiari ejusdem etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(6) « Anno MCCLXIX, die ... Magister Venetianus medicus in presentia domini magistri Sinigardi, vice et nomine ipsius magistri Sinigardi, vendit etc. presente magistro Bernardo de Querceto etc. ». Ibid.

(7) Ex *Memor. Com. Bonon.* anno MCCLXXV, die XXIX Aprilis.

(8) « MCCLXXVIII. Dominus Venetianus medicus de Aretio, qui moratur in capella sanctae Mariae de Rustiganis etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

« Anno MCCLXXXII, XII Januarii. Magister Venetianus quondam domini Martini de Plantavignis medicus in Medicina et spetialis de parochia sanctae Mariae de Baruncella infirmus fecit suum testamentum etc. ». Ibid.

(9) Ex adnotatis supra.

(10) Ibid.

IV. Cum Sinigardus magnas opes Bononiae sibi comparasset, ad se accivit ex patria sua Arretio fratrum suorum filios. Iis et eorum posteris a populo bononiensi civitas data est anno MCCLXX (1). Sed ii tamen videntur annis circiter X post Sinigardi obitum, relicta civitate nostra, ad avitos lares rediisse. Anno enim MCCLXXX et MCCXXXII magna praedia et latifundia vendidere (2), quae in agro bononiensi ex patrui haereditate possidebant; nec ejus familiae memoria deinceps reperitur ulla in monumentis nostris. Mansit tamen diu Sinigardi ipsius memoria post ejus mortem. Celebre enim diu fuit Bononiae hospitium magistri Sinigardi, cujus frequens mentio est in antiquis tabulis. Id autem interpretor de hospitio, quod scholaribus locari soleret; cujusmodi Bononiae multa fuisse constat.

V. Sed multo nobilius monumentum pietatis et munificentiae suae reliquit Sinigardus in ecclesia divi Petri Bononiensium principe. Initio saeculi XV extabant adhuc in ea ecclesia tria sacerdotia, sive, ut dicimus, tres capellaniae a magistro Sinigardo institutae, quarum patroni erant Bartholomaeus Sinigardus arretinus ejusque consanguinei, haeredes nimirum et successores Sinigardi archipresbyteri (3).

VI. Erat Bononiae ut Lombardorum, de qua supra dictum est, ita et Thuscorum societas, cui qui nomen dabant vel in Thuscia nati erant vel ex ea provincia oriundi. In matricula ejus societatis ad annum MCCLIX scripta, quae per quatuor urbis regiones, sive, ut ajebant, *quarteria* distributa erat, ex regione s. Petri, primus ante omnes scriptus est magister Sinigardus (4). Mirum autem videri potest huic societati, quae armorum erat, adscriptum fuisse ecclesiasticum hominem, cui nefas esset arma gestare. Sed cum ea matricula, anno demum MCCLIX renovata et aucta, longe ante, scilicet anno MCCXXXXVIII, confecta fuerit; Sinigardum vero sacris initiatum ante annum MCCLI nulla monumenta prodant, facile interpretari possumus nomen ab eo societati datum cum adhuc laicus esset ac diuturno jam uteretur nostrae civitatis domicilio, honoris vero causa in ea retentum, etiam post adeptos ecclesiasticos ordines, ut si minus rei militaris administratione, consilio certe et auctoritate sodalitii commodis ac dignitati prospiceret.

(1) Ex actis publici in *libro Reformat. Populi Bonon.* ad annum MCCLXX.

(2) « Anno MCCLXXX, die XXI Maji. Sinigardus quondam Raynerii de Arretio, fratris quondam magistri Sinigardi, procurator Juliani et Frederici suorum fratrum vendit agros in curia Butrii pretio lib. CCLXVII.

« Anno MCCLXXXII, die XXX Maji, dominus Fredericus, dominus Julianus et dominus Sinigardus, filii quondam domini Raynerii, fratris quondam magistri Sinigardi, vendunt domino Francisco medico domini Hugonis de Luca agros in Casaralta pretio MDCCCL librarum ad rationem XVIII librarum XI solidorum pro tornatura.

« Anno etiam MCCLXXIX agrum in curia Butrii vendiderant pretio CCCLX lib. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(3) In veteri libro ad annum MCCCCVIII scripto, in quo recensentur sacerdotia omnia, sive beneficia et capellaniae civitatis et dioecesis bononiensis ad Majorem Ecclesiam divi Petri haec adnotantur:

« Capellania domini Sinigardi ad altare Majestatis ».

« Capellania domini Sinigardi ad altare s. Pauli ».

« Capellania domini Sinigardi ad altare majus. Dominus Bartholomeus de Sinigardis de Arretio, et ejus consanguinei sunt patroni ». Extat hic liber apud clarissimum Trombellium.

(4) Extat in archivo publ. Bonon., t. I *Diversorum*.

XIII.

THOMASINUS CORTONENSIS.

BARTHOLUS RAYNERII FLORENTINUS. MICHAEL DE MONTEBONO. PEREGRINUS LUCENSIS. ANGELERIUS PRATENSIS.

I. Et physici et physicae professores, qui dicerentur, antiqua civitatis nostrae monumenta scrutantibus ii, quos supra recensuimus, occurrerunt. Deinceps medicinae seu physicae doctores magno numero habemus. Hi medio circiter saeculo XIII exorti videntur. Memoratu dignum est primos fere, qui hanc honoris appellationem consecuti sint in academia nostra, etruscos fuisse, ex qua natione etiam fuerunt Sinigardus et Venetianus, de quibus supra dictum est. In his maxime claruisse videtur Thomas Cortonensis, Bonagiuntae filius, Thomasinus vulgo dictus (1), quem conjicere possumus satis honesto loco natum; patruum enim habuit Bonacursium canonicum ferrariensem (2), et ipse quoque canonicatu potitus est in Ecclesia cortonensi (3); sed, antequam clericali militiae nomen dedisset, uxorem habuerat, ex qua prolem quoque susceperat (4). In antiquis tabulis, quae de illo plures sunt in Memorialibus Communis Bononiensium, modo medicinae (5) aut physicae seu physicalis scientiae doctor (6), modo physicae professor (7), numquam vero solo medici nomine appellatur. Ita nimirum a vulgo medicantium secerni jam coeperant, qui docendi munere fungebantur. Ejus memoria mihi primum occurrit ad annum MCCLXIX, quo anno procuratorem constituit ad lites et causas omnes, quas in nostra civitate haberet (8); ex quo intelligi potest, illum jamdiu Bononiam venisse. Videtur autem quaestum non modicum ex medicina fecisse, quippe qui et fundos sibi in agro bononiensi comparavit (9) et pecuniam in nominibus habere consueverat (10). Canonicatum cortonensem absens gessit, nec umquam scholas et civitatem nostram reliquit. Testamentum condidit anno MCCLXXXIV, VIII kalendas Julias (11), et anno MCCLXXXVI adhuc in vivis erat, quo anno agrum vendidit in Funi, notissimo territorii bononiensis loco (12).

II. Vixit eodem tempore Bartholus Raynerii filius, patria florentinus, inter primos medicinae doctores adnumerandus. Hic etiam pharmaceuticen exercuit, atque in ea arte societatem habuit cum Albizo Liuccio et Liuccio ejus filio (13), quorum alter avus fuit,

(1) « Anno MCCLXXXIII, die ... Magister Thomaxinus de Cortona doctor medicine, quondam domini Bonazunte, vendit agrum in guardia Bonon.... Ex instrumento facto Bononiae in camera magistri Jacobi canonici bononiensis etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(2) « Anno MCCLXXI, die I Octobris. Magister Thomaxinus de Cortona, nepos quondam domini Bonacursi canonici ferrariensis ». Ibid.

(3) « Anno MCCLXXVII, die III Maji. Dominus Simon quondam Rufini spetialis confessus est habuisse a magistro Thomaxino, canonico plebis Cortone doctore fixice, lib. XXIV Bonon. ». Ibid.

(4) Anno MCCLXXVIII mortua Druda Thomasini filia, Corradini Federici uxore, dos patri restituitur, quae fuerat LXXX libras Bononinorum, praesentibus « magistro Michaele de Bertalia physice doctore etc. ». Ibid.

(5) Ex supra adnotatis.

(6) « Anno MCCLXIX, die ... Martii. Magister Thomaxinus de Cortona, in fixicali scientia doctor, procuratores constituit etc. ». Ibid.

(7) « Anno MCCLXXVIII. Magister Thomaxino fixice professori consul bidellus promitit restituere librum Avicenne quem acceperat causa vendendi ». Ibid.

(8) Ex supra adnotatis.

(9) Ibid.

(10) « Anno MCCLXXI, die XI Decembris. Magister Thomaxinus de Cortona, doctor fixice, mutuo dat etc. ». Ibid.

(11) Ibid.

(12) Ibid.

(13) « Anno MCCLXX. Dominus Albizus quondam domini Raynerii de Liuciis et magister Liucius ejus fi-

alter patruus Mundini Liuccii viri celeberrimi et anatomes restitutoris. Atque haec etiam Liucciorum gens, medicorum foecunda, ex Etruria Bononiam venerat. Memoratur Bartholus inter medicos Hentii regis, Federici II filii, qui anno MCCLXXII Bononiae captivus obiit (1). Thomam quoque medicum florentinum habemus Bononiae degentem iisdem temporibus, cujus mentio est in Memorialibus Communis Bononiensis ad annum MCCLXXXIII, ad diem IX Septembris, ubi *dominus ac magister Thomaxinus Medicus filius magistri Guidonis de Florentia* appellatur. Sed hic doctoris titulum et honorem assecutus non est et ne physicus quidem appellatus.

III. Fuit etiam patria florentinus Michael Lamberti filius de Montebono, *artis physicae professor et medicinae doctor* in antiquis tabulis appellatus. Huic non infructuosa fuisse videtur medicinae professio, ex qua id habuit, ut posset sibi fundos in agro bononiensi comparare (2). Testamentum semel et iterum condidit, anno nimirum MCCLXIX (3) et anno MCCLXXIII (4). Obiit anno MCCLXXVI et curatorem testamenti sui habuit Fratrem Trovatum priorem s. Michaelis in Busco, virum aetate illa in civitate nostra celebrem. Id constat ex Memorialibus Communis, in quibus *dominus Michael Lamberti de Monteboni, de Florentia dictus, in medicina magister* nuper mortuus indicatur.

IV. His jungimus Angelerium Pratensem et Peregrinum Lucensem Bonaventurae filium. Uterque in antiquis tabulis dicitur *doctor et rector artis physicae* seu *medicinae;* quo ostenditur, utrumque legendis medicinae scholis, hoc est, docendo in academia nostra vacasse. Angelerii mentio est in Memorialibus Communis Bononiensium ad annum MCCLXVIII, Peregrini ad annum MCCLXXIV, quo testamentum condidit (5). Anno MCCLXXVI decessit (6).

XIV.

ELISEUS ET GUIDO SENENSES.

PAULUS DE SANCTO ELPIDIO.

MARTINUS, PEREGRINUS ET BONAGIUNTA DE CHRISTIANIS.

AMEDEUS ALBERICIUS.

I. Ex medicis, quorum opera usus est Hentius rex, cum Bononiae captivus detineretur, Bartholum supra nominavimus. Sed sunt alii quinque, quibus praeterea usus videtur, Thaddaeus nimirum, Paulus, Peregrinus, Amedeus et Eliseus. Horum omnium meminit in testamenti sui tabulis, orans Commune Bononiensium, ut suos hosce medicos *decenti remuneratione laetificet* (7). Thaddaeus et Bartholus florentini fuere, Eliseus

lius promiserunt solvere domino magistro Bartholo, doctori in fixica, hinc ad unum annum libras XXXX Bononinorum, quas ei debent ad laborandum in arte spetiarie ad quartam partem lucri et damni ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(1) Vide testamentum Hentii apud Leandrum Albertum, in *Supplem. Histor. Bonon.*

(2) « Anno MCCLXIX. Dominus Guidottinus de Prendipartibus vendidit magistro Michaeli doctori fixico, filio quondam Lamberti de Montebono, petiam terre positam in guardia civitatis extra circlam Gallerie, juxta ecclesiam s. Anne ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(3) « Anno MCCLXIX, die V Aprilis. Magister Michael de Florentia artis fixice professor.... in capella s. Tecle Porte Sterii testamentum suum fecit etc. ». Ibid.

(4) Ex *Mem. Com. Bon.* anno MCCLXXIII.

(5) Ibid. ad annum MCCLXXIV.

(6) Ibid. ad annum MCCLXXVI.

(7) « Supplicantes Communi Bononiae, quod paupertatis nostrae misertum, gravia expensarum onera non expaveat, quatinus viros discretos magistros Thaddaeum, Paulum, Bartholum, Peregrinum, Amedeum et Alexium (lege Eliseum) medicos nostros sui laboris decenti remu-

senensis, Paulus picens, Peregrinus et Amedeus bononienses. De Thaddaeo copiose infra dicemus; est enim Thaddaeus ille Alderottus, inter medicinae instauratores celeberrimus. Sed praecipuus Hentii medicus fuisse videtur Eliseus, cui insuper legavit centum libras Bononinorum(1). Patria senensem fuisse constat ex ejusdem Hentii regis codicillis, quibus scribendis interfuit(2), ejusque fratrem fuisse existimo Guidonem item medicum senensem, qui Bononiae degebat ad annum MCCLXXII, relicta jam prorsus patria sua et translata in civitatem nostram familia (3).

II. Paulus ex castro s. Elpidii in Picentibus Bononiam venerat, ubi non infructuosam ei fuisse medicam professionem agnoscimus ex pluribus contractuum tabulis, quas in Memorialibus Communis Bononiensium habemus. Testamentum condidit anno MCCLXXV ad XI diem Septembris in quo appellatur *magister Paulus Medicus de Marchia de castro s. Elpidii* (4). Superstitem Bononiae habuit Bonmartinum, qui in antiquis tabulis dicitur Pauli filius, Thebaldi nepos (5); ex quo Pauli patrem agnoscimus.

III. Peregrinus ex gente, quae de Christianis dicebatur, ortus est, quae gens prae ceteris Bononiensibus omnibus medicorum feracissima fuit. Alidosius non pauciores quam viginti medicinae professores ex hac familia editos enumerat. Nos decem, ut minimum, novimus ex certissimis monumentis; qui saeculo XIII et XIV vixerunt. Peregrinus, Hentii regis medicus, fratrem habuit Bonajunctam item medicum; et utriusque pater Martinus quoque medicus fuit (6). Sed et patrem et fratrem, licet natu majorem, fama doctrinae superavit. Plura de eo sunt in Memorialibus Communis Bononiensium, sed de rebus admodum levibus. Obiit anno MCCLXXXV (7), ac filium reliquit Primiranum nomine, qui medicinam pariter professus est et gentem suam, aeque ac medicam professionem in sua gente propagavit. Bonagiunta eodem anno decessit, cum ante annos aliquot inter Fratres Poenitentiae cooptatus esset; quare in antiquis tabulis dici consuevit *Frater magister Bonazunta de Christianis* (8). Hic filium reliquit Jacobum medicum, a quo alter Bonagiunta procreatus, qui saeculo XIV medicinam et chirurgiam exercuit.

IV. Restat ex Hentii medicis Amedeus Albericius, ex ea familia editus, ex qua prodierunt Hugo et Albericus de Porta Ravennate, nobilissimi legum interpretes, de quibus suo loco dictum est. Patrem habuit non Guidonem, ut tradit Alidosius, sed Albericum Amedei filium (9). In civilibus turbis, quae civitatem concusserunt, Amedeus Lambertacciorum partes secutus est cum omni familia sua. Sed Lambertacciis exulare jussis et proscriptis, id Amedeo, quod aliis fere medicis, contigit ut civitatem quasi carceris loco habuerint; quae poena omnium mitissima fuit, ut alio loco exposuimus (10).

neratione laetificent ». Ex testamentum Hentii regis apud LEANDRUM ALBERTUM, in *Supplem. ad Historias Bononienses*.

(1) « Item magistro Eliseo medico nostro jure legati relinquimus C libras Bononinorum ». Ibid.

(2) « Praesent.... Magistro Eliseo medico senensi ». Ibid.

(3) In *Memorialibus Communis Bononiae* ad annum MCCLXXII dicitur « Magister Guido qui fuit de Senis » quo ostenditur, domicilium constituisse in civitate nostra. Alicubi etiam occurrit « Magister Guido et dominus Alixeus ejus filius » atque hic interdum appellatur « Elixeus » sive « Lixeus ». Ita Elisei nomen imperitia notariorum corrupit.

(4) Ex *Mem. Com. Bon.*

(5) « Bonmartinus filius quondam magistri Pauli medici, filii quondam Tebaldi de Castro s. Elpidii etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.* anno MCCLXXXIII.

(6) « Anno MCCLXVIII, IV Novembris. Magister Bonazunta et magister Peregrinus quondam magistri Martini de Christianis ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(7) Ibid. ad eum annum.

(8) Ibid.

(9) « Anno MCCLXXIV, die ultimo Octobris. Magister Amedeus medicus filius quondam domini Alberici Amedei pizoli capelle s. Marie Porte Ravennatis promisit etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(10) Vide supra in FRANCISCO, Hugonis lucensis filio.

Sed biennio post expulsos Lambertaccios, ea factione ejurata, Jeremiensibus, qui civitatem obtinebant, sacramento se obstrinxit (1). Ac rursus post annos duos, cum testamentum infirmus fecisset (2), humanis exemptus est (3). Ex his porro medicis, qui in testamento Hentii regis nominantur, praeter Thaddaeum Alderottum et Bartholum, nemo inter medicinae doctores cooptatus est; medici tantum et magistri appellatione contenti fuerunt. Crediderim illos florere coepisse antequam novis hisce insignibus et titulis medicinae professores uti coepissent.

XV.

GUILIELMUS DE SALICETO.

I. Floruit iisdem temporibus magni nominis medicus, Guilielmus de Saliceto placentinus, quem licet doctoris titulo insignitum non reperiam, clarioribus tamen academiae nostrae professoribus adjungendum censeo. Laudatur hodiedum ejus *Chirurgia,* quae saepe typis excussa est et in varias linguas conversa, ut exteris hominibus usui esse posset. Edidit etiam *Institutiones medicas,* quae diu item probatae sunt ac plurimi aestimatae, quoad antiqua medendi ratio novis inventis exclusa non est. Scripsit has *Medicas Institutiones* Guilielmus pro suo praesertim filio, qui medicinae studium erat aggressus et ut rem gratam faceret Rufino priori s. Ambrosii placentinae civitatis, ejusque sodalibus (4).

II. Laudatur Guilielmus a Guidone de Cauliaco, quod satis bene et medicinam, quam physicam dicunt et chirurgiam tractaverit, ac, Guidone ipso judice, nemo post Hippocratem, Galenum et Paulum Aeginetam, Rasim et Avicennam aliquid in medicina ediderat magno plausu dignum, cum Guilielmus Placentinus suam Summam edidit (5), quam posterioris aevi doctores non probarunt modo sed etiam expilarunt. Itaque ejus utraque *Summa chirurgiae et medicinae* passim reperitur manu exarata in bibliothecis, quae antiquis codicibus instructae sunt ac praesertim Summa chirurgiae, cujus plurimae editiones variis temporibus extiterunt. Quandoque etiam selecta et utiliora ejus libri capita excerpta sunt et in compendium redacta in studiosorum commodum; ex quo apparet, magni usus olim eum librum fuisse (6).

III. Hunc etiam tradunt primum fuisse ex practicis, quos vocant, scriptoribus, qui medicamentum arte chemica confectum imperaverit; quam laudem etiam tribuunt Thaddaeo Alderotto (7). Sed ne Hugonem quidem Lucensem, qui hos aetate praecessit, chemiae ignarum fuisse supra ostendimus, et Theodoricus, Hugonis filius, hoc genus medicamentorum usurpavit.

IV. Veronae floruisse dicitur; sed eo venerat ex nostra civitate, ubi diu moram traxerat. Narrat ipse annos quatuor Bononiae impendisse suis de re chirurgica commentariis informandis et digerendis, quos Veronae postea absolvit (8). Erat Bononiae

(1) Ex *Lib. Reformat. Com. Bon.* ejus anni.

(2) Ex *Mem. Com. Bon.*

(3) Ibid.

(4) Ex prooemio ejus operis, quod manu exaratum vidi in bibliotheca caesenati Fratrum Minorum. *Pluteus* XXIV, n. III.

(5) Guido de Cauliaco in prooemio *Chirurgiae.*

(6) Vide *Catalog. Manuscriptorum Angliae,* t. I, pag. 117.

(7) Freind, *Histoire de la Medicine,* p. III, pag. 18.

(8) « Sigillavimus et complevimus .... librum cyrugie nostre die Sabbathi octavo Junii in civitate Verone,

anno MCCLXIX, quo anno, pactis cum Guidone Rousiglione, scholari teutonico, XXXVI libris Bononinorum, promisit se illum a morbo *Fleume Sarse* curaturum, si eo morbo intra biennium tentari illum contigisset (1). Etiam Guilielmi filius, is, opinor, cujus causa suas *Medicas Institutiones* scripsit, Bononiae per idem tempus erat, ubi foenori potius quam medicinae exercendae occupatus fuisse videtur. Bernardinus dicitur hic Guilielmi filius in prooemio Institutionum Medicarum, quas vidimus manu exaratas in codice bibliothecae caesenatis Fratrum Minorum. In nostris autem monumentis Bernardus appellatur. Sed quoniam anno MCCLXXV Guilielmus Veronae degebat, verisimile est illum, ob ingentes turbas et bellum civile anno superiori excitatum in civitate nostra, discessum inde fecisse et Veronam migrasse, ubi tutius et commodius, praesertim oblato a Veronensibus stipendio, vitam agere posset.

XVI.

THADDAEUS FLORENTINUS.

I. Thaddaeus Florentiae natus est paulo post initium saeculi XIII (2), incertum qua fortuna. Sunt qui velint ex humili prorsus loco et infima populi faece (3), sed contra aliis videtur editus ex Alderotta gente, non patricia illa et primaria (duplex enim fuit) sed altera, minus quidem nobili sed honesta et liberali (4). Alderottum certe patrem habuit (5) et ex gente alderotta dictus est a scriptoribus. Fuere Thaddaei fratres Simon et Bonaguida, homines obscuri, quorum vix nomen ad nos pervenit (6). Ac Thaddaeum quoque ipsum narrant non minimam aetatis partem non solum inglorie sed ignominiose etiam transegisse. Adeo enim stupidum a natura fuisse tradunt, ut totis triginta annis nec literas didicerit nec honesto ulli artificio aptus sit visus. Itaque victitasse ajunt sordido et illiberali quaestu, occupatum prae foribus sacelli s. Michaelis in Horto vendendis minutis candelis, quas ibi religionis causa accendi mos erat. Sed exactis triginta aetatis annis, quasi ex veteri somno experrectum et dissipata cerebri caligine, incredibili ardore excitatum ad literas, quarum discendarum studio Bononiam, adhuc rudem et vix in grammatica eruditum, convolasse ajunt. Sed haec, quae de Thaddaeo memoriae tradidit Philippus Villanius, quamquam et florentinus et non indiligens scriptor et

in qua faciebamus tunc moram, eo quod salarium recipiebamus a Communi, anno currente LXXV (idest MCCLXXV). Verum est, quod ipsum ordinavimus cursorie ante hoc tempus in Bononia per annos quatuor ». Ita definit *Guilielmi Chirurgia* in codice membranaceo citato.

(1) « MCCLXIX, VIII intrantis Februarii. Magister Guilielmus medicus de Placentia promisit domino Guidone de Rousiglione scolari teutonico medicare ipsum omnibus suis expensis ab infirmitate fleume sarse, si a dicta infirmitate gravaretur intra duos annos proximos... pr. XXXVI lib. Bononinorum ». Ex *Memorialibus Communis Bononiae*.

(2) Obiit anno MCCLXXXX, ut infra dicetur. Cum igitur, Philippo Villanio auctore, octogenarius decesserit, natum oportet anno MCCXV.

(3) PHILIPP. VILLAN. in lib. *De laud. Florentin.* in Appendice.

(4) *Annotazioni del dott. Ant. Maria Biscioni al Convito di Dante*. In Firenze, 1723, pag. 68.

(5) « Anno MCCLXXXIII, die VIII exeunte Julii, magister Thaddeus professor artis medicine, filius quondam domini Alderotti de Florentia, fecit Joannem dominum Anglonis suum procuratorem ad recipiendam pacem et remissionem a Loterengo, qui dicitur Rigutius, et a Bonino suo filio et ab omnibus et singulis aliis de consanguinitate ipsorum.... de omnia injuria et offensione que dicebatur esse facta per magistrum Thaddeum vel Bonaguidam suum fratrem vel per aliquem de consanguinitate ipsorum vel quae diceretur esse facta per predictos Loteringum etc. Presentibus magistro Salveto de Ferraria et magistro Santo de Cesena ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(6) Ex tabulis anni MCCLI, quas Biscionus protulit ex libro HH, p. 338, *Excerpta Scriptur. Conventus sanctae Crucis Florentiae*. Vidit clarissimus MAZZUCHELLUS in *Thaddaeo Alderotto*.

admodum antiquus, aliquis in dubium revocat quod fabulis similia videantur (1); qua de re integrum erit unicuique judicium.

II. Cum igitur Bononiam venisset ut optimarum artium studiis animum excoleret, in quo omnes consentiunt, philosophiae totum ac medicinae se dedit. Incidit Thaddaei adventus ad scholas nostras in illud tempus cum medica facultas, quae antea usu fere et exercitatione peritorum tota continebatur, a philosophis tractata, nova luce donari coeperat; si tamen vetus illa Arabum philosophia, quae tunc scholas invaserat, non ubique tenebras et caliginem offundere poterat. Sed ita persuasum erat hominibus atque haec potissima Thaddaei laus fuit, quod primus ex nostris medicinam cum philosophia arctissimo foedere conjunxisse visus sit (2). Tentaverant id quidem ante Thaddaeum alii (3), et erant in academia nostra ante illum *Physicae,* sive, ut dicere amabant, *physicalis scientiae doctores et professores,* qui facem Thaddaeo ipsi praetulerant; nec dubito quin eorum aliquem in scholis nostris audierit. Sed ille unus plus operae contulit instaurandis medicinae studiis ad ejus saeculi gustum, quam superiores omnes. Extant adhuc ampla ejus commentaria in libros veterum magistrorum artis medicae, partem typis edita partim manu exarata in locupletiorum bibliothecarum pluteis, quae primum inter docendum in scholis ab eo tradita, mox ab auditoribus excepta, incredibilem ei famam conciliarunt. Id autem in eo potissimum mirabantur homines quod ita medicinam tractaret, ut ejus facultatis canones et praecepta ad severioris philosophiae rationes exigeret, quod nemo ante illum magno successu perfecerat.

III. In hunc modum recepta est in scholis nostris vetus illa medicina philosophica, si ita appellare licet, quae brevi tempore omnes Europae academias pervasit et innumeros scriptores tulit. Hinc agmen interpretum in Hippocratem et Galenum atque Avicennae in primis aliosque veterum medicorum libros, Thaddaeo duce; cui non satis ad laudem fuit interpretem dici, sed plusquam interpres a quibusdam dici amavit (4) et ut alter Hippocrates apud Italos habitus est (5). Ejus autem glossae, praecipuis medicinae libris adjectae, in scholis communi suffragio receptae sunt et pro *ordinariis,* ut dicere solebant, longo tempore habitae eodem loco fuerunt apud medicinae studiosos, atque accursianae glossae legum libris appositae apud juris civilis professores. Magister etiam medicorum jure dictus est (6) ob excellentium medicorum copiam, qui ex ejus schola prodierunt. Tanta denique ejus nominis fama et in re medica celebritas fuit, ut perinde esset in usu popularis sermonis: Thaddaeum sequi ac medicinam profiteri (7).

IV. Docere coepit Thaddaeus circiter anno MCCLX aut non multo serius; eodemque tempore scribendo vacabat neque operam suam curandis aegrotis desiderari

(1) Vide clarissimum MAZZUCCHELLUM, loc. cit.

(2) Vide JOANNES ANDREA QUENSTED, *De patr. viror. illustr.*, pag. 312 etc.

(3) Petri Hispani, qui anno MCCLXXVI Romanus Pontifex renunciatus, dictus est Joannes XXI, commentaria habemus in librum Isaac Medici, quae subtilitatibus dialecticis abundant. Idem in Hippocratem et Aristotilem scripsisse dicitur; nec dubito, quin haec scripta aliquanto ante Thaddaei commentaria prodierint. Sed quantum haec illis praesisterint, doctorum hominum judicium postea ostendit.

(4) Ita appellatur a Benvenuto Imolensi *Comment. in Paradisi Dantis,* c. XII, et a Vellutello ibid. Sed qui « plusquam Commentator » a Philippo Villanio, aliisque scriptoribus dictus est, et qui revera opus suum « plusquam Commentum » inscripsit, is fuit Turrisanus Thaddaei auditor; de quo alibi sermo erit.

(5) « Hic homo, cum penes Italos, ut alter Hipocras haberetur ». PHILIPP. VILLAN., *De laud. Florentiae, sive de clarissimis Florentinis.*

(6) « Eo anno magistro Thaddaeus medicorum magister moritur ». RICOBALD., *Compilat. Chronolog.* apud ECCARD., *Corp. Histor. medii aevi,* col. 1189.

(7) Non per lo mondo, per cui mo' s' affanna
Diretro all' Ostiense et a Taddeo
Ma per amor della verace manna
In picciol tempo gran dottor si feo.

DANT. ALIGHER., *De s. Dominico Ordinis Praedicatorum fundatore;* Paradisi, c. XII.

patiebatur. Docendi tamen et scribendi laborem intermisit anno, ut opinor, MCCLXXIV cum civile bellum, a Lambertacciis et Jeremiensibus excitatum, civitatem nostram miserandum in modum concussit [1]. Sed ipse quoque fatetur se aliquando a scribendo cessasse ob quaestum, quem curandis aegrotis faciebat [2]. Atque hinc apparet quae fides habenda sit Philippo Villanio, cum scribit Thaddaeum spreto lucro se totum interpretandis veterum magistrorum libris dedisse [3]. Fallitur etiam Villanius cum scribit Thaddaeum stipendio publice constituto Bononiae docuisse; nondum enim eo vivente medicinae professoribus stipendia attributa fuerant.

V. Cum igitur aeque felix in curandis aegrotis ac doctus in schola reputaretur, non solum in civitate nostra medicinam fecit, sed passim vocabatur ad curandos magnates et viros principes per alias Italiae civitates. Hinc aliquis de illo magnifice potius quam vere scriptum reliquit non consuevisse illum aliis quam principibus et nobilissimis viris curandis operam praestare. Sed illud tamen indubium est non sivisse alio se abduci ad curandum quemquam nisi pacta ingenti mercede, quae non tam esset pro loci distantia aut difficultate curationis, quam pro sui dignitate et facultatibus eorum, ad quos curandos vocaretur. Neque sat erat de mercede pacisci; nam sibi quoque cautum volebat de itu et reditu, accepta ingentis pecuniae sponsione pro securitate itineris. Dignae sunt quae legantur tabulae anno MCCLXXXV scriptae, cum Thaddaeus Mutinam iturus esset ad curandum Gerardum Rangonum. In iis Rangoni procuratores Thaddaeo promittunt se facturos ut liberum iter et expeditum ad eam civitatem habeat, suscipientes in se omne periculum et impensam; quod si pactis minime stetissent, promiserunt se eidem restituturos ter mille libras Bononinorum, quas depositi loco a Thaddaeo ipse accepisse fatebantur. Similes tabulas habemus anno MCCLXXXVIII cum Mutinam rursus evocaretur ad curandum Guidonem Guidonum. Utrasque in Appendice dabimus [4]. Sed quis credat in his contractibus bona fide actum? Ego fraude caruisse non arbitror. Facit, ut ita credam, insignis Odofredi locus ad fraudes pertinens advocatorum sui temporis, qui cum immodicas mercedes praeter jus fasque pro suis advocationibus et patrociniis extorquere vellent a clientibus eos adigebant ad stipendium, quasi deberent ex causa mutui [5]. Eodem artificio usum arbitror Thaddaeum, quem ne obulum quidem verisimile est deposuisse apud Rangoni et Guidoni procuratores. Sed ego tamen existimo Thaddaeum, probum hominem et pium, non ita immitem fuisse ut tam ingentes pecunias exigeret ab iis, quos curandos aggrederetur. Potius crediderim hanc cautionem voluisse ne justa mercede fraudaretur, et damna sibi aequo jure praestarentur, quae quacumque ex causa pertulisset.

VI. Vocatus aliquando ad curandum Romanum Pontificem, negasse dicitur se iturum, nisi centum aurei nummi in dies singulos penderentur. Quod cum immodicum videretur iis, quibus negotium datum erat, ut cum Thaddaeo transigerent, neque ea de re conveniret, concessit tamen Pontifex grandem quantumvis pecuniam vitae et incolumitati suae posthabendam ratus. Mox autem, cum amice Thaddaeum argueret, quod tam magno operam suam locaret, ille admirationem simulans, *ego vero,* inquit, *multo*

(1) Thaddaeus ad calcem *Commentar. in Aphorismos Hippocratis.*

(2) Ibid.

(3) Philipp. Villan., loc. cit.

(4) *Vide Appendicem,* anno MCCLXXXV et MCCLXXXVIII.

(5) « Dicit advocatus, si promittis mihi mille aureos nomine salarii, non teneris. Sed facias mihi unum instrumentum, in quo contineatur quod tu teneris mihi dare mille ex causa mutui ». Odofred. in l. *Si sub specie,* C. *De postulando.*

magis obstupesco, cum ceteri fere viri nobiles et minores principes quinquaginta et amplius aureos nummos mihi in dies conferre soleant, tibi, qui maximus es christianorum principum, grave visum esse quod centum petierim. Sed Pontifex, ubi Thaddaei studio optime convaluit, decem millia aureorum eidem rependi jussit, non tam ut tantum virum pro dignitate sua et ejus meritis remuneraretur, quam ut omnem ab se averteret avaritiae suspicionem.

VII. Ita narrat Philippus Villanius (1), qui tamen Pontificis nomen silet. Sed hunc fuisse Honorium IV alii scriptores tradunt et in primis Joannes Tortellius in libro *De medicina et medicis* ad Simonem Romanum (2). Sunt etiam qui haec tribuant Petro Apono illustri medico, de quo alio loco dicemus. Sed credibile non videtur, tum quia potior mihi est auctoritas Philippi Villanii et Joannis Tortellii, quam aliorum multo recentiorum, qui haec de Petro Apono scripserunt, tum quia Honorii IV aetate Petrus Aponus nondum ad tantam famam pervenire potuerat ut ad curandum Pontificem accerseretur. Sunt qui immaniter augent pecuniam, quam Pontifex recuperata valetudine Thaddaeo numerari jusserit; nec desunt qui non minus quam ducenta millia aureorum accepisse dicant. Sed nimis multa mihi etiam videntur pro iis temporibus vel ea decem millia, quae Villanius omnium modestissimus narrat.

VIII. Thaddaeus certe medicinam faciens ad ingentes divitias pervenit, nec facile est reperire plures ejus facultatis professores qui majores sint consecuti. Ejus autem commodis et utilitatibus consuluit etiam non uno modo populus bononiensis. Ei nimirum et ejus haeredibus concessa est immunitas a vectigalibus et remissio ab omni munere publico. Additum est ut libere a quovis intra fines agri bononiensis praedia et fundos emere posset, quos vellet; modo ne ab exulibus et proscriptis. Itaque eum voluerunt gaudere omnibus civium commodis, neque iis oneribus obnoxium esse, quae cives reipublicae causa sustinere debebant. Ejus quoque discipulis eadem privilegia et immunitates populi beneficio concessae sunt, quibus gaudebant scholares juris civilis et canonici. Id autem, nominatim pro auditoribus magistri Thaddaei statutum, aliorum medicinae professorum auditoribus communicatum est (3). Ita honor additus est scholae medicae, quae Thaddaei potissimum opera magis aucta et nobilitata, pari gradu deinceps fuit cum scholis legum et canonum.

IX. Quamdiu vixit primum dignitatis locum tenuit inter medicinae professores, ac multum ei quoque tribuerunt professores aliarum disciplinarum (4). Sed gravis offensionis causa ei aliquando fuit cum Bartholomaeo Varignana, qui ex ejus schola, ut verisimile est, prodierat et magistro adhuc vivente magnopere celebrari coeperat. Receperat ille in medicina erudiendos quosdam, qui ad Thaddaei scholam ante accesserant. Id ei magno crimini datum est a Thaddaeo, ac fortasse erat contra leges scholasticas vel academiae nostrae morem. Neque vero aliter tolli dissidium potuit et sarciri injuria, qua affectum se credebat Thaddaeus, quam ubi Varignana promisisset omnem poenam temporalem et spiritualem ultro subiturum, quam in eum statuissent vicarius archidia-

(1) PHILIPP. VILLAN., loc. cit.

(2) JO. TORTELLIUS, *De medicina et medicis ad Simonem Romanum medicum praestantissimum.* — Ex Cod. Vatic. apud APOSTOL. ZENUM in *Dissert. Vossiane*, l. I, pag. 151.

(3) Ex *Statut. Pop. Bonon.* anno MCCLXXXVIII vel potius MCCLXXXIII, in quibus est rubrica: *De privilegio magistri Thaddei doctoris fixice et discipulorum ejus.* — *Vide Appendicem.*

(4) Vide tabulas societatis inter magistrum Gentilem de Cingulo et magistrum Guilielmum de Dexara, scriptas anno MCCLXXXXV, in Appendice.

coni bononiensis et aliquot doctores *ex Collegio Magistrorum* [1], arbitri ad eam rem delecti [2].

X. Nescio quid molestiae illi etiam intulisse credo Clarellum quendam, ut opinor, medicum, sive quod ejus doctrinam impugnaret, sive quod medendi rationem carperet. Queritur de illo in commentariis ad Joannicii Isagogen [3], quae cum scriberet, nondum, ut arbitror, id auctoritatis consecutus erat, ut hujusmodi obtrectatoris importunitatem a se avertere posset. Sed erat fortasse Thaddaeus natura suspiciosus et ad inanes metus comparatus, quod, ni fallor, ostendunt etiam tot captae de securitate itinerum et stipendiorum suorum cautelae et iterata saepius testamenta, de quibus diximus. Id porro ex ejus corporis habitu et temperamento accidere debebat, in quo insolens aliquid fuisse pro certo habeo. Ipse enim de se fatetur se somnambulum fuisse [4] et interdum ex alto loco dormientem sine sensu cecidisse [5].

XI. Habere consuevit in familia sua Thaddaeus medicos aliquot, quibus adjutoribus uteretur sive in scholae muneribus sive in aegrotantium cura. Eorum aliqua mentio est in ejus testamento, quod in Appendice damus. Domestica quoque negotia, ne quid esset, quo a suis studiis interpellaretur, per procuratores aliquando agere consuevit. Anno certe MCCLXXXXII procuratorem suum constituit Octavantem Florentinum [6], affinitate sibi conjunctum, eum, qui jus pontificium exeunte saeculo XIII in scholis nostris docuit; de quo suo loco diximus.

XII. Anno MCCLXXIV Thaddaeus fere sexagenarius uxorem duxit Adelam Guidalotti Regaletti filiam [7], Octavantis, quem ante nominavimus, sororem [8], ex eaque filiam suscepit Minam, quae adhuc innupta erat, cum ipse extremum obiit diem. Sed ante illud tempus filium genuerat ex illegitimo complexu. Hic patris nomen gessit et vulgo Thaddaeolus dicebatur, eumque Nicolaus IV anno MCCLXXXX jure legitimorum natalium donavit [9].

XIII. Testamentum saepius nec uno in loco Thaddaeus fecit. Et quoniam perpetuo domicilium Bononiae habuit, cum alio diverteret ad curandos magnates, itinerum pericula reputans, propterea testamentum saepius fecisse videtur. Sed omnium postremum Bononiae condidit initio anni MCCLXXXXIII, quo cetera omnia revocavit facta Bo-

(1) « Magistrorum » collegium jure tunc dicebatur, non autem « medicorum » quia non solum medicinae sed aliarum quoque artium liberalium professores complectebatur, ut ex ipsis hujus controversiae actis apparet, quae in Appendice exhibentur.

(2) *Vide Appendicem.* — Pertinet hoc ad annum MCCLXXXXII.

(3) « Finitus est tractatus de febribus domino Clarello, qui facit nos evigilare et transire per mentem nostram quidquid mali potest ». THADDAEUS in *Isag. Joannic.*, c. 32. Fortasse ad eundem pertinent, quae habet ad finem cap. 36. « Hoc est » inquit « quod dicit falsidicus, qui facit omnia mala transire per mentem nostram ».

(4) « De quarto sic procedo: videtur, quod homo possit dormiendo sentire, nam dormiendo movetur, sicut patet in surgentibus de nocte, quorum ego sum unus ». Ibid. in c. 10, pag. 362.

(5) Ibid. Sed locus fortasse mendosus in pedum numero, qui loci altitudo indicatur.

(6) « Anno MCCLXXXXII, die XV Maji. Magister Thaddeus doctor fixice fecit suum procuratorem in omnibus suis causis et negotiis dominum Octavantem de Florentia suum cognatum ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(7) « Anno MCCLXXIV, XV Januarii. Magister Thaddeus artis fixice professor, filius quondam Alderotti de Florentia, fuit confessus habuisse a domino Guidalotto quondam domini Regaletti de Florentia dotis nomine domine Adele sue filie ipsi magistro Thaddeo matrimonio unite trescentas libras Pisanorum in florenis de duodecim. Preterea donavit eidem proper nuzias quinquaginta libras ejusdem monete ». Ibid.

(8) Octavantem, qui postea canonum professor fuit, Guidalotti Florentini filium fuisse, proptereaque Adelae fratrem, intelligimus ex tabulis anno MCCLXXXIII scriptis in *Memorialibus Communis Bononiae* in quibus legitur: « Domino Octavante domini Guidalocti de Florentia scolaris Bonon.... emit Digestum ... pretio lib. L Bononinorum ». Regalettus autem Guidalotti pater jam inde ab anno MCCLXVI Bononiae degebat, ex *Memor. Com. Bon.* in quibus dicitur « Regalettus Bonaguide de Florentia ».

(9) Ex literis Nicolai IV in Codice diplomatico manuscripto Biblioth. publ. bonon.

noniae (1), Florentiae, Ferrariae, Romae, Mediolani, Venetiis et alibi. Pro anima sua et ad pias causas X mille libras Bononinorum legavit; quae immanis summa erat pro aetate illa et privati hominis facultatibus. Ex his bis mille quingentas libras impendi voluit emendis praediis pro pauperibus verecundis, quorum administrationem esse voluit penes Fratres de Poenitentia. Viget ad hanc diem ut cum maxime pium hoc institutum, a prudentissimis civibus administratum in civitate nostra, quo consulitur egestati honestorum civium, quibus ostiatim mendicare victum vel natalium vel aetatis sexusve conditio sine pudore non sinit (2). Fratribus Minoribus, penes quos sepeliri voluit ubicumque ejus obitus contigisset, multa legavit. Atque illud viri prudentiam maxime demonstrat, quod praestari voluit in perpetuum alimenta uni ex Fratribus ejus Ordinis, qui Parisiis theologiae studeret, supra numerum eorum, qui ibidem sacris studiis destinati esse solerent. Iisdem Fratribus Minoribus conventum erigi voluit, in quo tresdecim Fratres ali possent. Viginti ex suis scholaribus magis egentes ex albo panno vestiri in die obitus sui mandavit, itemque familiares suos omnes masculos, qui secum eo tempore futuri essent. Statuit etiam impensam funeris sibi apud Fratres Minores celebrandi et certam insuper summam, pro die septimo obitus sui, trigesimo, centesimo et anniversario, erogandam in Fratrum refectionem, ut iis diebus pro anima sua preces ad Deum funderent; qui mos ab antiquissimis temporibus ad eam aetatem pervenerat.

XIV. De bibliotheca sua in hunc modum statuit. Avicennae opera, quatuor voluminibus contenta, et Galeni item, quae totidem voluminibus comprehensa erant, Fratribus Minoribus ea conditione legavit, ne ullo umquam tempore alienari distrahive possent aut e Conventu ipso exportari. Fratribus Beatae Mariae Servis legavit Metaphysicam Avicennae, Ethicam Aristotelis et Sextum de Naturalibus Avicennae in majori volumine. Magistro Nicolao Faventino glossas suas omnes, quas scripserat in veterum medicorum libros, et Almansorem suum, et magistro Johanni Assisinati (3) Serapionem suum et Sextum de Naturalibus Avicennae in minori volumine, si quidem uterque in familia sua esset tempore obitus sui. Adelae (4) uxori suae, praeter aliquam pecuniae summam, cubiculi sui supellectilem omnem legavit et vestes et gemmas, exceptis dumtaxat vasis aureis et argenteis et usumfructum domus Florentiae in via s. Crucis et fundos in agro florentino. Haeredes autem instituit Minam filiam suam, Thaddaeolum filium naturalem et Opizum Bonaguidae fratris sui filium; quibus, si absque filiis masculis legitimis decessissent, Fratres Minores (5) et pauperes verecundos substituit. Nupsit haec Thaddaei filia Dosgo Pulcio florentino summo genere nato (6). Thaddaeolus autem sive quod coelibem vitam duxerit sive quod filios non genuerit aut diu superstites non habuerit, certe nulla ejus posteritatis memoria apud nos superfuit. Sed opulenta magi-

(1) Etiam Bononiae anno MCCLXX *fortasse*, antequam iter aliquod susciperet, testamentum fecerat, quod indicatum vidimus in *Memorialibus Communis Bononiae* ejus anni.

(2) Jam inde ab anno MCCLVI. Ubertus sacerdos sanctae Catharinae de Saragotia legaverat X corbes frumenti pauperibus verecundis, ut ex ejus testamento apud Fratres Minores; ex quo apparet ejus pii instituti antiquitas.

(3) Hos duos medicos in schola sua, uti credibile est, eruditos, in sua familia habebat, qui sibi suppietas ferrent, ubi esset opus, tum in docendo tum in medendo.

(4) Hanc Biscionius in adnotationibus ad *Convivium Dantis* « Adolam » vocat., sed in testamento autographo est « Adela ».

(5) Quia Fratribus Minoribus quidquam possidere non licebat, voluit ut « medietas predicte contingentis ipsi Opizo perveniat ad Dominas et Sorores s. Clare civitatis Florentie, fructus cujus dicte Domine et Sorores teneantur expendere pro necessitatibus Fratrum Minorum infirmorum senum et forensium ». Vide testamentum Thaddaei in Appendice.

(6) « Domina Mina quondam magistri Thaddei Alderotti uxor Dosgi quondam Dosgi de Pulcis ». Ex tabulis anni MCCCI, in archivo publico florentino. Indicavit clarissimus Biscionus, loco citato.

stri Thaddaei haereditas non ita humanis casibus subjecta fuit, ut nobiles ejus reliquiae ad hanc diem non existant. Sanctissimum enim civitatis nostrae monasterium Corporis Christi et collegium Puellarum s. Crucis ex bonis haereditatis magistri Thaddaei initium quasi acceperunt (1). Mittimus legata insuper alia, quae legi possunt in testamento ipso, quod in Appendice exhibemus (2). Unum addimus, quod maxime memorandum videtur, aureos nempe florenos XV in annos singulos legatos Zeo Scansalti pisano, quamdiu futurus esset in Januensium carceribus, ex quibus ubi eum liberari contigisset, CC libras Bononinorum eidem persolvi a suis haeredibus mandavit. Nota est ex eorum temporum scriptoribus infelix pugna maritima Pisanorum cum Januensibus anno MCCLXXXIV pugnata, qua Pisanorum vires miserandum in modum prostratae sunt. Magna eorum caedes fuit, atque ingens numerus in captivitatem abductus praesertim ex nobilioribus. Neque ullis conditionibus adduci potuere victores ut captivos redderent. Ita enim consilium fuit sobolem invisae civitatis impedire, totque fortissimis viris ac primariis civibus detentis, ne procreandis liberis dare operam possent, succidere nervos civitatis, usque in illud tempus potentissimae. Itaque non ante annos XVIII pax convenit. Tunc bello capti, qui supererant, redditi sunt, effoeti jam et tam longi carceris incommodis prope enecti. Diligentissimus Mannius *Sigillum Universitatis Carceratorum Januae detentorum* illustrat (3). Ex eorum numero erat Zeus Scansalti, amicus, ut opinor, Thaddaei; qui quam pronus esset ad ferendam miseris opem cum ex hoc tum ex singulis fere testamenti sui capitibus liquet.

XV. Obiit Thaddaeus anno MCCLXXXXV (4) cum annos octoginta vixisset (5). Fuit autem ejus mors repentina, ut narrat Benvenutus Imolensis, Dantis interpres. Tumulatus est apud Fratres Minores, quos vivus magnopere dilexerat, et apud quos aegrotus etiam aliquando sub extremum vitae suae tempus jacuerat (6). Sed ejus sepulchri magnifice extructi et elegantis, quod erat prope januam Ecclesiae, propter recentiora aedificia ibidem excitata, nulla jam vestigia supersunt (7). Minime igitur audiendus

(1) Nicolaus V anno MCCCCLIV mandavit, ut hospitali s. Antonii Patavini, quod Fratres Tertii Ordinis, sive de Poenitentia, ex bonis haereditariis magistri Thaddaei Bononiae erexerant, in domum pro sanctimonialibus franciscanis, ex monasterio ferrariensi Corporis Christi traducendis, converteretur. Sed resistentibus Fratribus, res ita composita est insequenti anno per Bessarionem Bononiae legatum, ut Fratres ecclesiam s. Antonii et adjacentes aedes cum modico censu ad hospitalitatem exercendam retinerent; sed bona reliqua, quae ad eos ex haereditate magistri Thaddaei pervenerant, novo Parthenoni pro sanctimonialibus Corporis Christi construendo attribuerentur; quod anno MCCCCLVI perfectum est, Catharina Vigria, quam nunc in sanctarum virginum album relatam veneramur, cum aliquot aliis monialibus ex ferrariensi monasterio in novum hoc nostrum commigrantibus. Anno autem MDLXXXXII Fratres Tertii Ordinis, qui pauci supererant, ecclesiam s. Antonii et adjacentes aedes bonaque omnia ad eum locum pertinentia, erigendo puellarum periclitantium domicilio libere tradiderunt, quod in via s. Mamae amoenissimo civitatis loco, non longe a monasterio Corporis Christi, constructum est et s. Crucis titulo insignitum. Haec ex monumentis monialium Corporis Christi et puellarum s. Crucis, quae vidit et indicavit clarissimus Montius.

(2) *Vide Appendicem.*

(3) MANNI, *Degli antichi sigilli,* t. XII, pag. 117.

(4) Anno MCCLXXXXV, die XX Martii, Thaddaeus erat in vivis, ut ex charta societatis inter magistrum Gentilem Cingulanum et magistrum Guilielmum Dexarensem, quam in Appendice damus. Ast eodem anno ad diem XVII Julii in vivis esse desiderat, ut ex his tabulis, quas indicavit clarissimus Montius.

« Anno MCCLXXXXV, die XVII Julii. Dominus Ugolinus de Montezanico, dominus Novellonus Megloris de Florentia, dominus Amadeus Poete, dominus Frater Raynuccius quondam Deotaiuti commissarii et executores testamenti egregii viri et discreti magistri Thaddei quondam Alderotti qui fuit de Florentia artis fisice professoris, fuerunt confessi habuisse a domino Bartholomeo Blanchi Cose Florenorum auri CCCC depositos ab ipso magistro Thaddeo etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(5) PHILIPPUS VILLANIUS, loco citato.

(6) « Anno MCCLXXXXIII, dis... Magister Thaddeus confessus est quod ipse emit quandam petiam terre.... Actum in loco Fratrum Minorum in camara ministri ubi magister Thaddeus jacebat infirmus presentibus magistro Bertolaccio, Fratris Ventura, magistro Nicolao de Faventia etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(7) « Fuit Thaddaeus medicus famosus, conterraneus auctoris (Dantis), qui legit et scripsit Bononiae et vocatus est plusquam commentator. Et factus est ditis-

est Joannes Villanius, qui Thaddaei obitum protrahit ad annum MCCCIII (1), aut si quis est alius, qui in aliud tempus referat. Paulo post ejus mortem dissidium ortum est inter Fratres Tertii Ordinis, sive de Poenitentia, et priorem Fratrum Praedicatorum ac guardianum Fratrum Minorum in eligendis pauperibus ad praescriptum testamenti ipsius magistri Thaddaei. Sed litem omnem sustulit Dinus Mugellanus, clarus legum interpres, qui per illud tempus Bononiae docebat, cui utraque pars arbitrium dederat (2).

XV. Possem hic plura scriptorum testimonia de Thaddaeo admodum honorifica afferre; possem et scriptores multos emendare, multos supplere, qui de illo vel minus diligenter, vel minus vere scripserunt; in quo numero sunt praesertim scriptores nostri Alidosius et Ghirardaccius. Sed haec curabunt, qui magis otio abundant. Nunc ejus scripta recensenda sunt, quae et multa fuerunt et magno in pretio habita.

THADDAEI SCRIPTA.

Expositio in arduum Ipocratis volumen. Galenus aphorismos Hippocratis illustri commentario exornavit. Thaddaeus et Hippocratis aphorismos et Galeni commentarium diligenter exposuit. Cum autem in septem libros, sive particulas, Hippocratis volumen aphorismorum distributum sit, Thaddaeus scripto tradidit expositionem suam in sex priora capita, eamque absolvit anno MCCLXXXIII, decima die Septembris, ut ad ejus calcem adnotatum est tam in editis exemplaribus quam in manu exarato, quod vidi in bibliotheca collegii Hispanorum Bononiae. Est autem hoc Thaddaei opus valde prolixum, cui scribendo non uno tempore insudavit. Sic enim ad ejus finem ait: *In his particulis explanandis diversa fuerunt tempora. Nam cum essem in nono anno mei regiminis* (qui publice docebant regere scholas dicebantur) *incepi glossare aphorismos a principio. Et in spatio sex mensium glossavi primam, secundam, tertiam et quartam particulas et quintam usque ad illum aphorismum:* Mulieri menstrua sine colore. *Tunc autem supersedi, convertens me ad glossas, quas super Tegni feceram, completiores edendas; quas perfeci usque ad illud capitulum causarum:* Ad inventionem vero salubrium. *Ibidem vero destiti impeditus a guerra civitatis Bononiae et lucrativa operatione distractus. Post vero placuit mihi resumere, ut complerem glossas aphorismorum, addendo ad eas, quas primo feceram. Et feci additiones super primam et secundam et quartam particulam. In tertia vero particula solum glossas veteres divisi. Item in quinta particula super veteribus glossis quas feceram primo nullam additionem feci. Incepi autem de novo glossam in illo aphorismo:* Mulieri menstrua sine colore, *ut dictum est.*

Quod hic habet de Bononiensium bello, pertinere videtur ad Lambertacciorum, et Jeremiensium turbas, quibus anno MCCLXXIV civitas nostra paene desolata est. Cum autem nono anno postquam docere coeperat, ad interpretandum Hippocratis aphorismos se contulerit, in eoque opere tempus aliquod impendere debuerit, et rursum eo dimisso, librum Tegni interpretandum susceperit et in eo versatus sit, quoad Bononiae in otio quietus esse potuit; subductis rationibus apparet, non multo post annum MCCLX debuisse illum publice docendi in scholis nostris munus suscipere.

Ad septimam particulam aphorismorum quod attinet, Thaddaeus perpetua in eam commentaria non reliquit, sed monuit auditores suos, si quis voluisset ex ore docentis excerpere, quae in ea aphorismorum particula exponenda in schola protulisset, se deinde emendaturum et ut in ordinem redigerentur curaturum. Sic enim inquit: *Super septima vero particula*

simus, imo ditavit hortulanum suum. Vixit autem annis.... et mortuus est morte repentina et sepultus est Bononiae ante porta Minorum in pulchra et marmorea sepultura ». Benvenutus de Imola, *Commentum super Purgatorio Dantis* apud Muratorium, *Antiquitates medii aevi. Excerpta* etc.

(1) « In questo tempo morì in Bologna M. Taddeo detto da Bologna, ma era di Firenze, nostro cittadino, il quale fu sommo fisiciano sopra tutti quelli de' cristiani ». Joann. Villanius ad anno MCCCIII.

(2) Extat Dini consilium, sive sententia, in archivo Fratrum Praedicatorum Bononiae.

nihil immediate scribere intendo. Sed si quis de meis auditoribus notare voluerit, eas corrigam et in petias redigi faciam. Haec autem verba scripsi, ut si alicubi minus completa expositio reperiatur, non adscribatur ignorantiae sed potius novitati et pigritiae scriptoris. Sed Thaddaei commentaria in septimam partem Aphorismorum nuspiam apparent, et ejus loco circumferri solebat expositio Alberti Zancarii, de quo alio loco dicemus.

Expositio in divinum Hipocratis Pronosticorum volumen. Ad cujus finem ita adnotatum est in editis exemplaribus. *Explicit liber tertius et ultimus Pronosticorum Hipocratis secundum antiquam translationem a Thaddaeo Florentino explanatus.* Sed revera Thaddaeus ipse non unam translationem prae manibus habuit sed saltem duas (1). Ad extrema vero capita, seu textus libri tertii, nihil adnotavit Thaddaeus, aut certe nihil adnotatum reperio in editis exemplaribus; manu enim scripta explorare non licuit.

Thaddaei Florentini in praeclarum regiminis acutorum morborum Hipocratis volumen expositio. Hanc Thaddaeus in prooemio fatetur se maxime procudisse ut rem gratam faceret Bartholomaeo Veronensi, quem sibi dilectissimum vocat et pollentis ingenii; aitque non minimo sibi adjumento fuisse ad id operis perficiendum. Non attigit Thaddaeus nisi tres priores libros hujus operis, ratus fortasse quartum non esse legitimum Hippocratis foetum, quod aliis visum erat, ut fatetur Galenus ipse initio commentariorum in hunc quartum librum de regimine acutorum. Suam porro diligentiam ostendit Thaddaeus in his commentariis exarandis, appellans ad versionem graecam, ubi in ea, quae ex arabica facta erat, vitium suspicabatur (2). Atque hinc apparet duplicem ejus libri interpretationem per illud tempus in doctorum manibus versatam fuisse, quarum altera ex graeca, altera ex arabica lingua ducta erat.

In subtilissimum Isagogarum Johannicii libellum expositio. Eam sic concludit Thaddaeus: *Scio tamen quod de his obscure dixi, sed fessus sum et deficit charta.* Misera excusatio et vix sapienti homine digna.

Quae hactenus recensuimus Thaddaei opera in unum volumen redacta, Venetiis edita sunt per Lucam Antonium Junctam anno MDXXVII, curante Joanne Baptista Nicolino Sallodiensi, qui in epistola nuncupatoria ad Altobellum Averoldum Polensium antistitem et Romani Pontificis legatum ad Venetos, impense Thaddaeum laudat illumque dicit, *nonnisi ad lapsam principum sanitatem recuperandam* vocari consuevisse.

Auctoritates et definitiones super libro Tegni et quamplures utiles dubitationes. Extat hic Thaddaei liber in codice Vaticano (3), ejusque haec est Oeconomia. Initio agit de corpore sano, ejusque, ut ita dicam, essentia et variis sanitatis gradibus; tum pergit in hunc modum: *Nota quod dicit Johannicius, quod si unaquaeque res naturalis propriam naturam servaverit, facit sanitatem, si vero ipsam dimiserit, facit aegritudinem vel neutralitatem,* statum scilicet quo nec sanum est nec aegrum. Sequitur in hunc modum usque ad finem libri: *Nota quod dicit Galenus; nota quod dicit Hipocras, Avicenna. Nota quod venae non dicuntur oriri ab epate quod oriantur ex eadem materia etc. Nota differentiam arteriarum et venarum et originem nervorum etc. Nota quod partes totius capitis sunt quatuor etc.* Inter has notationes, in quibus totus hic liber decurrit, aliquas quaestiones interserit, uti est illa: *Quaeritur hic an dari possit membrum, quod nec recipitur nec tribuit.* Nunquam editus est hic Thaddaei liber, quem ne ipse quidem auctor satis elimatum censuit. Itaque rursus *Artem Parvam* Galeni, sive librum Tegni interpretandum suscepit. Habemus hoc Thaddaei opus typis editum Neapoli cum hoc titulo: *Commentaria in Artem Parvam Galeni. Neapoli anno MDXXII.* Horum initio fatetur se praematuram aliam expositionem *Artis Parvae* edidisse his verbis: *At vero quoniam super eundem librum expositionem facere necessitas compulit praematuram, in qua non ut expedit Galeni instituta patefeci. Ideo etc.*

(1) Ad text. X, lib. I, ita inquit: « Alia translatio non ponit hic nisi duos colores etc. ».

(2) « Unde dicendum quod litera arabica, ex qua sumitur illa auctoritas, est corrupta, quod patet per translationem graecam ». Lib. III, text. X.

(3) Cod. Vatic. n. 4445.

Magistri Thaddaei Consilia. In codice Vaticano (1) *Consilia medica* Thaddaei sunt centum quinquaginta sex. Minore numero, imo perpauca, si recte memini, sunt in codice bibliothecae caesenatis Fratrum Minorum. Primum in utroque codice est de debilitate visus. Ultimum in codice Vaticano est de virtute Aquae vitis. Docet in eo modum praeparandi alembicum cupreum. Incipit: *Ad faciendam Aquamvitem, quae alio nomine dicitur Aqua ardens.* Est unum ex his Consiliis: *De minctu urinae cum sanguine.* Incipit: *Conquestus est dominus Bartoloctus comes.* Est is Bartholottus comes Ripae Insulae Suzariae et Bardinae, de quo plura diximus, ubi de Rolandino Passagerio, artis notariae doctore, agebamus. Est aliud Thaddaei Consilium ad *mictum sanguinis* pro Duce Venetiarum. Aliud item *De impedimento loquelae propter mollitiem linguae.* Incipit: *Cura comitis Bertholdi.*

In librum Galeni de crisi. Est in codice Vaticano (2).

Magistri Thaddaei de Florentia Quaestio de augmento. Est in codice Vaticano (3).

Libellus sanitatis conservandae factus et adinventus per probissimum virum magistrum Thaddaeum artis medicinae in civitate Bononiae doctorem. Est in codice bibliothecae Estensis, teste Muratorio (4). Idem italice extat, scriptus in modum epistolae cuidam ex Neriis florentinis. Incipit: *Imperciocchè la condizione del corpo umano* (5). Extat etiam latine typis editus Bononiae anno MCCCCLXXVII cum libello magistri Benedicti de Nursia ejusdem argumenti. Num autem italice scriptus sit libellus iste ab auctore suo an latine mihi non constat. Italica tamen lingua, quae tum nitescere et a scriptoribus nobilitari coeperat, delectatum constat Thaddaeum, qui Aristotelis Ethicam in eam linguam vertit, quamquam hunc ejus laborem haud magnopere laudandum existimarit Dantes in Convivio, ubi ait velle se suum illum librum italica sive, ut ipse inquit, vulgari lingua donare, ne ab alio quopiam interprete vitietur, ut Ethicae Aristotelis contigit, quam Thaddaeus italicam fecit (6). Eum purgare nititur Biscionius, vitio vertens non tam Thaddaeo, qui italicam ex latina non bonam, quam veteri interpreti, qui nihilo meliorem ex graeca latinam fecerat Aristotelis Ethicam (7). Sed vix quisquam probabit hanc Biscionii defensionem. Id unum enim reprehendit in Thaddaeo Dantes Aligherius, quod italicam interpretationem ejus libri non bonam dederit. Nihil autem impedit quominus librum aliquem, licet mendosissimum et maxime corruptum, optime, quod ad nitorem verborum attinet, interpretari et in aliam linguam elegantissime quispiam convertere possit. Habuerat Thaddaeus Aristotelis Ethicam ex Thesauro Brunetti Latini, ut observat Laurentius Mehus, qui de his abunde disserit in prolegomenis ad epistolas Ambrosii Camaldulensis, nuper Florentiae editas (8).

Experimenta magistri Thaddaei probata ab ipso. Hunc titulum habet collectio experimentorum medicinalium Thaddaei in codice Vaticano (9). Incipit: *Omnes herbae et radices quae debent prius coqui, abluantur et mundentur.* Post brevem praefationem sive instructionem describere incipit primum syrupos varii generis. *Receptio syrupi majoris secundum M. T. Syrupus Jordanus M. T. ad correctiones epatis et splenis etc.* Deinde describit electuaria, inter quae haec confectio locum habet: *Confectio qua utuntur magnates in Curia Romana, et maxime convenit in aestate sanguinem mundificans, et colera suaviter educitur.* ℞. *pulpae Cassiae fi. lb. 2. Tamarindorum 3 penidii zuc. violati an̄.* $^5/_5$. *x. Syrupi violati* $^5/_5$ *G. Mirrhae* $^5/_5$ *3 conficiantur sive dissolvantur cum tali succo.* ℞. *Prunorum ... s seminum ordei mundi. liquir. an.* $^1/_2$ *2 et cum ista aqua decoquatur usque ad spissitudinem mellis.* Dein pergit ad vina medicata. In his est *Aqua vitis ad calculum M. B.* idest, magistri Bartholomaei de Varignana, ut opinor, medici celeberrimi, cujus infra mentionem faciemus. Tum de oleis agitur, ibidemque describitur *Tragea M. T. et Tragea M. B.*, idest, Magistri Thaddaei

(1) Cod. Vatic. n. 2418.

(2) Ibid. 4451.

(3) Ibid. 4454.

(4) Murator., *Rer. Ital. Script.*, t. IX, pag. 583.

(5) Vide Biscion., *Annot. al Conv. di Dante,* loc. cit.

(6) « E temendo, che il volgare non fosse stato posto per alcuno, che l' avesse laido fatto parere, come fece quegli, che tramutò il latino dell' Etica, ciò fu Taddeo Ipocratista, provvidi di porre lui, fidandomi di me più che d' un altro ». *Convito di Dante.* In Firenze 1723, pag. 68.

(7) Ibid.

(8) *Epist. Ambros. Cam.*, t. I, pag. 156, 157.

(9) Codex Vatic. chartac. n. 4442.

et Magistri Bartholomaei. Pulveres subinde varii et pilulae et unguenta describuntur, tum remedia quaedam ad peculiares morbos. Nec desunt superstitiosa quaedam et vanissima. Tale est illud: *Ut homo possit ire super ignem sine laesione. Dicas ista verba ter in nomine individuae Trinitatis: Abyson, Dalmatiu vel Magata, et eas nudus.* Emplastra quaedam post haec describuntur; sed in hujus libri extremis partibus vix ordo ullus apparet ut conjicere liceat aliena manu aliquid genuinis Thaddaei experimentis additum; quo ex genere esse arbitror superstitiosa illa, quae dixi.

De Interioribus libri VI a magistro Thaddaeo correcti. Ita in codice Vaticano (1).

Thaddaeus de Bononia de aquis et oleis et vinis medicatis. Extat inter codices Thomae Bodleii (2).

Auxit immaniter Biscionius paucis verbis catalogum operum Thaddaeï, dum primo loco recensuit ejus *Commentaria in Ipocratem,* mox *Commentaria in Avicennam;* nam neque in alia Hippocratis opera scripsit Thaddaeus, quam quae indicavimus, quaeque vel ipse Biscionius seorsim postea enumerat; nec ulla in Avicennam Commentaria scripsisse comperio. Addit tamen idem Biscionius descriptionem pulveris mirabilis magistri Thaddaei, quam reperit ad calcem libri magistri Aldobrandini. Ego alterius pulveris descriptionem in hunc modum reperi ad calcem Almansoris, idest, libri Rasis in codice Vaticano (3). *Recepta quam magister Taddeus reliquit pauperibus in testamento:* ℞. *Cinamomi electi* $^2/_5$ *5 Macis. Croci an. 3 ij. Sene* $^2/_5$ *5. fiat pulvis postea* ℞. $^2/_5$ *5 Tartari albi subtilissime pulverizati, et misce simul. Dosis ejus est ō. 3 ij cum brodio et potest confici cum zuccaro ut melius conservetur.* Eumdem pulverem descriptum vidi in codice bibliothecae caesenatis Fratrum Minorum inter Consilia medica magistri Thaddaei ad libri marginem in hunc modum: *Pulvis solutivus Taddei.* ℞. *Cinamomi* $^1/_1$. *5. Macis. Croci an̄. 7. 3. 1. Sene ad pondus predictorum. Fiat pulvis, cui potes addere de zuccaro albo vel rubeo et est delectabilior.*

XVII.

DONDEDEUS MANGONIS.

DANIEL PETRI DANIELIS. DOMINICUS FRATRIS HENRICI. MANTIGHELLUS MANTIGHELLIUS. NICOLAUS MAGISTRI ANGELI.

I. Neminem adhuc vidimus ex civibus nostris inter medicinae doctores. Deinceps plurimos habebimus. Ignobiles primum homines, dein professores clarissimos ad nostram usque aetatem. Ex primis igitur, qui in facultate medica doctoris insignia inter nostros cives consecuti sint, Dondedeum reperio. Hic patre natus est Mangone item medico (4), sed patris professionem initio secutus non videtur; anno enim MCCLI in notariorum coetum adlectus est (5). Verum post annos aliquot inter medicinae professores meruit, non solum physicus sed etiam physicae doctor in antiquis monumentis propterea appellatus (6). Post annum MCCLXXV nulla ejus memoria occurrit (7).

II. Danielem medicum anno MCCLXX viventem habet Alidosius (8). Rectius illum dixisset medicinae doctorem; eo enim honore potiebatur et quidem ante annum MCCLXX

(1) Est codex Urbinat. 247.

(2) Tom. I, manuscript. Angliae. Cod. 2359.

(3) Codex Vatic. n. 4425.

(4) « Magister Dondideus fisichus quondam magistris Mangonis ». Ita appellatur in *Mem. Com. Bon.* ad anno MCCLXVII.

(5) Ex Matricula Notariorum in arch. publ. Bonon.

(6) « Magister Donusdei doctor fixice » dicitur in *Mem. Com. Bon.* ad anno MCCLXXIII.

(7) « Anno MCCLXXV, die IX Februarii. Dominus Martinus Yspanus quondam domini Johannis, qui docet in Logica, promisit domino Pallaterio, notario domini episcopi, stipulanti nomine et vice domini episcopi Bonon. et ejus vicarii, stare omnibus mandatis eorum, et solvere condempnationem .... et dominus Donesdeus doctor in medicina .... fideiussit etc. ». Ex *Memorialibus Communis Bononiae.*

(8) Alidosius, pag. 23.

ab Alidosio indicatum (1). Erat ille Petri Danielis filius (2); eumque testamenti sui curatorem elegit Bonafilia Hugolini medici filia, quae Fratres Praedicatores sibi haeredes instituit; et, quod in foemina memorandum est, plura legata dedit quibusdam Fratribus ejus Ordinis ad emendos libros, Fratri nimirum Bartholomaeo magistri Joannis filio, theologo illustri, Fratri Ramberto Primaticcio, qui postea episcopus castellanus creatus est, aliisque multis (3). Anno MCCLXXXXII Daniel adhuc erat in vivis (4); quando autem decesserit, non liquet.

III. Vixit eodem tempore magister *Dominicus doctor et rector in physica, filius Fratris Henrici,* sic enim appellatur in Memorialibus Communis ad annum MCCLXVIII.

IV. Minus aliquanto obscurus quam isti omnes fuisse videtur Mantighellus Mantighellius, Manni Mantighellii filius, Marsilii decretorum doctoris frater, ejus, qui in jure canonico Joannem Andreae erudivit, de quo alio loco diximus. Anno MCCLXVIII, licet medicinam profitetur, nondum tamen inter medicinae doctores adscriptus fuerat (5). Anno MCCLXXII honorem illum acceperat; quo anno ad illustre oppidum Romandiolae Balneocaballum profectus est, ut ibi medicinam exerceret, honesto stipendio conductus (6). Et quamquam cum Balneocaballensibus ita pactus esset ut post annum unum expletum, in quem suam fidem eis obligaverat, posset insuper biennio, si voluisset, apud eos cum eodem stipendio consistere, videtur tamen citius in patriam reversus. Anno certe MCCLXXIII, Augusto mense, Bononiae degebat (7). Anno autem insequenti extremum obiit diem, pluribus relictis liberis (8); quorum qui natu major erat, Jacobus nomine, patris professionem secutus est, non tamen doctoris honores obtinuit. Hic anno MCCCIV magistratum gessit, quem Antianorum populi bononiensis appellant (9), ut Alidosius etiam observat. Anno MCCCXII cum in Fratres Poenitentiae adscriptus esset, testamentum fecit, piissimo homine dignum; res enim suas omnes beneficio pauperum devovit, praesertim autem infirmorum Ordinis Praedicatorum, Minorum, Eremitanorum et Carmelitarum (10).

V. Addimus Nicolaum magistri Angeli filium. Anno MCCLXXX licet doctoris honoribus ornatus esset, erat tamen XXV annis minor (11); ex quo intelligitur, non admodum adultam aetatem jam tum quaesitam in iis, qui medicinae doctores crearentur.

(1) Anno scilicet MCCLXVIII.

(2) « Magister Daniel quondam Petri Danielis » dicitur in *Mem. Com. Bon.* ad anno MCCLXXXXII.

(3) Vide in Appendice hujus testamenti tabulas.

(4) Ex *Mem. Com. Bon.* ejus anni.

(5) In *Memorialibus* ejus anni « medicus » tantum appellatur.

(6) « Anno MCCLXXII, die XXXI Januarii. Dominus magister Mantighellus, filius Manni de Mantighellis doctor medicine, promisit domino Mariscotto domini Marchisii sindico Communis Bagnacavalli .... ire ad terram Bagnacavalli et ibi exercere artem medicinae hinc ad unum annum et ab ipso anno in antea usque ad duos annos alios, si placuerit ire et stare ipsi domino Mantighello .... accipiendo pro suo salario quolibet anno LXXX libras Bononinorum ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(7) Ex *Mem. Com. Bon.*

(8) « Anno MCCLXXIV. Bartholomaea Mantighelli uxor tutelam suscepit filiorum, qui ob patris obitum pupilli erant ». Ex *Mem. Com. Bon.* ad diem XIII Decembris.

(9) Ex *Lib. Reformat.* ejus anni.

(10) « Cum Frater magister Jacobus de Mantighellis testamentum fecerit de anno MCCCXII, die IX Julii etc. » Ex *Mem. Com. Bon.*

(11) « Magister Nicolaus quondam magistri Angeli doctor fixice .... jurat more minorum etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.* ad anno MCCLXXX.

XVIII.

GUIDO PISANUS.

Hic etiam ex Thuscia ad civitatem nostram venit post medium saeculum XIII. Filius erat Peregrini de Egello, sive de Gello, pisanae dioecesis (1). Anno MCCLXVIII Bononiae degebat, nondum splendidiori titulo, quam medici, decoratus (2). Post annos aliquot et medicinae, seu physicae, professorem et doctorem dictum reperio (3). Anno MCCLXXVI immunis erat a publicis pensionibus solvendis ex populi bononiensis decreto (4). Procuratorem aliquando habuit rerum suarum Bonacursum doctorem grammaticae (5), aliquando alios (6). Ita nimirum solebant celebriores quique professores, ne a gravioribus instituti sui occupationibus avocarentur, negotia sua per procuratores agere. Neque solum ex medicina, sed etiam ex arte pharmaceutica quaestum fecit (7), ut alii plures medici eorum temporum. Coelebs vixisse videtur; nihil enim aliunde de ejus uxore aut filiis elucet. Et certe sine filiis erat anno MCCLXXXIV cum testamentum condidit, quod vidimus in Memorialibus Communis Bononiensium. Haeredem ex asse instituit majorem ecclesiam bononiensem; erantque in ejus haereditate agri plures et domus urbana in capella s. Columbani. In ea ecclesia sacerdotium, sive, ut ajunt, capellaniam ad altare s. Martini constitui voluit, modumque praescripsit eligendi sacerdotem, sive capellanum, cui librorum certam supellectilem legavit perpetuo servandam, hac adjecta conditione ut quicumque ad sacerdotium illud electus fuisset humanioribus literis per annos quinque, jurisprudentiae autem per annos decem vacare deberet. Testamentum aliud fecerat anno MCCLXXVIII (8), V kalendas Decembris, et rursum aliud anno MCCLXXX (9), quae posteriori hoc irritavit. Sed anno demum MCCLXXXXVI, XI kalendas Maji, cum morti proximus decumberet (10), postremum testamentum condidit, in quo multa in superiori constituta mutavit, salvis iis, quae ad sacerdotium sive capellaniam ad aram s. Martini instituendam pertinerent, quae rata esse voluit. Hoc autem addidit ut librae centum Bononinorum impenderentur in subsidium Terrae Sanctae, ubi primum generalem expeditionem in ea loca fieri contigisset (11), in arma, ut opinor,

(1) Utroque modo appellatur in antiquis tabulis pluribus.

(2) « Anno MCCLXXXVIII. Magister Guido de Pisis medicus, Bonagiunta Cambii venerunt et dixerunt se fecisse societatem inter eos in arte specialarie ad unum annum ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(3) Anno MCCLXXIII primum reperio dictum professorem medicinae, deinceps etiam medicinae, seu physicae doctorem in tabulis plurimis, quae de eo extant in *Mem. Com. Bon.*

(4) Ex *Lib. Reform. Com. Bon.* ejus anni.

(5) « Hunc procuratorem elegit anno MCCLXXXV kalendis Martii, praesentibus Philippo medico mediolanensi ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(6) « Anno MCCLXXXVI procuratorem suum constituit magistrum Bonataxium de Oratorio de Pisis ». Ibid.

(7) Anno MCCLXXIII societatem in ea arte iniit cum Bonagiunta Cambii, ut supra adnotatum est. Rursus anno MCCLXXXVIII societatem in eadem arte iniit cum quodam Bene de Predalbino, ut liquet ex *Memor. Com. Bon.* ad diem III Aprilis ejus anni.

(8) Ex *Mem. Com. Bon.* ejus anni.

(9) Ibid. ad anno MCCLXXX.

(10) Ibid. ad anno MCCLXXXXVI. Constat autem, paulo post decessisse, quia eodem anno nescio quam controversiam de ejus haereditate subortam constat, cujus dirimendae arbitrium datum est Joannis Calcinae decretorum doctori.

(11) « Anno MCCC, die XXVII Junii. Dominus magister Guido Nicole capellanus rector et administrator altaris s. Martini majoris ecclesie s. Petri Bononiae et heres magistri Guidonis Pisani fixice professoris, filii quondam domini Pellegrini de Gello s. Sevini (lege Savini) pisane diocesis, qui tempore sui obitus morabatur Bononie in capella s. Columbani presentibus.... » fatetur se recepisse a commissariis magistri Guidonis « omnem pecuniam, que ex ejus hereditate » ad eos pervenerat,

et commeatum unius militis, qui ad bellum sacrum ex civitate nostra pergeret et certo tempore in eo versaretur; cujusmodi legatum Zoen Tencararius in suo testamento dederat, ut alio loco indicavimus (1).

XIX.

SPINELLUS DE CANTONE.

LUCIANUS BERGOMAS. NICOLAUS DE BRAYNA.

I. Inter primarios medicinae professores aetatis suae numerandus est Spinellus, sive Ospinellus, Jacobi de Cantone filius (2). Ac mirum est ab Ovidio Montalbano praetermissum in Collegio medicorum bononiensium, cum tam multos aliunde ignotos in Collegium illud gratis intulerit. Alidosius hunc non omisit aitque illum anno MCCLIX jam inter medicos adscriptum fuisse. Sed multo serius inter medicinae doctores adnumeratus est. Anno MCCLXXIV, cum Lambertacciis favisset, eamdem poenam sustinuit quam ceteri fere medicinae professores illius factionis, ad fines, ut ajebant, *Guarnatae interioris* damnatus, idest intra civitatem sic consistere jussus, ut pedem efferre non liceret sine magistratuum urbanorum imperio (3). Cum anno MCCLXXXI eligendus esset nuncius sive bidellus generalis universitatis artistarum, cum vicario archidiaconi, qui veluti moderator et praeses academiae nostrae jure censebatur, interfuere etiam Spinellus medicinae et Simon Januensis grammaticae professores nomine totius universitatis. Atque hinc apparet Spinellum inter primi subsellii professores locum habuisse. Anno rursum MCCLXXXXII ad componendam acrem controversiam, quae orta erat inter Thaddaeum Alderottum et Bartholomaeum de Varignana, arbiter electus est Spinellus cum Nicolao de Brayna et Luciano Bergomate medicinae professoribus. Quoniam autem tribus istis professoribus cum vicario archidiaconi potestas collata est puniendi Varignanam ipsum ob injurias Alderotto illatas et propter ea quae adversus honorem archidiaconatus et collegii admisisset, Spinellus et duo ejus sodales non ut privati doctores sed nomine totius collegii id negotii suscepisse videntur (4). Quamdiu vixerit Spinellus non liquet. Sed anno MCCLXXXXVII procul dubio decesserat (5). Filium reliquit Bonaventuram decretorum doctorem, de quo inter canonum professores, qui saeculo XIV vixerunt, dicendum erit.

II. Lucianus Bergomas, cujus supra mentio facta est, cujusmodi homo fuerit non constat. Non ignobilem fuisse in collegio magistrorum, cui adscriptus erat, ex conjectura colligitur, quam supra exposuimus. Beneventurani filius dicitur in tabulis compromissi, quas in Appendice damus.

III. Nicolaus de Brayna, quem supra nominavimus, patre natus est Hugolino de Brayna notario, et fratrem habuit Semprebonum, nostris Semprebene, item nota-

idque « nomine dicte capelle et ut ejus rector.... et promisit iisdem commissariis se ex bonis dicte capelle daturum et restituturum ipsis commissariis C libras Bononinorum, quando fiet generale passagium in subsidium Terre Sancte ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(1) De illo actum est inter *Juris Canonici Professores.*

(2) « Anno MCCLXIX. Magister Spinellus medicus, filius Jacobi de Cantone etc. ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(3) Ex *Libris Confinatorum et Bannitorum.*

(4) Vide hujus Compromissi tabulas in Appendice.

(5) Anno MCCLXXXXVII in *Mem. Com. Bon.* nominatur « Bonaventura jurisperitus quondam magistri Spinelli medici ».

rium [1]; quem verisimile est celebrem illum poetam fuisse, qui inter antiquiores italicae poesis cultores numeratur; ut erant fere iis temporibus notarii humaniorum literarum et eloquentiae studiis dediti. Nicolaus, cum Lambertaccios sequeretur, ea poena damnatus est qua alii plerique medici earum partium, de qua non semel diximus.

XX.

BONINSEGNA.

Bononiam venit anno MCCLXXXXVIII Boninsegna, filius Benvenuti Bonifacii judicis, patria quidem bononiensis, sed qui in regno neapolitano medicinae aliarumque naturalium disciplinarum studia secutus erat. Fuerat is in physica et astrologia, aliisque artibus rite probatus et doctoris ac magistri titulo insignitus in eo regno; ex quo, cum rediisset in patriam, postulavit a Consilio civitatis ut in album eorum medicorum referretur, qui nutu praetoris bononiensis, mittebantur ad visendos vulneratos, qui essent in civitate et agro bononiensi, sibique frui liceret immunitatibus ac beneficiis, quibus fruebantur reliqui medicinae et earum artium doctores, perinde ac in eorum collegium esset adscriptus. Id autem liberaliter huic doctori concessum [2]; sed quae deinceps ejus fama ac fortuna in nostra civitate fuerit non liquet. Alidosius ejus nomen indicat ac praeterea nihil.

XXI.

BARTHOLOMAEUS DE VARIGNANA.

I. Pervetustum est agri bononiensis castellum Varignana in edito monte ad sinistram Claternae, amnis supra viam Aemiliam. Verisimile est conditum fuisse a Claternatibus; excisa enim Claterna urbe, cujus vix ulla nunc reperiuntur vestigia ad pontem amni impositum in via ipsa Flaminia, medio fere itinere Bononiam inter et Forum Cornelii, postremos ejus civitatis incolas in eum locum se recepisse et Varignanam castrum aedificasse facile crediderim. Id quippe civitatibus multis accidisse compertum est, ut ubi fato cesserint, qui earum excidio superfuerunt, si quis locus in propinquo esset paulo tutior, quique facile manu et arte muniri posset, in eo sibi perfugium quaesierint novasque sedes paraverint. Ita ex Recinae reliquiis Macerata, Picentum civitas florentissima, Saxoferratum ex Sentini, Massaccium ex Cuprae Montanae, Ripa Transonis ex Cuprae Marittimae reliquiis nata sunt, earum civitatum incolis ex planis et patentibus locis ad altiora et tutiora confugientibus. Nullum autem locus erat in Claternae vicinia, in quo tutius colligi possent qui ejus civitatis excidio superfuerunt, quam is ubi Varignanae castrum assurgit.

II. Ex eo castro originem et agnomen duxit illustris familia, quae diu Bononiae floruit et claros medicinae professores multos edidit, propter hanc rem alicubi dicta *medicorum semper alumna* [3]. Notus est in monumentis civitatis nostrae magister Joannes

(1) « MCCLXXXXII, die XXVII Martii, magister Nicolaus de Braina medicus et dominus Semprebene quondam domini Ugolini de Braina ejus frater, qui sunt de societate notariorum, compromittunt etc. ». Ex *Mem. Com. Bononiae.*

(2) Ex actis publicis hujus anni. *Vide Appendicem.*

(3) « Ipsa virum medicorum semper alumna Varignana dedit ». Ex titulo sepulcrali Petri de Varignana medicinae doctoris, qui obiit anno MCCCCXIII apud ALIDOSIUM, *Dottori bolognesi di teologia* etc., pag. 156.

de Varignana medicus, qui medio circiter saeculo XIII vixit; eratque domus ejus celebri civitatis loco posita prope ecclesiam Fratrum Praedicatorum, ad quam praecones edicta populi bononiensis vulgabant (1). Sed is quidem, magistri titulo insignitus, numquam medicinae doctor dictus est. Ac fortasse cum medicinam profiteri coepit, nondum mos invaluerat creandi doctores ejus facultatis (2). Ex eo natus est Bartholomaeus, qui patrem longo intervallo superavit, inter principes medicorum aetatis suae procul dubio numerandus. Hic florere coepit, Thaddaeo Alderotto primatum in academia nostra jam tenente, nec dubito quin a patre primum ex veteri more in medicina eruditus, post domesticam institutionem ad Thaddaeum accesserit et in ejus schola plurimum profecerit. Ejus certe vestigia secutus est et philosophicam illam medicinam, quam coluit Thaddaeus, ipse quoque suis scriptis provexit (3).

III. Senescente jam Thaddaeo, tanto plausu docuit ut aliqui ex Thaddaei auditoribus ad eum quandoque accesserint. Sed eos tamen non sine periculo admisit, ut supra dictum est, ubi de Thaddaeo agebatur. In curandis aegrotis magnum quaestum fecit, ut in hoc etiam Thaddaei fortunam aemulatus esse videatur. Cum anno MCCLXXXXIII curasset Aldrovandinum marchionem estensem, libras Bononinorum CCCLXXXX stipendii loco accepit (4), hoc est florenos aureos circiter CCLX (5). Ejus frequens mentio est in Memorialibus Communis Bononiae et in actis publicis civitatis ab anno MCCLXXVIII ad MCCCXI. In his est epistola Antonii de Fussiraga, praetoris, et antianorum et consulum ad praetorem et magistratus urbanos Regii Lepidi, qua petunt, ut sapientem virum Bartholomaeum de Varignana medicinaa professorem, qui pro multis Regiensibus fidejusserat et solverat, indemnem servari curent. Data est anno MCCLXXXXI, kalendis Junii (6).

IV. Cum nihil huic homini deesset ad opes et gloriam in medicae facultatis professione, ad rempublicam accessit seque adversis casibus multis objecit. Anno MCCCIII inter antianos et consules adlectus est (7), qui erat summus civitatis magistratus, eratque ejus magistratus princeps, priorem dicebant, cum allatis nuntiis de obitu Bonifacii VIII, qui Medicinae castrum pro Ecclesia Romana tenebant, ex eo loco recesserunt. Itaque in Consilio civitatis decretum est ut populus bononiensis ejus castri, pontificio praesidio nudati, possessionem acciperet (8). Fuerat castrum illud ex patrimonio Mathildis Comi-

(1) Ex *Statutis populi bononiensis* anno MCCLXII editis. Extant in archivo publico. Indicavit clarissimus Montius.

(2) Magistrum Joannem de Varignana obiisse ante annum MCCLXV conjicit clarissimus Montius ex eo, quod nulla ejus mentio occurrat in *Memorialibus Communis Bononiae,* quae ex eo anno initio habuerunt. Anno certe MCCLXXVIII in vivis esse desierat, ut ex iisdem *Memorialibus* apparet, in quibus ad eum annum nominatur « magister Bartholomeus quondam magistri Joannis de Varignana ».

(3) Vidit clarissimus Montius in *Memorialibus Communis Bononiae* plures contractuum tabulas ad magistrum Thaddaeum pertinentes, quibus scribendis interfuit Bartholomaeus de Varignana. Atque hinc etiam conjici potest illum Thaddaeo adhaesisse et in ejus schola eruditum fuisse.

(4) « MCCLXXXXIII, die XI Octobris. Dominus magister Bartholomeus de Varignana filius quondam domini magistri Joannis de Varignana medicus doctor physice accipit a magnifico viro domino Aldrovandino Dei gratia marchione Esti CCCLXXXX librarum Bononinorum, quas dictus dominus Aldrovandinus tenebatur dare eidem magistro Bartholomeo pro sua mercede pro cura persone ipsius ex instrumento Zanis Grassi notarii ». Ex *Mem. Com. Bon.*

(5) Florenus aureus circa annum MCCC solidis fere XXX valebat. Tres igitur librae Bononinorum hoc est LX solidi duos Florenos aequabant, quare CCCLXXXX Librae CCLX Florenis aureis propemodum aequales erant.

(6) Ex literis publicis ejus anni in archivo Communis Bononiae.

(7) Ghirardaccius, lib. XII.

(8) « Quod videtur generaliter providere de mittendo aliquem officialem ad conservationem et custodiam castri Medicine .... et hoc cum dicatur et affirmative relatum sit quod officiales qui ibi erant intelligentes quod dominus Bonifacius Papa VIII transmigraverit se a dicta terra sunt propere absentati ». Ex *Lib. Reform. G.* Indicavit clarissimus Montius.

tissae. Post ejus obitum occupatum fuit ab Henrico IV, ac deinceps a Friderico I frustra obnitente populo bononiensi, qui in ejus possessionem venerat. Subinde in potestatem Romani Pontificis redactum est ut aequum erat. Sed variae deinceps inter Romanos Pontifices et populum bononiensem ob ejus castri dominatum querelae extiterunt; multae demum ex Bonifacii IX et Martini V concessis inter ejus loci incolas et Bononienses ipsos usque ad aetatem nostram; quas ut extingueret Benedictus XIV, jus omne controversum, quod erat ea de re, auctoritate sua sustulit et castrum illud Communi Bononiae perpetuo adjudicavit. Igitur nihil morae fecerunt Bononienses quin ejus castri possessionem caperent, ubi a pontificiis desertum viderunt; quae res cum magni momenti omnino esse videretur, numquam clariorum hominum delectus a Consilio civitatis factus est ad publicum aliquod negotium pertractandum, quam eo tempore. Etenim ex XI viris, qui ad id delecti sunt, quatuor fuere doctores legum, Albertinus Carrarius, Basacomater de Basacomatribus, Julianus Cambius et Philippus Fuscherarius; tres decretorum doctores, Bonvicinus, Joannes Calcina et Joannes Andreae, qui ex humili conditione ad ingentes fortunas et famam assurgere jam coeperat; duo jurisperiti, Gratiolus Boaterius et Bonvillanus Tederisius; denique duo equites, sive, ut tum ajebant, milites, Joannes de Ignano et Joannes de Sicchis. Horum vero consultationibus et decretis fere omnibus praefuit Bartholomaeus de Varignana, uti antianorum et consulum civitatis prior.

V. Post aliquot annos turbae ingentes in civitate ortae sunt, quarum hic exitus fuit, ut post cladem civium non exiguam, Bonincontrus de Hospitali clarus decretorum doctor, qui ut Bartholomaeus de Varignana, relictis scholis, ad rempublicam accesserat et majorem, quam quae privati civis in civitatis administratione legitime esse poterat, auctoritatem consecutus erat, cum omni factione sua expulsus et proscriptus sit, inusta ejus nomini ghibellinarum partium infamia (1). Haec civium expulsio facta est anno MCCCVI agente in primis Romaeo Pepulo, qui patriae dominatum ambire coeperat, magnis affinitatibus et immani divitiarum copia ad eam potentiam evectus. Mutato igitur civitatis statu concidit Bartholomaei auctoritas; sed is tamen nihil adversi pertulit ante annum MCCCXI. Hoc anno, cum se contulisset ad Henricum VII Imperatorem, quo tempore Brixiam obsidebat, accitus ab eo, ut opinor, ut sibi ad corporis curationem archiatri loco praesto esset, cumque constaret multos ex iis, qui cum Bonincontro expulsi fuerant, apud Imperatorem confugisse, in suspicionem deductus est apud moderatores civitatis et quasi esset ex Bonincontri factione et ghibellinarum partium, ipse quoque cum filiis una proscriptus est et bona ejus publicata (2). Fallitur igitur Sigonius, cum narrat Henricum Imperatorem, utpote civitatis nostrae amicum, ab Uberto episcopo, cum Romam pergeret ad capiendam imperii coronam, hospitio susceptum (3). Adeo enim non amicum habebant Bononienses hunc principem, ut cum de ejus adventu in Italiam percrebuisset, vallo et foveis civitatem munire aggressi sint (4), ut eum ab se arcerent,

(1) Haec melius explicabuntur, ubi de Bonincontro dicetur inter *Professores Juris Canonici,* qui saeculo XIV vixerunt.

(2) « Magister Bartholomeus de Varignana intelligatur esse bannitus et rebellis Communis et populi bononiensis, et pro bannito et rebelli et proditore dicti Communis et populi et partis Ecclesie ac Jeremiensium dicte civitatis et populi habeatur ac reputetur, ut bona ejus publicentur et deveniant in Commune Bononie ». Ex *Lib. Reform.* † ad diem XV Octobris MCCCXI. Extat praeterea Bartholomaei nomen in tabulis « bannitorum occasione civium qui debuerunt esse in exercitu Imperatoris ad Brissiam » quae Tabulae scriptae sunt anno MCCCXII.

(3) Sigonius, *De Episcop. Bonon.*, lib. III.

(4) « Bononienses secus » (idest, minime amici Imperatoris) « Nam et ipsi novorum vallorum, fovearumque munimentis urbem cinxere; plebiscita legesque in Regem Regisque obsequentes statuere, in quibus et Imperatoris nomen proferenti capitale sit supplicium ». Albertin. Mussat., *Histor. Augustae,* lib. I, rubr. XI.

et quotquot ex nostris civibus ad eum confugerunt, in perduellium numero sint habiti. Quam inimico animo Imperator ipse in civitatem nostram fuerit, ejus edicta demonstrant contra illam proposita, quae a Ghirardaccio afferuntur (1); hujus igitur tam infensi hostis in consuetudinem intimam se admitti ac participem consiliorum fieri, ut archiatrorum mos est, homini, ex magistratu, quem gesserat, arcanorum reipublicae conscio, criminosum et capitale fuit.

VI. Bartholomaeus igitur Henricum secutus est, neque ab eo discessit quoad vixit. Cum eo certe erat extremis ejus vitae diebus eique auctor fuerat ne per aestatem illam, quae illi mortifera fuit, castra moveret nec Pisis discederet. Ajebat enim vir artis suae peritissimus intelligere se Imperatorem eo tempore ita affectum esse, ut aestivi calores ei lethales essent futuri, nisi ab iis sibi diligenter cavisset. Sed haec amici et prudentis medici monita cum parvi fecisset Henricus, non multo post extinctus est IX kalendas Septembris, anno MCCCXIII. De veneno rumores temere sparsi, quod ei Frater quidam Bernardus de Montepolitiano in sacratissimae Eucharistiae particula, per inauditum scelus, obtulisse diceretur. Suspicionem tam atrocem ac nefariam ut extingueret Varignana, quae de male affecta Imperatoris valetudine multo ante conjecerat et quae ipsi praedixerat, sacramenti fide interposita, in publicas tabulas referri jussit. Haec narrat antiquus auctor, qui breviarium supplevit historiae Fratrum Praedicatorum Bernardi Guidonis apud Martene (2). Mortuo Henrico neque in patriam rediit, neque facile redire potuisset proscriptus adhuc et invisus civitatis principibus, populo in primis, cujus major in dies potentia evaserat. Januam itaque profectus est, ubi extremum diem obiisse videtur anno MCCCXVIII, vel insequenti (3).

VII. Uxorem duxerat Bartholomaeus Michelinam Nascimbeni de Sala, quae decessit anno MCCCXXXVII (4). Ex ea tres filios suscepit, Guilielmum, Joannem et Conradinum (5). Guilielmus medicinam professus est et quamvis, dum viveret, multo inferiorem

(1) Ghirardaccius, lib. XVII.

(2) « Serenissimus D. Henricus Luccelmburch Romanus Imperator existens in Tuscia in civitate Pisarum et volens cum exercitu versus reliquas partes Tusciae adire, per magistrum Bartholomaeum de Vagenaria (lege de Varignana) fuit dissuasus ne illo tempore exponeret se itineri propter aestum quia erat dispositus ad magnam infirmitatem; cumque illo nullo modo acquiescere voluisset, tandem post in Bonconventu infirmatus diem clausit extremum .... ».

« Medicus Imperatoris, antequam Pisis recederet, suum recessum dissuaserat asserens quod dispositus erat ad magnam aegritudinem, de qua re ipse medicus publicum fieri fecit instrumentum ». Apud Martene, *Veterum Scriptor.*, col. 376.

Hinc porro discimus Henrici archiatrum fuisse Bartholomaeum de Varignana; acta enim nostrae civitatis nihil aliud habent, nisi profectum esse ad Imperatorem, suspiciosissimo tempore.

(3) Anno MCCCXVIII, die VII Augusti, Simon de Venola cum ex gravi morbo decumberet, ut conscientiam suam expiaret, multa se admisisse furta confessus est, atque inter haec « quod ipse Simon, existendo in civitate Janue cum magistro Bartholomeo de Varignana, accepit contra voluntatem dicti Bartholomei de domo habitationis ipsius libr. CC ».

Item aliud furtum confessus est Hugolino de Matugliano factum « sed cum nihil habeat unde satisfacere possit promisit presbitero Gratie et Francisco notario, recipientibus in nomine venerabili domini Uberti episcopi et heredum predicti Ugoni de Matugliano et dicti magistri Bartholomei de Varignana et suorum heredum, quod si pervenerit ad pinguiorem fortunam quod satisfaciet in totum ». Ex *Mem. Com. Bon. Antonii Andreae Bernardini.*

Hinc patet Bartholomaeum adhuc in vivis fuisse, siquidem Simon ille de Venola suam fidem obstrinxit hinc quidem haeredibus Hugolini de Matugliano, inde autem Bartholomaeo ipsi ejusque haeredibus. Igitur Hugolinus jam obierat, Bartholomaeus autem adhuc vivebat, vel Bononiae certe adhuc vivere credebatur, ut egregie observat clarissimus Montius, a quo haec accepimus. At anno MCCCXIX profecto obierat, in libro enim *De medicinae secretis,* quem Guilielmus Bartholomaei filius eo anno Januae scribebat, ubi agitur de remediis ad vesicae calculum, Bartholomaeus tamquam vita functus memoratur, ut idem vir clarissimus observat.

(4) Ex *Mem. Com. Bon. Jacobini de Aposa.* Indicavit clarissimus Montius.

(5) « Anno MCCCII, die XXVIII Augusti. Cum lis esset inter Johannem quondam domini Guilielmi etc. et magistrum Bartholomeum de Varignana doctorem in fisiga et magistrum Guilielmum et magistrum Johannem et Corradinum filios dicti magistri Bartholomei etc. ». Ex *Mem. Com. Bonon.*

patre suo fuisse existimem opinione doctrinae, tamen progressu temporis extincta fere est Bartholomaei memoria, Guilielmus autem adhuc nomen aliquod retinet in medicorum fastis. Cum enim ex multis Bartholomaei scriptis nullum typis umquam editum fuerit, Guilielmi *Secreta medica* non semel excusa ejus nomen posteritati commendarunt. Atque hanc esse causam censeo cur nostri scriptores vix Bartholomaeum commemorent et Guilielmum magnis laudibus efferant. Sed de Guilielmo erit alibi dicendi locus.

BARTHOLOMAEI VARIGNANAE SCRIPTA.

Bartholomaeus, Thaddaeum magistrum suum imitatus, non levem operam impendit interpretandis veterum medicorum libris, quos in scholis legebat. Scripsit in librum *Tegni*, sive *Artem parvam* Galeni ampla commentaria, quae vidimus in duobus codicibus Vaticanis. Incipiunt in hunc modum: *In aliquibus suorum librorum G. tradidit totam scientiam medicine, quorum unus pervenit ad manus nostras et est liber Tegni. Alter autem non, scilicet liber completus in medicina et isti duo libri non differunt penes genus.* Praelongum opus est et spissum et peripateticis subtilitatibus plenum.

Rationes super libro de Canonibus. Hunc titulum habet ejusdem expositio libri de Canonibus Avicennae in codice item Vaticano (1), ad cujus calcem haec verba leguntur: *Expliciunt rationes super libro de Canonibus recollecte sub nobili doctore magistro Bartholomaeo de Varignana.* Dum *recollectas* audimus *rationes* hujus doctoris in librum de Canonibus, facile intelligimus ab aliquo ex ejus auditoribus exceptas ore docentis in scholis, ut interdum fieri solebat, atque hinc natum est *Recollectarum* nomen, quo ejusmodi commentaria designabantur.

Recollectiones in librum de Interioribus. Has etiam Bartholomaei recollectiones vidimus in codice Vaticano (2). Hoc habent initium: *Medicorum non solum modum etc. Intitulatur iste liber de Interioribus G.* Ad calcem libri haec adnotantur: *Expliciunt recollectiones libri de Interioribus secundum magistrum Bartholomeum de Auragnana.* Legendum procul dubio *de Varignana.*

Sunt in eodem codice Vaticano Varignanae commentaria in librum *De complexionibus* Galeni. Initio carent. In calce libri haec adnotata sunt: *Expliciunt rationes super libro: De complexionibus, recollecte sub provido viro magistro Bartholomeo de Varignana in scholis suis.*

In libro *Experimentorum* Thaddaei Alderotti sunt aliqua Bartholomaei de Varignana. Itaque ad caput *De vinis medicatis* describitur *Aqua Vitis ad calculum magistri Bartholomaei,* nimirum magistri Bartholomaei, quo nomine satis innotescebat vir aetate sua celeberrimus, etiam omisso cognomine. Et paulo infra: *Tragea Mag. T. grossa. Tragea Mag. B.,* scilicet, Tragea magistri Thaddaei et magistri Bartholomaei. In hunc modum, quae alterutrius propria sunt, in hoc libro distinguuntur. Sunt autem Bartholomaei pauca prae illis, quae Thaddaei nomine insignita sunt, ut propterea liber ille de Thaddaei nomine appellari jure potuerit (3).

Est inter codices manuscriptos, olim a Digbaeo collectos, *Liber de regimine sanitatis secundum Bartholomaeum* (4). Inter codices quoque bodlejanos est liber inscriptus: *Practica medicinae Bartholomaei.* Est alius item, cui titulus: *De regimine sanitatis secundum Bartholomaeum in suo Breviario* (5). Num unus idemque liber sit definire non ausim. Neque etiam certo affirmaverim, pertinere ad Bartholomaeum de Varignana; quod tamen admodum verisimile censeo.

---

(1) Codex Vatic. 4451.
(2) Ibid. 4454.
(3) Ibid. 4422.
(4) T. I *Catalog. Libr. manuscript: Angliae* ex Biblioth. Digbaei. n. 1632.
(5) Ibid. n. 2462.

PHILOSOPHIAE PROFESSORES.

I. Qui vultus, quae facies haeserit philosophiae toto illo aevo, quod medium appellant, cum multi, tum in primis Jacobus Brukerus, Historiae Philosophiae scriptor celeberrimus (1), ex veteri memoria tradiderunt. Itaque cum eorum eruditione, quae maxima certe est, contendere in hujusmodi inquisitione vel quae ipsi notissima apud eruditos fama eleganter commenti sunt hic exhibere, hominis esset plane inepti ac litteris et otio intemperanter abutentis. Dolemus etiamnum tot praestantes ingenio viros, quorum in philosophia foetus et uberrimi et utiles magnopere existere potuissent, in ea tempora incidisse, quibus in eadem peccata litteratorum hominum multitudine consentiente, pulcherrima omnium scientia et disciplina in situ et squallore jacere coacta est, ita sane ut eandem sapientius fuerit nescire quam scire. Horrida certe auditu sunt vel ipsa nomina trivii et quadrivii (2), quibus vehementer delectabantur ii, qui disciplinarum cultu maxime explendescebant. Eo *circulo,* ita enim vocabant, omnium rerum cognitionem concludi arbitrabantur, nec quidquam aliud extra ipsum reperiri, quod hominum ingenia aut allicere aut excolere posset. In quo sane negotio mirari satis non possumus eorum hominum inscitiam, qui cum in dialectica, quae ad philosophiam praeparatio habebatur, magno studio summaque animi contentione versarentur, philosophiae ipsius sacra adyta minime deinde ingrediebantur, immo in ipsa rationalis scientiae inquisitione, inter pueriles et infrugiferas quaestiunculas impliciti, nullam solidam et eminentem philosophiae imaginem sectari poterant. Nec vero felicius actum est cum sequentium aetatum philosophis; et dum saeculi decimi teterrimam memoriam usurpamus, aliquid esse intelligimus quod antiquioribus illis gratulemur, qui saltem intra suum illum septem artium liberalium circulum colludentes, ingeniorum pabulo aliquo uti fortasse poterant.

(1) *Historiae criticae philosophiae,* period. II, part. 2, lib. II, cap. 2 *De philosophia christiana occiden.*

(2) Trivium, ut notum est, inferiores artes et minus nobiles, grammaticam nempe, rhetoricam et dialecticam. Quadrivium autem excellentiores alias et nobiliores, nimirum musicam, arithmeticam, geometriam et astronomiam complectebatur. De hac partitione Johannes Sarisberiensis *Metalog.* lib. I, cap. XII, pag. 758: « Sed cum artium multa sint genera, ingenio philosophantis animi primae omnium liberales occurrunt. Hae quidem omnes aut trivii aut quadrivii ratione clauduntur, et tantam dicunt obtinuisse efficaciam apud majores, qui eis diligenter institerant, ut omnem aperirent lectionem, ad omnia intellectum erigerent et omnium quaestionum, quae probari possunt, difficultatem sufficeret enodare. Neque enim doctore egebant in aperiendis libris aut quaestionibus dissolvendis hi, quibus aut ratio trivii omnium sermonum aut quadrivii lex totius naturae secreta exponebat ».

At in ea, de qua loquimur, aetate nullum philosophiae caeterisque bonis artibus relictum domicilium, nisi apud paucissimos quos rarissimas aves jure dixisses. Notissima est rhemensis synodi querela apud immortalem Baronium (1), qua intelligimus ut ipsa urbe Roma, nempe veteri illo optimarum artium mercatu, vix ullum per id tempus fuisse, qui analphabetus non esset. Itaque jure reprehendimus Carolum Sigonium, qui libro septimo *De Regno Italiae,* cap. 178, litterariae reipublicae faciem sub Othone primo suis expressam coloribus arbitratur, dum ita scribit: *Litterarum ea aetate studia ferme nulla, nisi philosophiae ac theologiae.* Quasi vero illustriores disciplinas sinu suo minime contineant ac foveant philosophia et theologia, quibus scientiarum omnium cultus et splendor tamquam legitimis parentibus referendus est acceptus. Revera autem eas omnino pene interiisse satis declaratur illorum temporum monumentis, quae collegit Jacobus Thomasius (2). Iidem illi, qui in doctrinarum cultu praestantissimi habebantur, sola dialectica contenti erant ita sane ut in ejus gyris et meandris libenter consenescerent; quemadmodum testatus est Joannes Sarisberiensis, qui lepide eos homines *in puerilibus academicos senes* appellat (3). Quamquam vero prostrata jaceret per ea tempora philosophia, ab iis tamen tricis, nugis ac perpetuis contentionibus hominum bonas horas male in dialectica locantium arbitrantur complures profecta esse et alta philosophiae scholasticae femina, quae sequentibus aetatibus adolescere et ingens sumere incrementum contigit. Sed nihil adhuc verae felicitatis huic disciplinae caeterisque accedere potuit; nam et tenebris densioribus sinceram ac nativam philosophandi rationem circumseptam videmus et, quod magnopere dolendum est, philosophiae ipsius vitia manarunt etiam ad theologiam, magno sane purioris religionis detrimento. Notior est, quam ut hic exponi debeat, Berengarii controversia, quae, saeculo undecimo ad finem properante, tot egregios et optime de religione meritos ad pugnandum excitavit. Roscellinus quoque, qui nominalium parens habetur, novis vocabulis invectis venerandam mysterii Trinitatis simplicitatem temeravit, quin fortasse convellere conatus est, ut ex Anselmo Cantuariensi intelligimus, qui *De fide Trinitatis* contra ipsum scripsit. Et hi quidem aliique eorum similes haec vulnera fidei intulerunt, arma ministrante ipsa, quam deperibant, captiosa dialectica et ad animum bene informandum minime apta. Quae proxime secuta est aetas meliora certe non tulit philosophantium ingenia; ut enim de caeteris taceam, omnibus profecto adhuc est in ore Petrus Abaleardus, qui saeculo XII initia suo illo intemperanti dialecticae studio male auspicatus est; et ita sane, ut non ipse modo sed et ejus discipulus Arnaldus Brixiensis turpiter in fide erraverit; atque idcirco acrem quidem sed justissimum reprehensorem habuerit Bernardum, egregium illum ascetam, qui suis laboribus pristinae integritati fidem restituit. Philosophia et theologia per haec tempora ea inter se cognatione continebantur, ut mala philosophia malam quoque theologiam Ecclesiae traderet eosque errare quodammodo cogeret, qui necessaria quadam temperantia uti aut nesciebant aut non poterant. Certe si Gilberti Porretani eadem aetate ac sequente Almarici et Davidis de Dinanto historias memoria repetamus, comperiemus sane gravissimi morbi causam in ipsa scholastica philosophia totam esse investigandam. Itaque de remedio eidem adhibendo opportune tandem cogitatum; et ineunte saeculo XIII in conventu senonensi Lutetiae Parisiorum habito anno

(1) Ad annum DCCCCLXXXXII, *n.* 25.
(2) *Obs. Ital. Lat.,* t. I, obs. IV, pag. 41; t. V, obs. XVIII, pag. 46.
(3) *Metalog.,* lib. II, c. VII, pag. 797.

MCCIX tum Almarici atque Dinantis errores proscripti sunt, tum vetitum ne libri Aristotelis *De phisica et metaphisica* explicarentur, quod in his errorum fons esse videretur. Gravate hanc legem tulerunt complures, qui philosophiae scholasticae studio vehementius efferebantur; et hinc ad annum MCCXV Robertus, Apostolicae Sedis legatus, legis severitatem tantisper emollire visus est multoque etiam magis decreto suo Gregorius IX ad annum MCCXXXI, quorum quidem omnium, prout gesta sunt, seriem exhibet Joannes Launojus in libello, qui inscribitur: *De varia Aristotelis in academia parisiensi fortuna.*

II. Sed quemadmodum impotens hoc erga Aristotelem studium parisiensem scholam occupavit vel maxime, ita nihil per leges sancitum contra eundem philosophum extra Gallias; reliquis nimirum scholis licuit ipsum in philosophia vel tradenda vel addiscenda tamquam optimum ducem sequi eumque etiam in deliciis habere. Quod quidem optime declarat, multitudinem philosophantium revera in Galliis domicilium habuisse, sed male quoque vel certe infelicius quam alibi, philosophantium turbam iis ferme solis in locis constitisse.

III. Tanta philosophiae apud Parisienses fama facile imposuit illorum temporum historiam scribentibus aliisque, qui deinde sequuti sunt. Vetus nimirum opinio fuit, quae postea ad omnes ferme manavit, Parisiis philosophiam tamquam in portu conquievisse, alibi gentium honorem vix eidem habitum. At nostrates et in primis bononiensis schola patienter hoc opinandi genus ferre non debent, et licet non aliis, utpote exteris et saepenumero pro se loquentibus, certe Muratorio succensebunt, qui philosophiam in bononiensi universitate, dum irneriana schola triumpharet, omnino conticuisse constanter affirmat (1). Rem ordimur cognitione dignissimam. Diximus jam in superioribus Aristotelem sacrorum principum imperio Parisiis excessisse; sed in Italia nostra litteratorum hominum societate ac consuetudine privatus non est; ex quo sane conjicere possumus in Aristotele errorum causam minime fuisse, verum in iis solum qui Aristotelem vel invitum et repugnantem ad haec et illa trahere nitebantur. Inter caetera, quae rem probant, caput certe est illud, quod de Aquinate memoriae est proditum, qui sane iisdem temporibus, quibus inter professores parisienses vel ipsum pene Aristotelis nomen usurpare criminis loco habebatur, illius philosophi doctrinam non modo hausit ipse magno studio, sed probantibus omnibus et in primis Romano Pontifice, exponere aggressus est; et egregii quidem laboris fructus ingentes percepit christiana respublica. Joannes Launojus tertiam Aristotelis fortunam in academia parisiensi recensens Alberti Magni et Thomae libertatem in hoc negotio vehementer miratur, quasi concilii senonensis lex et Gregorii IX decretum vix ipsis innotuisse videretur. Recusat equidem inobedientiae notam illis inurere; sed tamen hujus culpae suspicione par illud sanctissimum non satis prospere liberat et fortasse institutae a Launojo defensionis ratio parum Launojo ipsi probari potuit. Ipsum loquentem audiamus: *Veritas occultari non postulat, quin etiam occultata erubescit. Illud Alberti et Thomae factum accipiant alii quomodo voluerint, omnino meus erit, qui benignius accipiet. Ego interim hanc in partem interpretor, vel quod Albertus et Thomas alibi quam Lutetiae commentaria haec scripserint seque ab senonensis concilii decreto et ab imposita per Gregorium IX parisiensi academiae lege immunes crediderint; vel quod cum Lutetiae commentarentur, concilii decretam Gregoriique legem penitus ignoraverint. Non sum equidem nescius doctores illos potuisse ab Apostolica Sede*

(1) *Rer. Italic. Script.*, t. VI, pag. 922.

legendi Aristotelem commentandique veniam quaerere, sed quod quaesiverint, invenire me nusquam memini (1). At si vir doctissimus paullo diligentius iniisset rationem temporum, quibus haec contigerunt, facillime rem expedire potuisset intellexissetque leges illas in Aristotelem latas Galliarum fines minime praetergressas fuisse. Revera itaque Thomas alibi, scilicet in Italia nostra Aristotelis libros exposuit; quod animadversum etiam Brukero, qui miratur Launojum de nodo solvendo sollicitum esse, cum nullus re ipsa sit et constet quidem Albertum in Germania, Thomam in Italia per id temporis docuisse. Nam Ptolomaeus Lucensis (2), qui Thomae ipsius auditor fuit ejusque frui potuit dulcissima consuetudine, diserte affirmat ipsum post annum ab adepto Parisiis magisterio tertium in Italiam rediisse, ac Romae, non modo approbante imo petente Urbano IV, ut ego quidem recte mihi videor conjicere ex ipsius Ptolomaei narratione, inter plura alia eaque gravissima negotia, quibus incubuit, Aristoteli etiam meliorem vultum comparari studuisse. *Isto autem tempore, ait Lucensis, Frater Thomas tenens studium Romae quasi totam Aristotelis philosophiam sive naturalem sive moralem composuit, et in scriptum sive compendium redegit, sed praecipue ethicam et metaphysicam, quodam singulari et novo modo tradendi.* Cum autem constet, haec contigisse circa annum MCCLXII, nam annus magisterii Thomae tertius in hunc ferme incidit; illud etiam perspicuum esse debet nihil a Thoma Parisiis tentatum, quod sanctissimas leges philosophiam Aristotelis damnantes labefactare posset. Res est in comperto; nam universitati quidem parisiensi vix Aristotelem salutare licuit, saltem usque ad annum MCCCLXVI, qui initium facit quartae Aristotelis fortunae, ut eam Launojus appellat; et in Italia inter mitiora ingenia princeps ille philosophorum suo regno numquam dejectus est.

IV. Verum si quae urbs in Italia philosophiam coluit, haec nostra certe aliis antecellere visa est. Id equidem nunc contra invidos quosdam obtrectatores et in primis contra clarissimum Muratorium, qui hanc laudem academiae nostrae, fortasse tamen sine ullo malo dolo, eripuit, paullo diligentius demonstrare oportet (3). Principio autem constat, ante institutam irnerianam scholam, quae certe sua se vetustate commendat, floruisse in nostra civitate philosophiam et alia, quae vocant, artium studia. Hujus rei antiquus et idoneus testis habendus est Odofredus, a quo accepimus Irnerium, antequam ad leges explicandas accederet, philosophum hic et aliarum artium magistrum egisse. En ejus verba: *Primo coepit studium esse in civitate ista in artibus etc. Sed dominus Yrnerius dum doceret in artibus in civitate ista etc.* (leg. *Jus civil.*, Dig. *De justitia et jure). Debetis scire vos, domini, sicut nos fuimus instructi a nostris majoribus, quod dominus Yrnerius fuit primus, qui fuit ausus dirigere cor suum ad legem istam, nam dominus Yrnerius erat magister in artibus.* (Authent. *Qui res indictas*, C. *De Sacr. Eccles.)* Non igitur uni jurisprudentiae honos primo habitus a Bononiensibus. Et revera si quod antiqua monumenta declarant, ratione etiam firmandum sit; satis numquam intelligi poterit ipsam jurisprudentiae scholam philosophiae ope destitutam tantum sibi nominis et famae comparare potuisse. Si namque verum sit admirabilem esse disciplinarum omnium conjunctionem et seriem, ut aliae ex aliis nexae omnesque inter se aptae colligataeque sint; certe de philosophia dubitandum non est, quin omnium veluti

(1) Pag. 65.

(2) In *Historia Ecclesiastica*, cujus excerpta ad Thomam Aquinatem maxime spectantia exhibet OUDINUS, t. III, pag. 259 et seq.

(3) Loco citato.

parens sit, ad easque fundi ipsa debeat, non modo ne vix natae intereant, sed ut pabulum accipiant et incrementum sumant. Ac id quidem cum de omnibus bonis artibus dicendum est, tum vero in primis de medicina, cui ita philosophia opitulatur ut monstro similis sit medicus, qui artem profiteatur sine philosophiae cultu diligentiore, quo tamquam fundamento niti debet ejus disciplinae studium. Et hinc Fridericus II (l. III *Legum sicular.* tit. XXXIV apud Lindenbrogium *Cod. leg. antiq.*, pag. 808), cautum voluit ne quis ad medicinae studium accederet, nisi triennium in logica addiscenda consumpsisset [(1)]. Quoniam igitur inter omnes constat medicinae studium in nostra civitate per ea tempora floruisse, quod probatum etiam est, dum de medicinae professoribus sermo esset; illud quoque compertum fit philosophia scholam hanc nostram nec caruisse nec vero carere potuisse. Et quamquam fatendum est philosophiae aliarumque artium studia, aucto in immensum pene legum splendore, quasi minora quaedam sydera soli huic omnia illustranti cessisse, attamen neque ipsa interierunt unquam, neque ad miseriam et quemdam squallorem relicta fuerunt. Nam ut de multis taceam, qui non obscuri artium professores saeculo XII ad finem properante habiti sunt, praeclarum certe accipit schola nostra testimonium a Joannis Sarisberiensis magistro, qui post annum MCXXXVI Parisiis, ubi jam docere coeperat, Bononiam venit ut philosophiae praeceptis, institutisque magis abundaret. Audiamus iterum ipsum Sarisberiensem, qui, postquam sua studia Parisiis coepta descripsit, narrat se Alberico et Roberto magistris usum in dialectica, quos et in physicis claruisse dicit; ac deinde ita loquitur: *Haec pro tempore, quo illis adhaesi; nam postea unus eorum* (Albericus) *profectus Bononiam dedidicit quod docuerat, siquidem et reversus dedocuit.* Bononiensis igitur academia per antiquiora illa tempora philosophis non caruit; quae prima laus ipsi est tribuenda.

V. Sequitur altera, quae priori cumulum addit quaeque petenda est ex celebritate et praestantia philosophiae professorum, quibus pro temporum conditione exsplendescere potuit. Magnifica certe sunt verba, quibus Fridericus II bononienses professores affatur in celebri illa epistola, qua universitati nostrae commendatum voluit egregium suum illud munus librorum Aristotelis latine melius loquentium [(2)]. *Considerantes,* inquit, *quorum conspectibus quorumque judiciis operis coepti primitiae possent attentius deputari, ecce vobis potissima velut philosophiae praeclaris alumnis, de quorum pectoribus promtuaria plena fluunt libros aliquos, quos curiosum studium translatorum et lingua non potuit fidelis instruere, consulte providimus praesentandos vel destinandos.* At vero illud in primis ex his elicere facillimum est, tantam philosophiae famam, qua princeps ille optimarum artium cultor allici potuit, repente minime coepisse, ita sane ut natam et adultam momento pene temporis eam homines senserint. Quod in natura usuvenit ut res omnes incrementum paullatim sumant et magnae quidem ab exiguis proficiscantur principiis, id quoque in scientiarum cultu contigisse semper experiundo satis compertum fit; sunt enim industriae et naturae similes omnino progressus. Itaque summam philosophiae lucem, quae in oculos omnium facile tunc incurrere poterat, praecessit sane quaedam minor et praenuntia lux, quam auroram quamdam appellaveris. Et quoniam pertinet ad initia saeculi XIII laudata Friderici epistola, intelligimus profecto Bononiensibus eam philo-

(1) « Quia nunquam sciri potest scientia medicinae nisi de scientia logicali praescribatur, statuimus quod nullus studeat in medicinali scientia, nisi prius studeat ad minus triennio in scientia logicali etc. ».

(2) Integra epistola Imperatoris habetur in opere epistolico Petri de Vineis, qui tum erat Caesaris cancellarius. Eamdem dabimus in Appendice.

sophiam, quae optima per ea tempora haberi posset, minime defuisse saeculo etiam XII labente; quod certe non exiguum confert in academiam nostram ornamentum; quae si non philosophantium multitudine parisiensi praestare potuit, eamdem certe vicit delectu eorumdem et tradendae disciplinae ratione.

VI. Si vera tamen tacenda non sint, parum adhuc utilitatis ex Bononiensium diligentiore studio philosophia tulit, quae adhuc inter inanes subtilitates implicita caput efferre non potuit. Damus id libenter Brukero, qui pluribus hanc philosophiae vicem dolet. At non aeque facile eidem dabimus puram putamque philosophiam Aristotelis ex arabicis versionibus haustam omnes ad unam academias in Europa institutas occupasse; quod ipse recitata Friderici epistola confidenter omnino affirmat, praesertim de bononiensi hac nostra. Priora ipsi et puppis est duumvirûm clarissimorum Josephi Scaligeri (1) et Joannis Seldeni auctoritas (2), quorum uterque statuit solas versiones ex arabicis fontibus profectas Italiae nostrae innotuisse, easque vel invitam sequi debuisse usque ad saeculum XV, quo, Costantinopoli capta, complures doctrina praestantes Graeci in Italiam tamquam in portum se recipientes nostratium ingenia ad graecae linguae studium capessendum excitarunt ac nativos Aristotelis philosophiae fontes adire docuerunt. Fuit etiam haec incomparabilis Hermanni Conringii opinio (Dissert. III, *De antiq. academ. et supplem. LII)*. Mihi equidem vel haec ipsa immortalium virorum nomina silentium imperare possent; sed tamen est quaedam laus cum magnis contendisse. Est igitur in primis aliquid in laudatis Friderici literis, ad quod summos illos viros provocare possim et afferenda quidem sunt verba ipsa, ut facilius elicere possimus quod verum videtur, aut quod ad illud quam proxime accedit. *Compilationes*, inquit, *ab Aristotele aliisque philosophis sub graecis arabicisque vocabulis antiquitus editae in sermocinalibus et mathematicis disciplinis nostris aliquando sensibus occurrerunt; quas adhuc originalium dictionum ordinatione consertas et vetustarum vestium, quas eis aetas prima concesserat, operimento contectas vel hominis defectus aut operis ad latinae linguae notitiam non perduxit. Volentes igitur ut veneranda tantorum operum authoritas apud nos non absque commodis communibus vocis organo traduce innotescat, ea per viros lectos et in utriusque linguae prolatione peritos instanter jussimus verborum fideliter servata virginitate transferri.* Nisi mirifice fallor, ipsa orationis hujus series deliberationem omnem aufert. Si enim fides narranti rem voluntate sua gestam ac testanti sibi eam susceptam curam ut latinae philosophorum versiones ad archetypon singulae expenderentur; profecto alterutrum affirmare cogimur, nimirum aut Friderico ignotum, graece scripsisse Aristotelem, quod equidem absurdum, aut revera philosophum illum latine ex graeco redditum. Dum igitur graecos et arabicos philosophos nominat utrosque sua lingua loquentes intelligit; et dum ad gravissimum hunc laborem sustinendum *viros lectos et in utriusque linguae prolatione peritos* advocasse testatur, eos nobis exhibet, qui graece et latine, eos deinde, qui latine item et arabice scirent. Quoniam vero principii loco, ut arbitror, habendum est, Aristotelem omnium iis temporibus quoddam veluti delicium fuisse, suspicari sane non possumus cum hoc philosopho ita male et negligenter actum, ut cum graecos quorumdam philosophorum codices versaverint viri illi, in Aristotele restituendo solas arabum versiones conquisierint. Id sane ferre non debuisset Fridericus ipse, optimus totius negotii judex; et vero Bononienses magnam gratiam pro munere habere non potuissent; se enim oneratos potius quam muneratos in tanta Aristotelis ex arabico versionum copia

(1) Epist. 362.

(2) *Origin. Alex.*, pag. 156.

intellexissent. Conringii acumen hic suspicio, qui opinionem suam firmare aggressus supplemento LII ad Dissert. III *De antiquis academicis,* animadvertit de versione *Operis politici* Aristotelis, ne cogitatum quidem ab iis, quibus translationis labor a Friderico est imperatus; atque id ita factum arbitratur, quia hoc idem opus Arabes insalutatum praeteriissent. Commoveri hoc argumento quemlibet posse ingenue fateor et egomet quoque plurimum eidem tribuendum arbitrabar. Sed revera neque magnum illud est per se se; fieri enim potuit ut novi illi interpretes graecos libros Aristotelis transtulerint, illo alio relicto tamquam minus necessario, neque aliquid fortasse habet ponderis, si Fridericum ipsum de sua versione loquentem iterum audiamus: *Compilationes variae ab Aristotele aliisque philosophis sub graecis arabicisque vocabulis antiquitus editae in sermocinalibus et mathematicis disciplinis etc.* Non ausim equidem definire numerum librorum Aristotelis, quos adornari jussit Fridericus. Fortasse solos logicos et metaphysicos adjectis mathematicis; eos enim barbaro illo *Sermocinalium* vocabulo indicari mihi facile suadeo, cum per ea tempora philosophia omnis eo curriculo absolveretur; et logica quam *sermocinationem* etiamnum qui reliqui sunt ex veteri illa barbarie scholastici appellare solent, in quamdam metaphysicam esset conversa; quod supra jam diximus.

VII. Cur ergo hujusmodi versione tanto studio confecta nihil ferme utilitatis ad philosophiam manavit, quam adhuc in situ et squallore pristino jacuisse certum est? Novi equidem Brukerum hoc in primis niti argumento ut graecos fontes interpretibus illis minime patere potuisse fidenter pronunciet. Sed revera plures incidisse caussas vix dubito, cur versio fridericiana nihil aut parum certe opis attulerit hominibus nostris ad meliorem excolendam philosophiam. Principio crediderim viros illos, qui tantum laboris in eo opere posuerunt, jejunam nimis et pressius ad graecam originem adhaerescentem versionem promere voluisse; quod declarare videntur ipsa epistolae Friderici verba, quibus ad quamdam suae versionis commendationem testatur se *instanter* jussisse veneranda illa antiquitatis opera *verborum fideliter servata virginitate* transferri. Cum autem cuique linguae sua sit indoles, suum ingenium, profecto ea interpretandi ratio, quae verbum verbo reddat, quod interpretes indiserti solent, diligentiae quidem laudem aliquam habere potest sed minus fructuosa est, praesertim si fiat in gratiam eorum, quibus aut ignota sit parens illa lingua, ex qua versio proficisci debeat, vel certe non satis perspecta; quod infinitis pene exemplis, si res posceret, illustrare facile esset. Itaque mihi suadeo illo Friderici munere aut paucos uti potuisse, quod pauci graecas literas attingerent, aut saltem plebi philosophantium minimum illud profuisse, quod sacris illis adytis velut profani interdicerentur. Sed quamquam Fridericus interpretes suos ex multis delectos vocat, eosque magnae laudis testimonio apud Bononienses privatos noluit, attamen dum succurrit illorum temporum conditio, quibus sane vel mediocris bonarum artium cultus non exigua in laude ponebatur et infelici etiam in scientiis conatu ad praestantem gloriam quisque niti poterat, in id profecto adducor ut putem viros illos, etsi a multitudine avulsos, caespitasse aliquando in versione illa instruenda iisque aquam haesisse, ut est in proverbio. Hinc factum arbitror ut repente quidem lux aliqua philosophiae nostratibus affulserit et Dominici ac Francisci familiae in primis, quod affirmat Conringius, aliqua ejus usura frui potuerint; sed eamdem vix ortam tenebris iterum cadentibus oppressam et plane extinctam. Ita sane statuendum de hac re tota existimo, ut difficillimis iis temporibus academiam hanc nostram in philosophiae studio mala quidem aliarum sors vexaverit, sed ei tamen quodam uti privilegio licuerit.

VIII. Sed ad extenuandum adhuc illud versionum arabicarum imperium, cui Brukerius aliique academiam nostram omnino et semper paruisse vel invitam arbitrantur, juvat modo diligenter expendere labores ab Aquinate susceptos pro Aristotele vel restituendo vel ornando dum Romae esset apud Urbanum IV, circa annum MCCLXII. Dicemus in primis de ejus in graeca lingua vel peritia vel imperitia, etsi inquisitio hujusmodi a viris doctissimis ita sit jam praeoccupata, ut ad investigandum nihil amplius relictum videatur. Fuerunt qui Thomam graecas literas calluisse, alii, qui eas penitus ignorasse, alii, qui iisdem leviter adspersum arbitrati sunt. Hos omnes recenset diligentissime nuperrimus idemque doctissimus scriptor Bernardus de Rubeis (1), atque, ut est ingenuus aeque ac doctrina praestans, Angelico suo eam in hoc studio gloriam vindicat; quae si vera omnino dijudicanda non sit, probabili tamen nitatur fundamento. Constat saltem bene de graecis fontibus ipsum meruisse, ad quos si minime accessit ipse, usus tamen est commode eorum opera atque industria, quibus iidem facile patere poterant. Equidem dum Thomas ipse in epistola ad Annibaldum Cardinalem loquens de suo opere *continuo* in quatuor Evangelia candide fatetur, se expositiones doctorum graecorum in latinum fecisse transferri, id quaestionem definire per se se potest, unaque si quid sentio declarat perspectum ipsi fuisse meliores optari debuisse latinas versiones scriptorum graecorum; quod quidem vel maxime agnovit de latina, quae tunc extabat, homiliarum Chrysostomi. Scribens enim ad Urbanum, *Interdum,* inquit, *sensum posui, verba dimisi praecipue in homiliario Chrysostomi propter hoc, quod est translatio vitiosa.* Itaque si hoc ejus judicium de ecclesiasticis scriptoribus; cum simile aliud ferre non potuit de Aristotelis versionibus, ita sane ut saracenicis, quae circumferebantur, tamquam vile mancipium servire coactus minime fuerit? Potuit vitia agnoscere versionum, quae ad res ecclesiasticas pertinebant; ne suspicari quidem de iis, quibus abundabant Aristotelis versiones? Potuit eorum opem implorare, quos graecarum literarum notitia commendaret, ut morbis latinarum versionum mederetur in ecclesiasticis disciplinis; non potuit de eodem remedio cogitare ad restituendam vel aliqua ex parte instaurandam Aristotelis philosophiam? Apage nugas, quibus magnopere indulget Brukerus, ut adamatam semel opinionem deserere non cogatur. At revera Thomas graecum Aristotelem expetivit, atque ad eum adiit interprete usus, qui graece sciret. An vero is fuerit Thomas Cantimpratanus, ut plures arbitrantur, an Willelmus Brabantinus, ut putat Jacobus Echardus (2), an alius quispiam, illud est quod ad disputandum relinquitur. Sed cum certum esse putem, hominem graeci sermonis gnarum ad opus moliendum accessisse, minime iis assentior, qui Thomam Cantimpratensem Aristotelis interpretem inducunt; ipsum enim etsi variis disciplinis eruditum graecas tamen literas didicisse non constat, tum studiorum tum librorum quos edidit inspecta serie, quam diligenter recenset idem Jacobus Echardus. Nec Trithemii (3) auctoritas valde commovere nos potest; nam rumore quodam niti se affirmat, dum versionis Aristotelis huic Thomae tribuit, quod Brukerus etiam animadvertit. Equidem Willelmum graece scivisse, dubitare non possumus; praeclarum enim hujus rei testimonium suppeditant acta concilii lugdunensis, anno MCCLXXIV sub Gregorio X celebrati (4). Ejus autem studio, petente Angelico,

(1) *Dissert. critic. in s. Thomam Aquinatem,* XXX, cap. III.

(2) *Scriptor. Ord. Praedic.,* t. I, pag. 390.

(3) *Catal. Script. Ecclesiasticor.,* col. 469, pag. 117. Hunc secuti sunt inter alios CONRINGIUS, *Introduc. in Polit. Aristot.,* cap. IX, et FABRICIUS, *Biblioth. Graec.,* vol. II, pag. 172.

(4) « Eodem anno MCCLXXIV mense Junii, die XXVIII in vigilia Apostolorum Petri et Pauli dominus Papa celebravit missam in majori ecclesia s. Joannis Lu-

prodiisse versionum omnium librorum Aristotelis, compertum fieri videtur ex incerti auctoris chronicis slavicis apud Lindenbrogium *(Scriptor. Septentrion. ex edit. Joan. Alb. Fabricii, pag. 206)*, ubi haec legimus: *Anno Domini MCCLXXIII Willelmus de Brabantia Ordinis Praedicatorum transtulit omnes libros Aristotelis de graeco in latinum verbum e verbo, qua translatione scholares adhuc hodierna die utuntur in scholis, ad instantiam sancti Thomae de Aquino doctoris.* Echardus ita constanter putat, hunc Willelmum omnes Aristotelis libros transtulisse, ut dum eorum seriem percensere instituit, praemoneat libros quidem omnes Aristotelis per eundem latine versos et singulos minime exhiberi posse, quod non suppetant ejus aevi codices omnes, qui rem declarent, nec eos ex abditis ac pulverulentis bibliothecis promere liceat. Sed neque chronici illius auctoritas, neque doctissimi viri sententia tantum apud me possunt, ut omnino mihi persuadeam Thomam Aquinatem Willelmo interprete revera usum esse. Et principio quod ad chronicon spectat, vix ante laudata verba haec legimus *(§ Corpus Christi). Anno Domini MCCLXVII institutum est festum Corporis Christi per Urbanum Papam IV ad petitionem Thomae de Aquino doctoris Ordinis Praedicatorum, qui tunc floruit.* Sed hujus festivitatis exordia certe non attulit hic annus, cum jam vita functus esset Urbanus, cui tamen praeclarum hoc munus Ecclesia refert acceptum. Igitur auctori chronici parum fidendum, qui cum scriberet saeculo XV, vetera ignoravit. Quod vero pertinet ad doctissimum Echardum, optassem equidem ut posito pignore pro sua opinione pugnasset. At per Willelmum de Moerbeka Aristotelis libros, Thoma hortante et petente, latino sermone donatos mihi equidem suadere haud satis scio. Primum enim integram versionem operum Aristotelis ab eo susceptam minime constare poterit, sed quaedam tantummodo per intervalla temporum fuisse translata. Et quamquam Echardus codices proferat, in quibus libri per Willelmum versi *de nova translatione* dicuntur, attamen non ita late hoc loquendi genus patere cogitandum est, ut omnes illius philosophi libros, sed, ut ego quidem arbitror, solos ethicorum revera complectatur. Itaque dum idem clarissimus auctor scripta ipsius Willelmi percensere aggreditur, eorum quidem seriem sic orditur: *Libri omnes Aristotelis e graeco latine versi instante Sancto, sed tum Frater Thoma de Aquino.* At ad rem probandam sufficere arbitratur binos codices produxisse, alterum parisiensem in Navarra, alterum apud Augustinos ad *Pontem novum,* in quibus libri iidem, nempe ethicorum, exhibentur. Sequitur deinde series aliarum translationum Simplicii, Diadochi Tyrii, Galeni, Hippocratis aliorumque; quod quidem potius declarat, multum quidem laboris et temporis in tot philosophorum libris vertendis, parum vero in Aristotele Willelmum collocare potuisse. Praeterea cum, affirmante ipso Echardo, Willelmus in Graeciam, tamquam ad bonarum artium sedem, se contulerit ante annum MCCLXVIII, quo apud Clementem IV Viterbii fuisse constat, nescio equidem an prospere satis componi possint tempora, quibus ad Thomae Aquinatis preces operosam translationem moliri

gdunensis, existentibus ibidem omnibus cardinalibus et praelatis, qui ad concilium fuerant evocati: lecta est epistola in latino et graeco et cantatum est evangelium per dominum Orthobonum in latino et quemdam diaconum Graecorum in habitu, in quo Graeci solent cantare in graeco post eum. Quibus dictis Frater Bonaventura fecit sermonem suum usque in finem. Postea vero cantatum est Symbolum, scilicet *Credo in unum Deum*, in latino incipientibus dominis cardinalibus et episcopis, qui sicut cantores seu primicerii, tenuerunt chorum in cantu et prosequentibus canonicis ejusdem ecclesiae. Post hoc vero immediate praedictus patriarcha (Gregorius) cum omnibus graecis archiepiscopis de Calabria et Frater W. de Morbecca de ordine Fratrum Praedicatorum et Frater Joannes de Costantinopoli de ordine Fratrum Minorum, poenitentiarii domini Papae, qui linguam graecam noverant, cantaverunt solemniter et alta voce praedictum Symbolum, et quando ventum est ad articulum illum, *Qui ex Patre, Filiorum procedit,* solemniter et devote ter cantaverunt ». Videsis *Acta Concil. Gen.*, t. XI, col. 958.

potuit. Graeciam adiit linguae grecae addiscendae desiderio vel maxime elatus. Itaque brevi temporis intervallo graecum ita factum nullus existimaverit, ut tanto operi manum admovere posset jam ab anno MCCLXII, quo tempore usum esse Thomam Willelmi laboribus in restituendo Aristotele affirmat Echardus. Et revera per id temporis indiguisse Aquinatem versione operum Aristotelis, satis patere posse arbitror ex iis, quae ex Lucensi supra protulimus; compertum enim fit Thomam circa Urbani tempora philosophiam Aristotelis nova illa methodo illustrasse atque idcirco non confugisse ad Willelmum, qui revera aut paucissimos libros Aristotelis transtulit, aut certe longiori post tempore omnes vertere est aggressus, si fides auctori chronici, in quo assignatur annus MCCLXXIII. Rebus sic constitutis, crediderim ego Thomam Romae commorantem apud Urbanum amicorum, qui praesto erant, vel certe magna locorum intercapedine minime disjungebantur, industria usum esse; et quando ipse quoque a graeca eruditione imparatus omnino non erat, verisimile fit suam quoque in hanc rem symbolam contulisse. Fortasse etiam non novam plane versionem comparari studuit, quod longioris temporis moram postulasset; sed fridericianae versioni, quam tum interiisse haud putaverim, curis diligentioribus ornandae incubuit, quae quidem omnia divinando statuimus, cum in quadam versemur nocte nec veteribus monumentis res definiri possit.

IX. Quoniam vero mathematicae disciplinae numquam a philosophia avulsae sunt, aut certe avelli non debuerunt; pauca modo de earumdem cultoribus loquemur. Sed omnes equidem norunt, infelicium temporum infeliciores philosophos eas vel non attigisse, vel certe in excolenda philosophia earum adjumento, quod ingens sane fuisset, uti aut non potuisse aut noluisse. Qui mathesis historiam scripserunt, inter quos nuperrimus idemque accuratissimus Montucla, dolent omnes pulcherrimam disciplinam pessime habitam fuisse per ea tempora, quibus in gravioribus scientiis pueriliter omnino nugabantur homines. Et vero saeculis XI, XII, XIII paucissimos reperies, qui mathesim coluerint ad aliquem posterorum fructum, eosdemque certe nobilissimae artis cognitionem cum philosophia non conjunxisse constat. Certe inter mathematicas res princeps locus astrologiae datus est; at ejusdem perdiscendae medicorum in primis cura fuit, quemadmodum ad medicinae professores dictum est. Astrologiae lectionem in scholis nostris fortasse omnium primus obtinuit Franciscus Asculanus. Sed antequam eadem rite, ut ita dicam, instituta fuerit, dubium non est, quin alii plures ejus artis praecepta tradiderint, quam tantopere ad medicinae cultum utiliorem conducere arbitrabantur. Et ille ipse astrologorum suae aetatis princeps Guido Bonattus, cujus ineptissimos libros de judiciis stellarum typis editos habemus, longiori tempore Bononiae versatus esse videtur; peritissimum enim rerum nostrarum in iis libris se se prodit; et fuisse aliquos ex Bonattis foroliviensibus, qua ex gente Guido natus est qui Bononiae mercaturam facerent Guidonis ipsius aetate, compertum fit ex tabulis publicis nostrae civitatis. Sed fatendum tamen est astrologiae nomine non illam solum ludicram ac fallacissimam artem, quae judiciis astrorum continebatur, intellexisse majores nostros; sed omnem doctrinam rerum caelestium motuumque astrorum cognitionem (1), quam nunc astronomiae nomine appellamus, quaeque astrologia etiam recte dici posset, nisi vanissimae et execratae artis professio, quae astrologorum dicebatur, invisum plane hoc nomen reddidisset. Et sane

(1) Etiam Guido ipse Bonattus astrologorum impudentissimus, ita astrologiam definit: « Astrologia est scientia, quae cursus syderum, et habitudines stellarum circa se et circa terram indagabili ratione perquirit ». Guido Bonattus, *Introduct. ad judicia stellarum,* lib. I, c. 14.

ne illa ipsa quidem astrologia judiciaria sine verae astronomiae principiis consistere poterat; quis enim ex conjunctionibus et aspectibus astrorum quidquam se elicere posse putasset, qui superiorem hujus mundi constitutionem et sphaerae elementa satis non teneret, sine quibus nec motus nec conjunctiones nec oppositiones astrorum ullo modo intelligeret? Hinc factum est ut statim ac prodiit expositio sphaerae Joannis de Halifax, sive de Sacro Bosco, qui floruit cum Jordano Nemorario circa anno MCCXXX, eam omnes magno studio arripuerint eamdemque summa consensione in scholis legere et commentariis illustrare aggressi sint. Id omnium fortasse primus in academia nostra praestitit Franciscus Asculanus, qui ita ad scholae usum sphaeram Joannis a Sacro Bosco accommodavit, ut multo majorem operam impenderit suis nugis astrologicis exponendis quam interpretandis sphaerae elementis, quae Joannes a Sacro Bosco tradiderat. Sub idem tempus tractatum de sphaera Bononiae edidit magister quidam Bartholomaeus, in quo ad sphaerae doctrinam tam multa adjecit de astrorum influxibus deque judiciis, quae ex eorum conjunctionibus et oppositionibus proficisci arbitrabatur, ut haec pars sit praecipua ejus longissimi tractatus, qui manu exaratus extat in codice membranaceo bibliothecae S. Crucis in Jerusalem, ac dicitur scriptus anno MCCLXXXXIII (1). Ecquis iste Bartholomaeus fuerit compertum satis non est. Non putaverim tamen eumdem fuisse cum Bartholomaeo Varignana, etsi hunc in antiquis libris non alio quam magistri Bartholomaei nomine ferme semper appellatum videamus. Probabile non est virum hunc sua aetate summum, qui cum Thaddaeo Alderotto de primatu contendere videbatur quique totus erat in interpretandis veterum medicorum libris, sua studia dimisisse ut de sphaera scriberet. Si conjecturis locum esse velimus, arbitror ego hunc astrologiae professorem, qui saeculo XIII in academia nostra floruit, non alium esse a Bartholomaeo illo, cujus etiam *Flores grammatici* extant inediti apud clarissimum Trombellum, qui codicem mecum humanissime communicavit. Quoniam enim professores artium liberalium, ut vocabantur, non eas solum, quas humaniores dicimus, sed etiam difficiliores alias gravioresque quandoque docebant, verisimile judico hunc ipsum Bartholomaeum jejuna et puerili suae grammaticae arte minime contentum, quamquam in hac excellere putaretur, quam qui maxime ad astrologiam quoque animum convertisse, ut ex ea majorem sibi famam compararet. Sed tum de ipso, tum de ejus in grammatica tradenda laboribus sermo erit, dum de humaniorum litterarum professoribus disseremus. Astrologis saeculi XIII jure accensendum etiam puto magistrum Joannem de Luna, qui initio saeculi XIV adlectus fuit astrologus populi bononiensis (2). Igitur oportet illum, multo ante in ea facultate versatum, non vulgare peritiae suae specimen dedisse.

X. Sed et geometriae atque aritmethicae aliquis honos a nostris est habitus pro temporum conditione. Nam praeter alios qui fortasse numerorum scientiam professi sunt, eam certe docuit quidam magister Joannes, cujus extat adhuc testamentum in tabulis publicis nostrae civitatis (3). Quoniam vero notum satis est artem hanc infinitis pene mysteriis abundasse, ita sane ut de quadam divinitate arithmeticae professores non secus

(1) « Tractatus de sphaera, compilatus a magistro Bartholomeo, partim de suo partim de alieno, in Bononia, anno Domini MCCLXXXXII, indict. II ». Est in Cod. 379.

(2) « Anno MCCCIII. Item providerunt .... quod Ponterii pontis Idicis Reni teneantur omni anno, in festo s. Marie Augusti, mittere magistro Joanni de Luca astrologo et artis fixice professori, VI corbas frumenti .... et hoc cum dictus magister Joannes in factis Communis Bononiae semper vigil fuerit et attentus, et multos labores sostinuerit, intendat circa honorem, et statum Communis populi bonon. ». Ex *Lib. Reform. Com. Bon.* ejus anni.

(3) « Magister Johannes quondam magistri Petri de Abaco etc. ». Ex *Memorialibus* ad annum MCCLXXIX.

ac astrologiae gloriarentur, probabile censeo academiae nostrae hujus scientiae cultores non defuisse, ex qua tantum honoris et famae apud ignarum vulgus captare possent. Ad geometriam vero quod pertinet, indicare solum possumus quemdam magistrum Guizzardum, cujus est apud Thomasinum geometria cum recollectis magistri Bartholomaei (1). Hunc censeo diversum non esse a Bartholomaeo illo grammatico et astrologo, de quo paullo superius mentio incidit. Geometria haec scripta dicitur anno MCCCIV et uterque bononiensis etiam dicitur (2). Porro codex trombellianus scriptus certissime videtur aut sub finem saeculi XIII, aut certe sub initia sequentis, et praeterea ad calcem ejusdem Bartholomaeus, auctor *Florum grammaticae* tum bononiensis, tum frater Guizzardi vocatur. Conveniunt itaque mirifice aetas, patria et nomina horum professorum, qui, nisi magnopere fallor, iidem plane esse debent. Sed jam agendum de singulis philosophiae professoribus; enormior enim videbitur prologus quam fabula.

I.

ALBERICUS.

I. Hominem hunc Parisiis Bononiam venisse, jam dictum est; et eo quidem consilio ut professores nostros veteranus jam ipse professor audiret, eorumque doctrina proficeret. Nihil sane illustrius academiae nostrae evenire potuit, quae inter suos parisiensem hunc philosophum vidit longioris itineris pretium hic expectantem, eumdemque ab ipso pene philosophiae domicilio ad nos profectum. Itaque dolere non possumus philosophiae professorum aut raritatem aut inopiam, cum nullam hanc revera fuisse, vel hoc solo monimento constare possit.

II. Albericum nostrum confundit Brukerus (3) cum Alberico alio, qui anno MCXXXVI ad episcopatum bituricensem assumptus fuit (4). Ratus unum eumdemque esse hominem, plura invicem jungit, quae revera a conjunctione vel maxime abhorrent. Itaque sine ulla erroris suspicione affirmat Albericum, cujus in disciplinam se tradidit Sarisberiensis, aemulum fuisse Abaelardi, hunc tamquam violatae religionis reum in concilio suessionensi accusasse (5) et tandem, quod jamdiu exoptaverat, ejus locum et famam in tradenda philosophia occupasse. Sed constat revera inter utrumque Albericum aliquam temporum, magnam vero dignitatis discrepantiam fuisse, nec in unum eumdemque cadere posse, quae ex Sarisberiensi de se ac de Alberto suo tradita litteris accepimus. Testatur namque se adolescentem admodum in Gallias commigrasse anno altero post obitum Henrici Anglorum Regis et peripateticum palatinum, nempe Abaelardum, ut ex ipso Sarisberiensi recte demonstrat Brukerus, philosophiae praeceptorem in ipso studiorum exordio habuisse. Porro alter ille annus ab excessu Henrici incidit certissime in annum MCXXXVI, idemque attulit initium splendidae dignitatis, qua auctus fuit

(1) *Bibliotheca Veneta*, pag. 18.

(2) « Geometria magistri Guizzardi bononiensis cum recollectis magistri Bartholomei bononiensis, scripta anno MCCCIV ». Ex eodem Thomasino, loc. cit.

(3) T. III, pag. 742 et 755 in *Abaelardi vita*.

(4) Vide *Gallia Christiana*, t. II, pag. 49 et 50. « Hic Albericus fuit Anselmi Laudunensis discipulus, condiscipulus etiam Petri Abaelardi sub disciplina Guilielmi de Campellis, episcopo Catalaunensis. Obiit anno MCXXXXI ». Ex Mabillonio in *Notis ad epist. XIII Bernardi*.

(5) « Concilium hoc coactum fuit circa ann. MCXX, praesidente eidem Conone Praenestino, Sedis Apostolicae Legato ». *Concil.*, t. XII, pag. 1321, edit. venet.

Albericus, qui in concilio suessionensi strenue pugnaverat contra Abaelardi errores. Cum autem post repentinum Abaelardi discessum, qui forte adscribendus est eidem anno, vel certe proxime sequentibus, Sarisberiensis usus sit Alberico doctore, compertum sane fieri arbitror alium hunc esse ab eo, quem Abaelardus sibi valde infensum dolet epistola prima, quae suarum calamitatum historiam continet (1). Omnibus igitur, quae minus recte inter se commisit Brukerus, sua dispertienda sunt tempora, ne quid erroris obrepat. In duplici patrum conventu Abaelardus causam suam infelicibus auspiciis oravit, nempe in suessionensi circa annum MCXX, ut diximus. Deinde anno MCXXXX in senonensi (2). In eorum primo, ad quem invitus accessit, Alberici archiepiscopi postmodum bituricensis viribus et doctrina victum se agnovit. In altero, quem cogi Abaelardus ipse ab archiepiscopo senonensi valde petiit, adversarium habuit Bernardum, ut etiam exoptaverat ne quid male praeconcepti triumphi gloriae postea deesset; omnium enim veris laudibus extollebatur egregii illius ascetae pietas et doctrina. Perseverasse inde a concilio suessionensi usque ad senonense inter Albericum et Abaelardum simultatum causas et modo recruduisse arbitratur Brukerus, qui de singulari Alberico opinionem semel in animo altius infixam deserere amplius non potuit. Sed Alberici illius, quem hostem eumque invictum tulit primo Abaelardus in concilio suessionensi nullae fuerunt vel exiguae partes; et praeterea ipsum e vita excessisse anno, qui proxime sequutus est post senonensem synodum, adstruit Mabillonius in notis ad laudatam epistolam tertiamdecimam Bernardi.

III. Jam ergo non dubitandum, quin Albericus Parvi magister ab Alberico bituricensi archiepiscopo alius omnino sit. De illius in philosophicis disciplinis fama et doctrina optimus et testis idem Joannes Sarisberiensis, cujus uberiorem locum ex *Metal. lib. II, cap. XIII,* jam produximus. Magnum ejus ingenium fuisse, magnam in philosophiae subtilioris studio operam ab eo positam, ex eodem scriptore scimus; sed idem meliora ac feliciora studia tanto tamque praeclaro ingenio defuisse dolet, cum in suis subtilioribus inventis facile conquiesceret, nec de solidiore physicae studio cogitare posset. Subdubitabat tamen de omnibus, ita ut nihil ei satis exploratum umquam videretur et pene nodum in scirpo quaereret. Quod sane, etsi vitiosum sit, dum intemperantia quadam in dubitando utimur; si tamen id fiat, dum animus idem errare semper cogitur, profecto perpetuam illam inconstantiam et cogitationum quamdam tempestatem felicitatis cujusdam loco ego statuam; adhuc enim mens retrahi potest ad veritatis studium et inquisitionem. Id Alberico, qui minutissimis et plerumque ineptissimis quaestiunculis longa consuetudine inter suos indulgere solitus fuerat, feliciter apud nos contigisse equidem non affirmaverim. Attamen cum constet ipsum huc venisse melioris philosophiae addiscendae studio, famam saltem de ea percrebuisse apud exteros dubitandum non est. Et vero, si conjecturis locum esse velimus, rem non improspere Alberico cessisse, nec bonas horas male omnino hic collocasse dijudicabimus; etsi Sarisberiensis aut contra sentiat, dum eorum postulat judicium, qui Albericum ante ejusdem discessum et iterum post reditum audierunt, aut saltem rem in ancipiti relinquat. Ut de caeteris taceam, quae jam superius disputata sunt, parisiensis certe hic professor fuit magno ingenii acumine et ad academiam nostram accessit studiis jam antea magnopere excultus. Quamobrem in magistri verba jurare certe non cogebatur, imo omnia inter se comparare facile poterat, ut meliora

(1) « Aemuli » inquit « mei vehementer accensi concilium (nempe svesionense) contra me congregaverunt, maxime duo illi antiqui insidiatores, Albericus scilicet et Lotulfus, qui jam defunctis magistris eorum et nostris, Guilielmo scilicet atque Anselmo, post eos quasi regnare se solos appetebant, atque etiam ipsis tamquam haeredes succedere ».

(2) *Concil.,* t. II, pag. 1527.

deinde judicia faceret. Albericum igitur infructuosam hic philosophiam dimisisse, saltem minus infrugiferam pro temporum conditione, nostros audiendo, didicisse verisimile est, quod profecto ad academiae nostrae gloriam vel vindicandam vel augendam plurimum conferre potest.

II.

MONETA CREMONENSIS.

I. Cremona, Insubrum nobilissima civitas et felix omni aevo ingeniorum parens, Moneta suo gloriari cumprimis potest, qui saeculo XIII pietatis et doctrinae laude magnopere excelluit. Eum agnomine internosci, non vero nomine, sunt qui arbitrantur (1). Et cum nostra hac etiam aetate Mediolani familia ejusdem nominis extet, quae etiam non incelebres viros pene proximis his temporibus tulerit, clarissimo Richinio (2) nominis similitudo conjecturae loco est familiam, ex qua Moneta hic noster est genitus, Mediolanum postea lares transtulisse. Cremonensium vel maxime hoc quoddam veluti fatum est, ut illustriorum civium doctrina alias civitates saepenumero impertiant, priventur etiam aliquando splendore familiarum, quibus civitatis principis domicilium ad majorem famam comparandam aptius videtur. Sed civitatis amplissimae gloriae haud magnopere illud obesse potest, cum novos semper hujusmodi foetus ex se promat neque ipsa ad quamdam miseriam et squalorem relinquatur. Si quae vero academia, haec certe nostra plurimum eidem debet; nam Bononia sinu suo excepit tot ejus alumnos, qui egregiis suis laboribus eamdem plurimum illustrarunt, quemadmodum ex cujusque disciplinae professorum serie intelligere licet. Et quidem nescio an ullus ex iis cum venerabili Moneta comparari possit, sive pietatis sive doctrinae consideratio suscipiatur. Utramque civitas haec admirari et utriusque etiam usura frui potuit; nam et in philosophia tradenda ipsum adhibuit non sine ubere fructu (3), et ad totius multitudinis exemplum vidit deinde christianam perfectionem inter Praedicatores recens institutos impense colere. Cum enim philosophia nostros imbueret magno totius academiae plausu et nihil ad summam gloriam ei deesse videretur, quodam die felici faustoque, Stephano protomartyri sacro, pene invitus et eorum, quos in philosophia erudiebat, importunis et longioribus precibus tandem victus, accessit ad majorem ecclesiam, in qua beatus Reginaldus magna populi frequentia divinas conciones habebat. Paucis ex eo auditis, confestim sibi aliam mentem injectam sensit cogitavitque de capessenda nova vitae ratione, quod et praestitit, ipso beato Regi-

(1) Clarissimus Mamachius, t. I *Annal. Praedicat.*, pag. 468, huic opinioni non assentitur et putat praenomen non nomen Monetae fuisse, propterea quod per eam aetatem Fratres Praedicatores potissimum suo praenomine vocarentur; adeoque Monetam Cremonensem dictum ab historicis, praetermissa appellatione gentis, quemadmodum recepta consuetudo ferebat.

(2) In vita Monetae, quae praefixa est Summae ejusdem contra Catharos et Waldenses.

(3) Veterum testimonia satis id suadent. In brevi Chronico Magistrorum Generalium Ordinis Praedicatorum, quod est ad calcem Constitutionum ejusdem Ordinis, haec leguntur: « Magister Moneta Religionem intravit famosissimus in toto orbe terrarum, qui Summam theologicam contra haereticos compilavit ». Galvaneus quoque Flamma in Chronico manuscripto servato in Bibliotheca Casanatensi § 26 sic de Moneta: « Eodem anno salutis MCCXIX magister Moneta, qui erat super omnes magistros mundi famosissimus, similiter intravit in Ordinem ». Et Antonius Senensis in Chronico ad annum MCCXXX: « Frater Moneta Cremonensis, qui tunc in artibus legens Bononiae per totam Lombardiam famosissimus erat, cum fuit a beato Reginaldo susceptus ad Ordinem, vir fuit ingenio excellens, doctrinae fama percelebris, non solum in saeculari sed in philosophia divina etc. ».

naldo opem ferente, anno MCCXX, ut conjicit clarissimus Jacobus Echardus in ejus vita (1). Nam per annum integrum ejusdem Reginaldi permissu extremae rerum suarum procurationi incubuit, ita tamen ut iisdem nihil admodum animo implicitus admirabiles in pietate progressus faceret aliosque ad virtutem magnopere excitaret. Inter praeclaros sanctioris disciplinae alumnos cooptatus, parem doctrinae exhibuit morum innocentiam; qua quidem capi plurimum potuit vel ipse novi instituti parens sanctissimus, qui, ut traditio est veteribus monimentis commendata, supremo vitae momento instante, paupere Monetae cellula et lectulo excipi se et illius etiam vestibus, propriis nimia jam vetustate attritis, indui non recusavit (2).

II. Sed novam, quam suscepit, vitae rationem novo etiam studiorum genere et magis ad eam accommodato ornatam voluit. Itaque, philosophia valere jussa, totum se sacris disciplinis addixit et quidem ita felici conatu, ut famam, quae de eo fuerat in philosophia, facile vinceret alia, quam in theologia sibi comparavit. Crediderim sane ipsum Bononiae inter Dominicanos suos commorantem sacras disciplinas nostris tradidisse, in quibus statim excellere visus est. Certe Leander Albertus id affirmat (3) additque exterorum etiam, atque in primis romanorum procerum concursum ad eum factum, ut admirabiles de theologia lectiones ex ejus ore exciperent. Quod rerum nostrarum scriptores affirmant, Monetam nimirum Parisios missum ad theologiam explicandam, id sane est quod testes antiquos desiderat. Et clarissimus Richinius quidem caeterique recentiores, apud quos nihil potest sola scribentium auctoritas antiquitatis praesidio destituta, de hac profectione aut nihil certi statuunt aut etiam omnino eliminant. Putant autem de Moneta traditum, quod de Rolando Cremonensi ejus aequali vere affirmandum erat, is enim et Parisios missus a beato Reginaldo, et ibidem magisterii honore in theologia est auctus. Itaque maximam vitae suae partem apud nos Moneta transegit, postquam novellae Praedicatorum familiae adscribi voluit. Et hic quidem egregium illud opus, quod *Summam* vocant, contra Catharos et Waldenses ab eo magna ex parte confectum vix dubito, cum ejusdem autographum haereditario quodam jure ad Dominicanos nostros transierit et solum post Leandri Alberti aetatem iniquo sane fato interierit (4).

III. At elaboratissimum opus, quantum quidem opinione augurari licet, immortalitatem jam tandem consecutum est, postquam laudati clarissimi Richinii studio et diligentia incomparabili ad fidem manuscripti bononiensis in primis et Vaticani, typis romanis jam ab anno MDCCXXXXIII editum est et ab eodem eruditissimis animadversionibus illustratum. Mihi vero opus idem legenti illud iterum occurrit nostrae huic academiae bonam philosophiam pro aetatis illius conditione non defuisse. Quoniam enim arctum

(1) « Festum s. Stephani MCCXVIII unicum est, quod Bononiae Reginaldus egit, ac proinde dies, quo in ejus manibus votum Ordinis amplectendi Moneta labiis suis distinxit; cum vero nonnisi post annum et amplius vestem induerit, recte id revoces ad quadragesimam circiter anni MCCXX ». *Script. Ord. Praedic.*, t. I, pag. 123.

(2) « In hujus lecto (Monetae nimirum) decubuit beatus Dominicus, quod ad Deum migravit, quia ipse lectum non habebat et in ejus tunica, quia beatus Pater cum qua mutaret aliam, praeter eam, quam diu portaverat, non habebat, ut ab ipso Frater Moneta narrante audivi ». Ex *Tractatu Ven. P. F. Stephani de Salancho Ord. Praedic.* apud TAEGIUM in Chronico quod extat manuscriptus in bibliotheca sanctae Mariae Gratiarum Mediolani.

(3) « Ea die, qua (Frater Moneta) Ordinem Praedicatorum ingressus est, bellum haereticis indixit tam acre ut nunquam jam fessus fuerit quin eos acriter urgendo expugnaret. Contra quos, et praecipue Catharos et Waldenses, volumen maximum confecit, quod Summa Monetae Cremonensis vocatur contra haereticos, cujus archetypus adhuc in nostra Bibliotheca cernitur, quo viri peritiam et eruditionem facile quisquis intueri potest. Fuit hic vir venerandus, magni consilii, fidei pugil egregius, maximis fulgens miraculis. Antequam sacris in Ordine nostro initiaretur, magnus extitit philosophus, postea maximus theologus ». *Histor.*, lib. V.

(4) Extat modo Apographum scriptum, ut putat Richinius, saeculo XIV jam inclinante.

inter eam et theologiam vinculum fuit, per ea vel maxime tempora, profecto ex ea, quae eminet in Monetae opere rerum satis prospera conjunctione, nativo argumentorum nexu et quadam etiam sermonis perspicuitate, conjicere facile possumus, ipsum in captiosa et fructu vacua philosophia minime innutritum fuisse. Igitur quod pluribus superius disputatum est, ex hoc ipso theologico Monetae opere confirmationem habet. Detur quoque hoc laudi praestantissimi hujus professoris, quod graeca penitus non ignoraverit, etsi revera in graecis quibusdam vocabulis explicandis minus prospere aliquando laborasse visus sit; quod praesertim apparet ex libro IV, cap. VI, ubi de exorcistatus ordine disputat (1). Virum hunc sapientissimum suaque aetate doctissimum obiisse putant scriptores nostri anno MCCXXXV. Sed errorem jure reprehendit laudatus Richinius, cum ex ejus Summa (lib. III, cap. II, § 2 et lib. V, cap. I, § 4) appareat certissime ipsum scripsisse post annum MCCXXXX. Idemque Richinius ex diuturna caecitate, qua post absolutum opus senex sanctissimus laboravit, recte conjicit ad medium usque saeculum XIII ipsum vitam produxisse.

IV. Hunc recensere inter philosophos placuit; philosophum enim egit antequam inter Praedicatores cooptaretur. Sed revera ex theologiae studio nomen immortalitatemque sibi comparavit; quamquam et commentaria in Aristotelis Logicam scripsisse dicatur. In ea quoque theologiae parte quae mores informat non mediocriter ipsum versatum oportet; et Leander Albertus quamdam etiam *Summam Casuum ei tribuit.* Extat in bibliotheca Patrum Conventualium Caesenae quaedam consultatio (2) habita per magistrum Monetam et Paganum, tum Fratres Albericum Placentinum et Bartholomaeum Bononiensem, quae pertinet ad contractum *Socidae,* ut vocabant. Hi quatuorviri ex Praedicatorum Ordine in consilium adhibiti censuerunt ab usurae vitio eum esse liberandum, qui agrorum cultori boves concedat, hac sancita lege ut salvae semper sibi sint tres partes eorumdem, si forte intereant, de quarta vero nihil prorsus molestiae rusticus patiatur. Vicissim vero dominus accipiat quotannis X *corbes* frumenti, quae habentur pro quarta parte totius, quod terra per boves subacta reddiderit. Et vero si vel angustior obveniat tritici messis, vel nulla plane ob eas causas, quas aut propulsare aut imminuere rusticus non potuerit, tum ex quarta illa parte detrahi sinat dominus, quod legitimum habebitur nihilque etiam sibi vindicet, si nihil fructuum perceptum fuerit. Denique fiat semper justa aestimatio laboris, quem in bobus custodiendis curandisque posuerit rusticus, tum etiam dispendii quod fecerit in gratiam eorum ac pro conducendis operibus, quibus ad excolendum agrum opus fuerit. Locus hic non est disputandi de hujus contractus justitia vel injustitia. Mihi tamen rem consideranti nihil in ipso reprehendendum occurrit, quod enim ob fundum in tres partes domino servatum minus justitiae consentaneum censeri posset, sarcire videtur alia conditio, quae est de quarta parte lucri ex boum ministerio profecta. Gratulandum itaque Monetae doctrinae in hac inquisitione, in qua certe per ea tempora theologi, ii etiam, qui vulgares minime habebantur aut cespitabant ipsi, aut morbo nimis multum effervescenti mederi non poterant, quod ejus remedia homines pati nescirent. Certe nostra hac aetate post egregios praestantium theologorum labores in re hac versanda et diligentissime perscrutanda, post querelas complurium indignantium sanctissimas Evangelii leges pessundari et denique

(1) Richinius, nota 12, reprehendit Monetae imperitiam in graeca lingua, cum « Energumenos » appellari etiam posse « Inergumenos » scribit. Adi sis eumdem.

(2) Eam dabimus in Appendice.

post supremas catholicorum antistitum sanctiones, vix, ac forte ne vix quidem, factum est ut homines nostri in contractibus ineundis de aequitate sancte retinenda cogitare velint.

III.

MAGISTER LAPUS.

I. Lapum hunc florentinum satis suo aevo celebrem fuisse oportet, quem Fratres de Sacco, pacto in annos singulos stipendio XXX Librarum Bononinorum, magistrum sibi in philosophia praefecerunt [1]. Incolebat religiosa haec familia ad domini Nicolai, loco satis amoeno extra Portam s. Mamantis, eidem attributo per Joannem Boncambium episcopum bononiensem, qui hujus Ordinis homines advocaverat jam ab anno MCCLVI, ut refert Sigonius de Episcopis Bononiae [2]. Sunt qui arbitrentur hoc eodem anno Fratres de Poenitentia (nam hoc etiam nomine et aliis pluribus donatos novimus [3]) una cum aliis congregationibus Augustini regulam profitentibus in unum corpus coactos Innocentii IV auctoritate per Richardum Cardinalem, qui ad negotium expediendum omnes Romam accivit ad s. Mariae de Populo [4]. Sed arbitror pleraque Fratrum de Sacco monasteria in hanc conjunctionem non consensisse, et certum saltem est ex iis nostrum hoc unum fuisse. Nam ad annum MCCLXX, quo Lapum conduxerunt, Fratres de Sacco adhuc dicuntur eodemque nomine designantur ad annum MCCLXXXV, quo canonicis s. Frigdiani lucensis Ordinis s. Augustini locus venditione est traditus per episcopum bononiensem, probante Honorio IV [5].

II. Cum haec scriberemus, incidimus in particulam Chronici Fratris Salimbeni, quae est de ortu Fratrum Saccatorum. Is adscribitur anno MCCXXXXVIII; et qui videtur hujus Ordinis initia attulisse, nihil tamen tale cogitans, fuit quidam Frater Hugo Ordinis Minorum, qui praedicationibus suis quosdam ad evangelicae vitae institutum pellexit. Quae de hoc Ordine scripsit Salimbenus, ita comparata sunt, ut aliquis suspi-

(1) « MCCLXX, die VI Octobris. Magister Lapus quondam Martini de Florentia promisit Fratri Rolando de Papia syndico conventus de Sacho stare et morari cum dictis Fratribus hinc ad festum s. Michaelis ac legere dictis Fratribus in logica et natura. Est dicti Fratres promiserunt sibi dare cibum et potum et pro suo salario XXX lib. Bononinorum ». Ex *Memor. Com. Bonon.*

(2) Pag. 119.

(3) « Fratres de Sacco, Fratres Saccorum, Fratres Saccati, Fratres de Poenitentia Christi, Fratres Saccarii ». Dicti etiam « Beguini » quod regerent « Beguinas ». « Bonorum hominum » nomen etiam obtinuerunt in Anglia; neque enim putandum est cum nonnullis, diversos hos Ordines fuisse, cum unum eumdemque statuant Matthaeus Parisius et Polydorus Vergilius in suis *Angliae Historiis.*

(4) Heliot, *Histoire des Ordres Religieux monastiques et militaires,* t. III, chap. XX.

(5) Extant in codice diplomatico Ecclesiae bononiensis n. XXVIII litterae Martini IV ad beatum episcopum portuensem et Apostolicae Sedis legatum datae Perusii anno IV, quibus eidem indulget, ut vendere possit pro pretio CCC librarum Bononiae locum, quem Fratres de Sacco « juxta circulas » civitatis Bononiae habebant, quemque jam antea deseruerant resignantes dicto episcopo. Hujusmodi litteras expediri jussit Honorius IV, qui Sedem Romanam eodem anno MCCLXXXV, defuncto Martino, obtinuit; idemque Honorius anno MCCLXXXVI peculiaribus suis litteris priores confirmavit, suntque in eodem Codice Diplomatico, eodemque numero. Ex iis apparet, hujusmodi Fratres vagos et errabundos victus inopia laborasse, quem conlatitiis eleemosynis vix comparabant, adeoque ex decreto Gregorii X in concil. lugdunensi ipsos inter eos ordinum professores comprehensos, quibus minime licebat res suas aut vendere aut distrahere sine Sedis Apostolicae peculiari licentia; eidem enim omnia reservantur. Igitur aut revera Fratres de Poenitentia nunquam majori Augustinensium corpori copulati fuerunt, quod probabilius puto; aut certe haec illorum domus, quemadmodum plures aliae, veteri nominis et instituti rationi adhaesisse videtur.

cari possit, propositam eidem saltem in exordiis fuisse ad observandam s. Francisci Regulam. Sed revera constare id omnino non potest, et arbitror potius novellos Ordinis alumnos expetiisse quamdam cum Fratribus Minoribus vestium similitudinem, etsi de hac etiam labentibus annis minus sollicitos fuisse eamdemque in soleis tantum retinuisse, ex eodem Salimbeno compertum fiat (1). Frequentissima brevi temporis intervallo in Italiae civitatibus loca obtinuere et bene de christiana plebe mereri, quemadmodum Franciscani et Dominicani, in obeundis pietatis muneribus, satagebant. Sed vix nato Ordini senectus obrepsit et deletus deinde fuit Gregorii X auctoritate, quamquam ad aliquod tempus bononiense Saccatorum coenobium superfuisse constet (2). Integram particulam Chronici, quae continet historiam hujus Ordinis, dabimus in Appendice. Sed redeo ad Magistrum Lapum. Is quidem onus suscepit praeceptis philosophiae imbuendi Fratres de Sacco; at arbitror eodem beneficio frui potuisse caeteros academiae nostrae alumnos, cum, pro temporum more, ad Regularium domos eorumdem concursus fieret, si disciplinarum professores in iisdem reperiri contigisset. De eo nihil aliud memoriae est proditum.

IV.

MAGISTER GENTILIS DE CINGULO.

MAGISTER GUILLELMUS DE DEXARA.

I. Gentili huic Cingulum patria fuit et hoc quidem discrimine nostrum internoscimus ab alio ejusdem aevi ejusdemque nominis, qui a Fulginio est dictus. Nominat eumdem Alidosius professoribus nostris adnumerans (3), eumque ridicule admodum vocat *Gentilem Cingulum,* quasi vero non a patria sed a familia nomen hujusmodi profectum esset. Affirmat praeterea eumdem hic obiisse et humatum ad divi Francisci; quod equidem facile non crediderim, cum ad haec suadenda ipse solus testis accedat. Neque vero probari fortasse poterit Gentilem diutius hic substitisse, quamquam verisimile sit ipsum Thaddaeo doctore usum in medicinae studio, cui animum adjecisse constat ex laudato Gentili a Fulginio (4); nam in ejusdem Thaddaei domo contractum iniit cum Guillelmo de tradenda philosophia in ejus auditorio, quemadmodum apparet ex tabula

(1) Porro processu temporis fecerunt sibi habitum de sacco cilicino, sed quasi sindonico et inferius habebant tunicas optimas, et ad collum mantellum de sacco, unde et Fratres saccati dicti sunt. Et fecerunt sibi fieri soleas sicut habent Fratres Minores. Nam quicumque volunt noviter aliquam regulam facere, semper mendicant ab Ordine s. Francisci aut soleas, aut cordam aut habitum.

(2) In ima pag. 316 laudati Chronici haec diversa manu, sed tamen antiqua admodum adjecta leguntur: « Primus Ordinis Saccatorum dictus est Raymundus Athalulphi et fuit oriundus de Provincia Provinciae de Castro Acrae, ubi juxta mare fit sal, et fuit miles in saeculo, et fuit in ordine Fratrum Minorum, sed in novitiatu fuit licentiatus et emissus de ordine, quia infirmus erat. Filium habuit in Ordine Saccatorum, qui postea fuit archiepiscopus arelatensis. Frater Bernardus de Manara fuit primus socius supradicti Raymundi. Est autem Manara quaedam contrata juxta supradictum castrum, in qua erat monasterium dominarum Albarum, quae devotae Fratrum Minorum erant et sunt usque in hodiernum diem magis et magis ».

(3) *Dottori bolognesi di filosofia e medicina* etc., pag. 78.

(4) *Quaestio XXXXVI:* Utrum medicinae, quae dicuntur tales in potentia, reducantur ad actum a caliditate nostri corporis .... « In hac quaestione sunt multae opiniones, prima, quae imponitur Thaddaeo, sed non clare ipsam invenio in eo .... secunda opinio est Gentilis de Cingulo, quem dicit esse Averrhois .... tertia opinio est Guillelmi de Brixia, quam sequitur Pancius de Lucha.... quarta opinio est Conciliatoris .... quinta opinio est plusquam Commentatoris .... sexta opinio est, quae imponitur Galeno .... septima opinio, quae vere fuit Galeni etc., et invenio ipsam in quibusdam collectionibus Bartholomeus de Varignana attributis, et invenio ab Antonio, et tandem a Dino etc., et Mundinus etiam praedicat post istos ».

contractus, quam integram damus in Appendice. In hac porro ita duo hi professores sibi fidem obligant, ut quamvis uterque doctor in logica nominetur, unus tamen eorum, nempe Gentilis, onus sibi sumat explicandi philosophiam *extraordinarie,* ut dicebatur, scholaribus Guillelmi et triennii intervallo minime tradendi *ordinarie* logicam, quam intactam ad docendum relinquit ipsi Guillelmo. Intelligimus ex his conditionibus inter utrumque sancitis, eos, qui logicae doctores dicebantur, in tota philosophia versatos, eamdemque professos fuisse, quamquam eo titulo, qui ex prima et minus nobili philosophiae parte nascitur, magnopere delectarentur, in eoque non minimum gloriae et dignitatis collocarent. Quod quidem aetatis illius hominibus placuisse, si eorum in excolenda philosophia infelicitas succurrat, haud valde mirabimur.

II. Sed circa haec tempora, quibus par hoc professorum floruit, si non nova omnino, saltem recens instituta hujusmodi appellatio. Certe serius logicae quam grammaticae doctores hoc saeculo prodeunt, hos enim novimus jam ab anno MCCXX. Et quidem mihi facile suadeo gradum hunc invectum usuque receptum sub finem saeculi cum Lapus, de quo jam diximus, ad annum MCCLXX splendido hoc nomine non decoretur, quo sane privatus facile non esset, si ita appellandi philosophiae professores mos invaluisset. Haec autem ornandi philosophos ratio diu non obtinuit, nondum enim adulto saeculo proxime sequente nimis angusta visa est et *philosophiae doctores* vocari deinceps coeperunt; quod honoris dignitatisque vocabulum academia nostra adhuc tuetur suisque, ut satis splendidum, impertitur. Et quoniam qui logicam profitebantur, pro variis, quae incidebant, opportunitatibus, non modo philosophiae loca explicabant, sed aliis etiam artibus disciplinae suae alumnos imbuebant, idcirco non modo *philosophiae,* sed conjunctim etiam *artium doctores* nominatos deinde scimus; ut constat de Jacobo de Regulis placentino, cujus nomen ad annum MCCCXXXXV ita adnotatur: *magister Jacobus de Regulis de Placentia doctor philosophiae et aliarum artium.* Etsi vero ab anno MCCCIX celebris ille astrologus Joannes a Luna pluribus et magnificentissimis titulis cumulatus fuerit, ita sane ut eumdem tanquam scientiarum omnium promum condum boni illius aetatis viri habuerint; attamen arbitror segetem illam titulorum advectam ex Germania, unde ad Bononienses profectus fuerat vanus ille et tumidus astrologiae professor.

V.

MAGISTER THEODOSIUS DE CREMONA.

MAGISTER REGINALDUS DE MELANTO. MAGISTER MARTINUS HISPANUS. MAGISTER PEREGRINUS DE PLUMATIO.

I. Juvat et hos meminisse in tanta professorum philosophiae aut certe veterum monumentorum, quae de iis loquantur, inopia. Nuda horum omnium nomina recitare cogimur, cum vix ea nobis ex antiquo pulvere relicta sint. Etsi vero dialecticae professores vocentur (1), attamen alias etiam philosophiae partes fortasse tradiderunt, quem-

(1) « Magister Teodosius de Cremona, qui moratur Padue doctor logice vendidit unum Digestum ». Ex *Memorialibus* anno MCCLXXIII.

« Magister Reginaldus de Melanto loyce professor ». Ex *Memor.* ad annum eundem.

« Magister Martinus Hispanus, qui docet in logicha ». Ex *Memor.* ad anno MCCLXXV.

« Magister Peregrinus in logica qui fuit de Plumatio cap. s. Marci ». Ex *Memor.* ad anno MCCLXXXIII.

admodum ferebat mos illorum temporum ut diximus. Sed revera delectabatur apprime illa aetas argutiis dialecticis, in quibus excelluerunt nostri complures non multo post initium saeculi XII. Et de horum quidem doctrina ea fuit opinio, ut vel ex ipsis scholis parisinis, in quibus quoddam quasi regnum erat illius disciplinae, quae disputandi praecepta continet, non scholares solum, sed etiam magistri ad eos audiendos Bononiam venire non abhorrerent, quemadmodum Joannis Sarisberiensis auctoritate supra firmatum est.

II. Mirabitur autem fortasse quispiam nos eam academiae nostrae gloriam vindicare voluisse, quae ex philosophiae cultu proficiscitur, cum interea et paucissimos hujus disciplinae professores commonstrare possimus eosdemque ipsos pene omnes obscuros et vix hac luce dignos esse constet. Sed dum ingenue fateor hanc professorum raritatem, valde equidem repugnandum duco iis, qui eadem abuti velint, ut universitati bononiensi eum honorem eripiant. Nam invidus profecto aut rerum ignarus ille fuerit, qui illorum temporum memoriam usurpans non intelligat, hanc professorum illius artis infrequentiam partim petendam esse ex romanorum legum strepitu, quem certe maximum hic fuisse scimus, partim vero ex ipsis philosophiae professoribus, qui, ea dimissa, vel ad legum scientiam ut Irnerius, vel ad medicinam ut Mondinus, Gentilis aliique, vel ad theologiam ut Moneta, vel ad alias scientias, quae graviores nobilioresque haberentur tradendas animum convertebant. Non est itaque cur ex professorum nostrorum inopia illud elicere velimus, quod philosophiae laude academiam nostram ea aetate privare possit.

HUMANIORUM LITERARUM PROFESSORES.

I. Ludovicus Antonius Muratorius cum in publicum emitteret libellum magistri Boncompagni *De obsidione Anconae* (1), ut scriptorem hunc antea obscurum vel plane ignotum scenae et populo commendaret, non pauca commentus est, quae egregii viri sapientia haud satis digna videntur cum a vero sint aliena, et aliquid etiam adjecit scholis nostris haud plane honorificum. Opinatur itaque Muratorius ante Boncompagnum, qui saeculo XIII floruit, neminem fuisse, qui grammaticam (2) publice in civitate nostra doceret, eamque scholam saeculo XIII ineunte institutam, ac primum Boncompagno Florentino circa annum MCCXVIII eam provinciam demandatam fuisse; atque hanc Muratorii opinionem clarissimus Laurentius Mehus in grandi illo variarum et discrepantium rerum volumine, quod, quasi prodromi loco, praemisit epistolis Ambrosii Camaldulensis, Florentiae editis, libentissime excepit, immo amplificandam sumpsit, ut novam hanc florentinae civitati patriae suae laudem conciliaret, quod ex ejus sinu prima eloquentiae semina in academiam nostram deciderint. Sed vix fore credo ut Muratorius ulli cordato ac praejudiciis soluto homini persuadeat publicam grammaticae scholam tamdiu defuisse in ea civitate, ad quam ex remotissimis quibusque regionibus maximus studiorum causa concursus fiebat. Enimvero si defuissent grammaticae magistri, sine hac prima literaria eruditione ne auditus quidem patuisset hominibus ad studia legum civilium, quae sola in academia nostra primum floruisse fidenter admodum pronunciat Muratorius. Et cum disciplinae omnes cognatione quadam inter se contineantur, neque paucarum cultus sine aliarum etiam aliquo cultu diu consistere possit, nullus sane persuadere sibi poterit, mansuetiora haec studia omnino jacuisse in ea civitate, quae non modo legum magistra habebatur sed etiam philosophiae, quod probatum satis est et sacrae doctrinae, quemadmodum ad theologiae professores ostendendum erit. Genus hoc argumenti dilatare non oportet, cum vim omnem ad suadendum statim per se se proferat.

(1) *Rer. Ital. Script.*, t. VI.

(2) Dum grammaticam dicimus, non prima solum latinae linguae elementa, quae pueri sub nigris magistellis condiscunt, sed poetarum, rhetorum aliorumque scriptorum notitiam, uno verbo humaniores, ut vocant, litteras, eo nomine intelligimus, quemadmodum revera veteres intellexerunt, quod animadvertit ipse Muratorius loco citato. Et sane ridiculum esset, vel leviter suspicari grammaticae propriae dictae magistros in nostra civitate defuisse.

II. Muratorio facile, si quid sentio, imposuit quod Boncompagnus ipse ad calcem sui libelli affirmat, inquiens: *Suscipiat Ancona favorabile munus, quod sibi a Boncompagno amicabiliter exhibetur, cui Florentia dedit initium et Bononia nullo praeeunte doctore celebre incrementum.* At haec revera nunquam probare poterunt Boncompagnum primum omnium grammaticae scholae hic aperuisse, nam quod affirmat Boncompagnus de illius scientiae incremento, cujus quidem gloriae cum aliis societatem recusat, id Muratorius nimis facile explicat de illius disciplinae pene rudimentis, quasi haec nostri ante ipsum publice aut non tradiderint aut tradere nescierint. Arbitror itaque Boncompagnum eam tantummodo laudem iis verbis sibi vindicare voluisse, quae proficisci poterat ex nova quadam suoque calculo meliori methodo docendi, quam ipse primus invexerit et veluti in aliorum manus tradiderit. Sed fumosum hominem suique ipsius laudibus nimis indulgentem facile mihi videre videor; et vero non dubito quin idem futurum sit judicium omnium libellum ipsius de obsidione Anconae legentium. Itaque ejus verbis tantum tribuendum non censeo quantum certe detulit Muratorius.

III. Hujus Boncompagni aequalis fuit Henricus a Septimello, agri florentini pago. Hunc ad academiam nostram accessisse ut studiis vacaret ex ipso scimus, qui in quodam elegiaco carmine (1) philosophiam ita secum loquentem inducit.

Dic ubi sunt, quae te docuit Bononia quondam.

Ex quibus sane illud facile est conjicere Henricum primis suae adolescentiae annis bonarum artium studiis in academia nostra operam dedisse. At in ea aetate poesim amavit et didicit Henricus, quemadmodum uberrimus est testis Philippus Villanus, qui de ipso loquens (lib. II *De Henrico semipoeta elegiaco*) inquit: *Fuit Henricus vir potentis et hilaris ingenii. Is cum dies juventutis liberalibus artibus et studio poeseos commodasset etc.* Haec verba si diligentius scrutari voluisset Laurentius Mehus, fortasse in nostram academiam sententiam illam, tanquam ex tripode, non pronuntiasset, quae injusta plane habenda est. Verum ante hos etiam, quos nominavimus, floruit Gaufridus Anglus, quem celebrem fuisse humaniorum literarum professorem constabit ex iis, quae de ipso dicenda erunt infra. Non est igitur cur Muratorius bonarum artium studia coepisse primo in civitate nostra, cum ad eam accessit Boncompagnus, rerum nostrarum minus gnaris suadere conetur.

IV. Dum autem academiae nostrae vindicare cupimus hanc gloriam ante eam aetatem, in qua prima illius initia statuunt nonnulli, negare profecto non possumus saeculo XIII magnam ejus factam accessionem et praesertim sub finem ejusdem, ob multitudinem eorum, qui has artes profitebantur. Et quidem honorem non mediocrem iisdem habitum, illud argumento esse potest, quod qui humaniores literas tradebant *doctoris* titulo ornari voluerunt, quemadmodum jam antea juris et decreti professores. Et quamquam non dubito, quin plerique improspere in his studiis adlaborarent, quosdam tamen inter eos fuisse video, qui aliquid ex se promere potuerunt, quod infelici temporum conditione majus dijudicari debet. Et hac quidem laude privari non posse prae caeteris Guidottum sive Galeottum Bononiensem, cuique legenti ejus *De Rhetorica Cice-*

(1) Carmen hoc, quod inscribitur *De diversitate fortunae et philosophiae consolatione* in quatuor libros tributum est, illudque composuit circa anno MCLXXXXIII. Antonius Magliabecchius plurimum adlaboravit pro editione hujus carminis, quam parabat Christianus Daumius Cygneus, quamque infectam reliquit. Dedit aliam Polycarpus Leyserus in *Historia Poetarum* et *Poematum medii aevi.* Tertia prodiit Florentiae anno MDCCXXX, quam mutilam dicit laudatus Laurentius Mehus.

ronis librorum vernaculam versionem, constare facile poterit. Itaque academia nostra nihil fortasse Florentinis debere se intelligit pro humaniorum literarum cultu, qui neque in ea desiderari per antiquiora tempora potuit, neque exteris ita referri debuit acceptus, ut humaniores literas, tamquam peregrinas aliquas merces, Bononiam iidem advexerint.

I.

GAUFRIDUS.

I. Simon Fridericus Hahnius in praefatione ad *Syllogem veterum monumentorum*, quam anno MDCCXXIV emisit in lucem, haud modice laudat Gaufridum Bononiensem, cui locum tribuit inter praecipuos dictatoriae artis, hoc est, eloquentiae professores, qui saeculo XIII floruerint (1). Scripsisse hunc, ait, *Artem dictaminis*, cujus prologum et epilogum versibus hexametris concinnatum producit. Et prologus quidem ita se habet:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Taxavique diu mecum sociisne valerem
Dictandi reserare viam. Sed me titubantem
Vester cogit amor tanto servire labori.
Ergo diu trepidus, vix tandem veste pudoris
Abiecta, vobis referam quo sidere vestrum
Dictamen lucere queat, quo clausula possit
Lascivire gradu, quis sit dictaminis ordo,
Quae partes, ubi fessa suum distinctio sistat,
Vel remoretur iter, quae sint connubia vocum,
Et quibus auxiliis verbi redimatur egestas.
Tabescens igitur livor marcescat in aevum,
Nec praesens corrodat opus, nec clara lituret
Dictis dicta suis, nec verbum verba venenet;
Nec pudeat quosdam per opes dictaminis hujus
Dictamen sarcire suum, dissutaque verba
Jungere et exangues quasi vivificare loquelas.
Ne tamen audita prolixa prooemia laedant
Hic metris praecludo viam, musaeque quietem
Largior et faciles ad cetera dirigo cursus.

Epilogus talis est:

Hoc a Gaufrido, veneranda Bononia, cultus
Semper habe, gratumque geras quod gratia pandit,
Non merces; nec enim mercator spargere veni
Venales titulos; gratis tibi dedico gratus
Exiguum exiguo natum de cespite florem.
Ac tu quisquis habes alium dictaminis usum,
Materiasque rudes meliori pollice ducis,
Parce precor, nec opus tua suffocet ira novellum.
Nulla etenim teneram laus est evellere plantam,
Nec decus est minimis jacturam infligere rebus.

(1) Hahnius in praefatione ad tomum I *Veterum monumentorum*. Edit. Brunsvigae MDCCXXIV.

Rubigine non carent hi versus; sed vena tamen non infelix pro gustu temporis, quo hic auctor vixisse dicitur. Apparet etiam illum in poesi admodum exercitatum fuisse; nihil enim in his versibus durum, nil hiulcum et asperum, quibus vitiis poetae novitii abundare solent. Itaque certo mihi persuadeo esse hunc Gaufridum anglum poetam celebrem, qui *poetriam novam* Innocentio III dicatam edidit, quique vulgo dicebatur magister. Gualfridus de Vinesauf, seu de Vinosalvo. Ac miror id non persensisse Hahnium, qui non alia de causa Gaufridum hunc bononiensem fecit, quam quod *Artem dictaminis* Bononiae edidit et in ejus epilogo bononiensem civitatem alloquitur. At enimvero in ipso sui operis epilogo Gaufridus hominem exterum se tacite prodit, cum ait se mercatorem non venisse ut venales titulos spargeret, nec bononienses cives alloquitur sed socios, hoc est, auditores suos, nec Bononiam patriam suam dicit, ut omnino appareat non bonus civis in civitate sua, sed gratus hospes in aliena.

II. Guilielmus Cave recensens scripta Gaufridi, sive, ut ipse appellat, Galfridi de Vinosalvo, primo loco memorat ejus *Poetriam novam, opus,* inquit, *hexametrum Innocentio III nuncupatum,* quod idem esse ait cum *Arte dicendi,* licet aliis aliter videatur. Fallitur, meo quidem judicio, criticus hic censor dum *Poetriam novam* et *Artem dicendi,* sive, ut loqui amabant, *dictandi,* unum eumdemque Gaufridi foetum existimat. Est enim *Poetria,* vel ipso Guilielmo Cave judice, opus hexametrum, idest, versibus hexametris compositum. At *Ars dictaminis* a Gaufrido scripta est soluta oratione, ut ex postremis ejus prologi versibus intelligimus. Sed id parum refert; illud ad rem facit quod Caveus ab uno eodemque auctore scriptam agnoscit et *Poetriam novam* et *Artem dictaminis;* ex quo consequitur Gaufridum *Poetriae novae* auctorem non alium esse a Gaufrido, quem Hahnius bononiensem appellat quique *Artem dictaminis* edidit.

III. Sed multum tamen Hahnio debemus ob vulgatum ejus operis prologum et epilogum. Inde enim intelligimus Gaufridum humaniorum literarum scholam in nostra civitate habuisse. Quos enim initio prologi socios appellat, ejus auditores et discipulos interpretor, sic enim, honoris causa, a suis professoribus appellari solebant scholares, ut saepius observatum est. Eam ergo *Dictaminis artem,* ea nempe eloquentiae praecepta, quae voce solebat tradere in scholis, scripto committere voluit, se ita gratum exhibens et juventuti, quam erudiebat et civitati universae. Ut autem in *Poetria nova* artem poeticam docuit, sic in *Arte dictaminis* praecepta dedit dicendi et scribendi soluta oratione. Itaque illum existimo ex Anglia profectum, Galliae et Italiae academias non tam discendi studio lustrasse, ut tradunt scriptores angli, quam ut eloquentiam doceret et quaestum faceret ex arte sua, in qua excellere videbatur.

IV. Florebat Gaufridus regnante in Anglia Richardo, qui ab anno MCLXXXIX ad MCLXXXXIX regnum obtinuit. Ac non multo post initium pontificatus Innocentii III Romam venit, ubi *Poetriam novam* Pontifici dicavit:

Me transtulit Anglia Romam,
    Tamquam de terris ad caelum transtulit ad vos,
    A tenebris velut ad lucem, lux publica mundi
    Digneris lucere mihi.

Ita initio *Poetriae,* ubi et Innocentium Pontificem summis laudibus celebrat et ejus gratiam ac patrocinium studiose aucupatur. Sed cum fortasse non ita sibi propitium expertus esset Pontificem, uti sperabat, in Angliam reversus, librum scripsit *De statu Romanae Curiae,* cujus tale est initium:

Nuper apostolica Gaufridus sede reversus.

V. Videtur igitur primo Bononiam venisse, ubi cum aliquamdiu substitisset, electo in Pontificem Innocentio, Romam convolarit. Quod si revera Gaufridus auctor fuerit *Itinerarii Richardi Regis Anglorum in Terram Sanctam,* ut existimat Thomas Gale (1), qui eum librum edidit inter Scriptores Anglicos (2), quoniam ejus libri auctor fatetur se praesentem interfuisse iis rebus, quas narrat (3), percommode ejus adventus in civitatem nostram statui posset post reditum Richardi regis e bello sacro. Rediit autem Richardus anno MCLXXXXI. Quare potuisset Gaufridus humaniores literas Bononiae profiteri et suam *Artem dictaminis* edere eo temporis interstitio, quod effluxit inter reditum Regis Richardi et electionem Innocentii III, idest, inter annum MCLXXXXI et MCLXXXXVIII.

GAUFRIDI SCRIPTA

De modo inserendi arbores aromaticas, fructus conservandi, vina et vites cognoscendi, vina inversa, seu deteriora reformandi tam pro sanis quam pro infirmis, acetum mutandi et conditiones cujuscumque vini et ceterorum liquorum pretiosorum et pigmentorum faciendi. Quia in hoc libro potissimum agitur de vinis conservandis, propterea existimant Gaufrido cognomentum de Vinesauf, idest de Vinosalvo, tributum. Ita Ptiseo visum, cujus conjecturam alii quoque probaverunt (4).

Poetria nova, idest *Ars poetica,* quam non inepte novam vocavit Gaufridus, quia novam poesis formam prae rhythmica illa et plane barbarica, quae tum fere in deliciis erat. Incipit: *Papa stupor mundi.* Ejus initium protulit Bulaeus, ex quo de toto opere aliquod judicium ferri potest. Ac certe cum hic Gaufridi foetus in publicum prodiit, quasi nova luce omnium oculos perstrinxit; nec defuere qui operam atque industriam suam in eo libro exornando et commentariis illustrando recte collocatam existimarint. Frequentissima sunt praesertim in bibliothecis Angliae ejus libri exemplaria. Nec desunt tractatus, exercitationes et commentaria in eum librum, qui vulgo dicebatur *Papa stupor mundi,* ob prima verba, quibus poeta suum carmen auspicatur. In codice manuscripto qui fuit Kenelmi Digbaei extat literalis divisio super *Papa stupor mundi* per Gaufridum Vinesauf. Item: *Tractatus super Papa stupor mundi per Galfridum Anglicum cognomento Vinesauf.* Rursum: *Notabilis declaratio super prooemium tractatus praedicti.*

Ars dictaminis. Ejus prologum et epilogum ab Hahnio acceptum supra dedimus. Ptiseus hunc librum non satis cognitum habuit, dubitare enim videtur num sit idem ac *Poetria nova.* At in *Poetria nova* carminis leges in *Arte dictaminis* prosae praecepta tradit Gaufridus. Atque illa est versibus, haec autem soluta oratione scripta. Porro ex *Arte dictaminis* excerptus videtur libellus, qui *Medulla grammaticae Galfridi* inscribitur in codice Roberti Burscough (5). Qui autem inscribitur: *De artificio loquendi Galfredi anglici,* idem fortasse est ac *Ars dictaminis* (6), ex qua pariter desumptus videtur libellus *De variationibus secundum doctrinam magistri Galfridi, puta de nominibus secundum casus varios variandis etc.* (7)

De rebus ethicis. Librum hunc Gaufridi, non ineleganter scriptum ad mores informandos, se vidisse ait Lelandus *De scriptoribus anglicis* (8).

Enchiridion. Hunc librum Gaufrido tribuit Ptiseus (9).

(1) Joannes Seldenus praefatione ad *X Scriptores* non id inficiatur; ait tamen esse alios, qui auctorem ejus *Itinerarii* non Gaufridum putent, sed Gualterum quemdam constantiensem vel oxoniensem.

(2) Tom. II *Collectiones Scriptores Anglicos,* edit. Oxon.

(3) *Itinerarium.* In prooemio t. II *Script. Angl.* cit.

(4) Bulaeus, *Historia Universitatis Parisiensis,* t. II, pag. 520.

(5) Cod. 1665. 64. t. I *Catalogus librorum manuscriptorum Angliae,* pag. 80.

(6) Ibid., t. II, codex 7701.

(7) Ibid. inter codices Guillelmi Landi n. 1265, t. I, pag. 69.

(8) Ibid. inter codices Th. Bodlei n. 2538, t. I, pag. 133.

(9) Vide testimonia auctorum praemissa ad *Scriptores Anglicos* Th. Gale., t. II.

De statu Curiae Romanae, incipit: *Nuper apostolica Galfridus sede reversus.* Ex eodem Ptiseo.
Ad Caesarem Henricum de liberando Richardo Rege. Ex eodem Ptiseo (1).
Itinerarium regis Richardi, de quo supra dictum est.
Monodia in obitum Regis Richardi. Edita est a Bulaeo (To. II, *Hist. Univ.*, Paris., pag. 548).
De promotionibus et persecutionibus Galfredi eboracensis archiepiscopi. Hunc etiam librum Gaufrido tribuit Ptiseus et item alium, qui inscribitur ad Guillelmum episcopum eliensem et cancellarium.
Galfridi poema super Machabaeos. Est inter codices Guillelmi Landi (2).

II.

BONCOMPAGNUS FLORENTINUS.

I. Nulla hujus professoris mentio apud scriptores cum bononienses tum florentinos, quamvis et sua aetate admodum celebris fuerit et scriptis etiam claruerit. Emersit ejus nomen ex tenebris, cum primum Muratorius ejus opusculum *De obsidione Anconae* in publicum emisit. In eo opusculo se patria florentinum dicit et in civitate nostra celebre incrementum, famae scilicet ac fortunarum, fecisse (3). Hunc autem Muratorius omnium primum fuisse existimat, qui publice humaniores literas in academia nostra docuerit; quem errorem supra dispunximus. Primum scilicet fuisse arbitror, qui non contentus usitato magistri nomine, doctoris nuncupationem affectavit; quod nondum inter grammaticos auditum fuerat (4).

II. Ex multis, quos erudiit in ea facultate, percelebris est Rolandinus historicus patavinus, qui anno MCCXXI magisterii insignia a Boncompagno praeceptore suo Bononiae se accepisse narrat (5). Atque hinc ejus aetatem intelligimus, quam ipse quoque in praefatione opusculi, *De obsidione Anconae,* utcumque indicat. Ait enim se de obsidione illa, quae anno MCLXXII contigerat, ea scripsisse, quae ab oculatis testibus audierat, ab iis nempe, qui obsidioni ipsi interfuerant. Ex quo, haud multo post initium saeculi XIII libellum illum fuisse scriptum, ac per illud tempus Boncompagnum floruisse, intelligimus.

III. Fuit Boncompagnus festivo admodum ingenio, quo interdum licentius abutebatur fere ad impudentiam, ut inter praecipuos aetatis suae nugatores haberetur (6). Itaque suis jocis et nequitiis mirifice illudebat homines. Et cum Bononiae per illud tempus celebraretur Frater Joannes Vicetinus ex Ordine Praedicatorum, quem quasi divinum quemdam hominem a Deo missum ad componendas dissensiones, quae tum maxime in civitatibus Italiae fervebant, et ad religionem divinumque cultum reparandum vulgo mirabantur; hunc in primis dicaculus iste grammaticus suis dicteriis impetebat et versiculos etiam ludicros in eum scripsit, pro ejus aetatis gustu fortasse lepidos, re

(1) Ibid.

(2) Cod. 829, t. I, pag. 59.

(3) « Suscipiat Ancona favorabile munus, quod sibi a Boncompagno amicabiliter exhibetur, cui Florentia dedit initium et Bononia, nullo praeeunte doctore, celebre incrementum ». Boncomp., *De obsid. Ancon.*, c. XXVI apud Murator., *Rer. Ital. Script.*, t. VI, pag. 946.

(4) « Hunc Laurentius Mehus Compagni filium fuisse dicit, Bonum nomine, ex quo Boncompagni appellatio enata sit. Sed id gratis asseritur ». Laurentius Mehus in prolog. ad *Epist. Ambros. Camald.*

(5) Rolandin., lib. X, cap. IV. — Murator., *Rer. Ital. Script.*, t. VIII.

(6) « Fuerunt etiam in tempore illo trufatores et illusores quamplures .... ex quibus unus fuit Boncompagnus Florentinus, qui magnus magister in grammatica in civitate Bononiae fuit et libros et dictamina scripsit ». Ex chronic. Fr. Salimbeni, *De Adam.* ad an. MCCXXIX.

autem ipsa admodum insulsos (1). Cum autem Frater Joannes mira multa patrasse diceretur, in ea etiam virum opinione multorum sanctissimum ludibrio habere voluit, palam enim edixit in animo sibi esse per aerem volare, neque sibi ad eam rem vim virtutemque deesse. Itaque ad certam diem multitudinem invitavit locumque indicavit, ex quo volatum esset editurus, qui erat haud procul a civitate in praealto monte, quem ex s. Mariae nomine dicunt, ubi ecclesia est in hanc diem celebris, s. Mariae in Monte appellata. Cum igitur ad constitutum diem ingens concursus eo loci factus esset, prodiit in conspectum omnium Boncompagnus alis duabus praegrandibus ad humeros affictis, cumque diu se conspiciendum dedisset, intentis omnibus, quorsum id esset evasurum; sat vobis sit, inquit, Boncompagni faciem vidisse; bene vobis precor, discedite. Quo se mirifice ludificatos agnovere (2). Aetatem diu egit Bononiae Boncompagnus; sed ad ampliores fortunas aspirans suaeque eloquentiae confisus, in qua excellere putabatur, Romam, vel alio, ubi Romana Curia forte consideret, hortantibus amicis, profectus est, sperans non defuturam sibi ejusdem gratiam, cujus servitiis si occupari contigisset, non dubitabat, quin magnum esset quaestum facturus. Sed inani spe delusus a Romana Curia discessit, cumque ad summam egestatem venisset, admodum jam aetate provectus in xenodochio prope Florentiam extremum obiit diem (3).

IV. Habemus haec omnia ex chronico Fratris Salimbeni de Adam Ordinis Minorum, quod est in codice membranaceo bibliothecae excellentissimae familiae Comitum, de cujus aetate et auctoritate disseruimus, ubi de Martino Fanensi legum professore agebamus. Hinc autem apparet, quam infelici conjectura Muratorius ex Boncompagno isto, qui primus Bononiae lares fixit, originem duxisse statuat nobilissimam gentem Boncompagnam bononiensem, ex qua prodiit Gregorius XIII Pontifex Maximus, quaeque nunc Sorae ducatum, aliasque dictiones haud obscuri nominis obtinet (4).

BONCOMPAGNI SCRIPTA.

Scripsit Boncompagnus libellum *De obsidione Anconae,* quem inscripsit Hugolino Gosio anconitanorum praetori, celebris illius Martini Gosii, de quo inter legum professores diximus, nepoti. Eum edidit Muratorius inter *Rerum Italicarum Scriptores,* dignissimum certe, qui publicam lucem aspiceret; sed magis propter particulam italicae historiae, quam continet, quam ob stili nitorem et elegantiam, in quo tamen multum sibi placebat Boncompagnus. Negari tamen non potest, quin aliquod eloquentiae lumen in eo scripto emicet, ita ut Boncompagnus pro ejus aetatis barbarie scriptor disertus et *magnus dictator,* ut dici mos erat, haberi potuerit. Magnum autem periculum subiit aliquando hoc scriptum cum ipso ejus auctore. Is enim cum secus oram Hadriatici navigaret cum Moecenate suo Hugolino

(1) « Hic cum more *Florentinorum* magnus trufator esset quemdam rithmum fecit in derisionem Fratris Johannis de Vicentia, cujus nec principium, nec finem recordor, erant autem verba ista:

» Et Johannes Johannizat,
» Et saltando choreizat.
» Modo salta, modo salta,
» Qui coelorum petit alta ».

Ex *Chronic. Fr. Salimbeni,* ad eumdem annum.

(2) « Et iste magister Boncompagnus videns, quod Frater Johannes intromittebat se de miraculis faciendis, voluit et ipse se intromittere. Et praedixit Bononiensibus quod videntibus illis volare volebat. Quid plura? Divulgatum est per Bononiam. Venit dies statuta et congregata est tota civitas.... ad radicem montis, qui appellatur sanctae Mariae in Monte. Fecerat sibi duas alas et stabat in cacumine montis aspeciens eos. Cumque se diu mutuo aspexissent, protulit istud verbum: Ite cum benedictione divina et sufficiat vobis vidisse faciem Boncompagni ». Ibid.

(3) « Iste Boncompagnus, cum esset solemnis dictator, ex consilio amicorum suorum ad Curiam Romanam accessit, volens experiri si forte ex dictamine suo Romanae Curiae posset gratiam invenire. Quam cum non invenisset, recedens inde factus jam senex ad tantam devenit inopiam, quod oportuit eum apud Florentiam in quodam hospitali vitam finire ». Ibid.

(4) Murator. in praefatione ad libellum Boncomp. *De obsidione Anconae.*

Gosio, naufragium fecit prope Senogalliam; ex quo cum evasisset incolumis, libri titulus et epistolae nuncupatoriae, quae illi praefixa erat, aquis corrupta fuisse videntur, si quidem satis intelligo quod in ejusdem prooemii libro Boncompagnus ipse scriptum reliquit.

Praeter hunc libellum *De obsidione Anconae,* alia scripsit Boncompagnus, qui, ut ait Frater Salimbenius, fuit *magnus magister in grammatica et libros et dictamina scripsit.* Vidit Cangius *Artem dictaminis* Boncompagni manu exaratam in antiquo codice, ex quo in Appendice ad lexicon latinum haec verba exscripsit: *Ducuntur Romae quaedam foeminae pretio nummario ad plangendum supra corpora defunctorum, quae computatrices vocantur, ex eo quod sub specie rithmica nobilitates, divitias, formas, fortunas et omnes laudabiles mortuorum actus computant seriatim. Sedet namque computatrix aut interdum recta vel proclivis stat super genua crinibus dissolutis et incipit praeconia laudum voce variabili juxta corpus defuncti narrare et semper in fine clausulae, oh! vel ih! promit more plangentis. Et tunc omnes adstantes cum ipsa flebiles voces emittunt. Sed computatrix producit lacrimas pretii, non doloris.* Ita Boncompagnus in *Arte dictaminis* (libro primo, sub finem) apud Cangium (1), qui adnotat Boncompagnum vixisse anno MCCXIII.

Scripsit etiam *Pratum eloquentiae,* satis ineptum opus, quod vidit clarissimus Montfaucon. *Liber de ordinatione dictionum artificiosa communi et naturali per magistrum Boncompagnum.* In quo de materiis inveniendis, de scholis, earumque curatoribus et literarum formatione, aliisque multis, juxta usum et praxim Curiae Romanae agitur. Praefigitur ejus testamentum. Ita describitur hic liber Boncompagni inter codices bibliothecae cottonianae (2). Etiam inter collectanea Richardi Jamesii recensentur excerpta quaedam ex *Boncompagno, De stilo epistolari,* quae ex ejus *Arte dictaminis* petita existimo (3).

III.

ROLANDINUS PATAVINUS.

Magistro discipulum subjicimus, Rolandinum Patavinum, qui cum Bononiae doctor creatus sit, auspicante magistro Boncompagno ipso, nullum est dubium quin annis aliquot in scholis nostris docuerit et interpretandis iis auctoribus, qui aetate illa in grammaticorum scholis terebantur, operam impenderit; neque enim quispiam in ulla facultate doctoris insignia obtinere poterat, quin in ea diu se docendo exercuisset, ut saepius dictum est. Imitatus est Rolandinus Boncompagni stilum et vanam illam grandiloquentiam, ex qua plausum sibi quaerebant, qui per illud tempus eloquentissimi habebantur. Sed plurimi tamen aestimantur ejus chronica, quibus suorum temporum historiam summa fide et diligentia persecutus est. Natus erat Rolandinus anno MCC et anno MCCXXI Bononiae creatus est grammaticae doctor. Anno autem MCCLX conscribendae seu potius perficiendae historiae suae manum admovit, hortantibus religiosis et prudentibus viris; ac biennio post, opere jam absoluto, ejus historia, in XII libros distributa, publice lecta est in academia patavina et a professoribus philosophiae, medicinae et humaniorum literarum approbata. Laudatur maxime Rolandinus quod Eccelini de Romano, viri post hominum memoriam scelestissimi, res gestas copiosus atque accuratius quam ceteri scriptores exposuerit. Atque haec ejus historiae pars non minima et sane praecipua italice reddita, jamdiu lucem vidit sub ementito Petri Gerardi nomine, qui se

(1) Cangius Vox, « Cantatrix » in appendice ad *Lexico lat.*, edita ad calcem *Lexici graeci.*
(2) *Catalogus manuscriptorum anglorum,* t. II, p. 87, lit. C. VIII. II.
(3) Ibid., t. I, pag. 262.

aequalem Eccelini finxit. Sed Vossius hanc imposturam detexit ostenditque Faustum Longianensem, virum alias doctum et eloquentem, Rolandini scrinia expilasse et quibusdam mutatis atque additis, veluti novum chronicon evulgasse sub ementito Petri Gerardi nomine (1). Aequior fuit Rolandinus in Fratrem Joannem Vicetinum quam ejus praeceptor Boncompagnus; laudat enim ejus viri pietatem et perpetuum studium pacis componendae inter dissidentes et privatim et publice, qua de re praesertim libri tertii capite septimo multa habet lectu dignissima. Obiit autem Rolandinus postridie kalendas Februarias, anno MCCLXXVI, ut liquet ex ejus sepulchri titulo, quem a Scardeonio servatum, iterum protulit Muratorius (2).

IV.

GERARDUS CREMONENSIS.

I. Plures fuere hoc et superiori saeculo Cremonenses, liberalium artium professores, Gerardi nomine appellati. Primus occurrit Gerardus ille Cremonensis, quem aliqui natione hispanum, patria carmonensem dicunt; sed Muratorius et italum et cremonensem non inani opera demonstrat. Hic diu in Hispania cum inter Arabes versatus esset, primus aliqua medicorum arabum opera in latinam linguam convertit et magnum sibi nomen ob eam rem comparavit. Eum tradunt obiisse anno MCLXXXVII.

II. Erat Bononiae ad annum MCCXX alter magister Gerardus Cremonensis, cujus mentionem reperio in tabulis archivi monachorum s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis. Sed incertum quam facultatem profitetur. Celebris habitus est eodem saeculo Gerardus alter Cremonensis, de Sabloneta etiam appellatus (3), quod vel natus esset in vico agri cremonensis Sabloneta, vel inde esset oriundus. Vanissimam astrologiae artem profitebatur et inter astrologos sui temporis excellentiores locum obtinuit. Venditabat ille suas nugas Eccelino de Romano, Uberto Pelavicino aliisque magnatibus, qui eum consulebant. Et extant adhuc ejus responsa in codice Bibliothecae Vaticanae cum hoc titulo: *Judicia magistri Gerardi de Sabloneta cremonensis super multis quaestionibus naturalibus ac annorum mundi revolutionibus.* Multa ex his prolata sunt pro Pelavicino, cujus devotum se praedicat nugator ille. Nec minori obsequio cultum ab se Eccelinum impurissimum hominem et nequissimum tyrannum profitetur (4). Sunt autem scripta haec Gerardi responsa circa medium saeculum XIII ex quo ejus aetatem certo intelligimus. Ac fortasse est ille ipse magister Gerardus, qui anno MCCXX Bononiae degebat studiorum causa. Eum laudat Guido Bonattus, qui reliquos astrologiae judiciariae professores sui temporis superavit.

(1) MURATOR. in praefat. ad Roland. Chron., *Rer. Ital. Script.*, t. VIII, pag. 156.

(2) Ibid., pag. 155.

(3) Clarissimus Joannes Calvi cremonensis, in academia pisana medicinae professor, brevi editurus est eruditissimam diatribam de hoc Gerardo, inscriptam Isidoro Blanco monacho ac lectori congregationis nostrae et egregio olim disciplinae meae alumno, quem ad summam in literis gloriam properare emensum jam ab eo spatium satis declarare potest. Monuit autem Calvium in decernenda Gerardi sui aetate nobiscum plane convenire.

(4) Sunt in codice Vaticano 4083. Incipiunt: « Interrogatio nobilis viri domini Uberti Pelavicini ». Similia deinceps multa: se passim dicit devotum marchionis praedicti, qui in omnibus illum consulebat. Sic exempligratia: « Quaesivit illustris marchio Pelavicinus super facere amicitiam cum Martino de Turre ». Ac praeter quae ad Eccelinum, sunt etiam aliqua Gerardi responsa ad Bosum de Boaria, quae pertinent ad annum MCCLV et MCCLIX.

III. Sed hoc loco praecipue commemorandus est magister Gerardus Cremonensis, grammaticae professor, quem habemus Bononiae docentem anno MCCLXVII et MCCLXVIII (1). Neque hic erat triobolaris magistellus, qui prima grammaticae rudimenta traderet; sed eum legimus in antiquis tabulis docentem in scientia grammaticae et doctoris insignibus ornatum. Itaque non solum ejus schola sed domus etiam frequentibus scholaribus patebat, quibus, pacta in certum tempus mercede et victum et libros quibus in schola egebant, praestabat (2).

V.

BONUS LUCENSIS.

Eodem tempore literas humaniores Bononiae docebat Bonus Boniti filius, patria lucensis (3). Ac videtur ex ea professione non minimum questum fecisse, ex quo sibi et domos in civitate et fundos in agro bononiensi comparaverit. Anno MCCLXXXI finem vivendi fecerat eique superstes erat Bononiae Bartholomaeus filius et haeres, adhuc pupillus (4).

VI.

GERARDUS DE AMANDOLA.

Per idem tempus habuere scholae nostrae Gerardum alterum grammaticae professorem. Utrum doctor fuerit non liquet. In antiquis tabulis dicitur *magister Gerardus de grammatica.* Ejus pater magister Bernardus, fortasse ipse etiam grammaticus; patria agri forosemproniensis vicus Amandola. Bononiae uxorem duxit anno MCCLXXIX Bonam, neptem fratris Hugolini quondam domini Rolandini, dotatam CXII librarum Bononinorum (5).

(1) « Anno MCCLXVII. Dominus Henricus de Belmonte canonicus jungrensis, dominus Henricus canonicus curiensis, dominus Rudecherius de Augusta, dominus Rodulphus de Columbaria, dominus Bertholdus de Costantia etc. venientes dixerunt se habere in depositum a magistro Gerardo Cremonensi, professore artis grammaticae, unum Digestum novum cum tribus libris Codicis et uno volumine in cartis hedinis cum apparatu communi et quadraginta duos quaternos Codicis et Digesti veteris apparatorum pro majori parte de apparatu domini Accursii et ipsos salvare et guardare et restituere dicto magistro Gerardo ad ejus voluntatem vel extimationem scilicet CXXXX librarum Bononinorum ». Ex *Memorialibus Communis Bononiae.*

(2) « Anno MCCLXVIII. Magister Gerardus de Cremona doctor grammaticae promittit Ademaro Tebaldi de Villa s. Attedii docere eum in scientia grammaticae et dare sibi libros, quos legerit in scholis et victum in duodena secundum quod alii scholares habuerint et dare cameram a festo s. Michaelis ad omnem annum pro pretio librarum XXIII Bononinorum de quibus habuit libras X ». Ibid.

(3) « Anno MCCLXVIII, magister Bonus Lucensis, filius quondam Boniti, doctor grammaticae », vendit agrum libris CXXV Bononinorum.

(4) Anno MCCLXXXI, Bartholomaeus quondam magistri Boni « doctoris grammaticae » vendit duas domos cum auctoritate tutoris. — Ibid.

(5) Ex *Memor. Com. Bonon.* anno MCCLXXIX die XII Februarii.

VII.

BONACIUS BERGOMAS.

I. Habuit academia nostra saeculo XIII illustrem humaniorum literarum professorem, Bonacium Bergomatem, qui, quamquam dum viveret maximam sibi famam comparasset, vix tamen ejus nomen posterior aetas agnovit. Bononiam adolescens venerat medio circiter saeculo XIII (1) ut humaniores literas perdisceret; atque in eo studio ita profecit, ut ceteros ejus facultatis professores longo intervallo post se reliquerit. Itaque in scholis nostris magno scholarium studio ad docendum expetitus, annis multis eo munere functus est; quod illi ita feliciter cessit, ut nemo aetate illa majores opes honoresque docendo consecutus sit. Quare scholastici laboris, ut opinor, pertaesus academiam nostram aliquando reliquit et in patriam bene nummatus reversus est. Discesserat ex scholis nostris anno MCCLXXXXI quod cum ingratissimum accidisset tum scholaribus exteris tum civibus nostris, de eo revocando studiose egerunt, sed incassum opinor. Epistolam vidimus Antonii de Fussiraga praetoris, Maphaei Madii capitanei, antianorum et consulum, atque consilii populi bononiensis ad eum scriptam XVI kalendas Maji anno MCCLXXXXI, qua summis precibus rogant et obsecrantur ne desertas velit absentia sua scholas bononienses, in quibus ab adolescentia educatus illud honoris opumque emolumentum fecerat, quod ante illum nemo. Ajunt vexari se perpetuis scholarium et civium querelis, ejus reditum flagitantium, nec ei licere, qui tamquam civis a nostris semper sit habitus quique civitatem nostram, quasi patriam suam matremque colere debeat, jure ab scholis nostris abesse, in quibus certum esset, eo absente, studia humanitatis miserandum in modum labefactam iri. Praeterea non majorem illi honorem quam lucrum et quaestum, si redeat, pollicentur. Ne quam vero excusationem praetendat, illum ajunt immunem ab omnibus scholae laboribus futurum, se id unum optare ut scholae praesit et studiosis eloquentiae fontes ostendat viamque commonstret, molestum illud scholasticae disciplinae exercitium inferioris subsellii magistellis, administris suis, relinquens. Scripserunt in eamdem sententiam ad praetorem et magistratus populi bergomatis, ut Bonacium ad reditum adigerent (2). Sed verisimilius est Bergomates ejus retinendi quam mittendi studiosiores fuisse; neque illum rediisse constat. Sed cum sacrae militiae nomen dedisset, presbyter factus est et canonicatu in patria sua insignitus (3).

II. Cum tanta esset ejus famae celebritas, non dubito quin plerique ex clarioribus viris, qui inclinante saeculo XIII humaniores literas Bononiae coluerunt, ejus scholam frequentarint. Ex eo numero fuit Joannes Andreae, qui aetate sua in jure canonico interpretando principatum tenuit. Memorat is cum laude Bonacium magistrum suum in auctariis ad Guilielmi Durantis *Speculum,* atque Bonacium, cum ab eo in grammaticis erudiretur, praedixisse se doctorem evasurum (4). Sed quoniam in libris editis, quos

(1) Ex epistola Praetoris et Magistratuum populi bononiensis ad eum scripta, quam in Appendice damus. Extat inter epistolas Antonii de Fussiraga, qui erat Bononiensium Praetor anno MCCLXXXXI, in codice membranaceo archivi Bononiae.

(2) Extat haec epistola in eodem codice.

(3) Vide quae mox adnotantur ex DIPLOVATACCIO in *Joannes Andreae.*

(4) « In grammatica profecit (Joannes Andreae) sub domino Bontio (lege Bonacio) de Bergamo, qui postea fuit sacerdos et canonicus pergamensis, a quo pronosticum habuit se futurum fore doctorem, et ipse refert in *Additamenta Speculi,* tit. *De filiis presbiterorum* in rub. ». DIPLOVATACCIUS in *Joannes Andreae.*

viderim, grammaticus iste, sub quo Joannes Andreae in prima aetate profecit, Bonifacius dicitur, dubitari potest de vero ejus nomine, qui fortasse ex usu vulgi propria nomina saepe corrumpentis Bonacius pro Bonifacio dicebatur.

VIII.

BENE FLORENTINUS.

I. Carolus Sigonius historiarum bononiensium libro quinto Benum, sive Bene, Florentinum, eximium iis temporibus grammaticum, ad literas publice tradendas Bononiam accitum, narrat anno MCCXVIII. Hunc Muratorius non alium existimat a Boncompagno, quem sub Beni nomine in Sigonii libris, inscio auctore ipso, latentem se deprehendisse gloriatur (1). Et sane ad id suadendum confluunt eadem patria, eademque aetas et professio et gymnasium bononiense; sed duos revera fuisse homines Boncompagnum et Bene dissimilis eorum vitae exitus ostendit.

II. Operam suam addixit scholis bononiensibus anno MCCXVIII magister Bene, ut ex ejus professionis formula, quam in Appendicem rejecimus. Scripta est kalendis Octobris ejus anni et concepta est iis fere verbis, quibus jurisperitorum professiones. Itaque promisit magister Bene se nunquam facturum ut scholae bononienses alio transferantur; si quidem id tentare compererit se impedimento futurum; sin minus, bona fide praetori Bononiensium indicaturum nec alibi umquam grammaticae scholam habiturum, quam in nostra civitate. Exceptam tamen voluit Florentiam patriam suam, in qua liberum sibi esse voluit ut clericos Ecclesiae florentinae docere posset, si quando ipsum quoque inter clericos ejus Ecclesiae cooptari contingeret. Quod autem ait Sigonius, grammaticum hunc a Bononiensibus accitum ut publice literas traderet, non video quam veri speciem habeat; neque enim erat ex more eorum temporum ut professores publice ad docendum accirentur; quem morem vix tandem exeunte saeculo XIII inductum constat.

III. Petrus de Vineis lugubri epistola hujus grammatici mortem deflevit ejusque laudes copiose prosecutus est. Sed amanuensium inscitia ejus nomen miris modis corruptum est in ea epistola, quae est septima libri sexti. In antiqua editione epistolarum Petri de Vineis, quae prodiit Basileae anno MDLXVI, *missa* dicitur epistola illa *scholaribus de morte magistri Bernhardi.* Eamdem lectionem retinuit Iselius in editione epistolarum Petri de Vineis, quae eo curante lucem aspexit anno MDCCXXXX. Sed Iselius ad vocem *Bernhardus* legendum monuit *Benedictus.* Viderat nempe in aliquo exemplari manu exarato hujus professoris nomen expressum hac vocula Bene, quam ipse compendio scriptam existimavit et ex ea inani conatu Benedicti nomen effinxit. Sed si paulo attentius epistolam ipsam legisset, nullo negotio genuinum hujus grammatici nomen esset assecutus. Scribit enim Petrus de Vineis illum ob doctrinae excellentiam non ex positivo, quod est Bonum, nobis autem Italis Bene, sed ex superlativo, quod nempe est Optimum, nomen meruisse. Grammaticum scilicet grammatice, hoc est inepte, admodum laudat. Verum et Iselio et editori basileensi aliqua venia danda est, germanis hominibus, qui cum vocabuli ejus *Bene* vim non intelligerent, alter in eo Bernhardum, alter Bene-

(1) MURATOR., *Rer. Ital. Script.*, t. VI, pag. 923.

dictum sibi videre visus est. Ac certe, ne quid dubii supersit, perantiqui codices, manuscriptus Barberinus et Chisianus, hoc ipsum nomen nitide expressum habent non solum in indiculo epistolarum ad calcem cujuscumque libri, sed etiam in ipso epistolae titulo in hunc modum: *Compassionis literae universis scholaribus de morte magistri Bene.* Summis porro laudibus hunc professorem extollit Petrus de Vineis hortaturque scholares omnes ut ejus funeri intersint, *orantes pro illo mirabili doctore, qui a mane usque ad vesperas clamavit sicut pullus hirundinis et ut columba meditatus est, ponendo animam pro scholaribus et docendo desiit et docuit desinendo.* Ita epistolam absolvit Petrus de Vineis; unde liquet magistrum Bene non aliquo in nosocomio post varios errores et rerum discrimina abjectum et inopem, ut de Boncompagno accepimus, sed in ipsa, ut ita dicam, palaestra atque in ipso scholastico munere vivere simul et docere desiisse. Atque hunc esse puto, qui aliquando episcopi bononiensis ab epistolis fuit (1), cujus mentio est in actis publicis civitatis ad annum MCCXXVI, ejusque filius esse potuit Matthaeus ille, qui scribendis interfuit codicillis Caravitae Denarii, qui patruus fuit Odofredi Denarii celeberrimi legum doctoris (2).

IX.

BERTOLUTIUS.

Delibatum jam aliquid de hoc grammatico ad philosophiae professores, ubi conjectando diximus fortasse eundem ipsum esse, qui tractatum de sphaera composuit. Ipsius certe sunt *Flores grammatici* qui inediti extant apud clarissimum Trombellum, amicum optimum; quod etiam monuimus. Oportet ipsum magni nominis fuisse in grammatica tradenda; ad calcem enim codicis haec adnotata videmus: *Expliciunt flores veritatis gramatice, compositi a magistro Bertolutio, fratre magistri Guiczardi bononiensis, qui in partibus omnibus Lombardie quam Tuscie doctor doctorum in gramatica reputatur.* Sed revera nihil habent suavitatis hi flores et in hac literarum luce puderet quemque, vel primis grammaticis rudimentis imbutum, tam male de ipsa aut scribendo aut docendo mereri. Excerpta aliqua ejusdem codicis dabimus in Appendice, ut de auctoris et temporum illorum infelicitate in his studiis excolendis quisque judicare possit.

X.

FRATER GUIDOTTUS.

Hujus nominis familia cumprimis nobilis Bononiae antiquos habet lares; et fuerunt qui Guidottum hunc ex eadem progenitum existimarunt. Sed nescio equidem quibus nitatur fundamentis haec opinio; quam tamen refellere neque velim neque vero ausim,

(1) Anno MCCXXVI, die IX exeunte Decembri, Henricus episcopus Bononiae concessit praetori Bononiae ut sacellum in palatio haberet, in quo sacrum fieri posset. « Actum in palatio domini episcopi presentibus magistro Bene scriba domini episcopi, domino Jacobo, domino Balduino, domino Semprebono legum doctoribus, domino Accursio legum doctore etc. ». Extat in archivo Communis Bononiae in libro, qui inscribitur *Registro Grosso,* pag. 561.

(2) Extant Caravitae codicilli in archivo Fratrum Minorum Bononiae lib. IV A, n. 5. In iis cum aliis testibus nominatur Matthaeus filius magistri Bene.

etsi certo sciam nihil de familiae dignitate et splendore detractum iri, si hoc ornamento, cum jam tot aliis abundet, eadem privetur. Jacobus Echard vidit Florentiae ad divae Annuntiatae codicem, qui continet versionem M. Tullii *De rethorica* librorum et subdubitavit, utrum Dominicanis suis Guidottum adscriberet, quem ante annum MD floruisse indicavit. Sed revera multo ante eum vixisse constat; aequalis enim fuit temporum Brunetti Latini et opus suum inscripsit Manfredo Siciliae Regi, Lancea nuncupato, adeoque pertinet ad saeculum XIII. Quo vero ad familiam, cui nomen dederit Guidottus, certi nihil statui posse arbitror. Clarissimus Laurentius Mehus in Ambrosii vita affirmat in prima litera illius codicis Guidottum exhiberi tunica alba indutum, ornatum pallio cinericii coloris. Si ita res se habet, profecto Dominicanis accenseri non poterit; cum in comperto sit vestium colorem, qui nunc est, eumdem plane fuisse in ipsis dominicanae familiae exordiis, quemadmodum clarissimus Mamacchius pluribus ostendit (Tom. I, *Ann. Ord. Praedic.*). Num vero Guidottus hic militibus s. Mariae, quos Gaudentes vocabant, fuerit adscriptus, quod sine ullo errandi metu Mehus affirmavit, viderint alii.

PRAEFATIO.

Plura ad hanc secundam operis partem praefari necesse non est; omnia enim, quae ad instituti nostri rationem pertinere poterant, suis locis satis diligenter, ut arbitror, et copiose disputata sunt. Partem hanc a theologiae professoribus ordimur; quorum quidem praestantia et nominis celebritas satis declarare potest, excellentissimam hanc facultatem in academia nostra excultam magnopere fuisse, atque idcirco eorumdem multitudinem aut desiderandam non esse aut revera scholis nostris non defuisse; quod postremum verisimilius arbitror.

Sequuntur deinde Archidiaconi, quibus quidem, tanquam nobilissimis academiae praefectis, locus in hoc opere erat dandus. Eorum seriem magna ex parte clarissimus Maurus Sartius paraverat, mihique solum ejusdem complendae ornandaeque labor relictus.

Post haec Appendix veterum monumentorum operi adnectitur, quae sane eidem accedunt tanquam praeclarissima totius historicae veritatis testimonia. Ea ad colligendum relicta integre mihi fuisse alibi dictum est; et eruditi quidem de hujus negotii difficultate atque etiam molestia dijudicare facile poterunt. In tanta autem et tam varia, ut ita dicam, monumentorum segete, pauca quaedam, sed certe minus necessaria et haud magnae utilitatis, in ingenti veluti agro delitescentia relinquere necesse fuit; quod quidem fateri ingenui scriptoris esse arbitratus sum.

Pauca nunc de operis continuatione. Coepta a Sartio methodus optima cuique videri debet spectata antiquitate rerum, de quibus nostra haec historia loquitur; ita enim nostrorum temporum eruditos comparatos esse novimus, ut omnia, quae ex ultima antiquitate eruuntur, magno in pretio habere soleant, nec aliquid in ipsa aut exiguum aut cognitione non satis dignum reperire unquam sciant. Sed haec antiquitatis laus academiae nostrae professoribus, qui sequuntur, paulatim et omnino tandem deerit; atque idcirco eos singillatim et omnia ad ipsos spectantia, si quis diligentissime persequi vellet, is, meo quidem judicio, otio et literatorum patientia pene intemperanter abuteretur. Itaque delectus quidam habendus erit, atque ex immensa professorum multitudine, qui XIV saeculo et sequentibus floruerunt, eos solum seligemus, de quibus frugifera et digna literatorum auribus disputatio institui poterit. Rem igitur totam altero volumine concludi posse arbitror; et multa jam non sine labore collegi, quae totius materiae loco

esse possunt, quaeque, si valetudinem boni Superi impertiant, diligenter disponere aggrediar.

Postremo liceat mihi pauca de me ipso loqui. Audivi saepenumero querelas eorum, quibus operis hujus editionem in longum nimis productam fuisse persuasum est[1]. Sed huic querelae occurram ipse iis rationibus, quae aequum judicem placare possint. In primis ingenue fateor demandatum munus in ipsis initiis mihi, novo homini, difficile admodum visum esse et nihil propius factum fuisse quam ut gravem et humeris meis pene imparem sarcinam deposuerim. Et certe norunt omnes difficilius coepta ab alio perficere quam nova moliri. Deinde dandum illud mihi a justis rerum aestimatoribus, magnae molis difficilisque indaginis opera longioris temporis usura carere non posse, praesertim si eadem singulari homini omnino incumbant. Fatendum tamen est magno mihi praesidio identidem fuisse clarissimum Cajetanum Montium, hujus meae patriae splendidissimum lumen eumdemque cum in omni tum vel maxime in reconditiori bononiensi antiquitate versatissimum; amicos praeterea alios, inter quos silentio praeterire non possum Clementem Blasium, congregationis nostrae monachum, strenuum olim in literis disciplinae meae alumnum, nunc in asceterio s. Gregorii de Urbe theologiae et canonum professorem egregium. Quo loco debitae laudis testimonio minime privandus est vir apprime doctus et integerrimus, atque de hujus operis editione optime meritus, Carolus Barberius, congregationis Oratorii presbyter; qui cum ab ipso jam Sartio rogatus id perhumaniter in se receperit ut typographicae correctioni praeesset, ita deinde operam suam praebuit et etiam nunc praebet, ut et nos ingenti molestia et labore levemur, et editio (quam jam typographi diligentia nitidam ornatamque reddidit) pro singulari, qua pollet, ortographicae rei scientia, prodeat quam emendatissima. Sed ut ad querelas redeam, meminerint, qui cunctationis nos arguunt, non omnia, quae ad operis confectionem necessaria sunt; semper in manu potestateque nostra esse, multa saepe apud alios quaerenda, quorum obsequendum est commodo.

Haec lectoribus nostris nota esse cupiebam. Caeterum satis semper mihi fuerit, laborem hunc meum probari posse optimo et incomparabili Pontifici, in cujus augustissimo nomine opus hoc apparet. Et vero illius clementiae praeclarissimum argumentum praebere mihi possunt ejus literae, superiore anno *in forma Brevis*, ut ajunt, ad me datae, quarum exemplum coronidis loco et ad hujus meae patriae decus et ornamentum, atque in primis ad declarandam eximii doctissimique Pontificis clementiam hic exhibere constitui.

---

(1) Bononiae MDCCLXIX. Ex Typographia Laelii a Vulpe, Instituti Scientiarum Typographi. Superiorum Auctoritate. (C. A.)

DILECTO FILIO

MAURO FATTORINI

ABBATI ORDINIS CAMALDULENSIUM

CLEMENS PP. XIV.

Dilecte Fili, Salutem ed Apostolicam Benedictionem. Quod Sacrae Memoriae Praedecessores nostri, primum Benedictus XIV, et deinde Clemens XIII curandum decreverunt ac doctissimo viro Mauro Sartio Abbati et tua Camaldulensi Congregatione mandarunt, ut De Claris Archigymnasii Bononiensis Professoribus scriberet, idem, illo vita functo, a te ad perficiendum ejusdem Clementis auctoritate esse susceptum vehementer gaudemus; nam qui jamdiu in doctissima illa urbe floruerunt viri, et praeclaras artes docuerunt, eorumdem celebrari literis ac ad posteros transmitti nomen aequissimum esse judicamus, et minime ambigimus tanto muneri parem esse doctrinam, ingenium, atque operam tuam. Libentissime itaque id excipiemus opus, et quibus in Pontificatu successimus, illorum etiam in ejusmodi eruditos labores animum transmissum Nobis esse profitemur. Quin sponte etiam nostra vehementer favemus Literis, eaque omnia, quae ipsarum splendorem augere possint, singulari studio complectimur. Idcirco et nostram illam civitatem omni

doctrinarum genere excultatissimam semper dileximus, et nunc maxime cupimus ut hoc ejusdem antiquum decus ac in tradendis disciplinis claritatem omnes agnoscant ac depraedicent. Quare non solum probari a Nobis, commendarique laborem hunc tuum existima, sed paratissimos etiam Nos esse ad ejusdem, ut appellas, primitias, quas Nobis offers atque inscribis, tuendas fovendasque patrocinio nostro, eaque pontificiae erga te benevolentiae accessione, quae plurimum pro tua in Nos observantia atque obsequio valere possit ad te magis magisque ad persequendam perficiendamque operam excitandum. Ac in paternae caritatis pignus Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die XVIII Maji MDCCLXXI, pontificatus nostri anno secundo.

BENEDICTUS STAY.

THEOLOGIAE PROFESSORES.

I. Multorum et in primis Hermanni Conringii opinio fuit, scholas bononienses theologiae professoribus caruisse usque ad annum MCCCLXII, quo anno Innocentius VI indulsit ut doceri apud nos ea facultas posset creari que doctores sive magistri, qui iisdem honoris insignibus ornarentur eodemque jure essent ac qui in scholis parisinis creabantur (1). Sed facile est istorum errorem convellere; neque enim Innocentius VI primus docendae apud nos theologiae auctor fuit, sed quod multo ante illud tempus privata hominum voluntate fiebat, deinceps auctoritate sua splendidiore quadam ratione fieri voluit. Quoad doctores vero sive magistros theologiae creandos, id enimvero ab Innocentio tunc primum indultum est; carebant enim eo privilegio scholae nostrae et, si qui ex nostris ante illud tempus eo honore augeri cupiebant, Parisios concedebant, ubi multo ante theologiae doctores, sive *magistri in sacra pagina* ut tum dicere amabant, ex indulgentia Summorum Pontificum creari coeperant.

II. Bononiae autem fuisse qui publice theologiam traderent et quidem annis amplius ducentis ante Innocentium VI, certissima res est. Constat enim Rolandum Bandinellum, qui postea, ad Romanam Sedem evectus, Alexander III est dictus, theologiam in scholis bononiensibus docuisse, quo tempore summi ille legum intepretes Bulgarus, Hugo, Martinus et Jacobus jus civile tradebant. Qua de re, ubi de Rolando Bandinello inter professores hujus facultatis, dicendum erit. Floruit eodem saeculo Bononiae theologus eximius Guilielmus Lucensis, de quo etiam postea et quidem non dubito plures alios fuisse, quorum ad nos ne nomen quidem aetas illa transmiserit. Nec omittendus est alter theologiae professor in scholis bononiensibus, cui Innocentius III causam quamdam commissam voluit (2). Scimus etiam Lanfrancum illustrem ea aetate fuisse theologum. Clarissimus Sartius, dum juris canonici professorum historiam scriberet, suspicatus aliquamdiu est nullum alium fuisse Lanfrancum quam qui jus canonicum in scholis nostris docuisset; sed comperiit postmodum ex illius aetatis monumentis floruisse revera in academia nostra alium Lanfrancum, qui theologiam docuit. Fortasse

(1) *Antiquitat. Academic.*, dissert. III, § 31.

(2) Extant literae Innocentii III ad magistrum r. theologum Bononiae commorantem, apud TROMBELLUM in *Hist. s. Mariae ad Rhenum*, pag. 420.

etiam theologis illorum temporum accensendus est Hubertus, ad quem extant literae ejusdem Innocentii III (1).

III. Illud itaque constituendum est scholam theologicam Bononiae multo antiquiorem esse quam Conringio visum sit. Si enim illud verum est, quod doctissimis viris placuit, theologiam a jure canonico olim distinctam minime fuisse, suaderi nobis facile patiemur utriusque facultatis studium ab antiquissimis temporibus in iis scholis floruisse, quae constitutae erant ad majorem ecclesiam bononiensem et in monachorum aedidus ac maxime ad divi Stephani et divi Proculi.

IV. Sub initia saeculi XIII Honorius Pontifex scripsit praelongam epistolam encyclicam ad Ecclesiarum praelatos, qua confirmatum voluit decretum concilii III lateranensis sub Alexandro III et lateranensis item IV sub Innocentio III de instituenda theologiae schola in ecclesiis cathedralibus singularum metropoleon; ac plura addit ad facilius promovendam hujusmodi institutionem. Confirmat etiam decretum concilii turonensis sub Alexandro III ad annum MCLXIII, celebrati contra monachos, qui e claustro ad leges civiles et physicam audiendam exibant; quam constitutionem ad archidiaconos etiam et quosvis clericos dignitates et ecclesiastica officia obtinentes, atque etiam ad presbyteros pertinere voluit. Denique ad dignitatem theologicorum studiorum, quae Parisiis suam veluti sedem locasse videbantur, sustinendam ac tuendam, vetat ne quis leges romanas Parisiis aut in eorum viciniis publice doceat vel audiat. Habemus hujus epistolae praecipua capita inter decretales Gregorii IX (2), atque integram nuper edidit clarissimus Flaminius Cornelius senator venetus in quarta Ecclesiarum Venetarum decade (3). Auctor est Sigonius Honorium singillatim episcopo bononiensi de hac re scripsisse. At revera in ea epistola nulla occurrit mentio scholarum bononiensium; adeoque de hoc nihil certi statuere possumus.

V. Sed alia tamen fuit scholae theologicae facies Bononiae post exortos et bene constitutos in ea Praedicatorum et Minorum praeclarissimos Ordines. Et quidem apud Praedicatores celeberrimae fuerunt scholae in ipso monasterii aditu erectae, quarum saepe mentio occurrit in antiquis eorum temporum monumentis (4). Adeo autem ejus familiae alumni sacris studiis erant addicti, ut, cum primo in civitate nostra domicilium statuerunt, non tam novus Ordo quam nova scholarium congregatio Bononiae instituta diceretur.

VI. Credi vero potest, imo et debet, magnam professorum illustrium copiam brevi extitisse in eo Ordine, in quo certatim omnes ad pietatem doctrinae conjunctam nitebantur. Scimus praeterea complures viros jam bene doctos in eumdem cooptatos; atque, ut de caeteris taceam, certe venerabilis Moneta, de quo egimus inter philosophiae professores, Praedicatoribus adscriptus, in summum evasit theologum. Quid vero quod aliqui putarunt, ipsum theologorum principem, Thomam nempe Aquinatem, ad aliquod saltem tempus Bononiae fuisse? Nuperus certe et nobilis ejus vitae scriptor de hac re, tam-

(1) *Collect. III,* tit. IX, c. 5. Mandat episcopo mutinensi et magistro H. theologo subdiacono pontificio et canonico modociensi, ut publicari faciant per dioecesim Imolae et Bononiae Innocentii litteras contra pravam ordinationem factam ab episcopo bononiensi. Hunc esse magistrum Hubertum colligimus ex l. 1 Decret. Gregorii IX *De temp. ordinat.*, c. 13. Ex ejusdem autem Innocentii literis eadem *Collectione*, c. 4, videtur hic Hubertus Bononiae fuisse.

(2) Lib. III, tit. I *Ne Clerici vel Monachi;* et lib. V, tit. *De magistris*, et tit. *De privilegiis*.

(3) *Eccl. Venet. antiq. monum. illustr.*, dec. IV, p. 97.

(4) In archivo Fratrum Praedicatorum t. IX in tabulis, anno MCCLXVIII scriptis, legitur: « Actum in domo Fratrum Praedicatorum juxta scholas ipsorum Fratrum ». In aliis tabulis, anno MCCCII, die XXVII Augusti: « Actum Bononiae in domo Fratrum Praedicatorum sub porticu domus scholarium ».

quam non ignota, loquitur statuitque Thomam in magna hominum frequentia de rebus theologicis hic disputasse [1]. Non dubium igitur quin theologorum multitudine gloriari potuerit academia bononiensis, de quibus modo historiae hae nostrae loquerentur, si eorum saltem nomina superesse potuissent.

I.

PETRUS LOMBARDUS.

I. Petrus Novariae in Insubribus natus, unde Lombardus dictus est. Editis *Sententiarum* libris, vulgo Magister Sententiarum, atque ἁπλῶς etiam Magister est appellatus. Eum nempe quasi primum theologiae, quae in scholis traditur, doctorem et veluti parentem agnoverunt majores nostri, ejusque libros quasi sacrum quemdam codicem, a quo dissentire nemini sine crimine liceret, venerati sunt.

II. Dum annis aliquot Parisiis docuisset, canonicatu carnotensi auctus, deinde episcopus parisiensis creatus est, in qua dignitate vix annum vixit. Praeter libros *Sententiarum,* pro more theologorum aetatis suae, divinarum scripturarum libros interpretatus est, de quo videndus Oudinus et Caveus. In ejus libris *Sententiarum* reprehensum aliquid est. Illud tamen minime reprehendendum, quod aliqui ei adscribunt, salebrosam illam theologiae tradendae rationem, ex qua nihil vel ferme nihil utilitatis percipi possit. Nativam quamdam hujus disciplinae tradendae methodum sequutus est Lombardus, quam postea theologi, invectis in eam dialecticorum ineptiis, omnino perturbarunt. Ipse ex optimis fontibus suam hausit doctrinam, et si quid aut subtilius aut obscurius ab eo scriptum, dandum id facile tempori, quo vixit.

III. Adam Tribechovius (*De doctoribus ecclesiasticis,* pag. 285) putat Lombardum non mediocriter profecisse ex libris Joannis Damasceni *(De fide orthodoxa),* qui recens latini redditi fuerant. Procurrit in eamdem sententiam J. A. Fabricius (*Bibli. med. et inf. latin.* l. 15). Et sunt etiam non pauci, qui Lombardum plagii accusent, quod in suum censum contulerit quae jam antea commentus fuerat Bandinus in *Summa theologica* sive *Sententiarum theologicarum,* libris IV, editis deinde Viennae anno MDXIX. Sed hac culpa liberant alii, inter quos laudatus Fabricius, cum saltem incertum sit an ante vel post Lombardum vixerit Bandinus ille [2].

(1) Touron, *La vie de s. Thomas d'Aquin,* liv. III, chap. 3, 9, 2: « De Milan le s. Docteur se rendit à Bologne, où les supérieurs l' avoient appellé, soit à l'occasion du Chapitre général, soit à la prière de l' Université, qui depuis plusieurs années faisoit des fortes instances, pour se procurer un homme si capable de soutenir et d' augmenter l' éclat de sa réputation. Il donna à la ferveur de sa dévotion les prémiers jours de son arrivée dans une maison, qui a l' avantage de posséder les dépouilles de saint Dominique; il passoit une partie de la nuit devant ce sacré tombeau, et en méditant sur les vertues de son glorieux patriarche, il demandoit à Dieu son secours, pour les exprimer en lui même, par une fidéle imitation. Après avoir ainsi passé quelques semaines dans le recuéillement et la retraite, il commença ses leçons de théologie; et on vit dès-lors à Bologne, ce qu'on étoit accoutumé de voir dans tous les lieux où il enseignoit, je veux dire une nouvelle ardeur pour l'étude; le concours des citoyens et des étrangers, qui venoient de loin pour l' entendre; l' admiration et l' applaudissement de tous ceux qui avoient le bonheur ou d' écouter ses discours ou de recevoir ses décisions ».

(2) Reprehendendus Oudinus, qui sine ulla errandi formidine affirmat (t. II, pag. 1222). Bandinum longo post Lombardum tempore vixisse. Fuit Banchinus Londinensis August. qui anno MCCCLXXXII interfuit concilio londinensi contra Wiclefitas, quique, praeter sermones ac determinat. variar. librum scripsit contra positiones Joannis Wiclefi. Vide Ptiseum, pag. 539, Bulaeum, VI, 97. Errat igitur Oudinus, qui putat Banchinum hunc unum eumdemque hominem fuisse cum Bandino, *Summae Theologicae* auctore.

IV. Jam nunc de ejus studiis et ubinam eadem instituerit diligenter videndum. Ac Petrum quidem Bononiae studiorum causa fuisse, atque ex academia bononiensi ad parisiensem migrasse fatentur vel ipsi Galli scriptores in primis illustres, Bulaeus, Mabillonius, Du Bois aliique. Nemo itaque jure a nobis postulaverit ut domesticis monumentis id confirmetur, quod exterorum nominis celebritate praestantium consensione universitati nostrae conceditur. Sed hi quidem statuunt Petrum primis adolescentiae suae annis dumtaxat apud nos studiis vacasse; quam sententiam vel dispungere vel saltem extenuare nunc oportet, ne academia nostra ea laude, quae mediocris certe non est, privetur. Itaque constat in primis Petrum ex Italia in Gallias ita profectum, ut primo aliquamdiu Rhemis substiterit, deinde Parisios migraverit, acceptis commendatitiis literis a Bernardo Clarevallensi ad Gilduinum s. Victoris abbatem et canonicos, quo novo domicilio per aliquod temporis intervallum usus est. Scripta est haec epistola circa finem vitae s. Bernardi, ut patet ex eo, quod et in nupera editione Mabillonii et in antiquioribus quibusque inter postremas sancti abbatis epistolas locum habet; quare non est dubitandum quin etiam in melioris notae codicibus manuscriptis eumdem locum obtinuerit. Itaque accuratissimus Mabillonius eam collocat inter illas, quae scriptae sunt circa annum MCLII et cum sibi Petrum commendatum scribat sanctissimus praesul a lucensi episcopo, hunc putat fuisse vel Ubertum vel Gregorium. Sed pro Uberto Othonem nominare debuisset, qui ab anno MCXXXX ad annum MCXXXXVI eam sedem tenuit eique Gregorius successit, qui ab anno MCXXXXVI ad MCLXIV lucensi Ecclesiae praefuit. Quod si epistolam illam scriptam reipsa putaverit circa annum MCLII non alius esse potuisset episcopus lucensis, qui Petrum Bernardo commendatum voluit, quam Gregorius, ut satis manifestum est. Sed ut ordo, quem ea epistola tenet inter caeteras Bernardi, demonstrat eam esse rejiciendam inter scriptas extremis vitae suae annis a sancto abbate; ita nulla certa ratio suppetit, cur tam sero scripta dicenda sit, et si eam adscribas anno MCXXXXVI vel MCXXXXVII omnia egregie componi poterunt; atque ita Petrus Lombardus in Gallia fuisset annis XII antequam episcopus crearetur; quod satis profecto erat ad famam ei comparandam. Facilis igitur conjectura ex his ducitur Petrum jam grandem natu et nominis celebritate satis jam illustrem in Galliam commigrasse, adeoque haud brevi tempore theologicis disciplinis in academia nostra operam dedisse.

V. Sed Petrum revera, adulta jam aetate et bene doctum in sacris disciplinis, itineri se commisisse constare etiam potest, si quid sentio, ex eadem Bernardi epistola, in qua sanctus abbas Petrum appellat *virum venerabilem;* quod sane de juvene severioribus studiis vix delibuto recte dici non posset. Accedit quod Petro jam Lombardi nomen inditum erat, quo a s. Bernardo in hac epistola appellatur, quodque etiam fortasse non minimam hominis celebritatem demonstrare potest. Denique Petrus ipse quemadmodum Rhemis non admodum diu fuerat, sic Parisiis etiam haud sane longiores moras agere cogitabat, ut satis constare potest ex divi Bernardi verbis; *Rogans* (nempe lucensis episcopus, qui Petrum Bernardo commendaverat), *ut ei parvo tempore, quo moraretur in Francia causa studii, per amicos nostros victui necessaria providerem, quod effeci, quamdiu Rhemis moratus est. Nunc commorantem Parisiis vestrae dilectioni commendo, quia de vobis amplius praesumo; rogans ut placeat vobis providere ei in cibo per breve tempus, quod facturus est hic usque ad Nativitatem Beatae Virginis Mariae.* Atque id argumento est Petrum in Gallias non migrasse ut ibi sacrarum literarum studia quodammodo institueret, sed ut in iisdem diu multumque versatus suo illo gallicano itinere

doctior fieret, celebriores audiret atque cognosceret factae doctrinae professores, qui Rhemis et Parisiis ea aetate, praesertim apud s. Victorem, florebant. Itaque factum est ut qui vix paucos menses Parisiis degere cogitabat, reliquum vitae tempus in ea civitate transegerit, incertum an a theologiae amatoribus invitatus an loci amore captus, in quo disciplinae theologicae suum veluti domicilium parare jam coeperant, quod postea firmum ac perpetuum, ejusdem Petri beneficio, per consequentes aetates habuerunt. Ut enim, vulgato decretorum volumine Bononiae per Gratianum, jus canonicum suos quodammodo lares in hac ipsa civitate statuisse visum est, ita et Parisiis post libros *Sententiarum* a Petro Lombardo editos nullibi magis theologiae studia floruerunt, quae profecto non ex aliis fere fontibus, quam ex iisdem Petri libris, quasi ex sacro quodam codice, petebantur, quibus interpretandis illustrandisque quotquot subinde excelluerunt theologi suam operam impenderunt.

VI. Haec si quis animo praejudicatis opinionibus soluto reputet, judicabit fortasse Petrum Lombardum non solum in scholis nostris sacris disciplinis perdiscendis vacasse, sed easdem etiam tradendi munere functum esse, ibique concepisse animo consilium redigendi veluti in corpus quoddam et in certa capita distribuendi theologicam doctrinam Gratiani exemplo, qui simili ordine ecclesiasticas leges et Patrum decreta donaverat. Neque enim ovum ovo similius, quam Gratiani Collectio libris *Sententiarum* Petri Lombardi. Quod si quis etiam conjecturis amplius indulgere velit, forte sibi suaderi patietur Petrum Lombardum aegre tulisse novam illam tradendi juris pontificii methodum, quam Gratiani scripta invexerant, quaeque theologica studia a jure canonico, cum quo amicissime conjuncta semper fuerant, avellere inceperat; itaque Petrum Lombardum, hanc quasi canonistarum defectionem indignatum, novum illud suum theologicum opus exordiri aggressum esse, ut afflictae theologiae opem aliquam ea ratione praestaret. Si haec vera sunt, non mediocris certe laus accedit antiquae illi nostrae scholae theologicae, quod parisiensi academiae Petrum Lombardum dederit, *Magistrum Sententiarum* vulgo appellatum, quem totius christiani orbis scholae in theologicis disciplinis, tamquam ducem praeclarissimum, per plures aetates secutae sunt et ea quidem consensione ut ejus libri tercentorum celebriorum virorum commentariis illustrati dicantur.

II.

ALEXANDER III PONT. MAX.

I. Rolandum Bandinellum, alii Paparonum dicunt, qui ex canonico Ecclesiae pisanae Romanae Ecclesiae cardinalis creatus est, mox autem Pontifex Alexandri III nomen gessit. Antequam ab Eugenio III gravioribus curis et ecclesiasticis procurationibus destinaretur, docendi munus in scholis aliquando obivisse, non obscure indicare videtur anonymus scriptor, quem ex codice Vaticano laudavit Baronius (1), ac postea Muratorius in lucem edidit (2). Is enim Rolandum fuisse dicit in divinis et humanis literis eruditum, virum quoque *scholasticum et eloquentia polita facundum* (3). Dum autem *scholasticum*

(1) Baronius, *Annal. ecclesiast.* ad anno MCLIX.
(2) Murator., *Rer. Ital. Script.*, t. III.
(3) « Erat vir eloquentissimus et in divinis et sacris Scripturis et humanis sufficienter instructus, et in eorum sensibus subtilissima exercitatione probatus, vir quoque scholasticus et eloquentia polita facundus, vir siquidem prudens, benignus etc. ». Ibid.

dicit, procul dubio ostendit hominem fuisse, qui docendo in scholis famam sibi comparaverit. Id autem apertius ex Roberto de Monte auctore synchrono intelligimus, qui eum vocat *praeceptorem magnum in divina pagina* jurisque canonici et civilis peritissimum; et huic quidem, cui perdiscendo vix credibile est illum alibi dedisse operam, quam in scholis nostris; scholae enim, in quibus jurisprudentia traderetur extra civitatem nostram vel nullae prorsus erant vel non ita celebres, ut tantum virum ad se allicere possent. *Fuit,* inquit Robertus, *in divina pagina praeceptor maximus et in decretis et in romanis legibus praecipuus. Nam multas quaestiones difficillimas et graves in decretis et legibus absolvit et enucleavit* (1).

II. Sed ubinam Rolandus docendis sacris disciplinis vacaverit, de hoc sane nec auctor anonymus a Muratorio editus, neque Robertus de Monte quidquam memoriae prodiderunt. Habemus id ab Huguccione ferrariensi episcopo, celebri quondam scholarum nostrarum professore, qui in sua *Decretorum Summa* tempus indicans, quo liber decretorum a Gratiano fuerat in lucem emissus, id accidisse ait eo ipso tempore, quo Alexander III ante pontificatum sacras literas et Jacobus, quem Irnerii discipulum fuisse ferunt, jus civile Bononiae docebat (2). Loquitur autem Huguccio de ea re tamquam notissima, nec de ejus fide dubitari potest, quippe qui non multo post Gratianum vixit et sedente adhuc Alexandro III fortasse jam coeperat jus canonicum ex Gratiani libris in nostris scholis interpretari (3).

III. Dubium non est igitur, quin Alexander III, sive Rolandus Bandinellus in academia nostra floruerit cum Gratiano et Jacobo, atque adeo cum Bulgaro, Hugone et Martino, praecipuis romanae jurisprudentiae post Irnerium instauratoribus, qui eodem tempore vixerunt.

IV. Pisis fuisse Rolandum anno MCXXXXI, inter canonicos ejus Ecclesiae adscriptum, ostendere videntur tabulae a Guidone Grandio in appendice ad epistolam de Pandectis ad Averanium productae, quibus Rolandus canonicus post Alduinum archiepiscopum et Guidonem canonicum subscribit (4). Anno rursum MCXXXXVII Rolandum Pisis degentem habemus ex aliis tabulis ab eodem viro incomparabili prolatis (5). Ob haec duo monumenta difficile esset tempus certo definire, quo Rolandus in scholis nostris sacras literas docuerit, praesertim cum dubitari possit num ab anno MCXXXXI ad MCXXXXVII perpetuo apud suam Ecclesiam pisanam constiterit, an tantum ad tempus ob aliquod negotium ab academia nostra Pisas diverterit; neque enim inusitatum inauditumque fuisset, ut etiam post adeptum canonicatum pisanum absens ab Ecclesia sua versari posset in scholis; quod plurimos deinde scholarum nostrarum professores ex Romanorum Pontificum indulgentia fecisse compertum est. Quoniam autem alio loco dictum est Gratianum colligendis ecclesiasticis legibus circa annum MCXXXX occupatum fuisse, circa eumdem annum Rolandum Bandinellum docendi munere functum in scholis nostris manifestum est, sive is annis aliquot ante illum ipsum annum MCXXXX, aut

(1) Robert. de Monte in *Append. ad Sigebert.* Edidit Dacherius post opera Guiberti ab., pag. 803.

(2) Vide quae hac de re dicta sunt in Gratiano a clarissimo Sartio.

(3) Vide in Huguccione inter *Juris Canonici Professores.*

(4) « Actum Pise infra Ecclesiam s. Fridiani anno Domini millesimo centesimo quadragesimo secundo (scilicet, more Pisano) octavo kalendas Madii indictione quarta .... Ego Rollandus pisane Ecclesie canonicus diaconus interfui et subscripsi ». Grandi, *Epist. de Pandect.,* pag. 183.

(5) « In nomine Domini .... anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo quadragesimo octavo, ipso die kalendas Octobris indictione undecima .... Ego Rollandus diaconus et canonico, etc. ». Ibid., pag. 190.

Atque hic etiam est annus more pisano notatus, qui est juxta aeram communem MCXXXXVII.

post eumdem annum sacras disciplinas in scholis nostris tradiderit. Neque obstant veteres tabulae a Grandio editae, quo minus etiam post annum MCXXXXI docendi provinciam sustinuerit, ut supra est dictum, praesertim cum inter cardinales cooptatus non sit ante annum MCL, secus ac Ciaconio visum fuerat, qui eum anno MCXXXXV ab Eugenio III hujusmodi auctum dignitate scripserat (1).

V. Sed quidquid de hac re tota sit, pro qua certe numquam pugnarem posito pignore, dubitari certe non potest Rolandum Bononiae docuisse; atque admodum verisimile est ex magna celebritate nominis et opinione doctrinae, quam sibi in tradendis sacris disciplinis comparaverat, Eugenium Pontificem permotum fuisse ut eum ad se accerseret iisque dignitatibus ornaret et procurationibus adhiberet, quibus gradum sibi fecit ad supremum ecclesiasticae hierarchiae principatum. Quo ut ascendit, nihil morae fecit quin statim ad episcopum et clerum bononiensem et ad legum doctores ceterosque scholarum nostrarum magistros scriberet seque in Romanum Pontificem adlectum nuntiaret. Est hoc primum et eximium monumentum pontificiae existimationis erga bononiensem academiam, quam statim ab ipsis sui pontificatus exordiis sibi maxime devinctam voluit, ut certum in ea praesidium haberet contra ferale schisma, quod in Ecclesia Dei eo ipso tempore primas veluti radices agere videbat. Et sane in praelongo pontificatu, quem gessit, ut ille semper fuit civitati nostrae addictissimus, ita haec vicissim suam fidem optimo Pontifici sancte servavit. Sed de hoc summo viro, quem jure comparare possis cum illustrioribus sanctioribusque viris, qui umquam difficillimo tempore Ecclesiam administraverint, quemque Divinitatis instinctu constat per illud tempus datum Christianae Reipublicae, ut esset qui Friderico Aenobarbo, feroci homini et impotenter ad Ecclesiam opprimendam anhelanti, resisteret. Actum agerem si quae fortiter ac sapienter gessit ab innumeris scriptoribus, qui de iisdem magna cum laude scripserunt, vellem haurire atque in hunc locum contra instituti nostri rationem inducere.

III.

GUILIELMUS LUCENSIS.

Oportet sane Guilielmum hunc magni nominis theologum fuisse, qui etsi in aliena civitate hospes, in majore tamen Bononiensium templo perhonorificum titulum meruit. Successit fortasse in cathedra theologica Rolando Bandinello jam ad cardinalatum assumpto; et huic quidem opinioni temporum ratio obesse non potest, cum Guilielmum extremum diem obiisse anno MCLXXVIII constet ex ejus titulo sepulchrali. Integrum hic damus ut dijudicare quisque possit de hujus theologi fama, cujus ne nomen quidem modo superesset nisi illud marmore insculptum nobis aetas illa relinquere voluisset.

» Hic Guilielmus erat Lucensis origine dictus,
» Cui merito nomen lucis origo dedit.
» Sacrae doctrinae titulis et honore magistri
» Lucens, Italicis Lucifer alter erat.

(1) Rolandi cardinalis nomen nullibi reperio in diplomatibus Eugenii III, aliisque eorum temporum monumentis, quae scripta sint ante annum MCLI, ut conjici possit illum inter cardinales adlectum non fuisse ante annum MCL, quo anno Eugenius mense Decembri cardinales tertium creavit.

» Quod prius in speculo gerebat lumine vero,
» Nunc cernit deitas, nunc patet ipsa sibi.
» Post vitam vita fruitur, mors pocula mortis
» Huic dedit, ad vitam sumpsit et hausit ea.
» Augusti sibi prima dies fuit ultima vitae,
» Hujus et ad vitam janua prima fuit
» Anno milleno centeno septuageno
» Octavo D. . . . . ni (1), mors sibi vita fuit.

IV.

ALEXANDER DE SAVENSBY

EPISCOPUS CONVENTRENSIS.

I. Floruit initio saeculi XIII in scholis nostris Alexander natione anglus, theologus illustris, qui cum annis multis sacras disciplinas publice docuisset, cathedram episcopalem in Anglia, unde erat oriundus, obtinuit. Colligimus haec ex s. Antonino, qui tertia parte Chronici in vita s. Dominici (2) hujus nostri professoris, aliunde ignoti, meminit honorificentissime. Post narratam enim mirabilem scholaris bononiensis conversionem: *Haec,* inquit, *magister Alexander vir honestus et verax super versu illo psalmi: « Misericordia et veritas obviaverunt sibi », in scholis dixit et in suis postillis notavit. Hic fuit multo tempore magister in theologia et postea factus est episcopus in Anglia, unde erat oriundus.* Scripsit noster hic theologus vel commentaria vel adnotatiunculas saltem in sacros libros, ut a s. Antonino accepimus; ac videtur, ejus praecipuum munus fuisse sacras literas in scholis interpretari.

II. Anno MCCXXIII nondum erat episcopus; hunc enim ipsum esse puto magistrum Alexandrum doctorem theologiae, qui Bononiae electus est arbiter in causa, quae agitabatur inter abbatem et monachos s. Stephani et Fratres Cruciferos de quibusdam praediis rusticis. Constat id ex tabulis ea de re confectis, quarum hoc est initium:
» In nomine etc. anno MCCXXXIII, die ultima exeunte Martio, indictione XI. In domo
» Guidolini Marchesii in porta s. Petri in qua moratur infrascriptus magister Alexander
» presentibus magistro Tancredo canonico bononiensi et magistro Petro Hispano magi-
» stro decretorum et magistro Johanne Hispano de Petesella et magistro Elia Anglico
» et magistro Tebaldo Albianensi, dominus Marsilius syndicus monasterii s. Stephani
» ex parte una et Bonajutus syndicus hospitalis Cruciferorum nomine suo etc., arbi-
» trum eligunt ad finiendam suprascriptam litem magistrum Alexandrum doctorem theo-
» logie, subdelegatum a domino Paduano episcopo et a magistro Guilielmo Normano
» decretorum doctore (3) ». Quibus ejus causae cognitio videtur a Pontifice commissa fuisse cum facultate subdelegandi alios judices. Atque hic quidem tot illustrium hominum conventus apud Alexandrum habitus, atque haec ipsa ejus deputatio ex judice delegato in arbitrum, qui amice controversiam componeret, procul dubio ostendunt hunc virum magnae auctoritatis fuisse et summo in honore habitum.

(1) Domini.
(2) Part. III, tit. XXIII, c. V, p. 2.
(3) Extat in archivo s. Stephani, nunc Senatus Bononiae.

III. De ejus episcopali sede in Anglia nunc videndum. Anno MCCXXX conventrensis erat episcopus Alexander nomine, qui constitutiones edidit ad suae dioecesis institutionem utilissimas et dignas gravi theologo et sacrarum literarum magistro. In iis enim vix quidquam praescribitur, quod aptissimis divinarum literarum testimoniis non comprobetur, ut totum fere opus sacris Scripturae verbis et sententiis sit contextum (1). Hunc igitur, quoniam temporis ratio apprime congruit et certum ejus doctrinae argumentum habemus, ipsum esse Alexandrum existimo, qui sacras disciplinas in scholis nostris tradiderit. Moveor ut id credam auctoritate etiam Thomae Chesterfeldii, antiqui et probati scriptoris, qui in historia conventrensium et lichfeldensium episcoporum Alexandri episcopi electionem ita accidisse narrat. Dissidentibus monachis conventrensibus et Capitulo lichfeldensi in eligendo antistite, post judicium archiepiscopi cantuariensis, qui electionem per monachos factam irritaverat, appellatum est ad Sedem Apostolicam. Itaque Honorius III, qui tunc Romanae Ecclesiae praeerat, postulantibus Capituli procuratoribus, monachis vero valde recusantibus renuntiavit ipse episcopum magistrum Alexandrum de Savensby, eumque in pervigilio Paschae episcopum consecravit III kalendas Aprilis anno MCCXXIV (2). Sed error est in his notis chronicis, ac scribendum videtur anno MCCXXV, quo anno Pascha incidit in diem III kalendas Aprilis. Quod si annus MCCXXIV retinendus sit, ut Wartono videtur, qui Thomae Chesterfeldii historiam edidit in Anglia sacra (3), pro III kalendas Aprilis scribendum erit XVIII kalendas Maii, hoc enim die Pascha celebratum est. Addit Balaeus Alexandrum hunc conventrensem et lichfeldensem episcopum doctrina scriptisque claruisse (4). Atque haec omnia egregie favent opinioni nostrae. Alexander enim, de quo sermo, et sacris disciplinis magnopere conditus fuit et cum anno MCCXXIII Bononiae degeret, ut supra est demonstratum, anno utique MCCXXIV, sive eo qui proxime sequutus est, consecrari potuit ab Honorio III episcopus conventrensis et lichfeldensis. Tenuit autem eam sedem non sine egregiae laudis testimonio ad annum usque MCCXXXVIII, quo e vita cessit apud Andover, VII kalendas Januarias, ut narrat idem Wartonus (5). Videri etiam potest Franciscus Godwin, qui in suo de praesulibus anglicis Commentario (6) Alexandrum etiam Tolosae docuisse narrat.

V.

S. SILVESTER ET BENVENUTUS.

I. Theologicae disciplinae in nostra academia alumnos egregios et par sanctissimum liceat ex antiquo pulvere eruere. Silvestrum dico, Congregationis Silvestrinorum parentem eximium, et Benvenutum ejus in studiis collegam et postea auximanae Ecclesiae anti-

(1) Apud Wilkins, *Conc. Britann.*, t. I, pag. 640.

(2) « Dominus vero Papa Honorius III providit eodem die de pastore utrique Ecclesiae tum conventrensi quam lichfeldensi assignans illis magistrum Alexandrum de Stavemby, qui idem Papa postulantibus canonicis, monachis vero postulare nolentibus, in vigilia Paschae ordinavit in praesbyterum et die Paschae in crastino consecravit episcopum una cum episcopo parisiensi, anno Domini MCCXXIV, tempore regis Henrici III, scilicet III kalendas Aprilis ». Th. Chesterfeld apud Warton, *Angl. Sacr.*, t. I, pag. 437, 438.

(3) Warton in adnot. ed. Th. Chesterfeld, *Histor.*, loc. cit.

(4) Bulaeus, Cent. III, c. 94 apud Warnon, loc. cit.

(5) Ibid.

(6) Pag. 316.

stitem. Natus ille Auximi in Piceno (1), sub finem saeculi XII, nimirum anno MCLXXVII, et iis studiis, quibus adolescentes impertiri solent, in patria eruditus, Bononiam a patre est missus, ut hic juris civilis scientia abundaret.

II. Sed juvenis, Deo volente, legum civilium strepitum aversatus, sacris studiis magna animi contentione se addixit una cum Benvenuto. Habemus id ex venerabili Andrea Jacobi fabrianensi, auctore synchrono, qui, vita functo sancto abbate, ejusdem vitam conscripsit (2), cujus maximam partem audierat a Benvenuto adhuc superstite et Ecclesiae auximanae praefecto. Arbitror equidem plures annos apud nos fuisse Silvestrum, quem in patriam vix reversum, ad canonicatum concivium suorum votis expetitum eoque auctum scimus. Itaque crediderim non solum didicisse apud nos sacras disciplinas, sed etiam pro more temporum docuisse, praesertim cum laudatus ejus gestorum scriptor affirmet, brevi admodum temporis intervallo magnos in theologia progressus fecisse. Eam dignitatem cum aliquandiu tenuisset profuissetque magnopere suis civibus morum integritate et divini Verbi praedicatione, majora animo concipiens, novam monachorum congregationem prope Fabrianum faustis auspiciis instituit, quae vivit adhuc ad totius Piceni et benedectini Ordinis ornamentum.

VI.

DIVUS ANTONIUS PATAVINUS.

I. Et hoc accedat academiae nostrae ornamentum; quae de tanti viri incertum, an magis doctrina an sanctitate vere gloriari potest. Nihil attinet ejus gesta commemorare, cum hanc Spartam jam occupaverint complures nobilissimi scriptores, in quibus certe neque diligentiam neque rerum copiam desiderare poteris. Antonium Bononiae theologiam aliquandiu tradidisse statuunt omnes, qui de ipso scripserunt; et proferuntur etiam literae s. Francisci, quibus Antonio facultatem facit sacras disciplinas Bononiae inter suos tradendi. Ego quidem definire non ausim quantum his literis tribuendum sit; attamen Antonium hic theologiam docuisse non dubito. Polentonus statuit omnium primum fuisse Antonium, qui in Minorum Ordine ad legendum fuerit destinatus (3). De hoc dubitat Wadingus; et nuperrimus ex eodem Ordine scriptor (4) fatetur quidem, jam inde ab anno MCCXVI Bononiae inter suos theologiae studium institutum, sed inconsulto imo invito Francisco, a quo etiam dissolutum narrat. Legitima ipsius initia assignat deinde anno MCCXXIII, quo tempore ex Francisci voluntate studium apud Minores coepisse arbitratur; quod etiam jam statuerat doctissimus Sigonius(5), qui postquam attulit Archidiaconi spalatensis testimonium de celebri sermone Bononiae habito a s. Francisco in festo Assumptionis B. M. V. anno MCCXX, statim addit: *Cum autem beatus Franciscus scholam theologiae Bononiae instituere cuperet, ac virum inter caeteros eminentem scientia quaereret, neminem habuit quem Antonio Ulyssiponensi praeferret.*

(1) *Chronic. Silvestr.*, lib. I, c. 1.

(2) Extat autographa in archivo s. Benedicti Fabriani. Ejus particulam, quae huc pertinet, dabimus in Appendice.

(3) In *Vita s. Antonii*, n. 37.

(4) Antonius Azzoguidius Ordinis Minorum, in notis ad *Vitam s. Antonii*, scriptam a Polentono, quae praecedit sermones in psalmos ejusdem s. Antonii, editos Bononiae ab eodem, anno MDCCLVII, nota 37, pag. 93.

(5) *De Episcopis Bononiensibus*, lib. II, t. III. Opera editio mediolanensis, pag. 432.

II. Non dubito autem, quin apud egregiam familiam recens tunc institutam, quemadmodum apud Praedicatores, ut diximus, theologiae professores hic labentibus annis abundaverint; et inter eos quidem arbitror illustrem admodum fuisse Raymundum Berengarii, Bonagratiam de sancto Joanne in Persiceto, qui Apostolicae Sedis nuntii munus gessit sub Gregorio X una cum Hieronymo de Esculo et Bonaventura de Mugello. Ad hos extant ejusdem Pontificis literae (1), datae Viterbii nonis Novembris anno primo, qui est annus MCCLXXII, quibus mandat Imperatori Graecorum suadeant ut apocrysarios suos mittat ad concilium lugdunense.

VII.

LANFRANCUS CANONICUS BONONIENSIS.

Floruit in academia nostra inter theologos Lanfrancus canonicus bononiensis, qui alius est a Lanfranco Cremensi, de quo dictum jam est inter canonum professores (pag. 393). Innotuit clarissimo Sartio Lanfrancus iste beneficio perantiqui epistolarii auctoris anonymi, quod ipse reperit in archivo canonicorum s. Petri Romae, quodque per literas indicavit clarissimo Montio adjecitque ex eo intelligi Lanfrancum hunc de bononiensi episcopatu cum Gerardo Areosto contendisse. Sed Sartii literas, quas jampridem mecum communicavit idem clarissimus Montius, frustra inter meas schedas conquisivi easque intercidisse dolui. Itaque cum fervente typographi opere non suppetat modo opportunas, atque huc spectantes notitias per amicos Romae degentes ex eodem epistolario comparare, satis fuerit indicasse professorem hunc, de quo plura loquemur, si quid scitu dignum occurret, cum epistolarii ipsius specimen aliquod dabimus in Appendice.

VIII.

FRATER GUERRICUS DE S. QUINTINO.

Abstinerem ab accensendo hoc Guerrico professoribus nostris, nisi me plurimum moveret auctoritas egregii Jacobi Echard, qui in suo opere *De scriptoribus Ordinis Praedicatoribus* eum Bononiae fuisse ac theologiam inter suos tradidisse arbitratur (2). Virum hunc Augustae Veromanduorum natum, Parisiis plures annos philosophiam et etiam medicinam magna omnium commendatione professum, ac tandem inter primos alumnos domus sanjacobeae cooptatum fuisse statuit ex Fratre Stephano de Borbone auctore synchrono, qui opus conscripsit: *De septem donis*. Sed cum de quondam Guerrico mentio etiam fiat in *Vitis Fratrum P. IV*, ac de eo c. 12 sic legatur, *Frater quidam vir religiosus et Parisiis in theologia magister cum studeret Bononiae et Frater Guerricus, qui tunc legebat ibi per se et Fratres multos ad Ordinem adduceret, de die in diem magis indurabatur;* idem Echard, ut omnia componat, unum eumdemque exhibet

(1) Sunt in Codice diplomatico Ecclesiae bononiensis quemadmodum, et aliae iisdem datae Lugduni VII kalendas Decembris anno secundo. Dabimus integras in Appendice.

(2) T. I, pag. 113.

Guerricum, qui Parisiis longiore tempore, Bononiae aliquandiu saltem theologiam tradiderit. Parisios deinde reversus, solum amplius non mutavit, ac non sine eximiae pietatis fama ibidem supremum diem vidit, circa annum MCCXXXXV. Ejus obitus describitur in *Vitis Fratrum,* P. V. c. 4, et eleganter pro gustu temporis appellatur: *Dolium crystallinum propter sapientiae bonitatem, profunditatem humilitatis et doctrinae nitorem.* Multa scripsit Guerricus, quae accurate recenset laudatus Echard, apud quem videri possunt.

IX.

BOMBOLOGNUS.

I. Ex multis quos, ut diximus, Fratrum Praedicatorum Ordo sacrarum disciplinarum scientia claros in ipsis suis initiis effudit, illustrem admodum fuisse Bombolognum comperimus. Sub finem saeculi XII theologiam docuit, in qua quidem ita excelluit ut prolixos et pro temporum conditione doctrina refertos commentarios scripserit super quatuor *Sententiarum* libros. Vidimus in bibliotheca secretiore s. Dominici eorum autographum in tria volumina distinctum. Et quidem ad calcem primi voluminis haec adnotata leguntur: « *Istud est originale primum hujus scripti et est de manu dicti Fratris Bombologni, qui fuit contemporaneus venerandi doctoris et admirandi Fratris Thomae de Aquino ejusdem Ordinis Praedicatorum, qui nondum fecerat Summam in theologia. Anima utriusque doctoris requiescat in pace* ». Igitur ante annum MCCLXIX suum opus absolvit Bombolognus; constat enim Angelicum *Summam theologicam* ad eum annum perfecisse [(1)]. Cum autem auctor adnotatiunculae, qui certe est synchronus, quietem adprecetur utrique animae, apparet Angelicum inter Divos nondum relatum; quod contigit initio XIV saeculi, nimirum anno MCCCXXIII.

II. Bombolognum nominatum aliquando reperio Bombologninum in laudato codice, fortasse ut ab alio ejusdem nominis ejusdemque professionis distingueretur. Indicarunt enim mihi, qui archivi s. Dominici monumenta saepius evolverunt, incidisse se aliquando in Bombolognum, syndicum appellatum. Ego vero in eodem archivo tabulam testamentariam offendi, in qua Bombolognus lector dicitur, eique ab amico nescio quid legati nomine decernitur. Haec ergo optime componi possunt si Bombolognum unum et alterum fuisse statuamus. Floruit hic noster non modo doctrinae sed etiam sanctitatis laude insignis; quod habemus ex alia adnotatiuncula in eodem codice, sic enim legitur post primum librum: *Incipiunt literalia super primo Sententiarum dicti Fratris Bombologni bononiensis, cujus vita sancta fuit et doctrina vera.*

---

(1) Ex Jacobo Echard., *Scriptorum Ordinis Praedicatorum*, t. I, pag. 271, 272.

ARCHIDIACONI ECCLESIAE BONONIENSIS.

Spectabilis semper fuit archidiaconatus bononiensis, quo viri undequaque clarissimi omni tempore perfuncti sunt. Lambertus de Flagnano cum pietate literisque ad archidiaconatum bononiensem pervenisset, ex ea dignitate gradum sibi fecit ad omnium maximam, quam Romanus Pontifex creatus, Honorii II nomine assumpto, administravit. Neque multo post Gerardus unus et alter et Henricus, continua veluti successione, ex archidiaconatu ad episcopatum bononiensem sunt evecti. Et nondum tamen archidiaconatus bononiensis eam honoris accessionem acceperat, quam postea consecutus est. Honorius III ad summam dignitatis evexit cum eum veluti moderatorem et praefectum esse voluit academiae bononiensis, mandans neminem ad docendum in scholis nostris assumi quin librum, ut ajebant, acceperit et publico judicio ab archidiacono sit probatus (1). Eidem indulsit Honorius, ut si quem ex scholaribus contingeret manus in alterum, qui clericus esset, injicere, eum ab contracta ob id noxa absolvere posset (2); quae postmodum et alii Pontifices rata habuerunt, et Paulus II, qui etiam aliquandiu archidiaconatum bononiensem gesserat, honorifice confirmavit. Atque hanc archidiaconi bononiensis auctoritatem creandi doctores a Sede Apostolica acceptam agnoscit glossa in Clementina *De magistris* (3). Ex eo tempore multo magis aucta est archidiaconi bononiensis dignitas et deinceps expetita a viris amplissimis, praesertim cum ad inusitatos honores quaestus etiam non minimus accesserit; in maxima enim scholarium undique adventantium copia, cum multi doctoris insignia perciperent, ea res bene archidiacono vertebat, ad quem vacuis manibus nefas erat accedere. Illud etiam percommodum fuit archidiaconis bononiensibus, quod a Bonifacio VIII obtinuerunt. Quoniam enim ex officio suo scholis nostris praeesse debent, quod nisi a praesentibus vix fieri posse videtur; propterea indulsit Bonifacius, ut aliorum quorumlibet beneficiorum, si quae ipsi obtineant, fructus jure possint absentes percipere. Id concessit Bonifacius VIII Guidoni Baysio archidiacono ejusque successoribus, ut ex ejus literis, quas suo loco producemus (4).

(1) Vide infra in GRATIA archidiacono.

(2) Ibid.

(3) « Et sciendum quod aliqui conferunt (gradum doctoris) auctoritate apostolica, ut Archidiaconus Bononiae, aliqui de consuetudine, aliqui de jure communi ». Glos. in *Clem. De Magistr.*

(4) « Bonifacius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio G. Archidiacono. Cum in civitate Bononiae studium per Dei gratiam vigeat generale, cui Archidiaconi Bononienses, qui sunt pro tempore, praeesse noscuntur etc. ». *Vide Appendicem.*

Quoniam igitur archidiaconus bononiensis academiae nostrae praeses auctoritate pontificia constitutus est (majorem cancellarium aliqui appellant) non abs re erit archidiaconorum chronotaxim hoc loco contexere, praesertim cum multi ex eo numero fuerint, qui antea inter scholarum nostrarum professores maxime claruerunt. Si quis autem plura cognoscere velit, quae archidiaconi bononiensis jura, privilegia, atque officia pertinent, adire poterit Angeli Gaggii commentariolum, quem de hoc argumento conscripsit. Juvat interim hic pro coronide sigillum vetus, quo olim archidiaconi bononienses in suis consignandis diplomatibus utebantur. Extat apud Ubaldum Zanettum [1] antiquitatum patriarum investigatorem solertissimum.



I.

JOANNES.

Archidiaconi munus in Ecclesia bononiensi antiquissimum esse non dubito. Sed tamen ante annum DCCCCLXXIII quis eam dignitatem obtinuerit, non liquet. Primus igitur archidiaconus bononiensis e tenebris emergit Joannes, qui cum antistite suo Alberto, sive Adalberto, interfuit placito Honesti archiepiscopi ravennatis in loco Marzalia celebrato, cui post episcopos, qui interfuerunt, primus subscripsit *Joannes Archidiaconus Sanctae Bononiensis Ecclesiae.* Id patet ex ejus actis, quae has notas chronicas praeferunt: *Temporibus domini Benedicti Apostolici ...... ejus in Dei nomine anno primo, imperante domino Ottone piissimo, anno VI, die nono Septembris* [2].

II.

TEUZO.

Teuzonem archidiaconum prodit insignis charta Adelfredi episcopi, anno MXXXXV scripta, quam ex archivo canonicorum Ecclesiae bononiensis in lucem protulit Sigonius in *Episcopis Bononiensibus,* ubi de Adelfredo agit et post ipsum Alidosius, ubi *De Canonicis.* In ea charta post presbyteros Ecclesiae bononiensis primus in ordine Diaconorum occurrit Teuzo archidiaconus; de quo viro nihil aliud nosse datum est, praeter ejus nomen et dignitatem, quam in Ecclesia bononiensi obtinuit.

(1) Nunc apud Haeredes.

(2) Apud Labbè.

III.

SAMUEL.

Anno MLXII bononiensem archidiaconum hebemus Samuelem, cujus mentio est in tabulis canonicorum Ecclesiae bononiensis ad eum annum scriptis, quae hoc initium habent: *In nomine sanctae et individuae Trinitatis, anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo sexagesimo secundo; regnante domino Enrico, filio Enrici imperatoris, anno sexto, pridie kalendas Martii, indicione XV, Paulus presbyter donat in canonica regularis sanctae bononiensis Ecclesiae, et domino Leone Archipresbitero et domino Samuele archidiacono* « agros prope flumen Rhenum » *infra vico qui vocatur Britalia et trans flumen Sapinam in loco qui vocatur mercurano* (1). Vides hic archipresbyterum archidiacono praemissum, qui mos aliquandiu duravit. Post autem, archidiacono primus ab episcopo locus in clero bononiensi datus est, ut deinceps patebit.

IV.

DALDUS.

Daldum archidiaconum bononiensem fuisse novimus ad annum MLXXXIX ex charta Gerardi episcopi bononiensis eo anno scripta, in qua post Gerardum subscripsit Daldus ipse archidiaconus. Eam protulit Ughellus in *Patriarchis Venetiarum*, ubi abbates s. Georgii Majoris recenset (2).

V.

CLARISSIMUS.

Clarissimum archidiaconum exhibet nobis insignis charta Mathildis Comitissae, quam e chartophylacio canonicorum Ecclesiae bononiensis erutam in lucem proferimus (3). Scripta est anno MCV et amplam donationem continet canonicis Ecclesiae bononiensis facta a piissima ac nobilissima foemina, ex cujus patrimonio erat castrum Argelatae, cui vicina erat ecclesia s. Michaelis hic designata. Etiam Massa Taurani, sive, ut alias appellari solebat, Torani, de qua hic sermo est, ad patrimonium Mathildis Comitissae pertinuit; sita enim erat in Medicinae finibus; qui item locus ex ejus patrimonio fuit, at ex ejus testamento ad Romanam Ecclesiam pervenit. Eodem anno Clarissimum archidiaconum subscriptum video post Victorem episcopum in charta archivi Canonicorum Lateranensium s. Joannis in Monte (4); nec ullibi praeterea ejus mentionem reperio.

(1) Archivum canonicorum s. Petri, fasc. I, n. 10.

(2) UGHELL., *Italia Sacra*, t. V, col. 203.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) « Anno MCV, die septima mensis Maji. Victor episcopus Bononiae in emphyteusim concedit praedia quaedam Alberto Rustici de Leonibixa, aliisque in Flexo. Subscribit Victor ipse, et post illum clarissimus Archidiaconus ». In archivo s. Joann. in Monte, fasc. II, n. 25.

VI.

LAMBERTUS DE FAGNANO

POSTEA

HONORIUS II PONT. MAX.

I. Flagnani locus est in Forocorneliensium finibus, Bononiensibus tamen nostris ab antiquissimis temporibus subjectus. Ex eo loco, ubi in lucem editus est, cognomen duxit Lambertus, vir sui saeculi clarissimus. Hic primo archidiaconus fuit Ecclesiae bononiensis, tum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis, denique ad Petri cathedram evectus est et Honorius II appellatus. Pandulphus Pisanus, qui cum in Pontificem electus est praesens adfuit, sic de illo scribit: *Honorius, qui et Lambertus, ostiensis episcopus, sedit annos V. Hic de mediocri plebe comitatus Bononiensium genitus, bene tamen literatus, a domino Papa Paschali receptus est et in episcopum velitrensem promotus* (1). Quod hic *de mediocri plebe* audis, intelligendum est de loco, ubi natus est, non de familia, quam consentiunt plurimi apprime nobilem fuisse et Bononiae, quo ex Flagnani loco, unde originem duxit, se contulerat, diu floruisse. Quod autem Pandulphus Flagnanum ex comitatu Bononiensium fuisse dicit, pertinet ad politicum ejus loci statum, qui Bononiesibus paruit, licet in agro forocorneliensi situs esset. Itaque in marginali adnotatione ad codicem antiquum cardinalis Aragonii Honorius II dicitur *De oppido Flagnano (alias Fagnano) agri imolensis.* Item in descriptione Italiae cardinalis Anglici, tempore Gregorii XI confectae, *Villa Fagnani* in comitatu imolensi recensetur (2). Ceterum reliqui fere scriptores Honorium patria bononiensem dicunt, tum quod Flagnani locus Bononiensibus parebat, tum quod ex familia genitus sit, quae Bononiae maxime floruerit.

II. Sunt qui Lambertum canonicis regularibus Congregationis Rhenanae adscribendum putent. Alii ex canonicis regularibus Ecclesiae bononiensis, qui erant ad divi Petri, fuisse volunt. Et alterutrum quidem verum esse potest; utrumque, ut quibusdam videtur, meo quidem judicio, non potest. Mihi enim persuasum est, singula haec collegia canonicorum, quae erant ad divi Petri, ad divi Victoris, ad s. Mariae de Rheno, ad s. Eutropii, ad s. Joannis in Monte et in aliis fortasse Ecclesiae civitatis et dioecesis bononiensis, si eorum prima jura atque originem spectes, nihil commune habuisse inter se, praeter regularis vitae disciplinam, quemadmodum et monachorum monasteria, antequam societatem inter se inirent et in congregationes varias coalescerent. Primi ex nostris canonicis regularibus, qui id fecerint, fuisse videntur, qui erant ad divi Victoris et ad divi Joannis in Monte, qui jam inde a XII saeculi initio uni praefecto parebant et in unum corpus coiverant. His adjuncti sunt canonici regulares, qui erant ad divi Eutropii in agro bononiensi, ut manifestum est ex diplomate Clementis IV in archivo s. Joannis in Monte (3). At canonicos rhenanos cum canonicis divi Petri ejusmodi societatem unquam inivisse non constat.

(1) In *Addit. ad Ciaccon.*, t. I, col. 955.
(2) In comitatu Imolae « Villa Fagnani » in qua sunt focularia XXXII.
(3) Datum Viterbii II id. Decembris, anno tertio.

III. Lambertum porro archidiaconum bononiensem fuisse, etsi nullibi ejus mentionem in monumentis bononiensibus reperire contigerit, in dubium vocare non licet. Nam, praeter scriptores nostros Sigonium (1), Ghirardaccium (2), aliosque id aperte affirmantes, accedit auctoritas Romualdi Salernitani archiepiscopi, scriptoris synchroni, qui, post narratam Callisti II mortem, ita de Honorii II electione habet: *Anno MCXXVI, indictione IV. Huic successit Honorius II natione lombardus, prius archidiaconus bononiensis, postea cardinalis, deinde episcopus ostiensis, qui et Lambertus dictus est* (3). Quamdiu autem archidiaconatum gesserit, non liquet; sed tamen non admodum diu crediderim munus illud obtinuisse; nullibi enim, ut ante dixi, ejus archidiaconatum in tabulis et monumentis eorum temporum memoratum video. Nam quod in kalendario Archigymnasii bononiensis, cujus excerpta aliquot non exigua in adnotationibus ad libros historiarum bononiensium Caroli Sigonii afferuntur, Lambertus publice in scholis nostris docuisse dicitur, id aeque commentitium est, ut kalendarium ipsum. De hoc summo viro verbum non addam; nam quae cardinalis postea ac Romanus Pontifex creatus gessit, ea pertinent ad historiae ecclesiasticae scriptores. Illud tamen moneo certam rationem mihi nullam occurrere ut Lambertus post Clarissimum sit ponendus, potuit enim Lambertus archidiaconatum gerere ante annum MCV, quo Clarissimum archidiaconum habemus.

VII.

RODALDUS.

I. Rodaldum archidiaconum reperio in tabulis archivi Ecclesiae metropolitanae ravennatis, quibus continentur acta consecrationis Henrici, bononiensis episcopi, anno MCXXX celebratae ad s. Joannem in Persiceto. Juvat eas tabulas totidem verbis afferre, dignissimas profecto ut loci donentur (4); plura enim hinc discere possumus ad historiam bononiensem ejus temporis illustrandam, quae frustra alibi requiremus. Cum bellum esset inter Bononienses et Ravennates, nec posset Henricus cum suis clericis et necessario comitatu Ravennam tuto proficisci, ut a ravennati archiepiscopo consecraretur, archiepiscopus ipse delegit Castrum s. Joannis in Persiceto, quod est ad eam partem agri bononiensis, qua Mutinensium fines attingit. Eo igitur profectus est Gualterius Ravennatium antistes, erantque una, praeter multos ex clero ravennati et bononiensi atque aliarum civitatum pluresque viros nobiles, Dodo mutinensis episcopus, Jacobus faventinus, Beno forocorneliensis et Petrus ficoclensis. In hoc igitur tam illustri conventu consecratus est Henricus episcopus bononiensis, praesente etiam Gerardo cardinali s. Crucis in Jerusalem. Haec ex iis tabulis intelligimus. Ac de bello certe ad annum MCXXX inter Bononienses et Ravennates gesto, cujus in hisce tabulis mentio est, altum in scriptoribus nostris silentium. Eos etiam latuit annus, quo Henricus episcopus inauguratus est. Ajunt illum designatum sive electum fuisse episcopum jam inde

(1) Sigonius, *De Episcop. Bonon.*

(2) Ghirardacci, *Historia di Bologna*, lib. II. — Ciacconius, t. I, ubi de Honorio II.

(3) Romuald. Salern., *Chron.*, *Rer. Ital. Script.* t. VII, pag. 183.

(4) *Vide Appendicem.*

ab anno MCIV, quo tempore, ut est apud Ghirardaccium (1), tres simul fuerint episcopi bononienses electi, quo nihil fingi potest magis a disciplina Ecclesiae alienum. At in tabulis s. Luciae de Rofeno, quae abbatia erat in agro bononiensi, tres simul ad eum annum nominantur episcopi bononienses designati, Gerardus, Victor et Henricus, praeter Bernardum episcopum, qui eo ipso anno obiisse dicitur. Hujusmodi tabulae frustra quaesitae sunt in archivo ejusdem abbatiae s. Luciae de Rofeno, adeoque nullibi gentium easdem umquam extitisse, putandum est. Qui primus hanc fabulam de tribus episcopis eodem tempore designatis, praeter Bernardum episcopum inauguratum, venditavit, chartam, opinor, vidit Bernardi episcopi ad consecrationem Ecclesiae s. Luciae de Rofeno spectantem, cui cum postea tres episcopi, qui deinceps Ecclesiam bononiensem moderati sunt, subscripsissent, ut rei gestae testes accederent, imperitus aliquis existimavit eos omnes eodem tempore vixisse; et quoniam unus tantum esse potest unius Ecclesiae episcopus consecratus et Ordinarius, pronum fuit ut reliquos tres, quos subscriptos videbat, electos sive designatos diceret. Similem ego chartam vidi in archivo canonicorum Ecclesiae faventinae, quam edidit Tondutius, historiae faventinae scriptor (2). Ea est Ethici episcopi, qui canonicis et clericis Ecclesiae suae multa liberaliter donat. Subscribunt longo ordine canonici et alii ex clero faventino et testes aliquot; tum inusitato quodam more post omnes Ethicus episcopus; inferius autem et extra ordinem duo episcopi Petrus et Leo in hunc modum

† *Ego Petrus, faventinae Ecclesiae ep. m. m. ss.*
† *Ego Leo, electus faventinus ep. m. m. ss.*

Ovum ovo similius non est, quam haec charta Ethici episcopi faventini illi chartae, quam olim vidit quisquis ille fuit, qui, praeter legitimum episcopum Bernardum, tres electos induxit, Gerardum, Victorem et Henricum, si quidem monumentum illud unquam fuit, nec tres isti episcopi designati vani hominis somnium fuerint.

II. Sed redeo ad acta consecrationis Henrici episcopi. Discimus etiam ex hoc insigni monumento, qui Bononiensium conatus fuerint pro adstruenda Ecclesiae suae libertate et autonomia adversus archiepiscopum ravennatem. Nihil in historia notius est quam Wiberti archiepiscopi ravennatis pertinacia, qui in schismate henriciano diu se pro Pontifice Romano gessit, Clementis III nomine assumpto. Propter hanc Wiberti perfidiam legitimus Pontifex Paschalis II Ecclesiam ravennatem jure metropolitico privavit et Ecclesias provinciae ravennatis a pristina subjectione exemptas in libertatem asseruit. Post autem, extincto schismate, antiqua jura Ecclesiae ravennati reddita sunt; quod credibile est minus gratum accidisse civitatibus et episcopis provinciae ravennatis, ac praesertim Bononiensibus nostris, qui tanto iniquius pati debebant illam Ecclesiae nostrae subjectionem Ecclesiae ravennati, quanto jam tum civitas nostra opibus et populi frequentia reliquas Aemiliae provinciae superabat. Atque hinc factum puto ut Bononienses gustatam semel libertatem, perpetuam esse quam maxime optaverint. Itaque cum inaugurandus esset episcopus Henricus, frequentes adfuerunt plures nobilissimi viri, civitatis principes, qui nihil non egerunt ut Henricus nullo se vinculo subjectionis erga Ecclesiam ravennatem obstringeret. Sed Gualterius archiepiscopus non ante episcopum bononiensem se consecraturum professus est, quam is ex veteri more fidem sibi tanquam metropolitano suo obligasset. Si quis autem nosse cupiat quid archiepiscopo ravennati promitterent ejus provinciae episcopi, cum ab eo inungebantur, adeat sacramenti for-

(1) Ghirardaccius, lib. II.

(2) Tondutius, *Storia di Faenza*, p. I, pag. 154.

mulam ab Henrico episcopo mutinensi usurpatam, cum ab Anselmo archiepiscopo ordinatus est anno MCLVII, quam ex veteri charta tabularii metropolitanae Ecclesiae ravennatis in Appendice dabimus.

III. Rolandi archidiaconi rursum mentio est in diplomate Henrici episcopi bononiensis pro canonicis s. Victoris; quod, quia ineditum est et multis nominibus aestimandum, operae pretium erit e tenebris illud eruere et publica luce donare (1). Ejus tale initium est. *In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus Dei gratia sancte bononiensis Ecclesie episcopus, servus servorum Dei, Alberio* (2) *priori et fratribus in ecclesia s. Victoris, quae juxta Bononiam sita est, divino servitio mancipatis tam presentibus quam futuris in perpetuum, ecclesiastice sollecitudinis pietas nos jugiter ammonet etc.* Subscribit post Henricum episcopum Rolandus archidiaconus, cum aliis ex clero bononiensi. Datum est autem hoc diploma *Indictione XI Incarnationis dominice, anno MCXXXIII, nonas Madii, pontificatus autem domini Henrici anno IV.* Multa sunt in hoc diplomate aut nova aut parum usitata in aliorum episcoporum diplomatibus. Tale est quod episcopus se dicat *Servum Servorum Dei;* item circulus in ima pagina adscriptus cum iis verbis: *Sancta Bononiensis Ecclesia;* et salutationis formula solemnis *Benevalete* monogrammate expressa; annus denique *pontificatus* diplomati adscriptus; quae omnia usurpata primum arbitror ab episcopis bononiensibus, quo tempore a subjectione Ecclesiae ravennatis exempti fuerant, imitatione quadam, seu potius aemulatione archiepiscoporum ravennatium, qui haec omnia in suis diplomatibus servabant. Sed haec obiter. De Rodaldo archidiacono gravis oritur difficultas. Qui enim fieri potest, ut anno MCXXXIII subscribat diplomati Henrici episcopi, cum jam inde ab anno MCXXX archidiaconum habeamus Maurelium in quadam charta archivi canonicorum bononiensium eo anno conscripta? Difficilis nodus, de quo videant alii qua ratione possit dissolvi.

VIII.

MAURELIUS.

I. Charta, quam dixi, his notis configurata est: *Temporibus domini Henrici episcopi Bononiae, archipresbiteri Lamberti atque Maurelii archidiaconi, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo, indictione octava, rege Henrico defuncto ...... Honorio Papae actum in curia Medicine, in fundo Torani, in loco qui vocatur Paradiso, plebe sanctae Mariae que vocatur Buita* (3).

II. Ejusdem Maurelii rursum mentio est in tabulis canonicorum regularium Congregationis Rhenanae ad divi Salvatoris, anno MCXXXVII, ad diem XII kalendas Octobris. In iis enim legimus Morellum archidiaconum cum ceteris canonicis Ecclesiae bononiensis, quemdam ecclesiae suae fundum locasse. Morellum autem hunc non alium esse a Maurelio manifestum videtur. Anno etiam MCXXXX ejus nomen occurrit in

(1) Extat in archivo Canonic. Regul. Lateranen. ad s. Joannis in Monte. — *Vide Appendicem.*

(2) Ex priori canonicorum s. Victoris creatus est Alberius Regiensium episcopus. Ejus obitus notatur in hunc modum ad diem VII idus Martii in necrologio s. Victoris: « Obiit dominus Alberius reginus episcopus, qui fuit prior noster MCXXXXII ».

(3) Archivo s. Petri K. 2.

charta Eremi Camaldulensis, qua continetur concordia inter Henricum episcopum bononiensem et Raynerium abbatem s. Michaelis Castri Brittorum, cui scribendae praesens cum aliis multis fuit *archidiaconus bononiensis Ecclesiae, qui Morello vocatur* (1).

IX.

BONIFACIUS.

Ab anno MCXXXX, quo Maurelium archidiaconum habemus, ad annum MCLXVIII, quis eam dignitatem obtinuerit non liquet. Eo anno Bonifacium archidiaconum prodit Alexandri III diploma Bonifacio ipsi, Alberto archipresbytero et caeteris canonicis Ecclesiae bononiensis concessum, quo eorum jura ac bona confirmat; quod, quia nuspiam editum est, dabimus in Appendice ex codice membranaceo archivi canonicorum Ecclesiae bononiensis.

X.

GERARDUS DE GISLA.

I. Ex gente in civitate nostra olim nobilissima, quae ex Gisla agnomen gessit, prodiisse dicitur Gerardus, primo canonicus Ecclesiae bononiensis dein archidiaconus post autem episcopus. Erat in canonicorum collegio ad annum MCLXXIII, ut ex duplici charta ejus anni in eorumdem canonicorum tabulario. Rursum in aliis ejusdem tabularii monumentis anno MCLXXXVII, ad diem X kalendas Julii, inter canonicos Ecclesiae bononiensis nominatur. At eo ipso anno, Martio mense, Gerardum archidiaconum bononiensem nobis exhibet Urbani III diploma, quo Gerardo ipsi archidiacono et Uberto archipresbytero ceterisque canonicis bona et jura bononiensis Ecclesiae confirmantur.

II. Suspicari ergo licet vel Gerardum archidiaconum, qui per id tempus fuit, alium esse a Gerardo de Gisla, vel duos fuisse Gerardos ex ea familia inter canonicos Ecclesiae bononiensis, quorum altero ad archidiaconatum electo, alter inter canonicos superstes fuerit. Vix tamen dubitare audeo, quin Gerardus iste ex Gislae familia fuerit, quod unanimi scriptorum bononiensium consensu admittitur, quibus persuasum est Gerardum Gislam ex archidiacono bononiensi ejusdem Ecclesiae episcopum creatum. Id accidisse narrant ad annum MCLXXXVII, vacante bononiensi cathedra ob decessum Joannis episcopi, cujus obitus in necrologio s. Joannis in Monte, idibus Januarii, his verbis notatur (2). *O. dominus Gerardus episcopus bononiensis.* Multa ab eo egregie facta narrant historici nostri, ac praesertim Carolus Sigonius (3); atque omnium primus fuit, qui episcopus bononiensis et princeps sit appellatus. Novo etiam aut certe raro admodum exemplo praetor civitatis adlectus est; quo intelligi potest quae majorum nostrorum de ejus prudentia et aequitate opinio fuerit (4). Visitur adhuc epigraphe ad aediculam,

(1) *Annal. Camaldul.*, t. III. Append. col. 389.
(2) Ghirardaccius, lib. IV.
(3) Sigonius, *De Episcop. Bonon.*, lib. II.
(4) « Hac sunt quaedam adjectiones factae praescriptae concordiae et paci (Bononiensium et Ferrariensium) tempore domini Gerardi Gislae episcopi, et tunc potestatis Bononiae, anno MCLXXXXIII ». Murator., *Antiquit. medii aevi*, dissert. XXX.

vulgo *La Croce de' Santi,* posita, qua designantur sanctorum lipsana ad eum locum a Gerardo deposita, anno Domini MCLXXXXII. Eam ad Gerardum hunc pertinere certa res est, quemadmodum observatum Sigonio ceterisque scriptoribus nostris.

XI.

GERARDUS DE RIOSTO.

I. Cum itaque ad episcopatum bononiensem evectus esset Gerardus de Gisla archidiaconus, in ejus locum suffectus est Gerardus de Riosto, ex praenobili gente, quae etiamnum Bononiae floret et Areosta jamdiu appellatur. Fuerat hic etiam bononiensis Ecclesiae canonicus (1), et archidiaconatum tamdiu gessit quamdiu in vivis fuit Gerardus de Gisla episcopus. Illo enim obeunte, in ejus locum creatus est episcopus anno MCLXXXXVIII, ut narrant historici bononienses. Ex ejus actis dum archidiaconatum gereret, illud unum novimus, anno MCLXXXXVII cum Nigro archipresbytero et Henrigetto de Fracta, magistro Oddone ac reliquis canonicis Ecclesiae bononiensis, ratam habuisse sententiam Gerardi subtilis, qui jus Bononiae dicebat pro Matthaeo Corrigiensi praetore, in causa canonicorum cum Azzolina comitissa, uxore olim nobilis viri Gerardi de Lamula, ut ex tabulis in archivo canonicorum Ecclesiae bononiensis (2). In episcopatu autem plura de illo narrantur, quae ad institutum nostrum non pertinent.

II. Illud tamen reticendum non est quod historicos nostros latuisse videtur, Gerardum scilicet, cum ad annum usque MCCXIII Ecclesiam bononiensem gubernasset, non quidem sponte, ut aliqui scripserunt, sed jussu Innocentii III episcopatum abdicasse, vel eo munere privatum fuisse, ut ex literis ejusdem Pontificis intelligimus ad archiepiscopum ravennatem et episcopum cremonensem datis, quas exhibet Rubeus historiarum ravennatium libro sexto (3). Senserat multo ante Gerardus se imparem esse gerendo episcopali muneri et Pontifici promiserat quamprimum se abdicaturum. Atque interim accidisse arbitror, ut civitatis et dioecesis bononiensis visitatio commissa sit ab eodem Innocentio III Azoni abbati s. Stephani; qua de re est Innocentii ipsius epistola inter decretales Gregorii IX (4). Sed cum Gerardus moras necteret nec fidem suam liberaret, vel etiam aperte negaret se numquam id promisisse, mandavit Pontifex archiepiscopo ravennati et episcopo cremonensi ut quantocius Gerardum ad abdicandum adigerent; sin autem vel recusaret vel etiamnum tempus ducere institueret, ipsi pro potestate exauctorarent et idoneum successorem eligi curarent (5). Est autem in ejus locum electus ille idem, quem in archidiaconatu successorem habuerat, de quo jam dicturi sumus.

(1) Anno MCLXXXIII, kalendis Novembris, et anno MCLXXXVIII, X kalendas Julii, Gerardus de Gisla et Gerardus de Riosto nominantur in tabulis archivi canonicorum Ecclesiae bononiensis a me visis.

(2) Fascic. II, n. 3.

(3) RUBEUS, *Hist. Ravenn.,* lib. VI, pag. 377.

(4) Est decretalis: *Dilectus filius. De rescriptis.*

(5) Extant Gregorii IX literae in Codice Diplomatico Ecclesiae Bononiensis.

XII.

HENRICUS DE FRACTA.

I. Ex gente in civitate nostra in primis potenti et nobili de Fracta natus est Henricus, quem Signius aliique scriptores inter Canonicos Regulares s. Salvatoris clericali militiae nomen dedisse affirmant, obsistentibus tamen aliis, qui s. Victoris aut s. Joannis in Monte canonicis accensent (1). Id similiter narrant de utroque Gerardo Gisla, quem canonicum s. Victoris fuisse autumant. Sed iis ego assentiri non audeo. Ut enim uterque Gerardus ita et Henricus regularem quidem vitam professi sunt, sed non alibi quam apud majorem Ecclesiam bononiensem. Porro Henricum de Fracta canonicum Ecclesiae bononiensis fuisse, nam de duobus Gerardis satis constare arbitror ex iis, quae supra dicta sunt, manifestum est ex iisdem illis tabulis, anno MCLXXXXVII scriptis, quas ante commemoravi, in quibus nempe Gerardus archidiaconus cum Nigro archipresbytero, *Enrigetto de Fracta,* magistro Oddone aliisque canonicis sententiam Gerardi subtilis judicis confirmat et approbat. Qui enim sibi *Enrigettus de Fracta* dicitur, ille idem Henricus est, qui, Gerardo de Riosto ad episcopatum bononiensem evecto, creatus est archidiaconus aliquot post annos. Nam anno MCC adhuc archidiaconatus dignitate minime auctum fuisse apparet ex charta archivi canonicorum, in qua Gerardus hic noster canonicus nominatur (2). Verisimile puto tam diuturno tempore dignitatem hanc vacasse ob exortas dissensiones inter canonicos et episcopum de novi archidiaconi electione; quod infrequens non fuisse per ea tempora videri infra poterit, ubi de Gratia et Tancredo.

II. Ejus porro haud raro mentio occurrit in monumentis eorum temporum. Anno siquidem MCC *dominus Henricus Archidiaconus et dominus Judex Archipresbyter,* consentientibus ceteris canonicis, idest *magistro Joanne, magistro Lanfranco etc.* locationem quamdam renovant, ut ex charta archivi canonicorum s. Salvatoris (3). Anno MCCIII sponsionem habemus Gerardi episcopi bononiensis, qui coram Alberto archiepiscopo ravennati, Henrico archidiacono et canonicis Ecclesiae bononiensis promittit nihil se neque decimarum neque pensionis aut vectigalium nomine exacturum ex certis quibusdam canonicorum praediis (4). Anno rursum MCCIV interfuit consecrationi altaris s. Michaelis Archangeli et s. Thomae episcopi et martyris, quod erat *in Paradiso* s. Joannis in Monte, de quo diximus, ubi de magistro Jacobo britonoriensi, qui ex medicinae professore canonicus regularis factus est.

III. Ad annum MCCVII Gerardus episcopus pro tribunali sententiam dixit pro Henrico archidiacono, judice archipresbytero et reliquis canonicis Ecclesiae bononiensis, in causa, quam habebant cum Medicinatibus, qui canonicorum praedia, in agro medicinati sita, immunia esse negabant a publicis exactionibus (5). Adfuerunt huic episcopi judicio abbas s. Michaelis de Medicina et *dominus Pillius doctor legum,* celebris scholarum nostrarum professor, de quo suo loco diximus et medicinatem esse ostendimus.

(1) Videantur Ghirardaccius, Signius, Trombellus cap. 264, aliiq. de hoc episcopo disserentes.

(2) Eam vidit clarissimus Montius.

(3) Fascic. XXIII, n. 42.

(4) Ex charta archivi canonicorum s. Petri, fasc. II.

(5) Ex charta ejusdem archivi, fascic. eodem. — *Vide Appendicem.*

Ad annum quoque MCCXII, XII kalendas Januarias ejus mentio est in actis publicis Bononiensium (1), quo die, ut in ipsis actis legimus: *In pallatio Communis bon. In pleno consilio credencie.... Coram domino Girardo bon. episcopo et domino Henrico archidiacono Sancti Petri et presbitero, judice, archipresbitero ecclesie memorate et magistro Martino.... et pluribus aliis de canonicis jam dicte ecclesie Sancti Petri.... dominus Azzo abbas monasterij Sancti Stephani nomine ejusdem monasterij.... conmisit, remixit, pariter in omnibus relaxavit domino Girardo Capoinsacco et domino Catellano potestatibus bon. et toti consilio memorato nomine communis bon.* omnem querelam et litem, quam adversus Commune Bononiensium habebat, propterea quod Guilielmus Posterula, qui anno superiori Bononiensium praetor fuerat, contra jus fasque sententiam in monachos et conversos ejus monasterii dixerat eosque nescio qua poena damnaverat; quae libertatis ecclesiasticae violatio ita Pontifici displicuerat ut civitatem bononiensem ob eam rem sacris interdixerit (2).

IV. Ad Henricum etiam pertinet quod, eo cum caeteris canonicis petente, Innocentius III quaedam eorum statuta confirmavit. Id cujusmodi sit, ipsius Innocentii literae docebunt, quas in Appendice damus (3). Ex his autem statutis canonicorum Ecclesiae bononiensis, ab Innocentio III approbatis, intelligere licet eos per illud tempus adhuc una vixisse in aedibus ecclesiae majori adjacentibus et canonicorum ordinem ac regularem vitam, saeculo XI ab Adelfredo in Ecclesia bononiensi vel primo inductam vel restitutam, adhuc viguisse. Hinc etiam intelligimus canonicos omnes non uno ordine et gradu fuisse, uti nunc fit; sed alio atque alio, presbyterorum scilicet, diaconorum et subdiaconorum, qui mos, ab ipsis Ecclesiae incunabulis institutus, paene jam obsolevit. Et quamquam id aliunde satis notum est, juvat tamen insigne aliud ejus rei monumentum ex semilacera membrana archivi monachorum s. Stephani, nunc Senatus Bononiensis, afferre (4), ex qua etiam *Vesterarii* officium in Ecclesia bononiensi non perinde notum agnoscimus; de quo ecclesiastico officio eruditissime disseruit nuper singularis amicus meus Petrus Aloysius Galletus abbas casinensis (5). Sed ut ad Henricum redeam, cum is archidiaconatum bononiensem tenuisset ad annum usque MCCXIII, creatus est episcopus bononiensis post Gerardum, quem Innocentius III exauctorandum mandaverat, nisi ipse ultro abdicasset. Neque vero suspicari fas est archiepiscopum ravennatem et episcopum cremonensem, quibus id negotii ab Innocentio demandatum fuerat, ut supra

(1) *Registro grosso,* pag. 304 in archivo Communis Bononiae.

(2) Ghirardaccius ad annum MCCXI, MCCXII.

(3) *Appendix.*

(4) « Temporibus domini Johannis.... anno tertio, et regnantibus dominis nostris Berengario et Adelberto, ejus filio, magnis.... octavo die mensis....

† Servus Christi Jesu Adelbertus gratia Dei episcopus bononiensis huic enfiteosin a me facta sic supra legitur, manu [mea scripsi].

† Johannes vv. archipresbiter sanctae bononiensis ecclesiae huic enfiteosin [manu mea scripsi].

† Petrus presbiter sanctae bononiensis Ecclesiae, manu mea scripsi.

† Petrus presbiter sanctae bononiensis Ecclesiae huic enfiteosin consensi et manu mea scripsi.

† Johannes presbiter sanctae bononiensis Ecclesiae huic enfiteosin consensi et manu mea scripsi.

† Abraham presbiter sanctae bononiensis Ecclesiae huic enfiteosin manu mea scripsi.

† Ursus presbiter sanctae bononiensis Ecclesiae huic enfiteosin manu mea scripsi.

† Johannes diaconus sanctae bononiensis Ecclesiae huic enfiteosin consensi et manu mea scripsi.

† Petrus diaconus sanctae bononiensis Ecclesiae huic enfiteosin consensi et manu mea scripsi.

† Wandilo diaconus sanctae bononiensis Ecclesiae huic enfiteosin consensi et manu mea scripsi.

† Udebertus diaconus sanctae bononiensis Ecclesiae huic enfiteosin consensi.

† Johannes diaconus et vesterarius sanctae bononiensis Ecclesiae huic enfiteosin con[sensi et manu mea scripsi].

† Leo diaconus et notarius sanctae bononiensis Ecclesiae manu [mea scripsi] ».

(5) *Del Vesterario della S. R. Chiesa,* discorso di D. P. Luigi Galletti. Roma MDCCLIX.

ostendimus, Pontificis jussa diligentissime non implevisse; nam eo ipso anno MCCXIII, sub finem Novembris, Henricum Bononiensem *electum* habemus in tabulis ejusdem archivi Senatus Bononiensis, quod olim fuit monachorum s. Stephani. Eas libenter legent eruditi antiquitatis amatores (1). Accedit quod in necrologio canonicorum s. Victoris et s. Joannis in Monte Gerardi obitus in hunc modum notatur: *IV kalendas Februarias obiit dominus Gerardus quondam bononiensis episcopus, canonicus et frater noster.* Ex quo apparet Gerardum, cum rebus humanis exemptus est, episcopatu jam excessisse. Henrico igitur ad episcopalem cathedram evecto, magister Gratia Arretinus creatus est archidiaconus bononiensis.

XIII.

GRATIA ARRETINUS

ARCHIDIACONUS BONONIENSIS ET EPISCOPUS PARMENSIS.

I. Magistri Gratiae nomen longe celeberrimum olim fuit in scholis nostris; sed ejus memoria paene jam excidit aut certe non viget pro tanti viri meritis. Eo hic majorem in ea excitanda et illustranda operam collocare oportet. Gratiae patria Arretium fuit, quod ex Guilielmo Durantis ejusque interprete et illustratore Joanne Andreae intelligimus. Sed Pancirolus (2) corruptos Durantis libros nactus, uti fere sunt typis editi, quos videre licuerit, in errorem non ferendum lapsus est et pro Gratia, quem omnino ignoravit, Gratianum nescio quem Arretinum, qui numquam in mortalium numero fuit, inter antiquos Juris Pontificii interpretes, ex fide Guilielmi Durantis, intrusit. Atque in hunc eundem errorem ante Pancirolum Diplovataccius inciderat (3). Ait Guilielmus Durantis in *Speculo* plures fuisse, qui scripserint de ordine judiciorum, ac praesertim id actum *a Pylio, Bagarotto, Tancredo... Joanne de Deogratia et Bonaguida Arretino, Joanne de Blanosco, Aegidio Bononiensi et aliis* (4). Ita fere in editis. Sed turpe hic mendum cubat et legendum proculdubio *Joanne de Deo, Gratia et Bonaguida Arretinis.* Est etiam notissimus inter canonum professores Joannes de Deo, qui librum Judicum sive *De ordine judiciorum* scripsit. At Joannes de Deogratia nunquam auditus. Sed omnem amovet scrupulum Joannes Andreae in additionibus ad Guilielmi Durantis Speculum, ubi recensens ex ordine antiquos juris pontificii interpretes, eos praesertim, qui de ordine judiciorum scripserant, de quibus minus accurate egerat Guilielmus Durantis, octavo loco Gratiam Arretinum collocat: *Octavus,* inquit, *Gratia Arretinus, quem allegat auctor,* scilicet Guilielmus Durantis, *in Speculo Juris (tit. De procurat. § Nunc videamus). Nonus Bonaguida etiam Arretinus* (5). Et quamquam in aliquibus libris editis hic etiam pro *Gratia Gratianus* legatur, quod Diplovataccium et Pancirolum in errorem induxit, in editionibus minus corruptis *Speculi Juris,* cum additionibus Joannis Andreae, Gratiae nomen occurrit. Talis est editio admodum rara, quae prodiit Bononiae anno MCCCCLXXIV

(1) *Appendix.*

(2) « Ante Bonaguidam fuit Gratianus et ipse Arretinus, cujus nihil nisi nomen extat ». PANCIROLUS, lib. III, c. XI.

(3) DIPLOVATACCIUS « Gratianum Arretinum » ex JOANNE ANDREAE, in additionibus ad *Speculum Juris* commemorat.

(4) In prooemio *Speculi Juris.*

(5) JOANN. ANDREAE in addit. ad *Speculum Juris,* in prooemio.

tribus maximis voluminibus *per Joannem de Azoguidis civem bononiensem* (1). Ita etiam legitur in codice manuscripto bibliothecae Barberinae; ut de vero hujus professoris nomine dubitare amplius non liceat, nec de ejus etiam patria ambigendum. Quare expungendus omnino Gratianus ille Arretinus a Pancirolo, et aliis in professorum juris canonici album, tota repugnante antiquitate, intrusus.

II. Quos praeceptores habuerit Gratia incompertum est; neque etiam liquet quo tempore docere coeperit in scholis nostris. Illud certum videtur fuisse inter primos, qui decretales Romanorum Pontificum, aetate sua in corpus redigi coeptas et scholae commendatas, sunt interpretati. Est hic omnium primus, quem decretalium magistrum dictum fuisse comperiam (2). Itaque ejus aetate inductum est discrimen inter decretorum et decretalium professores, nempe inter *Decretistas*, ut appellabantur, et *Decretalistas*. Neque abhorret a vero Gratiam, cum Innocentius III decretalium collectionem sua auctoritate factam ad academiam nostram misit, prae reliquis doctoribus bononiensibus in iis decretalibus exponendis magnam sibi eruditionis et doctrinae famam comparasse, atque ita ipsius Pontificis animum sibi devinxisse; qui ad eum postea et graves commisit causas definiendas et plures epistolas scripsit, quarum aliquae in decretalium collectionibus, quae postmodum prodierunt, sunt insertae.

III. Videtur itaque magister Gratia ante finem saeculi XII in academia nostra clarere coepisse. Constat enim initio saeculi sequentis satis eum celebrem fuisse, nec solum in schola, sed etiam in foro non infimum tenuisse locum. Eum certe jam inde ab anno MCCVI Guala cardinalis et Sedis Apostolicae legatus, suas ei vices in causis cognoscendis delegaverat. Constat id ex ipsius Gratiae sententia in causa, quae agitabatur inter presbyterum Albertum s. Mariae de Porta Ravennate et magistrum Guidonem Senensem, lata idibus Decembris ejus anni; in quo quidem judicio magister Gratia adjudicavit magistro Guidoni Senensi aliisque haeredibus fiduciariis magistri Benincasae non exiguam pecuniae summam, ab eo depositam, dum viveret, apud Canonicos Regulares s. Joannis in Monte (3). Atque hunc etiam Benincasam professoribus scholarum nostrarum adnumerandum censeo, qui docendo non levem quaestum ditandis haeredibus fecerit.

IV. Quinquennio post, anno nimirum MCCX, Mutinam profectus est cum Bononiensium legatis, Azone legum doctore, Rambertino Guidonis Bualelli, Ubertino Judice et Guidone Scanabicchio Alberici filio, quibus a Communi Bononiensium mandatum fuerat ut Gerardum Albanensem electum et Sedis Apostolicae legatum, Mutinae tunc degentem, convenirent eumque orarent ne eo tempore, quemadmodum sibi in animo esse ostenderat, Bononiam veniret, propterea quod ob diversa civium studia, aliis nimirum Ecclesiae et Pontifici faventibus, aliis in adversam partem inclinantibus, ejus adventus magnos motus et atrocia dissidia in civitate nostra excitaturus videbatur. Res scitu dignissima est; nec melius cognosci potest, quam ex actis publicis, quae in Appendicem rejecimus (4). Porro ex his intelligimus magistrum Gratiam cum magnatibus multis praesentem adfuisse cum legati Bononiensium Gerardo cardinali mandata Communis Bononiae exponerent; ac primus honoris causa nominatur post episcopum cremonensem,

(1) Extat in bibliotheca monachorum Montis Oliveti ad divi Michaelis in Busco.

(2) « Anno MCCXIII, die VIII Martii; magister Gratia decretalium » ex arbitrio sibi a partibus dato pronunciat, fundos quosdam in parochia s. Petri Ultiani debere decimas abbati s. Stephani. Extat in archivo s. Stephani nunc Senatus Bononiensis, lib. II, n. 20.

(3) *Vide Appendicem.*

(4) Ibid.

quamvis necdum ulla dignitate ecclesiastica ornatus esset. Sed magnae existimationi, quae de eo esset, tribuendum puto, quod homo exterus publicis civitatis rebus quocumque modo sit adhibitus, erat enim id parum consonum civitatis nostrae moribus et institutis.

V. Floruit Gratia in scholis nostris temporibus Innocentii III et Honorii III. Non dubito quin aliquandiu etiam ante Innocentium III; sed ejus temporis nulla memoria superest. Uterque eorum Pontificum, cum et sapientissimus esset et juris consultissimus, magistro Gratiae plurimum detulit. Habemus, ut ante dictum est, plures Innocentii epistolas ad magistrum Gratiam, ac multo etiam plures Honorii; quarum aliquae in antiquis collectionibus et in postrema Gregorii IX, plures autem in regestis, ut vocant, Vaticanis extant, ex quibus exscriptae sunt et insertae Codici diplomatico Ecclesiae bononiensis, quem opera Constantini Rogerii, viri clarissimi, perfecit immortalis memoriae Benedictus XIV, et in publicam Bononiensium bibliothecam, sua impensa erectam et maxima optimorum librorum copia locupletatam, inferri mandavit.

VI. Itaque Innocentius III magistro Gratiae scripsit ut cum archipresbytero Campi Gallani et priore s. Joannis in Monte causam monachorum ferrariensium s. Bartholomaei adversus eorum abbatem cognosceret, quem negabant administrando monasterio et servandae sui Ordinis disciplinae idoneum. Ea de re primum ad Huguccionem Ferrariensium antistitem appellaverant, dein ad Romanum Pontificem, qui causam supremo judicio finiendam Gratiae et duobus, quos diximus, commisit. Datae sunt Innocentii literae III idus Octobris, anno XIII, idest, anno MCCX (1). Idem Innocentius literis datis IV idus Octobris, anno XIV, abbati s. Stephani et magistro Gratiae mandavit ut episcopum alexandrinum episcopalibus ministeriis interdicerent, eo quod, contra sui ordinis dignitatem, contractus minus honestos fecisset (2). Est alia Innocentii epistola data kalendis Septembris, anno X, magistris C. et G. decretorum doctoribus Bononiae commorantibus. Horum alterum fuisse Gratiam nullus dubito; alter quis fuerit me latet. Eis mandat ut causam finiant, quae jamdiu agitata fuerat inter archiepiscopum Ravennatem et Faventinos (3). Est alia Innocentii III epistola inter editas a Baluzio (4), quae inscripta est magistro G. decretorum doctori, ego Gratiam existimo, priori Sancti Joannis in Monte et archipresbytero Campi Gallani, quibus causam quamdam cognoscendam committit. In harum literarum inscriptionibus non aliter appellatur magister Gratia, quam doctor decretorum. Honorius III, Innocentii successor, non solum multas ei causas cognoscendas commisit, sed multis ac magnis honoribus auxit. Et primo capellanum suum creavit, quod munus honestissimum habebatur et viris in jure praesertim pontificio excellentibus deferri consueverat, quos propterea capellanos Pontificis dictos putant, quod causas ad Apostolicam Sedem undique allatas in sacello, sive capella palatii apostolici, una cum Pontifice cognoscebant, dicti etiam causarum palatii apostolici auditores (5). Eorum locum nunc tenent Romanae Rotae auditores. Itaque Gratia a scholis nostris abductus Romae aliquandiu versatus est judiciis exercendis apud Pontificem. Eo munere fungebatur anno MCCXVIII, quo anno *in palatio lateranensi* sententiam

(1) Extant in Codice diplomatico Ecclesiae Bononiensis n. XXVI. *Vide Appendicem.*

(2) Ibidem n. XXVII. Sed amanuensium vitio pro Gratia Gregorius in ejus epistolae titulum irrepsit. *Vide Appendicem.*

(3) Edidit Baluzius *Epistolarum Innocentii III*, t. II, lib. X, pag. 65.

(4) Edidit Baluzius t. II. Est epistola 140, lib. XII.

(5) PanciroLus, *De clarissimis legum interpretibus*, lib. III, c. VIII.

dixit in causa, quae erat inter Commune Reatinorum et Valviani dominos (1). Eodem anno Honorius III sententiam magistri Gratiae capellani sui confirmavit, *latam apud s. Petrum in palatio Pontificis* in causa abbatis s. Leucii apud Tudertes contra Ecclesias ei monasterio subjectas (2).

VII. Quamdiu Romae egerit Gratia non liquet. Bononiam rediisse constat, ibique annis aliquot fuisse archidiaconatu Ecclesiae bononiensis auctum; quae dignitas cum antea esset admodum splendida, per illud ipsum tempus multo majorem honoris accessionem suscepit. Sed incertum est quo anno Gratiae delata sit ea dignitas. Henricus archidiaconus bononiensis ad sedem episcopalem evectus est, anno MCCXIII ad exitum properante. Num statim in ejus locum delectus sit magister Gratia, an alius aliquis Henrico successerit, cujus memoria interciderit, in obscuro latet. Anno MCCXIX, mense Martio, Gratiam jam tum archidiaconatum tenuisse constat ex literis Honorii III ad clerum et populum bononiensem, quibus mandat ut libere eum sinant exercere quae ad archidiaconatus officium pertinent. Datae sunt apud Lateranum V kalendas Aprilis, anno III (3).

VIII. Sunt aliae Honorii literae paulo post scriptae ad magistrum Gratiam capellanum suum et archidiaconum bononiensem, quibus primas ei partes committit in administratione rerum omnium ad Capitulum Ecclesiae bononiensis pertinentium, facta ei et successoribus suis facultate corrigendi, reformandi ac statuendi quaecumque opportuna judicasset (4). Ac rursum aliis literis eodem die datis, quo superiores, idest X kalendas Maii, anno III, omnimodam jurisdictionem in quasdam Ecclesias, Capitulo Ecclesiae bononiensis subjectas, archidiacono tribuit, quem, ut Pontifex ait, constat esse caput Capituli post episcopum. Utrasque literas in Appendice damus ex Codice diplomatico Ecclesiae bononiensis (5).

IX. Eodem die scripsit Honorius ad episcopum bononiensem, vetans *ne causas ecclesiasticas et alia, quae debent secundum canonica instituta vel approbatam consuetudinem per archidiaconum bononiensem expediri, cuiquam expedienda committat.* Nunciat praeterea se mandasse episcopo imolensi et praepositis faventino et imolensi darent operam ne quis contra haec archidiaconi bononiensis jura facere auderet; si quis contra fecisset, in eum canonicis poenis animadverterent. Has etiam Honorii literas ex Codice diplomatico Ecclesiae bononiensis in lucem producimus (6). Quod si quis causam quaerat, cur tantopere faverit Honorius Gratiae archidiacono, fortasse, praeter benevolentiam optimi Pontificis, quam ille sibi conciliaverat, aliud suspicari licebit; magistrum Gratiam, hominem exterum, quique canonicorum bononiensium collegio non erat adscriptus, vix credibile est ab ipsis canonicis electum fuisse archidiaconum, quam dignitatem non aliis quam nobilissimis civibus, et quidem ex canonicorum bononiensium numero, collatam per illud tempus novimus. Quod si a Pontifice ipso sive ob dissensionem, quae in electione archidiaconi in Capitulo bononiensi esset exorta, ut saepe accidere solebat in ejusmodi ecclesiasticis comitiis, sive ob aliam causam nobis ignotam, magister Gratia creatus sit bononiensis archidiaconus, opportunum ei fuit patrocinium amici Pontificis ad sua jura tuenda et honores etiam augendos. Habemus ejusdem Pontificis literas ex Laterano datas idibus Junii, anno V, idest anno MCCXXI, ad episcopum et Capitulum

(1) Indicavit clarissimus Garampius ex *Reg. Vatic.*

(2) Indicavit idem vir clarissimus ex iisdem *Reg. Vatic.*

(3) *Appendix.*

(4) *Appendix.*

(5) Ibid.

(6) Ibid.

Ecclesiae bononiensis, gratiosas admodum et humanissimas, quibus Pontifex concedit ut quoties archidiaconatum bononiensem vacare contigerit, integrum sit eis eligere, quem ipsi judicaverint tanto oneri et honori idoneum (1). Id videtur a Gratia ipso impetratum ad episcopi et canonicorum benevolentiam sibi magis magisque conciliandam. Huc etiam pertinere potest, quod habemus ex aliis Honorii literis ad Gratiam archidiaconum et bononiensis Ecclesiae canonicos, quibus auctoritate apostolica confirmat jus, quod habebant in capellis plebatus bononiensis et plebatus Medicinae et s. Mariae de Montovalo; quas literas in Appendice damus (2).

X. Sed nihil archidiacono nostro honorificentius quam quod idem Honorius Pontifex decrevit, neminem in scholis bononiensibus ad docendum admitti posse, nisi archidiaconi ipsius judicio probatum. Atque id Pontifex voluit perpetuum esse in caeteris archidiaconis bononiensibus, qui post Gratiam essent futuri. Ex eo tempore incredibiliter aucta est archidiaconi bononiensis dignitas in tanto scholarum nostrarum splendore tantaque scholarium undique adventantium frequentia; auctus etiam scholasticorum graduum honor; cum non jam quasi privatim a professoribus, sed publice certisque solemnitatibus ab archidiacono creari coepti sunt doctores et magistri. Itaque post hoc Honorii III decretum archidiaconus bononiensis habitus est tanquam praeses academiae nostrae et major cancellarius universitatis subinde dictus est; qua de re alio loco diximus. Qui Theodosianum Privilegium venerantur, inde repetunt hos honores atque hanc auctoritatem archidiaconi bononiensis, quae ab Honorio III non primum collata, sed tantum confirmata aut restituta dicunt. Sed mihi certum est cum istis hominibus non pugnare. Datae sunt Honorii literae, quibus archidiacono bononiensi honorem illum defert, IV kalendas Julii, anno III, idest, anno MCCXIX (3).

XI. Habemus alias Honorii III literas ad Gratiam archidiaconum non minus honorificas quam superiores. Id ei tribuit Honorius, veluti academiae bononiensis praesidi, ut doctores et scholares sacris interdictos, propter vim in clericos factam, absolvere possit (4). Eae scriptae sunt eodem anno MCCXIX, V kalendas Julias. Quare emendandus Ghirardaccius, qui utrumque hoc privilegium, probandi doctores et absolvendi excommunicatos ob manus violenter in clericos injectas, Tancredo archidiacono ab Honorio III tributum existimat (5). Tancredus enim anno tantum MCCXXVI archidiaconus bononiensis creatus est. Eodem anno MCCXIX, archidiaconus noster Ecclesiae antiochenae praefectus est. Sed quoniam non ita brevi ad eamdem Ecclesiam accedere potuisset, tantis terrae marisque intervallis dissitam, ei indulget Honorius ut interim retinere possit beneficia ecclesiastica, quae tunc obtinebat. Haec manifesta sunt ex Honorii literis, quas in Appendice producimus (6). Sed non video quid certi statui possit de hoc antiocheno episcopatu, quem Gratiae detulit Honorius. In *Oriente christiano* doctissimi Le Quien nulla mentio est episcopatus antiocheni, qui ab episcopo latino obtineretur; vulgata enim res est post recuperatam olim a nostris Hierosolymorum urbem, plures civitates in oriente duos habuisse episcopos, alterum graeci alterum latini ritus, quorum ille graeci hic latini ritus hominibus, qui eas civitates incolerent praeesset. Neque vero de patriarchatu antiocheno suspicari licet delatum fuisse archidiacono nostro, etenim eo ipso anno MCCXIX cum Honorius III Petrum Capuanum antiochenum

(1) *Appendix.*
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) *Appendix.*
(5) Ghirardaccius, *Histor. di Bol.*, lib. V.
(6) *Appendix.*

electum [1] cardinalem creasset, in ejus locum suffectus est Raynerius, Romanae Ecclesiae cancellarius, ut ex diplomate ejusdem Honorii III, quod habemus in hunc modum obsignatum: *Datum Viterbii, XIII kalendas Decembris, per manus Raynerii patriarchae antiocheni, cancellarii vicem agentis, pontificatus domini Honorii III, anno IV* [2].

XII. Sed quaecumque tandem fuerit antiochena Ecclesia, ad quam electus fuerat, manifestum est nunquam ad illam accessisse, nec archidiaconatum bononiensem dimisisse ante annum MCCXXIV, quo exeunte creatus est Parmensium episcopus. Plura sunt eorum temporum monumenta, quae ostendunt Gratiam ad annum usque MCCXXIV archidiaconatum bononiensem tenuisse; ex quibus pauca indicabimus. Anno itaque MCCXXI Gratia archidiaconus cum Judice archipresbytero Ecclesiae bononiensis, consentientibus reliquis canonicis, constitutionem edidit de cura tabularii Ecclesiae bononiensis, qua prudenter prospexit securitati tabularum et monumentorum ejus Ecclesiae. Eam habes in Appendice [3] cum aliis Honorii III literis, magistro Gratiae capellano suo archidiacono bononiensi, Judici archipresbytero et capitulo bononiensis Ecclesiae inscriptis, quibus donationem G. episcopi Capitulo factam confirmat [4]. Ex his apparet archidiaconum nostrum non leviter intentum fuisse curandis Ecclesiae suae commodis et utilitatibus. Ac multo etiam plura eo potissimum agente, vel primo instituta vel ex antiquis institutis in usum revocata fuisse, colligi posse videtur ex quadam sacramenti formula, qua primum Gratia archidiaconus, dein archipresbyter, mox canonici omnes se obstrinxerunt de servandis certis quibusdam legibus ad oeconomiam tum spiritualem tum temporalem Capituli et Ecclesiae bononiensis. Eam formam in Appendicem producimus, ut ex ea, qui tum esset status Ecclesiae bononiensis, quivis intelligere possit [5]. Eo autem sacramento se obstrinxit Gratia cum suis canonicis MCCXXI, quo etiam anno sub finem Octobris praesens interfuit cum magistro Andrea, canonico bononiensi, promulgationi literarum Honorii III, quibus Hugolino cardinali legationem in Insubres committebat. Denique anno MCCXXIV, VII kalendas Septembris, archidiaconus noster ratam habuit concordiam, quae inita erat inter Azonem abbatem s. Stephani et Capitulum Ecclesiae bononiensis occasione decimarum, quas in quibusdam Ecclesiis, monasterio illi subditis, Capitulum bononiense sibi deberi contendebat [6].

XIII. Ex eo tempore nulla deinceps Gratiae archidiaconi memoria. Sed cum eo ipso anno kalendis Decembris Gratiam quemdam Parmensium episcopum monumenta ab Ughello allata creatum demonstrent, pro certo habeo hunc esse Gratiam nostrum, qui ab Honorio III creatus sit parmensis antistes, quique archidiaconatum bononiensem Tancredo successori vacuum reliquerit; constat enim Tancredum, de quo mox dicturi sumus, archidiaconatum bononiensem per illud tempus obtinuisse. Accedit auctoritas Fratris Salimbeni parmensis, Ordinis Minorum professoris, in chronico, quod labente saeculo XIII scripsit. Is enim episcopum parmensem Opizonis successorem, nomine Gratiam, patria florentinum fuisse dicit [7]. Et errat quidem in patria ejus episcopi designanda, sed hic

(1) Petrum illum Capuanum non patriarcham electum, sed Ecclesiae antiochenae administratorem fuisse, ex Raynaldo et Le Quien colligit clarissimus Montius; ut revera anno MCCXIX patriarchatus antiochenus vacaverit; verum de hac re plenius in Appendice.

(2) *Bullar. Roman.*, t. III, pag. 211.

(3) *Appendix.*

(4) Ibid.

(5) Ibid.

(6) Ibid.

(7) « Anno Domini MCCXXXIII murabatur palatium episcopi, quod est ante frontispicium majoris ecclesiae. Et tunc episcopus Gratia de Florentia parmensem gubernabat Ecclesiam, et in pluribus locis episcopatus plura fecit aedificari palatia et ideo a Parmensibus bonus episcopus habebatur. Siquidem non fuit rerum episcopalium dissipator, sed aggregator potius et conservator ». Ex chronico manuscripto Fratris Salimbeni de Adam parmensis in bibliotheca Comitum, Romae. Ejus chronici excerpta in Appendice damus.

ipse error Gratiae nostro favet, quem arretinum fuisse demonstravimus, facile enim fuit auctori, qui annis fere quinquaginta post Gratiae obitum scribebat, florentinum pro arretino scribere; ac fortasse ex vulgi usu florentinus, etiam dum viveret, dicebatur, ut fere nunc omnes, qui sunt ex provincia Tusciae, florentini vulgo dicuntur (1).

XIV. Hunc episcopum laudat Salimbenus quod Ecclesiae parmensis patrimonium non modo non dissiparit, sed potius servarit et auxerit, quod palatium episcopale e regione majoris ecclesiae aedificaverit, et in dioecesi parmensi pluribus in locis ad episcoporum commodum aedes splendidas excitaverit; uno verbo Gratiam apud Parmenses boni episcopi laudem consecutum dicit, quae non vulgaris laus iis temporibus habebatur, cum mali pastores gregem Christi passim lacerarent. Ita Gratiam episcopum laudat Salimbenus. Sed Ughellus literas profert Gregorii IX, anno MCCXXXIII scriptas ad episcopum brixiensem et abbatem cerretanum, quibus mandat ut in episcopum parmensem inquirant, quem non incertis auctoribus intellexerat aliqua agere contra dignitatem episcopalis officii, quod gerebat. Summa autem accusationis haec erat quod libertatem ecclesiasticam adeo non defenderet, quemadmodum episcopi partes erant ut etiam aperte labefactaret ad corrogandam pecuniam et clericos saecularibus judicibus vexandos ob eam causam traderet. Nisi error sit in chronicis epistolae, quae data dicitur *II idus Januarii, anno IV,* idest, anno MCCXXXIII, non alius esse potest episcopus ille parmensis quam Gratia noster, qui fortasse nimio aedificandi pruritu captus non bonas semper artes excogitavit ad corradendam pecuniam, qua sibi aedificiorum sumptus praestarentur.

XV. Gessit Gratia episcopatum parmensem usque ad annum MCCXXXVI, ut a Bonvicino adnotatur, qui Ughello in *Episcopis Parmensibus* suppetias tulit. Et sane anno MCCXXXVI Gratiam episcopum adhuc in cathedra parmensi sedisse manifestum est ex chronico parmensi, quod publica luce donavit Muratorius. Ibi enim ad eum annum narratur inauditum supplicium, quod in foro Parmensium sumptum fuit de quodam clerico homicida, qui in ingenti cacabo coctus est, cum ante ab episcopo Gratia exauctoratus et exauguratus fuisset, ex sacrorum canonum praescripto (2). Sed huic auctori non assentior, cum scribit Gratiam antequam extremum obiret diem exauctoratum fuisse. Nullum ipse hujus rei monumentum profert. Silet etiam Salimbenus Parmensis, qui episcopos parmenses ejus saeculi diligentissime recenset. Et quoniam misere luxata est et manca antistitum ejus Ecclesiae chronotaxis apud Ughellum, licebit mihi hanc ejus particulam ex Salimbeno Parmensi emendare (3).

(1) Ita quidem putavit Sartius; sed clarissimo viro error obrepsit, quemadmodum monuit clarissimus Montius, qui recte arbitratur Gratiam archidiaconum bononiensem, patria florentinum et episcopum parmensem, alium fuisse a Gratia arretino et auctore tractatus *De Ordine Judiciario,* de quo inter canonum professores. Sed de hac re tota fusius in Appendice.

(2) *Chron. Parmen.* inter *Rer. Ital. Script.,* t. IX, col. 767.

(3) « Opizo Sanvitalius » anno MCCXXIV decessit. Ei successor datus est

« Magister Gratia archidiaconus bononiensis ». Obiisse dicitur anno MCCXXXVI. Eo obeunte electus est

« Gregorius Romanus » Ughello et Bonvicino ignotus, qui brevi tempore episcopatum gessit, et Mantuae mortuus est haereticus et maledictus, ut scribit Salimbenus. Vide ejus excerpta in Appendice. Huic successit

« Magister Martinus de Colurnio oriundus, ex genere non satis claro », ut ait Salimbenus. Post hunc

« Bernardus de Vitio ». Hunc etiam ignorarunt Ughellus et Bonvicinus. Salimbenus ex Scotorum familia natum dicit et ab eo institutum Ordinem Fratrum de Marturano. Episcopatum, quem acceperat a Gregorio de Montelongo Sedis Apostolicae legato, ei ablatum ait ab Innocentio IV ut Alberto Sanvitalio nepoti suo traderet. Haec partim vera, partim falsis coloribus ab auctore picta, qui saepius in suo chronico, dum scriptoris liberi laudem affectat, vanos rumores secutus, viris bonis, ac praesertim Ecclesiae praelatis falsa multa et indigna affingit. Narrat Ughellus Martinum episcopum parmensem anno MCCXXXXIII ab Innocentio IV episcopatu dejectum, quod bona Ecclesiae dilapidaret; idque constare

XVI. Scripsit magister Gratia *De ordine judiciorum,* ut apparet ex iis, quae ex Speculatore et Joanne Andreae attulimus. Glossas quoque edidit in collectiones decretalium, quae prodierunt sub finem saeculi XII et initium XIII, ob quam causam a Joanne Andreae recensetur inter antiquos juris pontificii interpretes et aliquas ex ejus glossis in *Speculo juris* laudatas novimus. Eum citat Speculator duobus locis, nimirum *tit. De procurat. § Ait autem, n. 15,* ubi ait: « Et sic intelligitur extra » *De jur. cal. Imperatorum secundum magistrum Gratianum Arretinum. Et tit. De teste, § 1 Opponitur, n. 73,* ubi ait: *quod Gratianus et Joannes de Deo et quidam alii intelligunt simpliciter in causa criminali, argumentum extra. De appellationibus. Ad haec.*

XVII. Quoniam autem decretalis *Imperatorum de jur. cal.* erat in prima compilatione decretalium et decretales *Ad haec,* quae plures sunt in tit. *De appellat.*, omnes petitae sunt ex prima et secunda compilatione decretalium, manifestum est Gratiam, pro quo perperam in editis Speculatoris libris legitur *Gratianum,* glossas in primas illas decretalium collectiones, cum eas in scholis interpretaretur, edidisse. Credibile etiam est suam diligentiam in exponendis et illustrandis Honorii III decretalibus impendisse; quae res magno momento esse potuit ad conciliandam ei Pontificis gratiam et benevolentiam.

XIV.

TANCREDUS.

I. Cum vacaret archidiaconatus, Gratia in episcopum parmensem electo, acre dissidium fuit inter episcopum et canonicos Ecclesiae bononiensis in ejus successore eligendo. Quanquam enim Honorius Pontifex iis literis, quas supra indicavimus, jus eligendi archidiaconum episcopo et collegio canonicorum integrum esse voluerat, non propterea definitum erat, ad utrosque eam electionem communiter et aequo jure pertinere. Itaque cum diu certatum esset, nec spes esset exasperatis animis conveniri posse, Honorius ipse archidiaconum creavit magistrum Tancredum canonicum bononiensem, clarum hominem et illustrem juris pontificii interpretem in scholis nostris. Habemus Honorii literas ea de re scriptas ad magistrum Severinum canonicum ariminensem, qui Bononiae per id tempus inter professores juris pontificii non infimum locum tenebat. Eae sunt anno MCCXXVI scriptae pridie kalendas Februarias [1]. In iis profitetur Pontifex non in-

ait ex literis ipsius Innocentii Pontificis. Rursum ait eumdem Pontificem aliis literis, paulo post datis, edixisse praeposito et Capitulo Ecclesiae parmensis ut, Martino jam defuncto, novum sibi antistitem intra dies quindecim eligerent. Hunc autem Martini successorem fuisse scribit Albertum Sanvitalium Innocentii IV nepotem. Errat quidem Ughellus, dum episcopum ab Innocentio exauctoratum Martinum fuisse scribit. Ignoravit scilicet Bernardum de Vitio, quem nobis indicat Salimbenus; atque hic est, qui ab Innocentio IV in ordinem redactus fuit, quod fortasse vir bonus temporalium rerum regimini et administrationi minus aptus videretur. Non igitur episcopatum ei abstulit Innocentius IV, ut nepoti suo traderet, quemadmodum ex superstite vulgi rumore, fere semper principibus iniquo, narrat Salimbenus. Igitur Bernardi successor

« Albertus Sanvitalius » ex canonico parmensi electus episcopus. Hic annis multis praefuit Ecclesiae parmensi, nec tamen episcopus consecratus est, imo, ne sacerdotio quidem initiatus, diaconus obiit. In titulo ad ejus sepulchrum posito dicitur tantum electus, quod cum Salimbeni testimonio convenit. In Alberti locum electus est

« Magister Joannes de Domina Risida », archipresbyter majoris ecclesiae parmensis, vir doctus, qui jus canonicum diu docuerat et rite post Alberti decessum electus fuerat, ut narrat Salimbenus. Sed cum tamen extrusit Opizo Alberti frater, qui episcopatum ab Innocentio IV obtinuit. Qua de causa ejus electionem irritaverit Innocentius, non liquet.

(1) *Appendix.*

ferre se injuriam episcopo et canonicis bononiensibus, dum archidiaconum ipse auctoritate sua instituit; sed consulere Ecclesiae bononiensis tranquillitati et paci. Erat enim diutina disceptatio inter episcopum et canonicos de eligendo archidiacono; neque conveniri poterat, propterea quod utraque pars ejus electionem sibi integram salvamque volebat. Hoc itaque dissidium sustulit Honorius III et Tancredum ex canonico bononiensi ejus Ecclesiae archidiaconum creavit.

II. Multo ante illud tempus Tancredi nomen Bononiae celebrari coeperat. Ejus mentionem primum reperio ad annum MCCXIV, ad diem XIV Septembris. Innocentium Pontificem ea maxima cura per id tempus angebat ut magnis subsidiis res Christianorum in Asia afflictas sublevaret; qua de re gravissimas literas non semel dederat ad Ecclesiarum pastores omnemque populum christianum. Itaque Ubaldus, Ravennae archiepiscopus, Bononiam venerat ut Bononienses nostros, qui aetate illa prae cunctis Italiae populis bellica virtute spectabantur, viva voce inflammaret ad crucem accipiendam et transmeandum in Asiam; qua de re actum est cum praetore Bononiensium Rodulpho Guidonis borgognoni comite; atque is ex fide publica civitatis promisit crucesignatis praestiturum impensas omnes pro transvehendis eorum armis et sarcinis Venetias usque, et pro crucesignatorum naulo ex urbe Venetiarum usque in Asiam. Ex pluribus autem viris primariis, qui huic promissioni stipulandae scriptoque firmandae interfuerunt, primus, post Henricum bononiensem episcopum et Judicem archipresbyterum, nominatur Tancredus decretorum magister; ex quo non levis conjectura ducitur non minimas ejus partes in hoc negotio tractando fuisse et spectatae prudentiae et auctoritatis hominem jam tum fuisse reputatum. Extat hujus rei memoria in actis publicis civitatis, quae in Appendice exhibentur (1). Ex eo tempore usque ad annum MCCXXXIV plurima habemus cum in actis publicis civitatis tum in tabulis Ecclesiae bononiensis, maxime vero in Honorii III et Gregorii IX epistolis, Tancredi monumenta, quorum nonnulla deinceps in medium afferemus.

III. De Tancredi patria non satis consentiunt scriptores; plerisque enim creditur genere etruscus et Corneti ortus (2). Sed certo certius est bononiensem fuisse. Narrat Diplovataccius se vidisse Tancredi librum *De ordine judiciario* in codice admodum antiquo, ita inscriptum: *Incipit Ordo Judiciarius magistri Tancredi bononiensis, correctus per magistrum Bartholomaeum Brixiensem* (3). Bononiensem quoque Tancredum appellat Joannes Andreae (4). Cum autem Tancredus esset canonicus Ecclesiae bononiensis cum archidiaconus creatus est, hinc etiam utcumque conjecturam de ejus patria facere licet. Verum nemini magis in ea re credendum quam Tancredo ipsi, qui se aperte bononiensem dicit in libro *De ordine judiciario.* Locum indicabimus infra, ubi de causis agemus, quae illi commissae sunt a Romanis Pontificibus. Sed fuit revera Tancredus quidam cornetanus jurisperitus, cujus aliqua monumenta restant, atque in his liber haud magni momenti *Compendiosi Tancredi* inscriptus. Eum ego nuper vidi manu exaratum in codice chartaceo Collegii Albornotii Hispanorum hujus civitatis (5), lectoque ejus prooemio, pronum fuit intelligere unde ortus sit error illorum, qui Tancredum nostrum cornetanum dicunt; sic enim exorditur alter iste Tancredus: *Quoniam post compilationem ordinarii apparatus, tam juris canonici quam civilis, ego Tancredus de Corneto de provincia Pa-*

(1) *Appendix.*
(2) Panciroл., lib. III, c. IV.
(3) Diplovat. in *Tancred.*
(4) Joann. Andreae in prooem. *Decret.*
(5) Cod. n. 126.

trimonii, minimus legum minister (1). Abstineo plura ejus verba afferre, in quibus tanta est barbaries, ut vix quidquam ex iis exculpi possit. Hinc factum puto ut Tancredus noster cornetanus diceretur. Sed facillimum tamen fuisset novitium hunc Tancredum obscuri nominis a nostro secernere, qui et doctrinae fama librisque editis et dignitate clarissimus fuit; etenim in illo ipso libri sui prooemio doctor iste cornetanus Guidonem de Suzaria commemorat, quem post annum MCCLXX obiisse dictum est, et Dinum de Musello, qui circa annum MCCLXXXXVIII in vivis esse desiit, denique Bonifacium VIII, qui per idem tempus vita functus est. Multo igitur Tancredo nostro recentior est alter iste Tancredus, patria cornetanus, nec cum nostro comparandus.

IV. Sed qui etiam de Tancredi patria ambigunt, vel bononiensem fuisse negant, fatentur tamen floruisse in scholis nostris auditorem primum, deinde juris canonici professorem. Audiisse autem dicitur Azonem in jure civili et Laurentium Cremensem in jure canonico. Ita appellat Pancirolus hunc magistrum Tancredi (2). Diplovataccius Laurentium Hispanum dicit, ex fide Speculatoris, sive Guilielmi Durantis in *Speculo* (3). Tancredus ipse Laurentium magistrum suum appellat, sed patriam non indicat (4). De Azone autem, fuerit ne Tancredi magister, dubitare videtur Pancirolus. Ac certe Tancredus, cum saepissime Azonem nominet, nunquam dominum suum aut praeceptorem appellat. Alicubi tamen dicit se Azonem audivisse aliquam opinionem propugnantem; sed num in schola docentem, aut in foro patrocinantem audiverit, non satis manifestum est (5). Pancirolus autem non solum Bononiae sed etiam Parisiis existimat Tancredum jus canonicum interpretatum esse, idque ex eo conjicit quod eam civitatem ejusque monetam in suis formulis judiciorum repraesentet. Sed ejusmodi conjectura levis admodum videtur. Ego verisimilius existimaverim Tancredum Parisiis fuisse ut theologicis disciplinis vacaret; quod clarus auctor nuperae editionis *Summae s. Raymundi* suspicatus est (6).

V. Edidit Tancredus opus egregium *De ordine judiciario,* perutile iis qui in foro versantur. Ex eo quivis intelligere potest quantum ipse valuerit in judiciis tractandis, ut mirum non sit plures magni momenti causas ad eum a Romanis Pontificibus fuisse delatas. Totum opus in libros sive partes quatuor distributum est, formatum postea a Bartholomaeo Brixiensi, qui eodem illo saeculo XIII magnopere in scholis nostris celebratus est. Quid autem praestiterit in eo libro reformando Bartholomaeus Brixiensis, intelligere possumus ex Joanne Andreae in additionibus ad *Speculum juris* (7). Est autem in primi libri parte secunda libelli formula in hunc modum proposita: *Erit ergo forma hujus libelli talis: Anno ab incarnatione Domini MCCXXVII temporibus domini Honorii III, Pontificatus ejus anno VI, mense Januario. Ego Petrus diaconus accuso etc.* Nisi error esset in his notis chronicis, annum haberemus, quo Tancredus *De ordine judiciario* scribebat. Sed typographi culpa admodum inemendatum prodiit hoc opus in

(1) In *Bibliotheca Juridica Lissenii* indicatur: « Summa quaestionum juris, quae compendiosa vocatur » edita Venetiis anno MDXXVIII, ac perperam tribuitur Tancredo Bononiensi. — LISSEN., *Biblioth. Jurid.*, p. 513.

(2) PANCIROL., loc. cit.

(3) DIPLOVAT. ex *Specul.*, tit. *De restit. in integr.*, § *Infra q. vero.*

(4) TANCRED., *De ordine judiciario,* lib. IV sub finem.

(5) « Audivi dominum Azonem dicere, quod supradictae cautiones locum non habent ». TANCRED., *De ordine judiciario,* lib. II, cap. *De libello rei vendic.*, p. 56, col. 2.

(6) In praefat. ad *Summae S. Raymundi,* edit. Veronae, n. XXIV.

(7) « Bartholomaeus Brixiensis hunc libellum (TANCREDUS, *De ordine judiciario*) solum in antiquarum compilationum allegationibus reformavit, aliqua ponens ad literam omisso Tancredi prooemio ». JOANN. ANDREAE in prooem. *Specul.*, v. *Plurimis.*

magna *Collectione Tractatuum Juris,* quae jussu Gregorii XIII edita est. Corrigendus tamen videtur annus pontificatus Honorii III, qui Januario mense anni MCCXXVII non sextus erat sed undecimus; facilis autem lapsus fuit vel typographi vel librarii numericam notam VI pro XI exprimentis. Sed cum Tancredus ipse in eo opere passim nominet decretales Honorii, quae editae sunt extremis ejus Pontificis temporibus, palam est Tancredum ante illud tempus libros *De ordine judiciario* non potuisse in lucem emittere. Atque istud quidem opus sub ipsum initium praefatur Tancredus se scribendum suscepisse, fractum postulationibus assiduis sodalium suorum, juri scilicet pontificio studentium in academia bononiensi, arduam rem et difficilem, quam primo tentatam dicit a Richardo Anglico et a Pillio, legum doctoribus admodum claris. Quia vero *Ordinem judiciorum* exequitur non solum pro foro ecclesiastico sed etiam pro civili, magnam utriusque juris doctrinam atque peritiam ubique demonstrat.

VI. Pancirolus alia Tancredi scripta commemorat; nam praeter libros, de quibus diximus, scripsisse ait *libellorum, quibus in judicio experimur, formulas, sive de ordine judiciario. Provinciale quoque a Tancredo scriptum memorat, in quo omnes provinciarum episcopatus recenset et Summam titulorum, cujus ipse meminit. Metris quoque delectatum ait et quae late in suo libro « De ordine judiciorum » exposuerat, carminibus breviter perstrinxisse.* Atque id quidem juvandae studentium memoriae causa potius factum puto, quam ut ostenderet quantum in poesi valeret. De aliis ejus scriptis a Pancirolo indicatis vix assentiri possum. Certe Diplovataccius, in jurisperitorum scriptis recensendis diligentissimus, non alium ab eo editum librum novit, quam qui est *De ordine judiciario;* a quo non video quid differre potuisset liber *De ordine judiciorum*, quem Pancirolus memorat. Ac de formulis quidem libellorum, quorum in judiciis usus est, in tertia sui libri parte disseruerat, ut opus non esset de eodem argumento iterum disserere. Ad *Provinciale* quod attinet, nullibi ejus mentionem reperire licuit. Ad calcem codicis, quo continetur *Compendiosa* Tancredi Cornetani, de quo supra dictum est, indiculus extat episcopatuum et monasteriorum, quorum collatio ad Sedem Apostolicam pertinebat, addita unicuique annui reditus notitia. Haec commodius dici posset *Taxa Cancellariae Apostolicae,* quam cum incautus quispiam in eo libro descriptam vidisset, ut Tancredum illum cornetanum pro nostro bononiensi archidiacono habuit, sic *Provinciale* nescio quod sibi fingere potuit et Tancredo nostro tribuere.

VII. Qui porro sit *Titulorum Summa,* quam Tancredo tribuit Pancirolus, ne ipsum quidem intellexisse puto. Ait hujus operis sui Tancredum meminisse et locum indicat, qui est libro primo *De ordine judiciario* sub finem tituli sexti. Sed loci indicatio, fortasse typographi culpa, corrupta est. Certe ibi nihil tale occurrit. Est ejusdem libri titulus ita inscriptus: *Quot modis finiatur arbitrium;* et his verbis concluditur: *Quamvis in summis titulorum diligens lector pleniorem invenire poterit disputationem.* Huc respexit, opinor, Pancirolus; sed non video quid inde colligi possit. Illud miror Pancirolum latuisse et Diplovataccium aliosque multos, qui de archidiacono nostro scripserunt, concinnasse illum glossas in primam et secundam collectionem antiquorum decretalium, decerptis ad eam rem ex aliorum commentariis, quae utiliora sibi visa sunt et multis etiam ex suo penu depromptis; in tertiam vero collectionem primo quidem glossas ad eum modum, quo de prima et secunda dictum est, congessisse, quas ejus auditores, eo inscio, in unum corpus redactas, sub ejus nomine in lucem emiserint; deinde vero commentariis perpetuis eamdem collectionem illustrasse, prolatis in eam rem constitutionibus concilii lateranensis III, per eos dies celebrati, et decretalibus Innocentii III post annum

duodecimum editis; quoniam quae prioribus annis duodecim edita ab Innocentio fuerant, in tertia ipsa collectione continebantur. Quale istud sit, non ab alio melius audire possumus quam a Tancredo ipso, qui id narrat in praefatione ad tertiam decretalium collectionem a se illustratam. Edidit hanc praefationem Bosquetus in adnotatis ad epistolam Innocentii III septuagesimam primam libri primi. Juvat autem illam totidem verbis hic exscribere, quamvis prolixam, ut cuique plane constare possit de tribus illis antiquarum decretalium collectionibus, quia non ita facile est agnoscere quantum operae Tancredus impenderit iis decretalium collectionibus interpretandis. Hinc etiam intelligemus Tancredum intermissum docendi munus repetiisse, victum scilicet studentium precibus, qui tantum virum in ea scholarum nostrarum celebritate, quae per illud tempus ad summum excreverat, pati non poterant a scholis abesse. Id autem contigisse discimus paullo post celebratum quartum lateranense concilium sub Innocentio III, quod habitum fuisse constat anno MCCXV. Sed praestat jam Tancredum ipsum audire. *Post compilationem,* inquit, *decretorum, factam a Gratiano, multae a Romana Curia decretales epistolae emanaverunt, quas magister Bernardus tunc praepositus, postmodum episcopus papiensis, ad studentium utilitatem sub competentibus titulis compilavit, quaedam antiqua jura interserendo et vocatur Compilatio prima. Post illarum compilationem quaedam aliae decretales a diversis apostolicis emanaverunt, quas magister Gilbertus ad instar primae compilationis sub titulis collocavit. Post illum magister Alanus suam similiter compilationem effecit. Tandem magister Bernardus Compostellanus archidiaconus, in Romana Curia moram faciens aliquantam, de registris domini Papae Innocentii III unam fecit decretalium compilationem, quam Bononiae studentes romanam compilationem aliquando vocaverunt. Verum quia in ipsa compilatione quaedam reperiebantur decretales, quas Romana Curia refutarat, sicut hodie quaedam sunt quas Curia ipsa non recipit, idcirco felicis recordationis dominus Innocentius Papa III suas decretales, usque ad annum duodecimum editas, per magistrum Petrum Beneventanum, notarium suum, in praesenti opere compilatas, Bononiae studentibus destinavit. Post illarum receptionem, magister Galensis decretales omnium apostolicorum, qui praecesserunt Innocentium, de ruinis compilationis Gilberti et Alani extrahens, quamdam compilationem ordinavit, quae hodie mediae sive secundae decretales dicuntur; super quarum expositionibus plures doctores Bononiae glossas scripserunt. Et quia de dictis apparatibus opiniones studentium erant diversae sententiaeque confusae, idcirco ego Tancredus bononiensis, canonicus s. Petri, qualiscumque decretorum magister, ad multam instantiam sociorum meorum, meliora et utiliora de dictis Apparatibus colligens, ex ingenio meo quaedam interserendo, sicut et signis glossularum singularium demonstratur, primas et secundas decretales, prout melius potui, glossulavi; sed super praesenti tertia compilatione non Apparatum feci, sed audiendo atque legendo quaedam in libro notavi, quae scholares quidam absque conscientia mea de libro meo extraxerunt, et pro apparatu tertiarum illum mihi intitulaverunt. Nunc autem docendi officio ad multorum instantiam reassumpto, praesentem tertiam compilationem cum diligentia, Domino favente, glossabo et constitutiones concilii proxime celebrati et jura a domino Innocentio Papa III post duodecimum annum edita, tam in apparatibus a me factis quam in hoc, quem indicare dispono, diligentissime collocabo.*

VIII. Praeter glossas in priores duas decretalium compilationes et glossas item et apparatum in tertiam, non desunt magni nominis auctores, qui Tancredo tribuant novam decretalium collectionem aetate sua editam, quae decretales epistolas Honorii III complectitur. Fuit in ea opinione Petrus Pithoeus, qui in synopsi historica illorum, qui

canones et decreta ecclesiastica collegerunt, *Tancredus,* inquit, *bononiensis archidiaconus Honorii III novellas, sive extravagantes collegit, quae et integrae reperiuntur.* Praefixa est haec synopsis Corpori juris canonici a Pithoeo editi. Est in eadem opinione Bosquetus; sed Innocentius Cironius, qui compilationem decretalium Honorii III in lucem emisit (1), eos in manifesto errore versari ostendit, ut animadvertit Benedictus XIV in praefatione ad librum, quem inscripsit *Adnotationes in festo Sanctorum.*

IX. Sunt etiam qui Tancredum inter eos numerent, qui glossas in Gratiani Decretum scripserunt; quod, unde haustum sit, non reperio. Decreti glossae, quas editas habemus, ex plurimis auctoribus petitae sunt, quorum nomina saepe adnotantur. In his certe Tancredi nomen non vidi. Praestare tamen non ausim in tanta glossarum farragine nusquam ejus nomen esse adscriptum; nec hominem esse tam patientem aut tam otiosum puto, qui spissum adeo volumen, quale est Gratiani Decretum cum suis glossis, diligenter a capite ad calcem percurrere velit, ut in eo Tancredi nomen requirat. Constat autem Tancredum in interpretandis decretalibus maxime suam operam collocasse, ut paulo ante ex ipso audivimus; erantque jam tum discreti in scholis nostris decretalium et decretorum professores, dicti propterea hi quidem *Decretistae,* ut supra observatum est, cum de Gratia ageremus.

X. Sed inter Tancredi opera minime praetermittendus est Tractatus, sive, ut ab ipso appellatur, *Summula de Matrimonio,* quam rogatu Ottonis Gurcensis praepositi, circa annum MCCX, se scripsisse fatetur. Extat haec Tancredi Summula in codice membranaceo manuscripto bibliothecae Monachorum Cisterciensium s. Crucis in Jerusalem in urbe Roma, atque in hunc modum incipit: *Quum in omnibus fere caussis quilibet juri suo abrenuntiare valeat absque peccato, in caussa tamen matrimoniali neuter conjugum nisi caussa religionis, vel continentiae potest alteri abrenuntiare; vinculo enim tam valido sunt colligati, quod si ambo se adstrinxerint juramento se nequatenus petituros, tamen altero nolente vivere continenter, potest alterum, non obstante tali juramento, repetere, ut habetur ex III* De Jurejurando « Tua nos etc. » *Hac itaque consideratione compulsus ego Tancredus bononiensis et vestris postulationibus, venerande pater Octo Gurgemis* (2) *praeposite, satisfacere volens, Summulam vobis* De matrimonio *compilavi.* Tempus autem, quo hunc librum scripsit, indicat auctor ipse, tit. *De accusatione matrim.,* ubi hanc formam libelli accusationis tradit: *Forma vero libelli accusationis talis esse debet: Anno Domini nostri Jesu Christi MCCX, residente domino Innocentio Summo Pontifice in apostolica sede et domino Henrico Episcopo in gurcensi Ecclesia, XV kalendas Decembris, indictione XIV. Ego Petrus accuso uxorem meam Bertam de adulterio apud te, domine Octo, gurcensis praeposite etc.* Sic porro hanc Summulam concludit Tancredus: *Haec tamen quae praemissa sunt, brevitatis causa sufficiant. Super operis imperfectione veniam a lectore postulo et quae corrigenda viderit vel addenda, non invidentis sed benigno animo corrigat et emendet.* Codex videtur scriptus saeculo XIV, membranaceus est et notatus MCXXXXIV. Est autem gurcensis Ecclesia episcopalis in metropoli salisburgensi, atque Otto ille praepositus, cujus hortatu Tancredus *Summulam de matrimonio* scripsit, idem videtur, qui anno MCCXIV creatus est episcopus gurcensis, eodemque anno decessit; de quo videndus Hansizius in *Germania sacra* (3). Extat Innocentii III epistola episcopo

(1) Innocentius Cironius, *Epistolae Honorii III,* pag. XXVII.

(2) Etiam in literis Alexandri III ad Conradum Salisburgensem pro gurcensis legitur gurgemis, ut in hoc codice. Ex communi tamen usu scribi consuevit gurcensis. Extant praedictae Alexandri III literae apud Hansizium, *Germania Sacra,* t. II, pag. 299.

(3) Hansiz., *Germania Sacra,* t. II, pag. 321.

brixinensi et aquilejensi decano et magistro Hugoni, canonico ratisponensi, quibus committit causam, quae agitabatur inter archiepiscopum salisburgensem et Capitulum Ecclesiae gurcensis. Mandat autem Innocentius ut Capitulum illud absolvant ab excommunicationis sententia, quam in ipsum promulgaverat archiepiscopus salisburgensis, exceptis praeposito et V. et F. canonicis, qui, mandante ipso Innocentio, apud Sedem Apostolicam absoluti fuerant. Data est haec Innocentii III epistola anno XIV, secundo nonas Maii, anno scilicet MCCXI. Itaque vix dubito quin hic ipse praepositus gurcensis ille idem sit, quo hortante Tancredus *De matrimonio* tractatus edidit, qui, cum illis ipsis temporibus, quibus Tancredus in academia nostra florebat, in Italia esset, aut ejus auditorem in schola aut amicum saltem fuisse crediderim. Edidit eam epistolam Innocentii III Bosquetus (1). Indicatur in Bibliotheca Lipenii Juridica: *Tancredi Bononiensis de Cornetto Summa matrimonii,* edita Coloniae in 8.°, anno MDLXIII (2). Hanc esse puto Tancredi nostri Summam, de qua disserui et imperitia editoris factum ut Tancredus idem bononiensis et de Cornetto dicatur, quasi vero ad ejus cognomen pertineat, quod alii ad patriam referebant; qua de re supra dictum est. Non omittam hic recensere duos libellos, quos manu exaratos vidi in codice Collegii Hispanorum. Alter hunc titulum habet: *Incipit Summa aurea super quibusdam articulis, qui occurrunt tam de jure quam de facto in processu judiciario, de quibus magister Tancredus in libello suo doctrinam tradere non curavit.* Ad libri calcem haec leguntur: *Explicit Summa aurea magistri Tancredi.* Libellus alter *De exceptionibus* inscribitur et ad ejus quoque finem ita adnotatum est: *Explicit Summa magistri Tancredi* (3). Codex iste videtur saeculo XIII scriptus. Num haec Tancredi scripta sint certo affirmare non ausim. Fortasse, quae in libro *De ordine judiciario* omisit, in posteriori libello ipse supplevit.

XI. Plurimi fecere Tancredum Honorius III et Gregorius IX, ac multae extant utriusque epistolae ad eum missae, ex quibus aliquid in decretalium libris insertum habemus. Et Gregorius quidem, antequam esset Pontifex, cum legationem pro Ecclesia romana obiret, Tancredo quaestionem delegaverat in foeneratores, qui maxime per illud tempus excreverant (4). Scripsit Tancredo Honorius III una et episcopo bononiensi et abbati s. Stephani, mandans ut potestatem mantuanum et quosdam Bononienses ab occupanda Massa Fiscalia, quam juris beati Petri esse constabat, metu ecclesiastici interdicti deterrerent. *Datum apud Urbem Veterem II nonas Julii, anno IV,* idest anno MCCXX. Erat Tancredus tunc Ecclesiae bononiensis canonicus, sic enim fert inscriptio ejus epistolae in autographis Vaticanis: *Episcopo, abbati s. Stephani et magistro Tancredo canonico bononiensibus.*

XII. Est alia ejusdem Honorii epistola *Episcopo et magistro Tancredo bononiensi et Bondì Pratensi Bononiae commoranti canonicis.* Magistri Bondi sive Bonidiei, ut alibi dicitur, non rara mentio est in monumentis eorum temporum. Fuit juris pontificii professor in nostris scholis, propterea dictus alicubi magister Bondì *de canonica,* scilicet, *de lege canonica.* Cum autem canonicus cum Tancredo dicatur et Bononiae aetatem quam diutissime egerit, fortasse aliquis conjiciet nostris canonicis Ecclesiae bononiensis adnu-

(1) INNOCENTIUS III, *Epist.,* lib. II, regest. XIV, pag. 204.

(2) LIPEN., *Biblioth. Jurid.,* pag. 515.

(3) Codex 219.

(4) « Anno MCCXIX, die... domina Guisila filia quondam domini Guilielmi Gosii petit tutorem et curatorem ad omnes causas, quas habitura est usque ad legitimam aetatem et specialiter in causa usurarum quam habebat vel habitura erat sub examine domini Tancredi, judicis delegati a domino Cardinali ». Ex charta archivi monialium s. Agnetis, Bononiae.

merandum esse, in quorum spectatissimo collegio viri semper fuerunt doctrina praestantes, quorum multi in scholis nostris jus canonicum et sacram theologiam aliasque disciplinas cum laude sunt professi. Nam, ut id obiter moneam, Tancredi aetate et Bonidiei vivebant magister Martinus et magister Lambertus et magister Oddo canonici, quos cum Tancredo ipso nominatos video in tabulis ad annum MCCXXXIII scriptis (1). His addere licet magistrum Zoen Tencararium primo canonicum dein archipresbyterum denique episcopum avenionensem, cujus mentionem reperio in tabulis Ecclesiae bononiensis ab anno MCCXXIV ad annum MCCXXXVI.

XIII. Sed ad epistolam redeo Honorii III, inscriptam magistro Tancredo et Bonodiei. Ea est in collectione Gregorii IX *De judiciis, c. Significaverunt nobis,* ac data est *Reate, II kalendas Novembris, anno X,* idest anno MCCXXV. Scripserat Honorius aliam epistolam ad eosdem, quam in ista indicat. Dedit et tertiam eo ipso die et anno, quo haec data est, eademque de causa, nempe ad comprimendam audaciam praetoris Florentinorum. Is quippe statutum condiderat, quo cavebatur, ne quis ex civitate vel ex agro florentino ad judicium Sedis Apostolicae confugere posset in causis mere temporalibus, et abbatem florentinum s. Mariae huic decreto repugnantem male multaverat. Mandat itaque Honorius praetorem Florentinorum sacris interdici, nisi quantocius resipiscat et, refixo decreto illo, ecclesiasticos sineret jura sua persequi coram judicibus, a Sede Apostolica delegatis.

XIV. Ex multis vero causis,quae ad Tancredi judicium delatae sunt, gravissima et difficillima fuit quae per annos plures agitata est inter archiepiscopum ravennatem et Cervienses, qui a temporali jurisdictione archiepiscopi se subduxerant. Honorius III primo hanc causam definiendam commiserat Aegidio praeposito popiliensi, sed, eo in episcopum popiliensem electo, ejus cognitio delata est ad magistrum Tancredum canonicum bononiensem literis, ab Honorio datis anno MCCXXIV, XV kalendas Februarii, ut narrat Rubeus (2). Mirum quot modis studuerint Cervienses hujus judicii cursum impedire, cujus exitum formidabant. Cum antiqua Imperatorum diplomata producerentur pro adstruenda archiepiscopi jurisdictione, eorum auctoritatem eludere conabantur variis exceptionibus, quae Tancredo obtulerunt (3). Sed illud foedius, quod Tancredum ipsum quandoque accusarunt, quasi pecunia se corrumpi sivisset ab archiepiscopo, ut pro illo sententiam diceret. Ab ea calumnia sacramento se purgavit Tancredus coram episcopo bononiensi Henrico aliisque primariis viris, cum jaceret aegrotus et sic diem extremum cogitaret, ut existimaret etiam suae famae consuli oportere (4). Sed non defuere Cerviensibus novae cavillationes, quibus tollendis alias literas ad Tancredum scripsit Honorius, ut narrat Tancredus ipse *De ordine judiciario* (5): *Causa vertebatur,* inquit, *inter archiepiscopum ravennatem et Commune cujusdam civitatis super jurisdictione ipsius civitatis. Commissa fuit causa magistro Tancredo bononiensi. Sed prorogata fuit causa propter cavillationes et subterfugia illorum civium per triennium. Postea excipiebant quod non tenebantur respondere coram magistro Tancredo, quia perierat instantia judicii per decursum triennii. Dominus Papa reprobat illam exceptionem et mandat quatenus, ea non obstante, magister Tancredus procedat.* Data est haec Honorii epistola X kalendas Maii,

(1) Extant in archivo canonicorum Ecclesiae Bononiensis, fasc. III, n. 6.

(2) Rubeus, *Histor. Ravenn.,* lib. VI, pag. 388.

(3) « Anno Domini MCCXXVIII, die VI intrante Augusto. Bonusfilius Cozoli procurator Marcoaldi syndici Communis Cerviae obtulit exceptiones, sive specificationes contra privilegia imperialia praedicta, domino Tancredo archidiacono bononiensi judice delegato etc. in claustro ecclesiae s. Petri Bononiae etc. ». Ex Actis ejus causae in archivo metrop. Eccles. Ravenn., capsula L, n. 5111.

(4) *Appendix.*

(5) Extat in *Tract. Univ. Juris,* t. III, part. I.

anno VIII [1]. Non defuit muneri suo Tancredus, adhibitis etiam in consilium Hugolino Presbyteri et Guidone Boncambii, qui per illud tempus in scholis nostris jus civile cum laude profitebantur. Sed Cervienses cum jure se tueri non possent, minus honestis artibus ejus judicii exitum declinare conati sunt. Itaque lege lata sanxerunt, nemini ex ea civitate licere testimonium in judicio dicere contra Commune Cerviensium idque juramento firmaverunt. Qua de re cum archiepiscopus ravennas apud Pontificem questus esset, neque enim erat obscurum, quo spectaret ea lex Cerviensium, Pontifex Tancredo mandavit ut eam legem irritaret, ne scilicet deessent qui in causa archiepiscopi cum Cerviensibus testimonium dicere possent. Honorii literae sunt in codicibus Vaticanis. Scripsit iterum Honorius ad Tancredum jam archidiaconum ea de re mandans, ut causam probe instructam ad se remitteret. Datae sunt hae Honorii literae XVII kalendas Februarias, anno XI, anno scilicet MCCXXVII. Sed cum paulo post secuta sit mors Honorii III, ejus successor Gregorius IX scripsit ad Tancredum ut in ejus causae cognitione procederet, ut, judicio recte instructo et informato, tandem Pontifex ipse sententiam ferre posset. Haec Gregorii IX epistola data est Anagniae, VI kalendas Augusti, anno I [2]. Cum non dissimilis controversia esset exorta inter abbatem nonantulanum et episcopum pistoriensem de jurisdictione Castri Batoni, utraque pars arbitrium totius negotii Tancredo detulit, ut ex tabulis ea de re confectis ad annum MCCXXIII, quas vidimus in tabulario Ecclesiae ravennatis [3]. Aliquando etiam adhibitus est tractandis publicis negotiis Bononiensium, et ut summa erat ejus auctoritas ita plurimum valuisse censeo in tollendis dissidiis et hominum animis ad concordiam revocandis. Supra mentio est facta transactionis ab eo initae cum monachis s. Michaelis ad Castrum Brittorum; qua transactione veteri controversiae eorum monachorum cum canonicis Ecclesiae bononiensis finis impositus est. Interfuit etiam transactioni episcopi bononiensis cum Canonicis Regularibus s. Salvatoris, anno MCCXXXII celebratae, cui perficiendae suam operam contulisse videtur; nam ii fere praesertim ex jurisperitorum ordine ejusmodi negotiis conficiendis praesentes adhibentur, qui iis tractandis operam contulerunt. Praesens quoque adfuit statuendis induciis inter Bononienses et Mutinenses; qua de re abunde Sigonius ad annum MCCXXIX. Interfuit etiam cum Jacobo Balduino jurisconsulto celeberrimo firmandae concordiae inter episcopum nostrum et Commune civitatis, inter quos diu disceptatum est propter jurisdictionem s. Joannis in Persiceto aliorumque castrorum agri bononiensis, ut narrat idem Sigonius [4]. Sed illud maxime honorificum Tancredo archidiacono, quod Honorius III suarum decretalium collectionem eidem, quasi juris canonici professorum antesignano, inscripsit [5]; et Gregorius IX, cum agetur de referendo in sanctorum album Dominico Gusmano Ordinis Praedicatorum fundatore, eidem Tancredo, una cum Thoma priore s. Mariae ad Rhenum et Palmerio priore de Campagnola, negotium dedit inquirendi in vitam moresque ejusdem Dominici et in miracula etiam, quae post mortem ejus patrocinio facta ferebantur. Honorii pontificis epistolam, quam ad Tancredum cum sua decretalium collectione misit, videre licet praefixam decretalibus Honorii III ab Innocentio Cironio editis. Sed mirificus mihi videtur auctor iste,

(1) Est decretalis *Venerabilis frater noster. De judic.* In editis tamen corruptus est hujus epistolae inscriptio; habet enim hunc titulum *Episcopo Bononiae et Magistro B.* At in codicibus Vaticani archivi unius Tancredi nomen praefert.

(2) Extat in archivo Metropolit. Eccles. Ravenn., caps. B, n. 453.

(3) Ibid., caps. H, n. 6434.

(4) Sigonius, loco citato.

(5) « Demum Honorius fecit quintam (Compilationem) quam magistro Tancredo, antiquo doctori nostro et archidiacono bononiensi, direxit ». Joann. Andreae in prooem. *Novel.*

cum ait Honorium voluisse suam decretalium collectionem Bononiae ob hanc causam promulgari, quod haec civitas se se olim Othoni IV contra Romanam Ecclesiam foedere junxerat, eaque in pertinacia perseveraverat etiam post Othonem ab Imperio dejectum. Bononienses Honorii III temporibus Romanae Sedi addictissimi erant; quod adeo aegre tulit Fridericus II Othonis successor, ut scholas bononienses Neapolim transferre conatus sit. Causam igitur, cur in scholis bononiensibus suas decretales promulgari voluit Honorius, hanc unam afferre debuisset Cironius, celebritatem academiae bononiensis, in qua ubi pontificiae constitutiones per archidiaconum academiae ipsius moderatorem et praefectum rite propositae et promulgatae fuissent, nullibi gentium ignorari posse censebantur. Atque ob hanc causam alii quoque Pontifices suas decretales ad academiam nostram promulgandas miserunt. Alibi etiam editae sunt Gregorii IX literae ad Tancredum ejusque sodales duos, in vitam et miracula Dominici Gusmani inquirere jussos. Sed nullibi editas vidi literas, quibus idem Tancredus cum prioribus s. Mariae ad Rhenum et de Campagnola eamdem cognitionem delegavit abbati s. Saturnini de Tolosa et archidiaconis s. Stephani et s. Saturnini ejusdem civitatis. Eas hic damus, eo etiam nomine a nobis non omittendas, quod ex iis intelligimus cum clero et populo bononiensi etiam universitatem scholarium ab Apostolica Sede postulasse ut Dominico Gusmano supremi honores decernerentur (1).

XV. Quam naviter Tancredus cum suis sodalibus totum hoc negotium tractaverit, ex eo manifestum esse potest quod intra menses admodum paucos feliciter confectum et absolutum est; et Dominicus Gusmanus in sanctorum album est relatus. Quo anno Tancredus obierit, omnino obscurum est. Post annum MCCXXXIV nullibi ejus viventis indicium reperire licuit (2). Sunt qui dicant se vivo sepulcrum parari sibi curasse in cathedrali aede (3). Sed vereor ne id haustum sit ex iis ipsis fontibus, unde in historiam nostram tot figmenta fluxerunt. Sed tamen in aede cathedrali sepultum fuisse indubium est, et quidem in nobili tumulo, cum hac epigraphe: *Sepulcrum magistri Tancredi eximii doctoris decretorum, archidiaconi bononiensis. Orate pro eo.* Sed ejus sepulcrum loco motum et disiectum est in novis ejus templi molitionibus. Videtur autem fuisse in media templi area, loco admodum conspicuo, ut juxta illum Bernardus Parmensis, qui glossam in decretales edidit, quam Vulgatam appellant, tumulum sibi construendum curaverit (4). Sacerdotem quoque instituit Tancredus, qui in eodem templo sacrum pro se faceret et post mortem suis manibus litaret; cujus mentionem reperio in ejusdem Bernardi Parmensis codicillis (5). Incidit Tancredi aetas in felicissima academiae nostrae tempora; nunquam enim major exterorum affluxus ad scholas nostras, nec major professorum vel copia vel celebritas. Vixit enim cum Azone, Jacobo Balduino, Bagarotto, Hugolino Presbyteri, Rofredo Beneventano, Bandino Pisano, Accursio aliisque nobilissimis legum interpretibus, ne quid dicam de canonum professoribus, quorum ipse aetate sua princeps haberi potuit. Quamvis autem aliquid turbarum in nostris scholis excitatum sit ob quasdam leges a populo bononiensi latas, quae contra scholarium libertatem

(1) *Vide Appendicem.*

(2) « Anno Domini MCCXXXIV, die quinta exeuntis Octobris, dominus magister Tancredus, bononiensis Ecclesiae archidiaconus et sui fratres, scilicet presbiter Albertus, presbiter Guido, presbiter Octavianus, magister Zoen, presbiter Bolognus, dominus Andreas .... » nomine, et vice totius Capituli tertiam partem quorumdam agrorum concedunt hospitali s. Petri, ejusque rectori domino Viviano. Extat in archivo canonicorum s. Petri, fasc. III, n. IV.

(3) ORLANDI, *Scrittori bolognesi.*

(4) Ex BERNARDI PARMENSIS Codicil. *in Appendice.*

(5) « Item (reliquit) cuilibet mansionario ejusdem Ecclesiae (s. Petri) X solidos Bonon..... et presbitero Bonagiunte magistri Tancredi X solidos Bonon. ». Ex Codicillo cit.

esse videbantur; non propterea magna clades academiae allata est easque turbas compescere studuit Honorius III, academiae et professoribus nostris amicissimus. Nec dubium est quin idem Pontifex scholis nostris optime prospexerit, cum ejus veluti moderatorem et praefectum esse voluit archidiaconum bononiensem, cui nimirum jus creandi doctores contulerat aliaque non tam ad ejus dignitatem quam ad scholarum utilitatem indulserat, quae supra indicavimus. Nam quod extremis Tancredi annis Fridericus II, civitati nostrae iratus, scholis interdictis, professores Neapolim invitavit, conatus inanis fuit telumque imbelle sine ictu vibrasse in academiam nostram videtur furiosus princeps, cujus minas numquam civitas nostra pertimuit. Vix ullos igitur ex professoribus nostris Neapolim migrasse censeo ad annum MCCXXV, quo anno constat interdictas a Friderico Bononiensium scholas. Quare parum aut nihil academiae nostrae nocuit lex illa Friderici II, quam etiam non multo post ipse abrogavit.

XV.

OCTAVIANUS UBALDINUS.

I. Tancredo Octavianus Ubaldinus in archidiaconatu bononiensi successor datus est, vir aetate sua et generis nobilitate et dignitatibus, quas subinde obtinuit, et rebus gestis longe celeberrimus. Quo anno archidiaconus creatus sit, non liquet. Anno MCCXXXVI, idibus Maii, eo certe munere fungi coeperat, ut manifestum est ex tabulis Ecclesiae bononiensis, in quibus Octavianus Archidiaconus cum reliquis canonicis nominatur (1). Erat autem canonicus Ecclesiae bononiensis *Octavianus de Musello* (sic enim tunc dici amabat, propterea quod in mugellano tractu late dominabatur ejus familia) jam inde ab anno saltem MCCXXVI (2), atque hic primus ei gradus fuit ad amplissima munera, quibus deinde functus est. Quamvis autem nulla, quod sciam, supersint ejus ingenii monumenta, arbitror tamen non vulgariter doctum fuisse, quippe quem constat subdiaconum et capellanum fuisse Gregorii IX (3). Neque vero credibile est doctissimum Pontificem indocto homini detulisse munus cognoscendi causas ad Palatium Apostolicum undecumque allatas; hoc enim munere fungebantur capellani pontificii, ut alibi dictum est. Cum nondum ea aetate esset, quae, ex sacrorum canonum praescripto, ad episcopatum necessaria est, a clero bononiensi electus est episcopus anno MCCXXXX, Gregorius IX ratam habuit ejus electionem, et quoniam episcopus consecrari non poterat, annos nimirum nondum natus triginta, procuratorem Ecclesiae boononiensis constituit, ut constat ex ejus literis ad clerum datis, quibus nihil honorificentius de Octaviano Ubaldino scribi potuisset. Eas in Appendice damus (4). Scripsit in eamdem sententiam Pontifex clero civitatis et dioecesis, tum Octaviano ipsi Archidiacono ac Potestati, Consilio et populo bononiensi, quae literae ex Vaticanis autographis scriptae sunt in bibliotheca publica Instituti Scientiarum bononiensis. Interea Octavianus, suscepta procuratione Ecclesiae bononiensis, archidiaconatum retinuit gessitque ad annum usque MCCXXXXIV, atque in actis publicis se archidiaconum et procuratorem bononiensem

(1) Extat in archivo canonicorum majoris ecclesiae bononiensis, in *libro Axium* pag. 32.

(2) Ex tabulis in eodem libro.

(3) Ita dicitur in literis Gregorii IX, quibus electionem in episcopo Bonon. approbat.

(4) *Vide Appendicem.*

inscribere consuevit, ut apparet ex literis, quas universis praelatis et aliis Ecclesiarum rectoribus dioecesis bononiensis dedit, ut eos hortaretur ad opem praestandam in reparanda ecclesia s. Mariae in Monteovalo, quae a nefariis hominibus incendio vastata fuerat. Habent antiquitatum ecclesiasticarum studiosi in iis literis, quas in Appendice damus, specimen aliquot disciplinae, quae circa indulgentiarum largitionem saeculo XIII vigebat [1]. Monsovalus olim dicebatur Mons Palensis, atque in ejus loci ecclesia, quae his etiam temporibus magna religione colitur, plura ss. Martyrum corpora condita esse dicuntur. Eorum acta martyrii, quae vidi in codice membranaceo saeculi, opinor, XIII in archivo canonicorum Ecclesiae bononiensis, licet apocripha sint et nulla fide digna quoad historiam eorum martyrum, tamen plurimum valere videntur ad confirmandam traditionem antiquam de pluribus ss. Martyribus ad eum locum pro fidei confessione occisis et in ea Ecclesia quiescentibus, quorum acta legitima et sincera cum periissent, facile fuit falsa confingere, ut pluribus aliis in locis contigisse constat.

II. Cum Gregorius Pontifex, ut christianae reipublicae magnopere per illud tempus afflictae succurreret, oecumenicum concilium cogere decrevisset ac literas ad omnes Christiani Orbis praesules ea de re dedisset, scripsit etiam ad Octavianum archidiaconum et procuratorem Ecclesiae bononiensis, quanquam episcopali dignitate non esset insignitus et quidem ex eadem formula, qua ad alios episcopos scripserat, primo scilicet IV idus Augusti, anno XIV, idest anno MCCXXXX, post autem idibus Octobris eodem anno. Habemus has literas in codice diplomatico Ecclesiae bononiensis ex codicibus Vaticanis descriptas, quarum exempla vulgavit Raynaldus ad annum MCCXXXX in Annalibus Ecclesiasticis [2]. Anno insequenti Gregorius IX, laboribus curisque confectus, ex hac vita migravit. Successit Caelestinus IV, qui cum vix XVIII diebus in pontificatu vixerit, de augendis Octaviani honoribus cogitare non potuit. Cogitavit vero maxime Innocentius IV, qui post longum interregnum ad Petri Cathedram evectum est. Initio statim sui pontificatus *Archidiacono et Procuratori Ecclesiae Bononiensis* scripsit Innocentius, ut una cum abbate s. Thomae cremonensis dioecesis et magistro scholarum parmensium, inquireret ac referret de electione Willelmi de Foliano in episcopum regiensem, an rite facta esset; *Dat. Laterani, XIV kalendas Novembris, anno I* [3]. Eidem postea scripsit mandans ut exauctoraret abbatem s. Stephani, indignum eo munere judicatum; *Dat. Laterani, VIII kalendas Maii, anno I* [4]. Sed haec levia, ut vix commemorari debuissent. Octavianum paulo post in sacrum cardinalium ordinem adlegit, titulo s. Mariae in Via Lata, atque in ejus locum creavit bononiensem episcopum Jacobum Boncambium S. R. E. Vicecancellarium, ex Ordine Praedicatorum. Habemus ejus literas, datas Romae pridie kalendas Junias, Capitulo Bononiensi, quibus nunciat se cardinalem creasse Octavianum archidiaconum et procuratorem Ecclesiae bononiensis, atque edicit ut grate recipiant novum episcopum, ut ipse inquit, *secundum cor suum*, cum quo diu conjunctissime se vixisse memorat et quem suis manibus in episcopum bononiensem consecraverat. Datae sunt literae Innocentii secundo kalendas Junias, anno I, easque in Appendicem rejicimus [5]. Erat is frater Guidonis Boncambii doctoris legum, sanctitate morum spectandus, ut etiam post mortem *beati* nuncupatione insigniri meruerit. Sed clerus bononiensis, comperta Octaviani electione in cardinalem, de successore creando

(1) Ex *libro Axium* in archivo Capituli Ecclesiae bononiensis, pag. 15.

(2) Raynaldus, *Annal. Eccl.* ad annum MCCXXXX, n. LIII et LVI.

(3) Regist. I, Epistola 200. Extat in *Codice Diplom. Eccles. Bonon.* in Biblioth. Publ. Bononiae.

(4) Ibid., Epistola 625. Ext. ibid.

(5) *Vide Appendicem.*

statim cogitavit. Cum autem in suffragia iretur, orto dissidio, electores in duas partes desciverunt. Sed Pontifex, re cognita, utramque electionem irritavit, datisque ad capitulum bononiensem literis, mandavit iterum ut episcopum ab se datum reciperent. Datae sunt hae Innocentii literae VIII kalendas Julias, eodem anno primo. Utrasque vidimus in codice diplomatico manuscripto Ecclesiae bononiensis, qui in publica bibliotheca adservatur. Quae post illud tempus Octavianus Ubaldinus gessit, ejusmodi sunt ut ad institutum nostrum non pertineant. Tantum dicam, vix quemquam eo saeculo fuisse, qui tam diuturna felicitate usus sit, totque curas, legationes, negotia gesserit. Sed tamen extrema ejus vitae tempora paria superioribus non fuere, atque ut malus comicus in postremo fabulae actu concidisse visus est. Quamvis esset ex primis Ecclesiae proceribus, non obscure tamen apparebat ghibellinarum partium studio teneri; cujus rei cum aliquando frustra poeniteret, haec ejus vox fuisse dicitur, indigna prudenti homine et sano: *Si anima est, eam pro Ghibellinis perdidi* (1).

XVI.

PHILIPPUS.

I. Octaviano, in cardinalium collegium coptato, suffectus statim est Philippus; quod recte colligitur ex veteri membrana archivi s. Stephani (2), in qua *die XIV et XVI intrante Augusto, MCCXXXXIV, dominus Philippus archidiaconus bononiensis et vicarius Bononiae* nominatur, ut judex adlectus ad quamdam controversiam definiendam. De hoc homine nihil, praeter nomen, scire potuimus. Nam quod Alidosius anno MCCLII Philippum hunc doctoris laurea insignitum tradit, id plane commentitium judico. Recantat id de singulis archidiaconis, quasi prae oculis habuerit antiquas, ut appellant, doctorum matriculas, quae nuspiam sunt et fortasse nunquam fuerunt. Quia vero aetate nostra solemne est ut archidiaconus nemo sit, quin idem sit doctor et si qui ad illud munus assumuntur, qui doctoris insigniis non sint ornati, ea postmodum accipiunt; hunc morem antiquiori etiam aevo fuisse existimat, vetera scilicet ex nostris moribus dimetiens, ut minus considerate novi id genus scriptores facere solent. Anno MCCLI, quinto nonas Martii, Jambonellus et Albertinellus se suaque Deo obtulerunt in ecclesia s. Petri in manibus Philippi Archidiaconi. Hujus oblationis formulam in Appendice damus ex archivo canonicorum ecclesiae metropolitanae (3), quam aptissimam judico ad illustrandam antiquam hanc disciplinam, qua pii homines, atque etiam foeminae, se Deo offerebant et piis locis quodammodo mancipabant. Aliud exemplum ejusmodi oblationum habemus ad annum MCLXXXI, ex quo apparet perantiquum esse in Ecclesia bononiensi hunc morem, ut pii aliquot homines et foeminae se suaque omnia eidem Ecclesiae offerrent et dicarent. Ii porro *conversi* vulgo dicebantur, ac plurimum diversi sunt ab iis, quos nunc eo nomine appellari audimus in religiosorum hominum familiis, qui neque antiquissimi sunt neque olim eo nomine dicebantur. Erant autem frequentes ejusmodi conversi, non solum in Ecclesiis, in quibus erant monachorum aut canonicorum regularium collegia, cujusmodi tunc erat cathedralis Ecclesiae bononiensis, sed etiam in suburbanis

(1) *Histor. famil. Ubaldin.*, pag. 116.
(2) Eam vidit et indicavit clarissimus Montius.
(3) *Vide Appendicem.*

Ecclesiis et in monasteriis monialium, ut infinitis exemplis demonstrari posset. Sed haec obiter sint dicta. Ad annum usque MCCLVIII archidiaconatum haud dubie obtinuit Philippus; quod paulo post constabit. Hoc temporis intervallo Innocentius IV suas decretales epistolas ad archidiaconum bononiensem, tanquam bononiensis academiae praesidem, misit, mandans ut eas magistris et scholaribus diligenter exponeret vetaretque ne quis alias constitutiones ejusdem Pontificis nomine editas vel edendas, in scholis vel in judiciis, inconsulta Sede Apostolica admitteret. Afferemus alio loco has Innocentii literas, quae datae sunt Assisii, V idus Septembris, anno XI, idest anno MCCLIII. Scripserat sub initium ejusdem anni Innocentius archidiacono bononiensi et Fratri Danieli ex Ordine Praedicatorum, mandans ut statuta a scholarium rectoribus edita confirmarent, si quidem rationi consentanea et honesta viderentur. Datum Perusii idibus Januariis, anno X.

II. Scripsit idem Innocentius insequenti anno MCCLIV, III nonas Martii, ad archidiaconum bononiensem, mandans ut archiepiscopum strigoniensem adigeret ad satisfaciendum Bonifacio Bonsignorio, Albizo Deuteaiute, Bencivendi Joannis et Bonaventurae Recuperi mercatoribus sive trapezitis senensibus, a quibus MMMD argenti pondo mutuo acceperat, pro expediendis ipsius archiepiscopi et Ecclesiae suae negotiis apud Sedem Apostolicam. Quod si renuat, sacris interdicat; rursum autem, si intra duos menses dicto audiens non sit, ab omni administratione spirituali ac temporali depellat edicatque ut ad certam diem ipsi Pontifici se sistat. Datae sunt hae Innocentii literae ex Laterano, III nonas Martias, anno XI, idest anno MCCLIV (1). Quamvis autem Archidiaconi nomen adscriptum non habeant, certum tamen est eas ad Philippum transmissas fuisse, nam in saepius laudato libro *Axium*, ut vocant, archivi canonicorum s. Petri occurrit mentio Philippi Archidiaconi ad *diem VII intrante Majo, MCCLVIII.* Itaque constat Pontificum literas ad bononiensem archidiaconum, datas ab anno MCCXXXXIV usque ad annum MCCLVIII, ad Philippum pertinere.

XVII.

ALBERTUS SCHOLARIUS.

Anno MCCLX archidiaconatum bononiensem gerebat Albertus Scholarius, quem patria florentinum fuisse et consobrinum Octaviani Ubaldini, diaconi cardinalis s. Mariae in Via Lata, constat ex Annalibus Camaldulensibus, Tomus V in Appendice, pag. 102. Ad ipsum datae sunt literae Alexandri IV, quae autographae extant in archivo monasterii nostri sancti Romualdi de Urbe, quaeque pertinent ad annum MCCLVIII, quo tempore Albertus nondum ad archidiaconatum assumptus erat, inscriptae sunt enim Alberto canonico Bononiae. Eo anno, scilicet MCCLX, partitione facta praediorum Ecclesiae bononiensis, quae communiter ante illud tempus canonici cathedralis ecclesiae possidebant, primus suam partem sortitus est Albertus. Ex eo tempore vitam in communi agere desierunt canonici Ecclesiae bononiensis, et singulorum, ut appellant, praebendae sunt constitutae. Extat ejus rei monumentum in canonicorum tabulario, quod in Appen-

(1) Ex regist. III Innoc. IV. Epistola 506, fol. 674 in *Codice Diplom. Eccles. Bonon.*

dicem contulimus (1). Ex Ughello intelligimus Albertum Archidiaconum Scholaria familia apud Florentinos praenobili ortum fuisse, eumdemque episcopum volaterranum creatum anno MCCLXI (2); quo tempore in archidiaconatu bononiensi Rogerium Ubaldinum habuit successorem.

XVIII.

ROGERIUS UBALDINUS.

I. Rogerii archidiaconi mentio occurrit in charta transactionis canonicorum Ecclesiae bononiensis cum monachis ss. Naboris et Felicis, quae scripta est quarta die exeunte Septembri, anno MCCLXIV (3). Rogerio archidiaconatum obtinente, acre dissidium obortum est inter doctores legum et archidiaconum ipsum. Salvo archidiaconi jure approbandi et rite inaugurandi doctores, caetera, quae pertinerent ad scrutinia et praesentationem, quam vocabant, illorum, qui doctores erant creandi, ad se omnino spectare contendebant doctores bononienses. Quo in dissidio irritatis doctorum animis tumultus in ecclesia divi Petri, in qua doctores creari solebant, excitatus est; nec a vi et injuriis abstinuerunt in episcopum et archidiaconum eorumque familiares; sed non multo post doctores cum archidiacono concordiam aequis conditionibus inire studuerunt, cujus rei arbitrium Octaviano episcopo bononiensi, qui archidiaconi ipsius erat frater, ab utraque parte delatum est (4). Est aliud Rogerii monumentum in Memorialibus, uti appellant, Communis Bononiensium ad annum MCCLXXII, die XV Martii, quod magni faciendum est; ex eo enim et genus Rogerii Archidiaconi agnoscimus multosque ex gente Ubaldina, ex qua Rogerius ipse prodiit, qui in civitate nostra seculo XIII dignitatibus opibusque florentes vixerunt, multo notiores habemus, quam unquam ante. *Spondet dominus Rogerius domini Ubaldini de Pilla, archidiaconus bononiensis, dominam Elenam neptem suam, filiam domini Ugolini de Felizono fratris sui, domino Guidottino de Prendipartibus et Mino ejus filio pro Simone Mini filio in uxorem cum dote D libras Bononinorum* (5). Vir fuit Ubaldinus de Pilla, Octaviani cardinalis frater, Rogerii nostri pater impotentis animi; de quo illud fertur, vi adactum ab eo episcopum quemdam ad sacris initiandum, et sacerdotem creandum, stupidum hominem olitorem suum (6).

II. Tenuit Rogerius archidiaconatum bononiensem ad annum usque MCCLXXVIII, quo anno creatus est archiepiscopus pisanus, ut est apud Ughellum in archiepiscopis pisanis. Et quamquam apud Guidonem de Corvaria in fragmentis Historiae Pisanae electus dicatur anno praecedenti, quintadecima Novembris die, malim tamen Ughello credere, qui ejus electionem conjicit in diem VI idus Augusti ejus anni ex literis Nicolai III, Romanam Ecclesiam tum moderantis, quas in regestis Vaticanis se vidisse ait. Sed vacante Ecclesia ravennate ob decessum Philippi Fontana, qui anno MCCLXXI obierat, cum clerus archiepiscopum electurus in duas partes secessisset, altera Percivallem de Lavania elegit, altera archidiaconum bononiensem, Rogerium nempe Ubaldinum. Cum autem utraque pars apud Pontificem ageret, ut is electionem ab se factam

(1) *Vide Appendicem.*

(2) Ughell., *Italia Sacra,* t. I, col. 1450.

(3) Extat in archivo canonicorum majoris Ecclesiae bononiensis in *libro Axium,* pag. XXIII.

(4) Anno MCCLXIX. *Vide Appendicem.*

(5) Ex *Memor. Com. Bonon.* Ferrariensis Cambii notar. In archivo publico.

(6) Manni, ad sigillum Sinibaldi episcopi imolensis.

auctoritate sua ratam haberet, Gregorius X, is enim tunc erat Pontifex, utramque electionem irritavit et Bonifacium de Lavania Ordinis Praedicatorum, in primis doctum et pium, Ecclesiae ravennati praefecit (1). Quod igitur apud Ravennates consequi non potuit Rogerius, id apud Pisanos obtinuit diuque Ecclesiam illam administravit. Sed vir fuit alienus nimium ab iis studiis atque ab ea lenitate, quae hominem Deo dicatum decet. Crudelem ejus animum et efferatos mores ostendit indignum facinus, quod inimitabili prorsus carmine exponit Dantes Aligherius (2), qui eum propterea merito acerbissimis modis apud inferos discruciatum fingit. Est enim hic ille Rogerius archiepiscopus pisanus, quo auctore, capti Hugolinus Comes et filii duo cum duobus nepotibus, caeca turri omnes inclusi, projectis in Arnum clavibus, fame necati sunt. De eo plura Ughellus in *Archiepiscopis Pisanis.*

XIX.

SINIBALDUS DE LABRO.

I. Rogerio ad cathedram pisanam evecto, in archidiaconatu bononiensi successit Sinibaldus de Labro. Castrum erat agri reatini *Labrum, Alabrum* quoque dictum, ex quo agnomen duxit nobilis familia, quae ejus dominatum obtinuit et duo praeterea non ignobilia ejusdem regionis castra, Repastum (3) et Modium (4), aliquando possedit. Sed ea gens processu temporis Nobilium de Alabro, vel de Labro est dicta (5); qui postmodum Vitteleschi appellati. In tabulario Ecclesiae reatinae sunt plura ejus familiae monumenta, quae descripsit Gabriel Naudaeus, cum esset a bibliotheca Joanni Francisco de Balneo cardinali et episcopo reatino, in indice locupletissimo monumentorum, quae in eo tabulario continentur. Ex ea vero familia Sinibaldum archidiaconum prognatum esse nullus dubito, tum quod nullibi, praeterquam in reatino auditum est de nobili familia, quae illud agnomen gesserit, tum quod Sinibaldum ex iis locis in civitatem nostram profectum esse, non levi conjectura assequimur. Anno siquidem MCCLXXXV Sinibaldus de Labro agnatus Sinibaldi nostri, cum esset Bononiae, praedia perampla emit in agro spoletino. Ei scilicet Gerardus Hugolini spoletinus scholaris bononiensis quidquid sibi obvenerat ex patris haereditate, pretio MM Florenorum auri vendidit, domos nimirum, turres, agros et si quid aliud in Spoletinorum finibus possidebat et libros etiam ingentis pretii (6), Digestum vetus et novum et Infortiatum et Codicem cum glossis Accursii. Interfuere hujus venditionis tabulis conficiendis *dominus Andreas de Reate et magister Matthaeus Spoletini de Spoleto* (7). Sunt autem Spoletini Reatinis contermini, ut notum est. Sed quid opus est conjecturis, cum Sinibaldum de Labro reatinae dioecesis alicubi dictum in eorum temporum monumentis reperiam (8)? Sed Sinibaldus, antequam archidiaconatum obtinuerit, diu fuit in familia Octaviani Ubaldini cardinalis, penes

(1) Rubeus, *Histor. Ravenn.,* lib. VI, pag. 448.

(2) *Inferno,* Canto XXXIII.

(3) « Anno MCCCLVII, die VI Julii. Venerabilis et egregius vir dominus Petrus de Columna.... Nicolaus de Normandis.... vendiderunt nobili viro domino Pandulpho de Alabro totum ed integrum castrum quod vocatur Repastum.... Actum Rome.... Ego Franciscus Petri Rossani notarius etc. ».

(4) « Anno MCCCLXXVI die VI Junii auctoritate Pandulphi et Angelis de Dominis Castri Alabri et Modii confirmantur statuta ejusdem Castri Modii ».

(5) Ex Actis nuper Romae productis in causa ejus familiae, in Auditorio Sacrae Rotae agitata.

(6) Libr. Bonon. CCL.

(7) Ex *Mem. Com. Bon.* ad diem XVIII Julii.

(8) Vide *Annal. Camaldul.,* t. V, pag. 169.

quem capellani et camerarii munere fungebatur, cum is legationem splendidissimam in omni fere Italia pro Romano Pontifice gereret, et summum prope imperium exerceret in pluribus pontificiae ditionis provinciis. Itaque credibile est ejus beneficio Sinibaldum ad archidiaconatum bononiensem gradum sibi fecisse. Ac fortasse Sinibaldus ipse aliquo agnationis gradu Ubaldinos attingebat. Erat Arretii in Thuscia Sinibaldus cum Octaviano cardinali anno MCCLXXI, ac interfuit promulgationi actorum Capituli generalis Ordinis Camaldulensis, cujus erat protector Octavianus ipse (1). Ubi praetereundum non est Camaldulenses in eo capitulo cessisse ac donasse Sinibaldo jus omne atque omnem actionem, quam habebant in monasterium et ecclesiam s. Michaelis de Castro Brittorum agri bononiensis (2). Occupaverant Fratres Gaudentes monasterium illud contra jus fasque, ac frustra in illum diem Camaldulenses de eo recuperando solliciti fuerant. Itaque facile mihi suaserim propterea Camaldulenses id consilii coepisse, quod existimarent Sinibaldum Octaviani patrocinio posse Fratres Gaudentes extrudere, atque ita monasterium illud post ejus obitum ad Ordinem reversurum. Sed inanis fuit haec Patrum Camaldulensium cura; nec unquam constat Sinibaldum eo monasterio potitum. Eidem Sinibaldo causam quamdam non minimi momenti definiendam detulerunt Patres Camaldulenses (3); ac vel ipsum aliquando ejus Ordinis moderatorem summum ejus patrocinio usum constat in negotio paullo difficiliori expediendo. Extant ea de re Gerardi Camaldulensium prioris literae, quas memorant Annalium Camaldulensium Auctores. Scriptae sunt anno MCCLXXXV, cum Sinibaldus jam esset non quidem archiepiscopus, ut in Annalibus legitur (4), sed archidiaconus bononiensis.

II. Gessit ille archidiaconatum bononiensem semper, aut fere semper, absens, Romanae Curiae negotiis, ut opinor, occupatus; eique vicariam operam in eo munere administrando praestitit Hugolinus de Montezanico (5), qui etiam ex Ubaldinorum agnatione erat (6). Duos quoque nepotes diu Bononiae habuit, Henricum et Bertholdum (7), quos jurisprudentiae studiis in academia nostra vacasse existimo (8). Ac Bertholdus post Sinibaldi obitum in archidiaconatu bononiensi, nescio quo jure, succedere voluit. Fuit et tertius Sinibaldi fortasse nepos, ipse quoque Sinibaldi nomine dictus, qui prioratum s. Mariae Majoris obtinuit. Ita omnes, qui ex cardinalis Octaviani vel agnatione vel clientela erant, facilem habebant aditum ad ecclesiasticas dignitates et beneficia. Decessit Sinibaldus archidiaconus anno MCCLXXXXII, aut initio anni MCCLXXXXIII, Februario enim mense hujus anni finem vivendi fecerat, ut ex certissimis tabulis, VIII kalendas Martii scriptis, manifestum est (9). Anno autem MCCLXXXXII, mense Martio,

(1) « Promulgatae sunt constitutiones Capituli Generalis Arretii celebrati sub anno Domini MCCLXXI, XI kal. Octobris praesentibus discreto viro Sinibaldo de Labro camerario .... dicti domini Cardinalis etc. ». *Annal. Camald.*, t. V, pag. 221. *Appendix.*

(2) Ibid., pag. 222. *Appendix.*

(3) Ibid., pag. 119.

(4) Ibid., pag. 167.

(5) Hugolinum de Montezanico vicarium archidiaconi bononiensis innumera fere horum temporum monumenta exhibent, quorum nonnulla indicantur in adnotatis ad Thaddaeum Alderottum et Spinellum medicinae professores.

(6) Vide *Histor. famil. Ubaldinae* a Jo. Baptista Ubaldino scriptam, pag. 36 et 96.

(7) « Anno MCCLXXXI, die quarta exeunte Julii, dominus Henricus et dominus Bertholdus fratres de Labro nepotes domini Sinibaldi archidiaconi bononienses fuerunt confessi habuisse a domino Gerardino Brunini XXXX florenos aureos, quos denarios socii sui receperunt in Romana Curia ». Ex *Mem. Com. Bon.* ejus anni.

(8) « Eodem anno Domini.... mensis Julii, dominus Bertholdus de Labro emit decretum a domino Beltrame Codegà de Mediolano pretio CXII libr. Bonon. ». Ibid.

Rursus anno MCCLXXXV Sinibaldum emisse *Corpus Juris Civilis* cum *Apparatu Accursii* supra indicavimus.

(9) « Anno MCCLXXXXIII, die XXI Februarii, discretus vir dominus Sinibaldus de Labro, prior Ecclesiae sanctae Mariae Majoris de Bononia, heres quondam

adhuc erat in vivis (1). Obeunte autem Sinibaldo, acre dissidium exortum est de archidiaconatu obtinendo inter Sinibaldi nepotem Bertholdum, quem dixi, et Octavianum Ubaldinum. Erat Octavianus Rogerii Ubaldini, qui ex archidiacono bononiensi creatus fuerat archiepiscopus pisanus, et Octaviani et Sclattae, Bononiensium episcoporum, nepos, Octaviani cardinalis pronepos. Et is quidem, seu quod meliori jure uti se existimaret seu quod potentior esset et familiae suae viribus et auctoritati nihil non tribueret, se aliquandiu pro archidiacono gessit (2). Splendor scilicet et largus census archidiaconatus bononiensis utriusque animum coeperat, et quod patruo vivente uterque praegustaverat, proprium ac suum quasi haereditario jure esse volebat. Cum itaque neuter de suo jure decedere vellet, itum est ad judicium Sedis Apostolicae. Sed interim, nondum causa finita, Octavianus moritur. At Bertholdus, competitore sublato, adeo non audacior factus est, ut causae suae diffidens, juri tandem suo, si quod ad eam dignitatem habebat, sponte cesserit. Itaque tandem legitimae electioni locus fuit, cum anni tres et menses aliquot in dissidio Bertholdi et Octaviani effluxissent. Haec omnia constant ex literis Bonifacii VIII, quibus Guidonem de Baysio archidiaconum creavit, juris pontificii interpretem celeberrimum, quique ex archidiaconatu bononiensi nuncupationem sortitus, non alio fere quam archidiaconi nomine appellari consuevit. Sed quoniam Guidonis aetas ad annos non paucos XIV saeculi procurrit, de eo agendum erit in sequenti hujus operis parte.

EXPLICIT TOMUS PRIMUS.

domini Sinibaldi Archidiaconi Bononiensis, ut patet ex testamento scripto manu Spinelli Joannis de Montecalceo, vendit etc. ». Ex *Memor. Com. Bonon.* ALEXANDRI DE ARGELE.

(1) « Anno MCCLXXXXII die XII exeunte Martio domino magister Thaddeus medicus et dominus magister Bartholomeus de Varignana compromiserunt se in dominum Hugolinum de Montezanico vicarium domini Sinibaldi archidiaconi ». Ex *Memor. Com. Bonon.* ejus anni.

(2) « Anno MCCLXXXXIII, die vigesima sexta Septembris. Reverendus vir dominus Ottavianus archidiaconus Bononiae fecit, constituit dominum Ubaldinum archipresbiterum Plebis s. Joannis in Persiceto et dominum Hugolinum de Montezanico procuratores suos ad exigendos fructus etc. ». Ex *Memor. Com. Bonon.* TUCII DE QUERCIS in archivo publico Bononiae.

INDEX.

INDEX PROFESSORUM.

JURIS CIVILIS PROFESSORES.

JURIS CANONICI PROFESSORES.

ARTIS NOTARIAE PROFESSORES.

MEDICINAE PROFESSORES.

PHILOSOPHIAE PROFESSORES.

HUMANIORUM LITERARUM PROFESSORES.

THEOLOGIAE PROFESSORES.

ARCHIDIACONI ECCLESIAE BONONIENSIS.

